PERAMAT.

Opera

PETRI DE PERAMATO, ILLVSTRISSIMI AC Excellentissimi Ducis de Medina Sydonia Protomedici, Opera Medicinalia.

DE ELEMENTIS.

DE HVMORIBVS.

DE TEMPERAMENTIS.

Alia insuper vtilissima traduntur opera, quæ nouo titulo & libri principio comprehenduntur.

Excudebat Ferdinandus Diaz Typographus Regius.

Expensis Illustrissimi ac excellentissimi Herois de Medina Sydonia.

SANLVCAR A BARRAMEDA. Anno

M. D. LXXVI.

Cum priuilegio Cæsareæ Magestatis ad sexennium.

EL REY.

Por quanto por parte de vos el doctor Pedro de Peramato medico, nos fue fecha relacion, diziendo q̃ vos auiades cõpuesto vn tratado de Elemẽtis, y otro de Humoribus, y otro de Plenitudine & cacochimia, y otro de Vacuandi ratione per sanguinis missionẽ, y otro de procreatione hominis à cõceptu in partũ, con tres Appendices de cosas tocãtes a la misma materia, y otro de Animæ facultatibus quæ corpus nostrũ dispensant: q̃ eran obras muy vtiles y necessarias enla facultad de medicina y philosophia: las quales cõuenia deuulgarse para bien cõmun y fructo dela republica: los quales por nuestro mãdado estauan vistos y aprobados por obras vtiles. Suplicandonos vos diessemos licẽcia y priuilegio para q̃ por tiempo de diez años ningũ impressor ni otra persona alguna lo pudiesse imprimir sin vuestra licẽcia, o como la nuestra merced fuesse. Lo qual visto por los del nuestro cõsejo, fue acordado q̃ deuiamos mandar dar esta nuestra cedula para vos enla dicha razõ, y nos tuuimoslo por bien. Y por la presente por os hazer bien y merced, os damos licẽcia y facultad para q̃ vos o quien vuestro poder ouiere, podays imprimir los dichos libros q̃ de suso se haze mẽcion, y para q̃ por tiẽpo de seys años primeros siguientes, q̃ corran y se cuenten desde el dia de la data desta nuestra cedula en adelante, vos el dicho doctor Pedro de Peramato, o la persona q̃ el dicho vuestro poder ouiere, podais vẽder los dichos libros. Y mãdamos q̃ persona alguna sin vuestra licencia durãte el dicho tiẽpo delos dichos seis años, no los pueda vẽder ni imprimir, sopena de perder todos los libros q̃ vuiere impresso, y mas de veynte mil marauedis para la nuestra camara. Y mandamos q̃ despues de impressos no se puedan vender, ni vendan, sin q̃ primero se traigã al nuestro consejo juntamente con los originales q̃ enel fueron vistos, q̃ van rubricados y firmados al fin dellos de Gonçalo Pumarejo nuestro scriuano de camara delos q̃ enel nuestro cõsejo residen. Para q̃ se vea si la dicha impression esta cõforme a los originales, y se tasse el precio porq̃ se ouierẽ de vẽder cada volumen, sopena de caer è incurrir enlas penas contenidas enla dicha prematica, y leyes destos nuestros Reynos. Y mãdamos a los del nuestro consejo presidente y oydores delas nuestras audiencias, alcaldes, alguaziles dela nuestra casa y corte y chancellerias, y a todos los corregidores, assistente, gouernadores, alcaldes mayores, y ordinarios, y otras justicias qualesquier de todas las ciudades villas y lugares de los nuestros Reynos y señorios, y a cada vno y qualquier de vos, assi a los que agora son, como a los que seran de aqui adelãte, q̃ vos guarden y cũplan esta nuestra cedula y merced q̃ vos assi hazemos, y que cõtra el tenor y forma della, no vayan ni passen, ni consientan yr ni passar por alguna manera, sopena dela nuestra merced, y de diez mil marauedis para la nuestra camara. Dada en Madrid a xix. dias del mes de Abril, de mil y quinientos y setenta y dos años.

YO EL REY.

Por mandado de su Magestad. Antonio de Erasso.

INCLYTO AC MAGNANIMO Principi, domino Illefonso Perez de Guzman el bueno, Dudi de Medina Sydonia, Comiti de Niebla, Marchioni de Caçaça, dignissimoque Cætariarum domino: Petrus de Peramato suus Medicus, opera consecrat sua.



SAEPE me dum nobilium statum cõtemplarer, dubium tenuit: qua re magis nobiles viros commendemus, literarum ne varia & diligẽti professione: an forti, dextero, ac frequenti armorum exercitio. In qua ambiguitate quid alij delirarint non curo. Nobis enim etiam si diutius animum voluimus, nunquam licuit nodum explicare: donec in te ipso, adeo isthæc duo cohærere animaduertimus, vt alterũ ab altero seiungere, turpe iam videatur, & ingenuis hominibus, ac magnatibus indecens. Nam non modo musarum studium, & bonarum artium cultus (quibus a peritissimo, atque integerrimo Oretano, meritissimo tuo magistro, iam diu non sine ingenti fructu instrueris) tibi video placere: sed & arma ipsa, summa, noua, ac præstanti arte tradita, a nobili, docto, ac dexterrimo didicisti Carrança. In quo quid magis admirari debeamus: an quod nouã artem mundo nunquam visam, Philosophiæ ac Geometriæ alumnam dederit: an quod te pari dexteritate crearit, ambigo. Deus bone, o quantum in vtraque profecisti disciplina, quam acre ingenium accepisti, quantaque cum comitate fortitudo, animo adhæsit tuo. Hercle si ex præsentibus futura vaticinari licet, fore reor. Vt qui Methimnensem Ducatum hæreditate obtinuisti, Christiani orbis propugnaculum tua disciplina atque virtute sis futurus. E quid enim minus de tam docta circa res gerendas prouidentia, de tam dextra armorum potentia, in tanta generis nobilitate spectemus? Cur enim falso a poeta existimemus dictum fuisse illud. Nec imbellem feroces progenerant aquilæ columbam: Fortes creantur fortibus. Accessit & Cæsaris gratia, ab auis, proauis, & attauis, ad te deriuata: tibique ob singularem virtutem debita: atque etiam ob coniugem clarissimam simul ac fœlicissimam, denuo accersita: quæ animum tuum suapte sponte currentem, non potest ad maxima quæque nõ accendere. Et si leonem (quod in prouerbio est) ex vnguibus agnoscere nõ est difficile: cur non ex tã illustri tuo principio, omnium qui te Duce militamus, bonam fortunam, & tui ingentem gloriam sperabimus? cur non omnes nostros conatus ponemus, vt tuam virtutem omni laude maiorem extolamus? Saltem enim hac laude, omnium animos ad te vnum spectandum suspendemus, & æmulum in reliquis magnatibus studium accendemus: vt otio & voluptatibus prætermissis, cum doctis conuersari, ex ipsis addiscere, & eosdem ceu meritissimos domi alere, & muneribus ornare, ex te addiscant. Sciant velim, neminem iam esse qui virtute aut eleganti aliqua doctrina præstet, quin tui munera sentire occeperit: quæ tanto sunt maiora futura, quanto sperandarum rerum vltima, sunt initijs proceriora. Hæc si reliqui imitentur, tibi ceu fonti, & illustri exemplari debebimus: sin vitam vero cum ignaris transigere malint, omnis bonarum literarum cognitionis & fructus expertes: stypites verius quam homines esse, & inanimem quandam vitam agere intelligãt. Quo quid turpius? Ego sane hæc tibi laborum meorum monumenta nuncupo, vt te patrono secura incedant, & per vicos atque plateas oberrantia, tuæ virtutis & liberalitatis in nos, si nõ quale debebamus, quale potuimus testimonium præbeant. Quæ vbi tibi placuisse intellexero, maiora quæ ad manum mihi iam sunt, tuo nomini consecrabo. Vale Magnatum, Hispanæque nobilitatis decus.

CATALOGVS EORVM QVAE de Elementis inquiruntur, legitur ad finem libri de Elementis.

Libro de Humoribus, hæc quæ sequuntur requires.

AN reliqui humores a sanguine nos alant: an vero sanguis solus. cap.1.
An humores sint immediata nutritiōis materia: an vero in humiditates secundas magis immediatas migrent. cap.2.
Quot sint secundæ humiditates. cap.2.
An omnium humorum autor sit iecur. c.3.
An pituita gignatur in ventriculo. cap.3.
An iecur, & alia pariter membra, sibi tantū conficiant alimenta: an in totius etiam corporis gratiam. cap.3.
An in iuuenibus totum mel vertatur in flauam bilem. cap.3.
An venæ sanguificent vi propria, an a iecore demandata. cap.4.
An omnes humores abundātiores efficiat temperatum iecur. cap.4.
An calidi atque frigidi humores in iecoris confectione simul gignantur. cap.5.
Quæ sit humorum inter se proportio naturalis. cap.5.
An ex humorum actione reciproca, media consurgat in omnium massa, temperatura & forma. cap.6.
An quarta sanguinis substantia, a tribus reliquis simul sumptis sit diuersa. cap.7.
An sanguis sit calidus, an frigidus, an temperatus. cap.8.
An sanguis plus habeat substātiæ aqueæ & terreæ, quam igneæ & aereæ. cap.8.
An sanguis sit iecore calidior. cap.8.
Quomodo ossa frigida, calore possunt sanguinem calidum coquere, & eo nutriri. c.8.
An sanguis sit bile calidior. cap.9.
An sanguis in bilem flauam posit commutari. cap.10.
An sanguis in atram bilem cōmutari posit. cap.10.
An sanguis in pituitam posit verti. cap.10.
An pituita sit calida, an frigida. cap.11.
An pituita distinguatur ab humore crudo. cap. 12.
Quot sint pituitæ species. cap.13.
Inter species pituitæ quæ sit naturalissima. cap. 13.
An pituita dulcis sit naturalis. cap.13.
An pituita, putredine posit reddi salsa. 14.
An pituita, mistione paucæ bilis, salsa reddi posit. cap.14.
An pituita, salsa effici posit, mistione seri salsi. cap.14.
Quomodo ex amaro, calidiori ac ficciori quam sit salsum: vlteriori vstione gigni possit salsedo. cap.14.
An pituita salsa sit calida, an frigida. cap.15.
An acida pituita calore posit prouenire: an vero semper frigore. cap.16.
An pituita, solo indigentiæ tempore in sanguinem vertatur. c.17. Auicenna tamen qui hic videtur reprehendi, interpretatur capite decimotertio libri de Facultatibus.
An pituita in bilem verti posit. cap.17.
An pituita in atram bilem transeat. ca.17.
An omnis atra bilis debeat esse nigerrima. cap. 17.
An album quod in nigrum debet migrare, per medios colores omnes transeat. ca. 17.
An bilis sit sanguinis spuma. cap.18.
Quot sint bilis naturalis species, & vtra earum sit naturalior. cap.19.
An rufus color sit medius inter album & flauum. cap.19.
An detur bilis aliqua rubra. cap.20.
An vitellina bilis, similetur oui vitello, tam colore, quam consistentia. cap.21.
An bilis vitellina sit humor syncerus: an cōpositus ex bile & pituita. cap.22.
An bilis prasina sit eadē cū æruginosa. 23.
An prasina similetur succo porri, an folio eiusdem. cap.23.
An æruginea sit candidior, an nigrior porracea. cap.23.
An æruginosa sit eadem cum zinaria. c.23.
An æruginosa bilis in ventriculo gigni posit. cap.23.
An porracea in vasis, & alibi quam in ventriculo gignatur. cap.23.
An viridia, aut nigra, sine affectu aliquo morboso excerni posint. cap.23.
An porracea bilis, in ventriculo, an in iecore gignatur. cap.23.
An bilis cærulea, & isatidea, sint de genere viridium. cap. 24.
An omnes bilis species sint octo. cap.24.

An

An bilis in pituitam cõmutari queat. ca.25.
An bilis possit in melãcholicũ succũ verti. 25
Cur atra bilis inter bilis species non connumeretur. cap.25.
An succus melancholicus a fece sanguinis distinguatur. cap.26.
An succus melancholicus inter humores ceu eorum vnus sit memorandus. cap.26.
An succus melancholicus sit acidus. cap.27.
An omnis atra bilis sit acida. cap.27.
An fermẽtatio terræ a calore, an a frigore prodeat. cap.27.
Cur atra bilis muscas abigat. cap.27.
An succus melãcholicus gignatur a calore tẽperato, an ab vlteriori, aut citeriori. c.28.
An lien nutriatur succo melãcholico. c.29.
Cur melancholicum succum non traduxit natura in proxima ano intestina. cap.29.
An succus melancholicus naturalem famẽ excitet. cap.29.
Cur athletæ famescant. cap.29.
An succus melancholicus sit causa mœrus & mœstitiæ, sui nigredine, an temperamẽto quo insignitur. cap.30.
In quos humores commutari possit succus melancholicus. cap.31.
An atra bilis ex succo melãcholico fit deterior, quã quæ ex flaua bile gignitur. c.32.
Causæ traduntur cur diuersi humores, diuersis periodis moueãtur & repetãt. ca.33.
Quis humor sit putredini opportunior, & quis ineptior. cap.33.
A quo humore cum putret, maior dispositio relinquatur in foco. cap.33.
Cur sanguis continenter putret. cap.34.
An serum humorum in corpus eo feratur, quod a renibus trahi nequeat: an alicuius vsus gratia. cap.35.
An potus sit vrinæ materia. cap.35.
An detur cacochimia serosa. cap.35.
An vrina, pariter & sudor, sint recrementa secundæ, an tertiæ coctionis. cap.35.
An portio seri quod ad membra migrauit, retrocedat ad renes. cap.35.
An vrina ostendere possit dispositiones vasorum. cap.35.

LIBRO DE TEMPERAMENTIS.


An totidem sint temperamenta, quot elementorum miscendi rationes. c.1.
An temperamentum sit concentus, proportio, aut harmonia miscibilium. cap.1.
An temperamentum sit qualitas quinta distincta a primis. cap.1.
An in generatione quintæ qualitatis, aut tẽperamenti, primæ quatuor corrũpãtur. c.1.
An temperamentum sit vna qualitas in toto corpore. cap.1.
An quinta qualitas quæ tẽperamentum dicitur, sit qualitas actiua, an passiua. cap.1.
An quinta qualitas dicta, eandẽ habeat essẽtiã cum naturalibus facultatibus: an diuersam. cap.1.
An in tẽperamento duplex qualitas cõsurgat, vna ex actione actiuarum, & altera ex passiuis. cap.2.
An quatuor primæ qualitates elementorũ, sint actiuæ, an duæ actiuæ, & duæ passiuæ: in quo Aristoteles a Galeni calumnia defenditur. cap.2.
An frigus naturæ opera ingrediatur. cap.2.
An tẽperatũ sit notius intẽperato: & a quo incipienda est doctrina tẽperamẽtorũ. c.3.
An ad temperatum in vniuersa substantia creandum, requirat Galenus in elementis æqualitatem ponderis, an mensuræ. cap.4.
An æquata cõtraria dum permiscentur, attẽperent seipsa ad medium interualli. ca.4.
An mediũ in vniuersa substantia, inter aërẽ & aquam necessario debeat locari. cap.4.
An temperatũ ad pondus (in quo cõtraria nõ modo æqualẽ mensurã, aut pondus: sed æquale etiã robur obtineãt) dari possit. 4.
An mediũ temperamentũ iusticiale in homine, coincidat cum temperato in ordine ad vniuersam substantiam. cap.5.
An tẽperamẽtũ mediũ iusticiale, coincidẽs cũ medio totius substãtiæ, sit punctuale. 5.
An cutis constet ex neruo & carne. cap. 5.
Quomodo temperatum corpus vere dicitur esse, id cuius omnia membra calent. c.5.
Cur frigidæ sua natura partes, cute calidiores tangentibus sentiuntur. cap.5.
Quo ordine disponãtur calida nostri corporis membra, in ordine ad cutim. cap.6.
An calor aut frigus particulæ, per abundantiam aut defectum sanguinis ad ipsam trãsmissi, debeat metiri. cap.6.
An sanguis sit calidissimum eorũ quæ sunt in corpore nostro. cap.6.
An cor sit omnium membrorum calidissimum. cap.6.
An spiritus sint corde calidiores: & quomodo temperati a Galeno dicuntur. cap.6.

An carnis temperies sit cuti proxima. cap. 6.
Cur lieni calido & spirituoso, frigidum alimentum tribuat natura. cap.6.
An venæ & arteriæ sint calidæ, an frigidæ. cap. 6.
An ventriculus, & intestina, ex innata temperie caleant. cap.6.
Quod non omnes fibræ sint eiusdem temperamenti: sed quædam cute paulo magis, aliæ paulo minus frigidæ. cap.6.
An pulmo in censu calidorum sit annumerandus. cap.6.
An frigidius quod est in corpore nostro sit pituita. cap.7.
An pilus caleat, an frigeat. cap.7.
An os sit frigidius cartilagine. cap.7.
An cartilago sit frigidior ligamento. cap.7.
An membrana sit neruo frigidior, an calidior. cap.7.
An neruo tantum deficiat de calore, quantum de sanguine. cap.7.
An nerui duri, sint calidiores mollioribus. cap. 7.
An cerebrũ sit calidius spinali medulla. c.7
An spinanalis medulla sit calida, vt voluit Aristoteles. cap.7.
An cerebrum in ordine ad cutim, sit calidũ, an frigidum. cap.7.
An adeps frigida sit, an calida. cap.7.
An pituita sit humidissimum quod est in corpore nostro. cap.8.
An sanguis minus humidus sit quam pituita. cap.8.
An ossiũ medulla sit humidior cerebro, & spinali medulla. cap.8.
An cerebrum sit humidum, an vero mediã prorsus naturã habeat aquæ & terræ. c.8.
An vbera sint humidiora testibus. cap.8.
An cerebrũ & pulmo, humiditatis ratione sint adipi proxima. cap. 8.
An pulmo sicus, sit an humidus. cap.8.
An humiditates pulmonẽ irrigantes, ipsum reddãt humidiorẽ quã eius natura poscit. 8
An iecur sit insigniter humidum, & an pulmone humidius. cap.8.
An renes sint humidi, an sicci. cap.8.
An cor sit humidum an siccum cutis comparatione. cap.8.
An nerui molles sint temperatiores, & cuti magis proximi quam duri. cap.8.
An olfactus sensorium sit nasus, an vero caruunculæ mamillares appellatæ. cap.8.
An auditus sensorium sit humidum. cap.8.
Visus organi tẽperamentũ quod nã sit. c.8.
Cur oculum natura aëreum nõ fecerit. c.8.
Cur oculi lucem habent, si aquei sunt. ca.8.
Cur pilus osse siccior statuitur, cum tamen sit mollior. cap.9.
An arteria sit siccior vena. cap.9.
An nerui duri in siccitatis ordine, post venas sint memorandi. cap.9.
An cutis omnium intemperantiarum medium teneat. cap.9.
An membra naturam suam seruantia, sibi inuicem pugnent, & contraoperẽtur. c.10.
An iecur possit interdum a corde infrigidari, & cor a iecore incalescere. cap.10.
An cerebrum cor refrigerare possit. ca.10.
An viuentia omnia sint calida & humida. cap. 11.
An temperata hominis natura, in medio sedeat extremorum. cap.11.
An omnium quatuor qualitatum primarũ latitudo sit æqualis. cap.11.
An humida in quarto possint nos alterare vltra gradum secundum. cap.11.
An natura humana magis ad calidum quã ad frigidum, an contra labi possit. cap. 11.
An simplices intemperantiæ debeãt de numero temperamentorum adimi. cap.12.
An passiuæ qualitates sint materiæ actiuarum, actiuæ vero passiuarum formæ. ca. 12.
An seclusa ætatum successione, simplex intemperies possit suapte spõte in compositam commutari. cap.12.
An fœmina masculo sit frigidior. cap.13.
Cur in biliosa muliere pudenda intus delitescant: & in pituitoso viro extra erumpant. cap.13.
Cur fœminæ gestentur in sinistris, viri vero in dextris vteri sinibus. cap.13.
Signa quæ masculum aut fœminam gestari significant, examinantur. cap.13.
An mulier ambidextera reperiatur. cap.13.
An latus dexter, sit sinistro calidior, & validior: an contra. cap.13.
An vita carentia habeant ætates. cap.14.
An ætates distinguantur certo aliquo ac præfixo temperamento, quod quædam ætates citius, aliæ tardius nanciscantur: an vero certo annorum numero: an neq; hoc, nec illo. cap.14.
Aetatum numerus examinatur. cap.14.
An iuuenes augeantur. cap.14.
An pueritiam vltra decimumquartũ annũ

interdum extenderint autores. cap.14.
Cur pueritia in plures partitur ætates, quā iuuentus & senectus. cap.14.
An senium, & mors, arte vlla posśint deuitari. cap.15.
An genita omnia sint interitura. cap.15.
An innatus calor, contraria posśit: nostrū scilicet corpus nutrire ac seruare; & id ipsum exsiccare atque corrumpere. cap.15.
Quomodo innatū calidum se ipsum cōsumat, & in semetipsum agere potest. cap.15.
An aer sēper exsiccet corpora nostra. c.15.
An si humidū radicale, neque ab externis, nec ab internis causis exsicaretur, posset homo mortem effugere. cap.15.
An pueritia sit ætas calida atq; humida.16.
An adolescentia sit temperatisśima ætas. cap. 16.
An iuuentus sit pueritia calidior. cap.16.
An calor a pueritia in iuuentutem intendatur a seipso: an ab alio. cap.16.
An in ætate constante, æqualis fiat resolutioni restauratio. cap.16.
An vergens ætas sit calida, an frigida. c.16.
An senes sint sicci, an humidi. cap.16.
Vim magnā assuetudinis esse: quomodoq; sit seruanda & permutanda. cap.17.
Causæ diuersarum assuetudinum multiplices traduntur, iuxta diuersitatem materiæ circa quam versatur consuetudo. Vna etiā generalis causa traditur, omni assuetudini cuiusque materiæ sit conueniens. c.17
An assueti cibi & potus praui, magis in posterum lædant, quam ante assuetudinem lædebant. cap.17.
An quantitati ciborum assuescere posśimus. cap.17.
An deterior sit cibi assueti, quam consueti potus mutatio. cap.17.
An imbecillis senex assuetus, maius robur cōparet iuuene valido insueto. cap.17.
An intellectus assuetudine sui actus roboretur. cap.17.
An consuetudo non modo indicet vacuationes tanquā signum: sed etiam tanquam causa quæ ipsarum indigentiam parit. c.17. & libro de humoribus, cap.21.
Quomodo omnes nostri corporis facultates assuescant. cap.17.
An naturales facultates assuescant. cap.17.
Quomodo consuetudo sit natura ex actibus inclinata. cap.17.
An consuetudo sit dispositio, aut habitus, aut similitudo aliqua cum rebus consuetis comparata. cap.17.
Quid sit annus constans. cap.18.
An anni tempora sint æqualia. cap.18.
An ver sit temperatum. cap.18.
An ver sit æquale. cap.18.
A quo die mensis dies caniculares sint computandi. cap. 18.
An omnes causæ quæ æstatem calidam & siccam reddunt, sint perpetuæ. cap.18.
De fauonio, prodromis, & ethesijs æstatem perflantibus. cap.18.
An æstati constanti pluuiæ conueniāt. 18.
An autumnus sit inæqualis. cap.18.
An constans autumnus debeat esse pluuiosus. cap.18.
Ex diebus hyemalibus, an dies in quibus vēti omnino silēt, sint cæteris præferēdi. c.18
An annus cōstans sit salubrior, quā esset si omnia tempora essent temperata. & vnius modi. cap.18.
An causa dispersorum morborum, aer existat. cap.18.
An mare contēperet naturam loci. cap.18.
An loca maritima sint humida, an sicca. 18.
De clymatibus: & quod sit tēperatisśimum. cap. 19.
An vapor simul posśit in sublime efferri, & conspissari. cap.20.
An aeris vis insit agitandi & mouendi se se: se (inquam) densandi & expādendi. cap.20.
An cuiusque venti materia, sit exhalatio sicca, a sole calfacta & tenuata. cap.20.
Ventorum numerus, & nomina. cap.20.
An auster ab altero procedat polo. cap.20
An omnis vētus calidus, necesśario debeat esse humidus. cap.20.
An auster necessario sit humidus. cap.20.
Cur orientales venti, sint occidentalibus calidiores, cū vtrique illustrentur a sole. 20.
An vēti frigidi sint salubriores calidis. c.20
An fauonius sit subsolano salubrior. c.20.
Quāta sit sanitatis latitudo, iuxta diuersitatem corporū varie tēperatorum. cap.21.
Quod temperamentorū inditia, a quatuor fontibus sumātur: & quomodo reliqua omnia ad hos reducantur. cap.21.
An ad dignotionem temperamēti, adhibendus sit solus tactus temperatus: an intemperatus etiam sit iudex. cap.21.
Quomodo temperatum corpus, a temperato tactu dignosci valeat. cap.21.
An idem per idem posśit dignosci: & seipso notius

notius esse queat. cap.21.
An summe glabra natura frigida sit & humida: & contra maxime hirta, sit calida, atque sicca. cap.21.
An ex figura, & cõformatione, iudicãdum sit de temperamento. cap. 21.
An cuiusuis quantitatis, possit quadratus optimique habitus homo reperiri. cap.21.
An temperati corporis operationes, sint perfectiores operationibus intemperatorum. cap. 21.
An ab animanti temperatissimo, tãtum requirat Galenus perfectionem in ea operatione quæ speciei magis congruit. cap. 22.
An melancholici plus cæteris ingenio clarueriat. cap,. 22.
Penes quid attendatur operationum perfectio maior. cap.22.
An melancholici, longe sita, & futura diuinare queant. cap. 22.
An intellectus sequatur magis cõpositionis cerebri varietatem: an magis temperaturam. cap. 22.
An temperatum corpus magis reluctetur causis morbificis, quam intemperata. ca.23.
Quare bruta intẽperatiora cũ sint, paucioribus morbis quã homines corripiãtur. 23.
An calida atque humida temperies sit longæuissima: & quã ipsa etiam temperata natura longæuior. cap. 24.
Quem seruent ordinem in vitæ longitudine reliquæ naturæ. cap. 25.

FINIS.



De Elementis vniuersalis præfatio.

QVATVOR MVNDOS NOVIT ANTIQVITAS, *supremum omnium vltra mundanum, quem theologi angelicum, philosophi autem intellectualem vocant, considerant & theologus & methaphysicus: proximum huic cælestem, speculatur astronomus: tertium qui sublunaris appellatur, tractat naturalis: postremum qui & minor mundus & homo nuncupatur manibus, versat medicus. Ex primo mundo substantiarum separatarum mouetur cælestis, à cælesti regitur sublunaris, & omnes tres in quartum, hominem nempe conspirant: in quo mistio cernitur ex elementis concreta, cælestes suscipiuntur afflatus, & anima adest intellectualis. Cælestium sanè afflatuum, quanta sit medico habenda ratio, dictum à nobis peculiari tractatu infra est. Intellectualis verò animæ tractatio essentia atq; proprietas, medico (cui constat animam sine corporis triplici natura, qualitatum scilicet temperie, partium compositione, & earundem vnione, in corpore neutiquam seruari) aut prorsus necessaria non est, aut pauca quædam de mentis integritate atq; alienatione, quæ morborum quandoq; symptomata sunt, ipsi venient expendenda. Ex elementis verò humani corporis concretio, à qua aut sanitas aut mala pendet valetudo, medicis est primum speculanda: quæ nam sit elementorum natura compositio, aut synceritas, locus, figura, temperies, substantiæ modus, numerus & agendi atq; patiendi ratio: Quaq; insuper ratione mista generẽt, atq; in corporibus concreta reperiantur, & in interitu aut misti dissolutione remigrent. Huiuscemodi autem tractatio hinc exordiatur. Corpus humanum vt est mistorum omnium perfectissimum, sic non rudi vt cætera constat materia, sed elaborata atq; multiplici opera quæ eius constitutionem antecedit ornata. Nam ex seminibus in vtero materno conceptis, inibiq; amplius elaboratis, tum facultate vteri, tum vi formatrice. Quæcunque ea sit, immediatam accipit generationem. Semina verò ex quatuor gignuntur humoribus, testium elaboratione atq; beneficio. Humores ex esculentis & poculentis, duplicem præter oris cõtritionem elaborationem perpessis, generationem suscipiunt. Esculenta atq; poculenta ex elementis inuicem temperatis nascuntur. Elementa verò ex communi omnium corporum subiecto, simul & ex substantiæ forma, coalita esse censentur. Quare sexcuplex notatur humani corporis compositio, proxima atq; immediata magis, est totius corporis ex organicis. Secunda est organicorum ex similaribus, qua certæ ratione venam, arteriam, neruum, & cartilaginem, corporis humani elementa appellant autores. Non enim alia his simpliciora sunt ob oculos posita etiam si totius corporis concretionem spectes. Alia tamen considerant medicus illis priora, quæ ad sensus permanare non adeo possunt. Nam tertia constitutio membrorum similarium, est ex seminibus, & mẽstruo sanguine, quæ duo corporis nostri elementa appellantur libro primo de tuenda valetudine apud Galenum. Quarta*

compositio est seminis ex humoribus, qui sanè corporis secunda elementa nuncupantur, octauo libro de Hippocratis atque Platonis placitis, & secundo libro de elementis à Galeno. Quinta est humorum ex mundi elementis. Vltima est elementorum ex materia & forma, quæ sunt principia constitutionis rei naturalis. Nam etiam si priuatio primò physicæ auscultationis, asseratur tertium rei naturalis principiũ, non debet poni principium cõstitutionis, sed transmutationis rei naturalis. Ac multò satius, occasionem ortus rerum naturalium, quam principium, priuationem appellaueris. Nam non aliter principium appellatur ab Aristotele, quam quod formæ inducendæ occasionem præbeat: qua certè ratione & motus & tempus principiorum nomine venirent, siquidem sine illorum vtroque, forma in subiecto induci nequit. Est igitur priuatio occasio tantum quædam, aut si mauis accidentarium principium ortus rerum naturalium. Quare mundi elementis componendis, sat fuerunt materia & substantia prima: illa quidem vt subiectum atque receptaculum quodam vniuersale omnium formarum. Hæc verò velut formans atque perficiens materiam ipsam. Constãt igitur elementa ex materia & forma, humores ex elementis, semina ex humoribus, similaria ex seminibus & menstruo sanguine, organica ex similaribus, humanum verò corpus ex organicis. Atque hæc est humani corporis per solida atque carnosa constitutio, nam ea quæ scribitur sexto libro Epidimiarum ab Hippocrate, & refertur primo libro de Febrium differentijs à Galeno, ex contentis, continentibus, & impetentibus, non modo corpus ipsum humanum, verum & quæ in ipso sunt omnia percenset. Ea insuper constitutio quæ scribitur vndecimo libro Therapeutices methodi capite primo, Ex solidis carnosis & spiritibus, non est corporis, sed virium constitutio. Quanquam & id dubitationem quandam habere videtur, siquidem sanguis in virium illa constitutione non percensetur: Qui tamen increscens ad certum terminum, vires auget autore Galeno libro de plenitudine capite octauo. Dicendum tamen, quòd cum humores non sint agentia vt membra, neque instrumenta vt spiritus, non sunt de essentia virium. Sed eatenus mutant robur, quatenus mutant aut temperamentum aut quantitatem membrorum & spirituum.

Qui igitur artem Medicam accurate tenere studet, omnium harum constitutionum elementa, ad vnguem speculetnr oportet, aliter enim corporis humani naturam atque fabricam, intelligere non datur. Primam sanè constitutionem ex materia & forma, satis superque docuit Aristoteles primo libro Physicæ auscultationis, quare nos de reliquis acturi, ab huius tractatione supersedebimus. Prima autem quæ inter reliquas, ordine compositionis exploranda venit, ea constitutio est, quæ ex mundi fit elementis. Differendum igitur primitus est, de elementi essentia atque diffinitione, de elementorum numero, de eorundem natura, atque temperie, deque ipsorum contrarietate, & actione mutua, atque de ratione qua elementa inexistant compositis, & ab eisdem separentur. Plura quoque

que alia & non indigna quæ nunc refferre omitto, præsens forte tractatio diligenter ostendet.

Caput primum de Elementi essentia atq; definitione.


EFINIT Elementum Aristoteles quinto libro Methaphysicorum commentario quarto dum inquit, Elemẽtum est id ex quo aliquid fit primo, inexistitq; composito, & secundum speciem est indiuisibile. (Ex quo aliquid fit) Id est, intrinsice componitur tanquam ex materia, omne enim elementum (vt ille docet) materiæ rationem obtinet, quare ex eo aliquit fid. (Primo) Quia si ex alijs fuerit constitutum, potius elementa tum quam elementum dici debet. (& inexistit composito) Ad differentiã contrariorum & priuationum, Priuationes enim & contraria non sunt elementa, quia nec priuatio manet in aduentu formæ, nec album manet cum ex eo efficitur nigrũ. (Et secundum speciem est indiuisibile) Per quod distinguitur elementum à prima & communi materia, atque etiam à misto composito ex elementis. Ab illa quidem, quoniam quanuis materia sit principium ex quo aliquid fit, & inexistat composito, non tamen habet actum nec speciem, secundum quam indiuisibilis in sua specie dici queat. Ab elementato verò quoniam in tot species est indiuisibile, quot ad compositionem admissit atque recepit elementa. Quare de solo elemento vere dicetur, quòd vnius & indiuisibilis speciei existens, in duas aut plures diuidi nequeat species. Potest enim aqua in plures partes consimilis rationis partiri, in partes autem specie diuersas, eam partiri est impossibile. Aliter definit elementum Aristoteles, tertio libro Cæli capite tertio, vbi sic scriptum legitur, Elementum est corpus, in quod cætera corpora diuiduntur, in quibus inest potentia aut actu, est autem ipsum in formas diuersas indiuisibile. Autor verò libri finitionum non longè ab initio sic definit. Elementum est ex quo primo & simplissimo progenita omnia sunt, & in quod simplicissimum resoluentur. Auerrhoës præterea tertio Cæli commentario quadragesimo primo sic finiuit, Elementum est simplicissimum eorum, quæ existunt in composito. Et commẽtario sexagesimo quinto eiusdem libri, elementum (inquit) est id ex quo primo componitur res, & in quod vltimo diuiditur. Auicenna verò prima primi sic scribit, Elementa sunt corpora, & partes primæ corporis humani, & aliorum, quæ in corpora diuersarum formarum minimè, diuidi possunt, ex quorum commistione, diuersæ generatorum species fiunt. (Sunt (inquit) corpora:) Quia ex non corpore, non fit corpus, vnde materia & forma, quanuis sint principia non sunt elementa. (Et partes primæ) Si ordinem compositionis spectes, secus si resoluendo incedas, hinc similaria mẽbra non sunt elementa organicorũ.

(Corporis humani) Quia medicus qua medicus est, solius humani corporis considerat elementa., (& Aliorum) Quia medicus philosophans, ad omnium rerum elementa consideranda trasgreditur. (Quæ in partes diuersarum formarum, minime diuidi possunt.) Per hoc sanè differunt, mista ab elementis, mista enim, quia ex diuersis formis coalita sunt, in easdem diuidi possunt: atq; ob repugnantiam formarum, quæ diuidi atq; exolui desiderant, mistum omne ab intrinseco est corruptibile: Elemēta verò, cum ex simplici constent forma, in partes tantum quantitatiuas, & non in diuersas formas diuidi queunt. (Ex quorum commistione, diuersæ generatorū species fiunt.) Quoniam ex diuersa commistione, diuersus consurgit materiæ apparatus: Iuxta diuersum autem apparatū, diuersæ formæ de materiæ gremio, atq; sinu eruuntur. Galenus verò libro primo de Elementis ad initium, satius elementum finiuit inquiens, quod elementum est minima pars, eius cuius est elementum. Nam si elementum & elementatum, correlatiua sunt, cuiuslibet horum essentia ad aliud erit, elementati quidem ad elementū, & elementi ad elementatum. Elementi igitur essentiam, interpretatus est Galenus, dum elementum, per elementatum finiuit, inquiens, quod elementum est minima pars eius, cuius est elementū. Quæ sanè definitio, nō modo elemēti naturā exprimit, verum & modum, quo ex elementis mista generantur, declarat, nempe per diuisionem ad minima: Elementa enim cum ad mistionem veniunt, multiplici congressu iungūtur, in partesq; plurimas diuiduntur, quo melius atq; comodius, possint se inuicem attēperare. Id autem vnum monere licet, quod Galenus aduertit, definitionem hanc, intelligi debere de minimo naturali, non autem de minimo ad sensum, Eorū enim (inquit) quæ natura, & verè cuiuslibet rei sunt elementa, sensus non est iudex. Id verò ita esse dupliciter probat, Primo exemplo quodam earum rerum, quæ apud nos miscentur, Secundo ratione euidentissima: Si enim æruginem, & cadmiam, & lythargirum, & misy, exquisitè trita, & redacta in puluerem, simul mista, sensui subieceris, vnū tibi esse omnia apparebunt. Igitur si istorū quæ arte quadam & ad sensum miscentur, sensus non est iudex: naturæ elementa, quæ verè minima sunt, sensus iudicabit nunquā. Ratio verò est huiusmodi si minimū ad sensum esset rei elementum, elementa variarentur ex maiori, aut minori videndi potentia, & alia quidem essent visui aquilæ elementa, alia visui lincis. Quin & inter homines, qui maiori videndi acumine pollent, minores partes visu depræhendunt: qui verò hebetiori sunt sensu, craßiores tantum partes cernunt. Sequitur igitur, quod vel elementa variantur, ex maiori vel minori videndi potentia (quod dicere nefas est) vel sensus non est elementorum iudex. Hoc sanè animaduertens Hyppocrates, humanæ naturæ elementa, illa quidem quæ ad sensum simplicissima sunt ac prima, contemnit: & quæ vere ac natura sunt elementa perquirit. Nec obstat quod medicus, cum artifex sit sensualis, minima naturalia, non habet considerare, sed ea tantum, quæ ad sensum minima sunt. Nam artifex sensualis dicitur medicus eo

solum

solum quod non contradicit sensui, ex sensibus tamen initio sumpto, insensilia quoque & soli intellectui obuia contemplatur. Sed elementorum numerus nos vocat quo de ipso nonnihil agamus.

Caput secundum an elementa sint plura vno secundum formam.



ERQVIRIT statim Galenus de his minimis & simplicissimis corporibus quæ elementa appellantur, num vnum sint secundum speciem elementum: an multa ac varia & dissimilia? De qua re Epicurus atque Democritus senserunt, elementa non esse plura vno, secundum formam & potentiam: sed innumera in eadem specie eiusdemque penitus potentiæ omnia haberi decernunt. Ea verò sunt minima, quædam corpuscula incompacta & indiuisibilia, nulla qualitate affecta, nec colore nec sapore aliquo, nec frigiditate aut caliditate, sed penitus exqualia. Ex quorum (inquiunt) diuersa positura & adhæsu vnius ad alterum, diuersorum corporum prout sors tulerit concretio constat. Democriti verò atque Epicuri sectatores eandem sectam collentes, in duas præterea vias processerunt. Alij enim corpusculis illis impatibilibus: vim sentiendi tribuebant, alij insensilia pariter, ac impatibilia esse opinabantur. Contra verò Hyppocrates, Aristoteles atque Galenus vnanimi consensu præcipuos illos philosophos, et Sectatores vtrosque, magnificis confutant demonstrationibus. Aristoteles sanè primo libro de Ortu & interitu, ad hunc modum aduersus hos argumentatur. Si corpuscula sunt quantitatem habebunt, omnis autem quantitas est in infinitum diuisibilis, igitur non erunt insectilia. Si verò insectilia sunt, ea puncta erunt, quare nec erunt corpuscula, nec corpus componere valebunt: ex punctis enim & indiuisibilibus, nulla ratione videtur, corpus aliquod atque diuisibile, fabrefieri posse. Sed age demus iam Democrito corpora quædam reperiri insectilia: quo pacto ex solo adhæsu atq; societate diuersa, diuersæ ex ipsis orietur generationes?. Siquidem cera & metalla liquefacta, quantumuis commota & agitata eandem retinent speciem, igitur adhæsus & conexio corpusculorum inter se, non est sufficiens causa simplicis generationis. Si corpuscula præterea illa sunt eiusdem formæ, eiusdem speciei, & eiusdem potentiæ, nulla inter ipsa erit contrarietas, quare nec actio. Et ex consequenti nec corruptio, nec simplex generatio vlla consurget. Hyppocrates verò primo libro de Natura hominis, sic eos conuincit, Qua ratione in corpore humano, ponuntur diuersa elementa secundum formam, deberent poni similiter in cunctis alijs generabilibus & corruptibilibus. Sed in humano corpore sunt ponenda ergo & in cæteris.

minor propositio probatur, quia si homo vnum esset, aut ex vno constaret, non doleret. At dolet igitur, nec vnum est, nec ex vno constat. Assumptum demostrat Hippocrates, quoniam si tantum vnum elementum esset secundum formam, in homine & vniuerso, non esset à quo pateretur homo: sed nec dolor nec sensus aliquis potest fieri sine paßione, sentire enim in quodam pati cõsistit, ergo si homo vnũ eßet, vel ex vno conflatum, non doleret. Insuper si doleret transmutaretur, quod autem transmutatur partim est in termino, à quo & partim in termino ad quem, ab hoc enim in illud, debet transmutatio fieri, & si ab vno in alterum transmutatur, non seruatur vnitas, ergo si homo vnum esse non doleret. Item si tantum vnum esset elementum, in homine pariter & in vniuerso, omnia homo esset actu, & nihil esset potentia, quia nihil est præter illud vnum: at verò quod omnia est actu, nulla poterit variari transmutatione, nec igitur dolere poterit. Sed fac hominem dolere simul, & ex vno tantum constare elemento, tunc coactus fateberis vnicum tantum eße curationis modum. Quia cum nulla extrinseca causa poßit homini paßionem inferre, eo quod ex vno constẽt omnia, relinquitur quod si homo debeat pati, erit hoc à propria ipsius natura, sed propria ipsius natura est vna, ab vna autem natura, vnica tantum poterit prodire paßio. Paßio verò vnica, vnicam pariter poscit medellam & curandi rationem, vnica igitur erit medendi via, nec plures vlla ratione stabunt. Quod tamen sensuum euidentiæ repugnat: quidam enim sanantur calore, alij potu frigidæ, nonnulli humectatione tum quæ per cibos, tum quæ per balneas fit, interdum rare facientibus & corporis humiditates absumentibus, alias cutem densantibus, & alia atque alia ratione. Cæterum vt Hippocratis sententias philosophorum decretis confirmemus, intelligere expedit, quod ratio Aristotelis primo libro Cæli capite tertio, ad probandum cælum esse incorruptibile à prima Hippocratis ratione non dissentit. Probat enim Aristoteles cælum esse incorruptibile ex vnitate, nam cælum ex tota constat materia, illud autem quod ex toto constat elemento primo, vnum esse necesse est. Quod si vnum est ex toto primo elemento, nec pati, nec corrumpi potest, quòd nihil habeat quod in ipsum agat. Galenus insuper inuehitur in vtrosque sectatores, & Democriti & Epicuri, priorum namque sententia quod corpuscula illa ex quibus nostrum corpus concernitur sunt sensibilia & impatibilia pugnantia claudit, sensus enim sine alteratione, immutatione & paßione non fit. Sed fac sint corpuscula illa sensu prædita, & paßionis expertia, tunc sequitur, quòd si quis acu pupugerit cutem aut carnem, non dolebit. Quoniam nihil aliud acus potest efficere, nisi coiunctas attiguasque atomos separare, ipse namq; atomi impatibiles cum sint, non poßunt partiri. Ex solo autem atomorum discessu, quantumuis atomi sentiant non dolebunt, si enim digitos quantumuis sentientes, inuicem conexueris, dum rursus separantur, nullus sequitur dolor. Simili igitur modo

de

de atomis est existimandum, vel ostendant nobis corpus aliquod sentiens, quod alteri complicatum dum rursus separatur, dolorem sentiat consequentem, id enim nunquam ostendent. Eundem lapidem voluere coguntur, qui altera via incedunt, insensilia simul & impatibilia corpuscula ponentes, acu enim vulnerati non dolebunt, nam vel acus, vnam tanget atomum, vel duas, vel plures: si vnam cum ea ipsa non possit vulnerari quia impatibilis, nec sentire quia insensilis, animal non dolebit. Duo enim sunt quæ ad dolorem requiruntur, & quod patibile patiatur, & quod passio deprehendatur sensu. Hæc verò ambo atomis deficiunt, neq; enim patiuntur, quia patibilia non sunt, néque molestiam aliquam percipiunt, quoniam sensu carent. Si acus igitur vnam tangat atomum, non dolebit animal: néque si duas tetigerit atomos, plus aliquid aget, siquidem neutra atomorum sensus est particeps. Eadem ratio est, siue tres siue quatuor atomos tetigerimus, mirum enim foret, si nulla atomorum, nec sentiente nec patiente, earundem cumulus patiatur & sentiat. In calculis enim & lapidibus id fieri videmus, quòd si calculus vnus duo aut tres, nec sentiunt nec patiuntur, omnium similiter si fiat vnus aceruus, impatibilis & insensilis quóque est. Huiuscemodi sanè demonstrationibus, tres illi sapientiæ principes, ab atomis illis, corporis nostri concretionem factam non esse, & elementa plura vno secundum formam, necessaria esse ostendunt. Quibus sanè addere par est, exemplum quod Cicero assumpsit secundo de natura deorum epicureos arguens, fortuita atomorum concursione mundum efficientes. Hoc qui
" existimat (ait) fieri potuisse non intelligo, cur non idem putet, si innumerabiles
" vnius & veginti literarum formæ, vel aureæ vel qualeslibet aliquo conijciantur,
" posse ex ijs in terram excussis, annales enij, vt de inceps legi possint effici, quod
" nescio, an ne in vno quidem versu, possit tantum valere fortuna. Quare non tantum fortuna valebit, vt innumerabiles sine errore rerum depingat species.

Caput tertium, quod elementa sunt insensilia & patibilia.



SI plura atq; contraria secundum formam & potentiam elementa sunt ponenda, eaq; nec sensilia sunt & impatibilia, nec impatibilia pariter & sensilia vt nuper diximus, dubiũ superesse videtur, ex reliquis oppositionibus quã sibi accisčãt elemẽta. Ex patibili enim & impatibili, sensibili & insensibili, sex combinationes fieri posse manifestũ est. Prima patibile & impatibile: secũda sensibile & insensibile: tertia impatibile & sensibile: quarta impatibile & insensibile: quinta patibile & sensibile: sexta patibile & insensibile. Duæ primæ sunt impossibiles, quoniã ex

contradicentibus constat: duas medias elementis conuenire non posse diximus ante acto capite: De vltimis verò duabus an elementis poßint conuenire, nihil nunc apertum est, an scilicet elementa ex quibus mista concernuntur, poßint esse patibilia simul & sensu prædita, an patibilia pariter & sensu carentia, an verò vtrumq; horum sit impoßibile.

Huic sanè dubitationi Galenus respondet, quodque horum esse ex numero eorum quæ fieri possunt. Si enim ex sensibilibus & patibilibus cōstet corpus nostrū, nihil obstat quim dolere poßit, infirmari & sanari. At verò quoniam ea quæ sentiunt non simplicia, sed ex simplicibus potius concreta esse cernuntur. Ideo rationi magis consonum est, vt prima rerum elemēta sint insensilia simul & patibilia, qualia sunt ignis aër aqua & terra. Ex quorum mutuo concursu & transmutatione, oriri possunt mista omnia, tam sensilia quam sensu carentia, quàmquam & hæc res dubitationem habere videatur, nam qua ratione ex insensibilibus elementis fit sensibile corpus, ex impatibilibus patibile fieri posse suadet ratio, eo quod non minus distant sensibile & insensibile, quàm patibile & impatibile, pulchre tamen satisfacit Galenus dicens, quòd ea quæ talia semper manent qualia abinitio fuerunt, nullam extrinsecus nouam speciem assument, quæ non antea fuerit ijs quæ componuntur: Si verò hæc varientur transmutentur ac multipliciter alterentur. Poterit aliquod aliud secundum genus exultare, quod prima eius elementa non habuerint: impatibilia autem ex ipsa impatibilis ratione nequeunt transmutari, sed talia qualia ab initio fuerunt semper permanent, alias enim patibilia forent. Sequitur igitur quòd nullam nouam speciem quæ antea non affuerit ijs quæ cōponuntur assument. Sicq; ex impatibilibus nunquam exultabit patibile: aut sensibile corpus, ex insensibilibus verò & patibilibus quonā variantur, transmutantur, & multifariam alterantur, mirum non est si noua consurgat species sensibileq; fiat. Nam & si distantia sit par, ea quæ est insensibilis ad sensibile, transmutationis interuentu potest peragrari: inter impatibilia verò cum nulla intercedat transmutatio peragrabitur nunquam.

Caput quartum, quod calidum, frigidum, humidum & siccum sint rerum elementa.



SI IGITVR elementa ex quibus composita cōcernuntur plura contraria & facile transmutabilia sint futura (aliter enim dißimile sibi compositum numquam redent) qualitatibus maximè dißidētibus prædita esse oportet. Non enim sine dißidentiū qualitatum congressu, transmutatio in substantia continget vlla. Dißidentes autem & contrariæ qualitates omnes, alicui è quinq; sensibus obijciuntur, candor & nigror, lumen & tenebra visui, graue & acutum auditui

auditui, fœtidum & bene olens olfactui, dulce & amarum, sapidum & insipidum gustatui. Quæ omnia etiam si contraria sint, inualidas alterandi atq; transmutandi vires sortiuntur: proprijs enim sensuum instrumentis, non acrius quam ad sensationes obeundas alterationem inferunt. Non igitur elementorum dissidium & transmutandi potestas, ex his qualitatibus pendet: sed potius ad eas quæ tactui obijciuntur referri debet. Atq; ad eas non omnes sed ad primas, principes & potentissimas. Calorem scilicet frigus humorem & siccitatem. Reliquæ enim quæ in molli duro, crasso tenui, leni aspero, graui & leui consistunt, præterquam quod ex primis oriuntur, nec prima ex ipsis, transmutandi facultatem aut exiguam aut nullam accepere. Quo fit vt rerum elementa non alia quam calidum, frigidum, humidum & siccum statuantur tum Hippocrati, tum alijs, qui doctiuscule naturalem scientiam lustrarunt. Cum dico calidum, frigidum, humidum aut siccum, summum atq; syncerum in quoq; genere intelligo. Nam quantum vnumquodq; à synceritate abest tantum ab elementi ratione recedit. Est enim simplicitas atq; synceritas, maxima elementi ratio vt ex primo huius tractationis capite innotuit, atq; hinc est quod Aristoteles & præstantissimi quique sapientiæ professores elementa dixerint esse terram aquam aërem & ignem quod nimirum igni insit summus calor, aëri humiditas summa, frigus aquæ, & terræ ariditas. Neque in vniuersi natura, corpus aliud reperitur, cui aut æquæ aut magis hæc insint.

Caput quintum, quod ignis sphæra & si sensibus non pateat, non est ab elementorum numero releganda.



POST antiquissimam illam de atomorum insectilium concursione sententiam, firmissimis demonstrationibus depulsam, firmam quatuor elementorum, ignis scilicet aquæ aëris & terræ supputationem, omnes accepere ab Hippocrate Platone Aristotele atque Galeno. Neq; vllus vnquam à temporibus illis scrupus fuit sub ortus, donec quidam nostro tempore in bonas literas contumeliosi, ignis sphæram ab elementorum numero atque mistorum concretione eximere sunt conati. Primò quoniam Hippocrates libro de flatibus, quòd inter cælum & terram est, id omne aëre plenum adstruit, vbi ergo est ignis sphæra? Secundò, quia reliqua elementa videmus, ignem verò non videmus, non ergo temere est statuendus. Tertiò, quoniam si ibi esset ignis, syncerus præsertim ac purus & citra caliginem vllam luceret, siquidem & ignes nostri minus synceri, & præter modum caliginosi eminus lucent. Quartò semper natura, extrema medijs iungit, non igitur decuit ignem rem ardentissimam, sub cælo omnis qualitatis expertè poni. Quintò, ignes inferiores exi-

qui cum sint, æstus quandoque efficiunt intolerabiles, quid igitur fieret si tanta regio vniuersúsq; orbis igne ambiretur? Omnia quidem vel ictu oculi igne conflagrarent. Præsertim quod aër cum calidus sit, calore non resisteret, humiditas verò inualidior est, quam vt ignis impetum coërceat. Sextò, loca quo alteriora sunt eo sunt frigidiora, in montium enim cacuminibus media quoq; æstate niues visuntur gelidæ, loco igitur omnium elatissimo, debetur corpus frigidissimum. Quare non sub cæli concauo ignis. Septimò ignis pabulo indiget pro sui tutella, tanto verò igni, nullum sufficiet pabulum. Octauò, quia nullius finis gratia, illa ignis sphæra confingitur, nam mistorum generationi (quod adstruunt) non deseruit: non enim posset leuissima res per tam immensa spatia ad terræ vsque latebras descẽdere. Nono etiam huic sectæ quam maximè videtur fauere Aristoteles secundo libro de generatione animalium capite tertio, vbi dixit: calorem qui in animantibus est, nec ignem esse, nec ab igne originem ducere. Itidem nec ignem animal aliquod generare dixit, non est igitur ignis animantium elementum. Placet autem Aristoteles verba subscribere quæ sic habent,
« *Sed enim omnis animæ siue virtus siue potentia, corpus aliud participare videtur,*
« *idque magis diuinum, quam ea quæ elementa appellantur. Verum prout nobilitate*
« *ignobilitate ve animæ inter se differunt, ita & natura eius corporis differt. Inest*
« *enim in semine omnium, quod facit vt fœcunda sint semina, videlicet quod calor vo-*
« *catur, idque non ignis, non talis facultas aliqua est, sed spiritus qui in semine spumo-*
« *sóque corpore continetur, & natura que in eo spiritu est, proportione respondens*
« *elemento stellarum. Quãobrem ignis nullum animal generat, neque constitui quic-*
« *quam densis vel humidis vel siccis videtur. At verò solis calor & animalium, non*
« *modo qui in semine continetur, verũ etiam siquid excrementi sit, quamquam diuer-*
« *sum à natura, tamen id quoque principium habet vitale. Cæterum calorem in animalibus contentum neq; ignem esse neque ab igne originem ducere apertũ ex his est. Vltimò Aristotelis autoritate primo libro metheororum capite tertio, se muniũt, vbi*
« *ignis sphæram ab elementorum numero reijcit his verbis. Grauissimum igitur cor-*
« *pus atq; frigidissimum, terra inquam & aqua, in medio & circa medium segregata*
« *existunt. Circa quæ illa quoque sunt quæ hisce hærẽt, aër scilicet atq; id quod quan-*
« *uis ignem assueuimus appellare, ignis tamen haud quaquam est. Siquidem ignis ca-*
« *loris exuperantia, ac veluti feruor existit.*

Quatuor tamẽ fuisse elemẽta suis locis disposita atq; ex ipsorũ mutuo cõgressu mista cõcerni, & statuerũt antiqui, & id persuasit Aristoteles libro secundo de ortu & interitu capite tertio, ex qualitatum primarum possibilibus copulis, quæ cum quatuor sint, totidem etiam elementa aggenerabunt. Libro verò primo cæli capitibus secundo & tertio id suadet, quoniam inter locum supremum simpliciter, & simpliciter imum, duo loca intercedere est necessum, alter qui magis accedat ad imum, vocetúrque imus non exquisite, & alter qui magis accedat ad supremum, & vocetur su-

premus

premus non exquiſitè quare quatuor erunt elementa. Speciatim verò ignis ſphæram probat, quòd flãmæ omnes natura ſua ſurſum feruntur naturalem locum concupientes, naturalis igitur locus ignis, eſt ſphæra quædam ſupra aërem conſtituta. Inſuper de igne hoc noſtro quæro, an ſit elementum an miſtum, ſi primum iam datur elementum ignis, ſi ſecundum aut erit exactè temperatum & eucraton, aut ad alicuius elementi naturam accedet: temperatum autem non eſt, ſiquidem qualitatum excellentia omnia vaſtat atque exurit, nec eſt elementum aliquod, ad cuius naturam poſsit accedere præter ignem, ergo ignis auferendus non eſt. Prætereo quod miſtum, in quatuor ad ſenſum reſoluitur elementa, & quod ignis ex corporum durorum colliſsione eliditur, & quod nulla ratio ſignari vnquam peſſet poteſtate calidorum, niſi elementum ignis inminutiſsimas partes confractum, eorum conſtitutionem ingrederetur.

Nec obſtat Hippocratis teſtimonium libro de Flatibus, vbi ſpatium quod cælum & terram interiacet pueumatos, ideſt ſpiritali ac tenui ſubſtantia plenum eſſe aſſeruit, eo enim nomine, tam aër quam æthereus ignis intelligũtur. Ad ſecundam dic, quòd etiam ſi ignis ſphæram non videmus, eam tamen eſſe exiſtimamus coniecturis, aut veris aut veritati maximè conſentientibus, nec enim in ſcientia naturali quærenda eſt Mathematica ἀκριβολογία, ſecundò Methaphyſicorum capite primo autore Ariſtotele. Ad tertium dic, quòd ignis noſter quia fuliginoſus & craſſæ materiæ innitens, ideo fulgentiſsimè lucet, eſt enim flamma ardens fuligo, ſecundo libro de ortu & interitu capite quarto autore Ariſtotele, ignis verò æthereus & ſimpliciſsimus qui in ſphæra eſt, nihil ſolidum admiſtum habet, atque ob id non lucet. Lux enim non tenuiſsimo, ſed denſo flagrante corpore fulget. Ad quartum dic, quòd decuit quam maximè ignem locare ſublunæ concauo, tum quia ignis eſt leuiſsimus, tum quia cælum eſt impatibile, ab igneque, accendi non poteſt, quare nihil mirum ſi natura coniunxit extrema quæ ſe offendere nequeunt. Ad quintum dic, quòd quo ignis aliquis craſsior eſt, eo vehementius vrit, exemplo flammæ quæ ex feſtucis accenditur, quæ cum purior atque tenuior ſit flamma lignorum minus vrit, ligni accenſi eadem ratione minus vrunt, candenti ferro aut lapide, ex experimento, & Ariſtotele primo problematum problemate octauo. Actionis namque vehementiam referunt philoſophi ad formæ multitudinem, non intenſionem: formæ autem multitudinem, ex materiæ copia metiuntur: quare cum æthereus ignis minimè materialis euaſerit, aërem accendere nequit. Sufficit enim aëri, vt ipſi reluctetur cum humiditate ſubſtantiæ forma. Ad ſextum dicimus: quòd loca vſque ad mediam aëris regionem, quo altiora eo ſunt frigidiora ex vicinitate regionis illius frigidiſsimæ. A media verò regione ad cælum vſque, quo altiora fuerint loca, eo erunt calidiora, quoniam ad ignis ſphæram propius accedunt. Ad ſeptimum dic, quod ignis ille æthereus, tenuiſsimus & ſiccimus cum ſit, non indiget pabulo, ſicut hic noſter cuius ſubiectum humidum

eſt,

est. Ad octauum dic, quòd sphæra illa est, ad ornatum & complementum vniuersi, est etiam ad mistiones. Nec mirum est igniculum quendam, ad terræ vsque viscera incorruptum descendere, tum ad agitationem & cæli motum, qui ignis portionem infra impellit, tum quoniam sic natura præfiniuit. Magnas enim vires habet naturæ nomen, authore Alexandro libro Problematum capite quadragesimo primo. Pluraq; naturæ nomine fiunt, quæ aliter nulla ratione, fieri possent. Verba autem Alexandri doctissima (si legere cupis) sic habent. Cur flaua bilis, quæ per vniuersum vitæ tempus, ea tunica (quæ bilis vesica dicitur) continetur, cuiusq; corpus maximè affectibus expositum est minime ipsam corrodit: atsi vel ad exiguum temporis, in dentem cuius est corpus ad patiendum minime aptum ingruerit, statim eum exessum reddit? Quoniam ita est à natura institutum, vt eo tantum in corpore inhabitet, ideoque minime ipsum lædit. Magnum enim remedium contra dolorem naturæ nomen est. Milleque alia possem tibi exempla afferre, decem in matrice menses infans permanet, nullum ponderis sensum prægnati præbens. Spiritus autem leuis in eum incidens, dolorem continuo acutum citat, qui & tensionem & intollerabile efficit pondus. Aspera arteria vnius est spiritus receptaculum. In eam si mica aut potiuncula deerret suffocationem, aut vehementem efficit tussim. Id nisi natura ipsa præfinisset, haud quaquam fieri vel ad minimũ posset. An si ignem in hæc inferiora pellere, naturæ fuit admistorum generationẽ conuenientissimum, arte qua id fiat, ipsam carere existimabimus? non hercle. Nam ignis portio, ab aëris portione sibi vicina grauior reddi, & à circulari motu cæli, densari poterit. Cum enim cælum igni circularem motum præstet, qui ex natura sibi non conuenit, sed ob necessariam coniunctionem loci cum locato, fit vt motus hic in igne difformis sit ac inæqualis, ita vt partes quædam ignis conglobentur & densentur, quæ in sphæra fluctuantes & maiorem grauitatem indeptæ, eodem cæli motu, è supera illa regione in mundi vsque latebras deturbentur atque pellantur ad mistiones, quæ ipsæ naturæ erant ex voto. Ad vltimum dic, inanimatis mistis suffecisse calorem ex ignis mistione pro suis operibus explendis. Hic enim respectu aliorum elementorum, forma est & figulus, qui ex aliorum massa veluti ex materia, mista inanimata efficit. Animata verò præter calorem hunc, cælestem alterum poscebant, tum ad generationem, tum ad reliquas animæ functiones obeundas, atque hunc tribuit natura, tum seminibus, tum etiam corporibus animantium, & est spiritus quidam cælestibus afflatibus affectus, nulli elemento respondens, nisi elemento stellarum. Hoc verò non tollit, quo minus animata igne constituantur apud Aristotelem: quin potius eo autore secundo de Anima capite quarto, igne vtitur anima ceu instrumento, ad corporis nutritionem & augmentum. Quod verò libro primo Metheororum citato ignis sphæram non adimat Aristoteles, eo colliges, quod supra aërem constitui, & à sicca exha-

exhalatione foueri sicut aër ab humido vapore tradit ibidem. Negat autem æthereum illum ignem, ignem esse perinde atq; hunc nostrum, quem ob feruorem, vstionem, caloris intemperantiam, atq; efficientiam ita appellamus. Aethereus enim ille, quanuis summe calidus, ob tenuitatem summam quam habet, nec ardet nec vrit.

Caput sextum de naturali Elementorum situ & locatione.



Deo sunt cælo, & inter se se, attigua elemẽta, vt eorũ extrema nulla ratione diuelli queant: Quod summopere optãt, tũ ipsa, tum quecunq; natura cõstant, vt nullus locus vacuus intercipiatur: Vacuũ enim nec natura, nec quæ natura cõstãt, sustinere possunt. Atq; hac generali locandi ratione, vnũquodq; elementum, cuicunq; etiam contrario est naturalis locus & conseruatiuus locati, quatenus videlicet præseruat à vacuo. Præter hanc verò, generalem atq; primam rationem loci, est alia specialior, quæ priorem hanc præsupponit, quod nimirum quodq; elementum, alteri nectatur atq; adhæreat, quo cũ conuenientiã aliquam habeat: non enim decuit ignẽ aquæ nectere, quod vtraq; distent qualitate. Atq; iuxta hãc nexus rationem ignis terræ posset adhærere, quod siccitate conueniant. Quare tertia duobus prioribus accedit locandi via, ex qualitatibus sumpta secundis, grauitate nimirũ atq; leuitate, quod grauiora subsideãt, leuiora verò supersint. Omnia igitur elementa cũ inseparabili nexu se se cõtingãt, iuxta primã locãdi rationẽ: & grauiora leuioribus subsideãt, iuxta tertiã: merito ignis cælo nectitur, cũ quo in lumine cõuenit non nihil, igni verò, iungitur aër, caloris affinitate: Aërem sequitur aqua, nõ minus ac ipse vda: & terra omnium infima atq; frigida, frigidæ subiacet aquæ. Nec obstat terrã iuxta habitabilẽ partem neutiquã mergi, perpetuam enim violentiã patitur terra, non vt quorundã fert sententia, à perpetuo Dei miraculo, nec vt alijs placet, à polo arctico, aut terram sursum trahente, aut aquas exiccante. Ad Deum enim aut ad astra recurrere vt est facile, ita à philosophis admodum alienum, quare satius nos ad multũ aërem contentũ in terræ visceribus, atq; anfractibus partis habitabilis, hunc effectum referendum censemus. Hic enim sua leuitate, terrã immersam sustinet, & quo minus ab aqua ambiatur impedemento est: sicut & nauis onusta sui leuitate aurum, ferrum, & grauissima onera immersa continet. Atq; hunc crediderim non exiguum esse vsum, aëris terræ cauernas occupantis, vt nimirum terra superemineat aquis. Accedit & vsus alter, cuius meminit Aristoteles, primo libro Metheororum capite decimo tercio; vt nimirum potus materiam præstet viuentibus. Aër enim in terræ visceribus conclusus, terræ frigore, in aquam vertitur. Indeq; scaturiunt fontes, atq; perpetuo aut per internalla dimmanant flumina, prout perpetua aut intercepta aëris in aquã fuerit cõuersio. At vnum hic scrupulum prætereundũ minimè duximus quod scilicet si nullũ

violen-

violentum perpetuum sit, secundo cæli capite tertio, autore Aristotele: qui fieri potest, vt perpetuam violentiam perpetiatur terra? Hoc nos vnico verbo dissoluimus, nullum enim violentum per se, & quatenus tale perpetuum esse statuimus: per accidens tamen, si cōtigerit causam quæ violentiam parit perpetuam esse, violentus pariter & perpetuus sequetur effectus. Sic sanè perpetua est ignis in propria sphæra. volutio, ad cæli perpetuam circunductionem: sic aëris media regio perpetuo alget: Sic mare fluit atque refluit perpetuo: sic quoque terra supereminet aquæ. Nam Auerrhoi solutio, tertio cæli commentario vigesimo, & secundo Metheororum, quod hi motus non sunt violenti, sed præternaturales ac neutri. Et Thomæ primo cæli, lectione quarta, quòd nec sunt violenti, nec naturales, sed supra naturam, quia talis motus est ex impreßione superioris agentis, puta corporis cælestis, à quo talia corpora, ex natura sui, apta nata sunt moueri, nunquam mihi arrisit. Quoniam Aristoteles primo Cæli capite octauo, probat plures mundos non esse, ex diuisione corporum quæ quiescunt & mouentur, in ea quæ quiescunt & mouentur natura & violentia. Non est ergo addendum tertium membrum, aut Aristotelis ratio infirma est, & fallaciam consequentis occludit, siquidem omnes causas veritatis non assumit. Aristotelem verò penitus à tertio membro abstinuiße intelligemus eius literam subscribentes quæ sic habet. « Omnia corpora, & vi & natura & manent, & « etiam mouentur. Atque quo in loco non vi manent, ad eum secundum naturam fe« runtur. Et ad quem non vi feruntur, in eo manent natura, quo verò loco vi ma« nent, ad eum & vi sane feruntur, & ad quem vi feruntur, in eo vi quoque ma« nent. Præterea si hæc latio vi fit, contraria competit secundum naturam, atque si « ad hoc medium illinc vi terra feretur, hinc illuc secundum naturam feretur, & si hic « terra non vi manet, & huc natura sanè feretur, vnum enim eum motum qui secun« dum naturam cōpetit, esse constat. Ex cuius literæ lectione quiuis intelliget nullum alium membrum à naturali & violento Aristotelem agnouisse.

Caput septimum de Elemētorum motu.



E elementorum motu, grauitent ne aut leuitent, in suis sphæris, elementa, ingens videbitur difficultas Aristotelis sententias cōferenti, nam ex verbis quæ nuper retulimus è primo Cæli capite. 8. constat, vnūquodq; elementū, eo naturaliter manere & quiescere quo secundū naturā mouetur. Cum ergo omne elementū, natura ad suā moueatur sphærā, in eam neceßario quiescet, nec vlterius, aut grauitate descēdet, aut leuitate ascendere est existimandū. Atq; id confirmāt experimenta, natantem enim hominem quātuncunq; demersum, non grauat aqua: & citula aqua plena, facile trahitur per aquā, difficile extra. Contra verò quarto libro Cæli capite quarto & quinto, sentire videtur inquiēs, omnia elemēta præter ignē, in suis sphæris grauescere

Et

" Et iterum vnumquodq; eorum quæ pondus habẽt leuitatemq́, pondus habet suo in lo
" co, leuitatem autẽ non habet. Quare si subtrahatur aqua, aër in eius locũ propria gra
" uitate descendet, pariter & aqua si subtrahatur terra, si verò ignis subtrahatur non
" ascendet leuitate aër, sed vi tantum vacui vitandi causa feretur. Probat autem dua bus cõiecturis, aërem grauescere in propria sphæra, prima quod lignum centum librarum in aëre, est grauius plumbo vnius libræ, siquidem velocius descẽdit: in aqua verò leuius, siquidem innatat. Cuius rei nullam aliam esse causam putat, nisi quod in aëre tria ligni elementa grauescunt, aër, aqua, & terra: in aqua verò duo tantum postrema. Alterum inditium summit ex vtribus, qui sanè inflati non inflatis, magis ponderant. Vnde libro vigesimo quinto problematum capite duodecimo, inflatus inquit vter, grauior cum sit, supereminet aquæ, detumescẽs autem & leuior fit, & deorsum fertur. Adde inditium aliud ex vndecimo libro problematum problemate quadragesimo quinto quod vox & quicunque sonus alter, melius auditur superius deorsum, quã inferius sursum, quoniam nimirum aër, sui grauitate deorsum fertur. Adde vlterius ex metheoris, quod aëreæ plurimæ impreßiones deorsum ferũtur, quare ex aëre grauescũt. Adde insuper Auerrohi rationẽ quod mista omnia in terra & aqua solum sunt, autore Aristotele quarto libro Metheororum capite quarto: oporter igitur mistionum gratia aërem grauescere, quod tamen de igne necessarium non esse adstruit, nam celestis calor, qui singula cõponit & nectit, ignis vicarius erit, atq́ ignem mistis ingenerabit, citra vllum descensum.

Quid in tanta ego sentiam difficultate (si præter Aristotelis sententiam aliquid de nostro liceat fari) aperiam. Aliud est motus & quietes elementorum prout simplicia & immista corpora sunt, aliud verò prout à simplici puritate recedunt expendere. Prima ratione elementa in suis sphæris, tanquã in proprijs domicilijs quiescunt, nec ab illis nisi vi feruntur. Intra sphæram tamen, etiam si omnes elementi partes naturaliter locentur, naturalißimus sphæræ locus, indiuisibile quodam est vbi, ad quod omnes elementi partes propensius feruntur. Terræ locus maximè naturalis humilimus locus est (quem centrum appellant) in quod omnes terræ partes naturali quodam affectu tendunt. Tametsi enim totius terræ locus sit ipsi terræ naturalis, depresißimus tamen ille, terræ summè grauescenti est magis accomodus. Sic sanè naturalißimus locus ignis, est lunaris orbis caua superficies, inquam vniuersus impetit ignis, ceu in locum elatißimum, leuißimo corpori maximè opportunum. Locus verò aëri maximè naturalis, est linea circularis, pari interuallo distans, à concauo ignis & à conuexo aquæ, nam cuiuis extremo accedas, minus tutum reperies locum. Sic & aquæ naturalißimus locus, linea altera circularis est maximè distans, à terræ conuexo & aëris concauo. Si ergo elementa expendas prout simplicia sunt, & synceram quandam naturam nanciscuntur ignis in propria sphæra est leuis sursumq́ ad cæli concauum conscendere cupit, terra in propria sphæra est grauis, nam omnis terræ pars humilimum locum affectat.

Aër

Aër verò & aqua cum intermediam naturam poßideant grauescunt, pariter atque leuescunt, pars enim aëris aut aquæ, quæ in parte elatiori sphæræ locatur, ad lineam illam intermediam descendit, ascendit verò quæ infra consistit. Ex his sanè manifestißimis & verißimis, colligo primò quòd elementa omnia, ad suas sphæras naturaliter mouētur, & in ipsis naturaliter quiescunt, & extra ipsas non nisi vi feruntur. Secūdò quod naturalius quiescūt & locātur elemēta, in vna parte sphæræ quā in alia. Tertiò quod omnia elemēta cupiunt, quā naturalißime locari: vnde partes elementi quæ extra naturalißimum locum sunt, natura in locum eum feruntur. Quartò ignis in sua sphæra sursum tantum fertur, terra deorsum: aër & aqua iuxta partiū locationē, aut supra aut infra inter mediā lineā, aut ascendūt aut descendūt.

" *Labitur ergo Arist. dū dixit, quòd ea quæ pōdus habēt leuitatemq́, pōdus habēt in*
" *suo loco, leuitatē autē nō habēt: aëris enim & aquæ partes, quæ infra naturalißimū locū sunt, leuitate ascendere sunt natæ, non minus atq́ supremæ grauitate descendere. Labitur etiā dū subdit, quod si sub trahatur aqua, aër in eius locū, nō vi sed propria grauitate descendet. Nam & hūc errorem in Aristotele aduertit themistius. Quoniam si aër ad suam sphæram naturaliter mouetur, in ea quoq́ naturaliter quiescat est opus. Si item naturaliter ad eam fertur, ab ipsa violenter tractum abibit. Duo enim motus contrarij, simplici corpori non possunt natura inesse. Ad propriam autem sphæram ferri, & ab ipsa recedere cōtrarij motus sunt, aëri igitur naturales non esse queunt. A proprio præterea aër, cuperet domicilio recedere, quod nefas est. Si ob rerum insuper compositionem (quod astruit Auerrhous) descendit aër, cur nō ignis aëri succedat explanent, cum mistorum compositioni non minus sit necessarius. Vel si cælestis calor (vt ferunt) eius supplet vicem, cur non & aëris vicem supplebit: cælestis enim afflatus, vniuersalis causa est, quæ omnia fouet elementa, & in suo statu conseruat: nec magis hoc quam illud, aut tueri, aut sufficere curat. Duo præterea illa quæ Aristotelem mouent infirma sunt, nam aëre plenus vter minus ponderat, si themistio credimus experienti. Quod sanè rationi consonum maximè est, mista namq́ue eo leuiora euadunt, quod in sui compositione plus aëris in proportione ad grauia elementa receperunt: in vtre autem inflato, leuium elementorum ad grauia maior est proportio, quam in detumēte, ergo inflatus vter leuior erit. Nihil enim refert vt aër leuitatem impendat, aut quod à prima rei compositione insit, aut quod post eam in vtris cauitate denuo recipiatur. Si præterea naturalißimus aëris locus maximè distat, & ab aqua & ab igne, aër qui in vtribus apud nos est, locum illum affectabit, sicque vtrem leuiorem redet. Lignum insuper (quod etiam afferebat Aristoteles) centum librarum velocius per aërem fertur, plumbo vnius libræ, non ob aëris pondus, Sed quoniam maiorem terræ & aquæ grauescentium elementorum portionem obtinuit. Mergitur verò in aqua plūbum innatante ligno, quoniam aëris multò minus obtinuit plūbum. Vox præterea melius auditur superius deorsum, quam inferius sursum, non ob aëris grauitatem vt voluit Aristoteles: sed quoniam*

ad terrã verberatur vox, & ob repercussum facta validior, melius auditur, sursum verò, propter aëris immensitatem non repercussa, euanescit. Aëreæ verò impreßiones deorsum feruntur, ob terrenam & aqueam, quam sortiuntur naturam, non autem ob aëris pondus. Quod aër vero atq; ignis, mistionum gratia, ad terã atq; aquam descendant, id facit non põdus, sed naturæ nomẽ & cæli volutio, vt monuimus ante. Ex quibus sanè liquet elementa prout simplicia & pura corpora sunt, nec grauescere, nec leuescere, grauitate aut leuitate, quæ extra proprias sphæras, ea sursum aut deorsum deducat: Grauitate tamen aut leuitate, quæ ad naturalißimum locum deducat, aut grauescere aut leuescere, inconueniens non est. Si verò elementa expendantur, vt à sua puritate declinant, vtque mista potius iam sunt, quam elementa: tantum grauitant aut leuitant, quantũ pro mistionis atq; impuritatis ratione sibi respondet. Atque iuxta eam quoque mensuram, aut ascendent aut descendent. Exemplo sit aër, qui qua parte nos ambit, aquæ atque terræ naturam sapit, quare aqua detracta, suo pondere descendit, & vtrem grauiorem reddit, & vocem deorsum magis, quam sursum defert: qua verò parte ignem cõtingit, quoniam leuior ac igneus euasit, igne subtracto, non video quare non ascendat. At longius fortè quam par foret medico, & magis libere, quam nostri temporis deceat philosophum diximus, quare hic esto finis.

Caput octauum, quod vnicuique elemento, duæ insint qualitates, & ambæ summæ.

ELementorum essentiam, numerum, situm, & motum, postquam mostrauimus: sequens est, vt illorum qualitates consideremus, quas binas cuiq; inesse elemento secundo libro de Ortu & interitu, scripsit Aristoteles. Igni quidem cum siccitate, ardentißimus inest calor, terræ cum siccitate frigiditas, aquæ frigus atq; humiditas, aëri verò humiditas atq; calor insunt. Nam quatenus mutandi se mutuo vim habent, eatenus contrarijs ipsa qualitatibus participare oportet, quatenus verò vicina sibi mutuo esse, necesse est, eatenus communem qualitatem habere debẽt. Quod sanè à posteriori, testatißimum etiam confirmat experimentum, quo omnes norunt, terram & quæ terrea sunt, exiccare atq; refrigerare, ignẽ exiccare & calfacere, aquam refrigerare pariter atq; humectare: Aërem verò & quæ aërea sunt, & hũmectare & calfacere: singulis igitur elemẽtis, binæ conueniunt qualitates. De quibus tamen cõtrouerti solet, sint ne ambæ summæ, an vna earum summa, altera verò summa citerior. Quam rem videtur definisse Aristoteles, secundo libro de Ortu & interitu, capite tertio inquiens, "Quòd cum quatuor sint qualitates primæ, quæ elementis conueniunt, quodque elementum est vnius: terra enim sicci potius est quam frigidi, aqua frigidi magis quam humidi, aër humidi magis quam calidi, ignis calidi magis quã sicci." Ex quibus sanè verbis, vniuersa schola, sibi persuasit, quodlibet elementum habere vnam qualitatem summam, Alteram verò quæ à summa remittat.

Nec rationẽ tamen aliquam habent, præter Aristotelis allatum testimonium, nec etiã aduertunt, contrarium docuisse Galenum, primo libro de Elementis in hæc verba, Quod si simplex ad naturam requiris, purum atq; impermistum esse oportet, ac summam habere qualitatem. Rursus igitur ad ignẽ venis, & aërem, & aquam, & terrã: in his enim solis, inuenies summas, & impermistas qualitates. Summam quidem in igne caliditatem & siccitatem, summam verò in terra siccitatem & frigiditatem, & aliorum vtramq; secundum propriam naturam. Quæ verba manifesto declarãt, cuilibet elemento, ambas qualitates inesse summas: rationẽq; innuit, quoniam de ratione elementi, est puritas & impermistio: quæ cum adsit, necessario affert qualitatem summam. Quantum enim qualitas aliqua, à summo remittit, tantum habet, de contrarij mistione, vel ipso Aristotele autore, quinto libro Physicæ auscultationis. Si igitur elementa, habent qualitatem aliquam, citeriorem summa, contrariam etiam qualitatem, copullatam illi, habeant oportet: & ex consequenti nec elementa, erunt pura & impermista, nec eorum quodlibet, binas tantum, sed tres etiam habebit qualitates, quod penitus à vero exorbitat. Quid ergo dicemus Aristoteli, oppositum differenti? ipsum ne errasse existimabimus? absit: sed amice magis est interpretandus. Quodque (inquit) elementum, binas habet qualitates, summas & impermistas ambas, vna tamen præcipue obsignatur quodque, atque ea est, quæ magis accedit, ad naturam & essentiam, elementi cuius est, quam altera: nulli enim enti, conueniunt duo aliqua, æque primo: homini sanè conueniunt, rationale, risibile, musicum, & album, primo tamen conuenit ipsi, esse rationale: Secundo risibile, tertio musicum, vltimo & accidentalissime album: cum tamen summè rationalis sit, summè risibilis, summe musicus, & si sors tulerit summè albus. Sic igitur & ignis summè & calidus & siccus, præcipue obsignatur calore, secundo vero siccitate: Quoniam calor primo conuenit igni, deinceps verò & minus essentialiter (si fas est ita loqui) limitat sibi siccitatem. Sic & aër, essentialius limitat sibi humorem, aqua frigiditatem, terra siccitatem. Ob idq; vnumquodq; elementum, vnius est magis, alterius minus, vt dixit Aristoteles.

Caput nonum, qua qualitate, præcipue obsignetur aqua, frigore ne, an humiditate.

QVOD aqua, frigida atq; humida sit, dubitat nemo: an vero frigiditas, primo & magis intime insit ipsi, quam humiditas, vt nuper ex Aristotele monuimus, non immerito dubitarit quispiã: quoniã frigiditatẽ amittere potest, humiditatẽ verò manens aqua exuere nequit, Galeno autore quarto libro de Simpliciũ medicamentorum facultatibus, capite secundo: magis ergo intima est ipsi aquæ humiditas, siquidẽ nulla ratione separari ab aqua potest, frigiditas verò facillime separatur. Hãc difficultatem & mouit, & soluit, Alexãder Aphrodisiensis, 1. lib. quæst. naturaliũ

capite

capite sexto dicens, Quod vtramq; qualitatem, potest amittere aqua, & frigiditatē, & humiditatem, transit enim quandoq; in confinium aëris, quandoq; in cōfinium terræ: Vapor enim, aqua est soluta, & in aëris confinio constituta, quoniam frigus amisit: Gellu verò & glacies, aqua est, in confinio terræ, quoniam amißit humiditatem. Sed hæc Alexandri solutio, mihi nō arridet, aduersatur enim Galeno loco citato, qui aquam exiccari negauit. Et præterea quia gellu aqua concreta est, non exiccata: frigore enim, non siccitate concreuit. Adhæc quoniam ignis actione, liquescit gellu, & in aquam soluitur, ab igne verò non humectatur, ergo aqua exiccata non erat, insuper si pura atque syncera aqua daretur, prorsus humida atque frigida, ea tum esset concreta, primo libro de Natura humana, trigesimo nono commentario, à autore Galeno: exiccata verò non esset, siquidem ponitur extreme humida: ergo gellu, non est aqua in confinio terræ, vt voluit Alexander. Satius ergo dicendum est, quod qualitates paßiuæ, cum maximè materiales existant: à materia ex sui natura, difficilius diuelluntur, quam actiuæ: etiam si actiuæ primo insint, deinceps verò paßiuæ. Accedit etiam, siccitatis infirma agendi vis: est enim siccitas omnium qualitatum minimè actiua. Quare tum ob defectum agentis siccitatis, tum ob aquæ humiditatem, quæ plurimum reluctatur, nunquam siccabitur aqua. Obtrudet præterea nobis quispiam, locum Galeni, è primo libro de Natura hominis, commentario tertio, vbi aquam, humiditate constituit atque obsignat, non frigore: humiditas ergo, est qualitas intima magis, quam frigiditas ipsæ aquæ. Verba Galeni sunt: Quòd mutatur subiectum est, cum mutatio eius à qualitatum efficiatur vicißitudine, cui cum insit summus calor, efficitur ignis, ita euadit aër (sic enim legit Græcus codex, nō aqua vt cruserius campensis) si ad id extrema humiditas accesserit, eodem modo fit terra, vbi sua natura, ab omni qualitate remotum illud subiectum, siccitate citra calorem imbuatur, cōtra aqua cum humiditate. Ex quibus verbis constat, ignem constitui, atque obsignari calore, terram siccitate, aërem & aquam humiditate. Aduertendum tamen Galeni tempore, fuisse celebratißimam, & in vtramque partem agitatissimā, quæstionē de primo frigido: nam quidam, primum frigidorum, dixerunt esse terram, quoniam grauior, densior, & à cæli calore remotior est: alij aquam, quoniam magis quam terra, ad sensum frigefaciat. Hanc sanè quæstionem, ad artem Medicam inutilem esse censuit Galenus, quare vt ab ea abstineret, nec aquam, nec terram frigiditate obsignauit, sed hanc siccitate, illam verò humiditate, non quoniam Galeni mēs fuerit, aquam humiditate constituere, sed vt inutilem quæstionem effugeret. Hunc autē verum Galeni intellectum esse, ostendunt verba quæ statim subdit, in hunc modum. Nam de primo quidē frigido, non parua quæstio extitit, quæ nullum Medicæ facultatis operibus vsum præstat. Ac si dixisset nec terram, nec aquā, frigiditate volui obsignare, ne in quæstionē inutilē de primo frigido inciderem. Frigiditate igitur, apud Galenum constituitur aqua, non minus atq; apud Aristotelem, vt ex primo etiam de Natura hominis, commentario decimoquarto, quiuis intelliget.

Caput decimum, sit ne aqua humidior aëre an contra.



Vtores qui Medicas quæstiones tractãt, solẽt in dubiũ vertere, sit ne aqua humidior aëre an contra. Atq; quidã hoc, alij illud statuunt. Nos verò cũ mõstrauerimus, quodlibet elementũ, duas habere summas qualitates, certo scimus errare vtrosq;. Sũmè enim humidus aër est, & summè humida aqua, atq; eo solũ distinguũtur, quòd primo humiditas cõuenit aëri, deinceps verò aquæ. Neutrũ igitur, est altero humidius. Aerẽ summè humidũ esse, dixit Gal. 1. lib. de natura humana, cõmẽtario decimo quarto: Aquã summè humidã esse, scripsit primo lib. de Simpliciũ medicamẽtorũ facultatibus cap. 32. Tã in aëre quã in aqua, extremã esse humiditatẽ, asseruit primo libro de Natura humana, cõmentario tertio: Summè igitur humidus aër est, & summè humida est aqua. Nec valet quod dicunt quidã, Gal. 1. lib. de Simplicibus medicamentis, non dixisse aquam esse summè humidã, sed summè humectare. Nam quid quæso verba hæc significãt, Aqua supra quam quod refrigerat, omnium est vel humidissima, nihil est enim aqua humidius? qui præterea fieri potest, vt summè humectet aqua, ni summè humida sit? nihil enim, vltra gradum suæ perfectionis, agere potest, vt omnes fatentur philosophi. Ex maiori sanè densitate, fieri posset, vt citius aqua humectaret, ob maiorem humiditãtis copiam, in densiori materia repertam: quod verò summè humectet, si non sit summè humida, ex ijs est quæ fieri nequeunt: id enim ex intensione, non ex qualitatis multitudine pẽdet. Sed tria sunt, quæ huic nostræ sententiæ, videntur obstare, primũ quod aërẽ esse aqua humidiorẽ probat: alterum verò, quod contrarium suadet: & tertiũ quod prorsus siccũ esse mõstrat. Non igitur æque humida erunt. Primum sanè est, quod Aristoteles secundo libro de Ortu & interitu, humidum definiuit inquiens id esse, quod cum proprio termino careat, alieno facile figuratur. Hoc autẽ manifestum est, aëri magis inesse, quã aquæ: aër enim, magis aqua funditur & fluit, difficiliusq; terminos proprios suscipit: aqua vero, quãdoq; proprios terminos seruat, vt cum desuper demissa, deorsum fertur, & cum in puluerem aut linteum incidit, in orben cogitur. Humidior igitur aqua, est aër. Alterũ verò est, quod primo libro de elementis apud Galenum leguntur hæc verba, Sed si fatearis, aliquod esse maximè humidum elementum, simul autem aliud aliquid esse dixeris, præter aquam, extrema erit dementia. Demens ergo apud Galenum fuerit, qui aërem summè humidum statuerit. Tertium est, quòd Auicenna prima primi de complexionibus capite vltimo aërem dixit, Ideo mortis causam esse, quia siccat. Et secunda primi doctrina secunda, capite tertio, in omni sua constitutione, vi a sole, & syderibus deriuata, nos exiccare decernit. Quod etiã notauit Auerrohus sexto colliget capite quarto. A corpore insuper & cute nostra semper dissipatur aliquid in ambientem, ideoque fames succedit, Galeno autore primo libro de causis symphtomatum, capite septimo,


vbi

" vbi ita scribit, nam quoniam cute tenus, vnumquodq́ animal, in ambientem aërem
" digeritur, accidit, vt membra quæ sub cute sunt, prima vacuentur. Cui adstipulatur experientia, linteum enim madens, aëri expositum, exiccatur non humescit. Non modo ergo aër, minus quam aqua humet, sed absolute siccus est, siquidem nostra semper corpora siccat.

*Primum horum, necessario colligeret, aërem esse humidiorem aqua, si ea quam Aristoteles tradit, esset humidi quod vere humidum est, & non humidi apparentis definitio. Cum verò nobis constet, aquam marinam, vrinam, & ignis elementum, difficile terminari termino proprio, facile verò termino alieno, simul autem & sicca esse, non possumus definitionem illam, vere humidis tribuere. Lactuca præterea, & plurimæ huiusmodi plantæ, vere humidæ cum sint, proprio & non alieno, clauduntur termino. Aër insuper ipse, quo magis rarescit, eo difficilius, alienos terminos suscipit, humidior verò non fit: rarescens enim, ad ignis naturam magis accedit, non rarescente. Ad secundũ verò dic, extremam dementiam esse, summe aliquid humectare dicere, nisi aqua sit: nam etiam si aër, summè humidus sit, præcipueq́ue ipsi humiditas conueniat, minus quam aqua, nostrum corpus humectat. Quia aqua craßior cum sit, magis moratur, & replendi nostros meatus, vim habet, aëre ob tenuitatem facile effluente. Accedit etiã aquæ, præter craßitiem, cognatio quam aqua ipsa habet cum terra, frigiditatis ratione: facile enim aqua terræ iungitur, difficile verò aër, quoniam vtriusq́ue qualitatis contrarietate, ad terram inconiuncte se habet, ob idq́ue terrestria existentia nostra corpora, & hac magis participantia, magis ab aqua humectantur, cum & nata sit illi intermisceri, & non effluere vt aër, quin & aër ipse, vbi craßior redditur, atq́ue ad aquæ naturam magis accedit, humectantior eadem de causa efficitur. Et quæ in nostro corpore, ad aquæ naturam accedunt, magis humectant, & ob id Medicis, humidiora statuuntur aëreis, quæ re ipsa, minus humida non sunt, quamuis humectent minus: pituita enim, sanguine humidior statuitur, apud Auicennã prima primi de Complexionibus: Et sanguis venalis arteriali, cum tamen pituita aquea sit, & sanguis aëreus. Sanguis quoque arterialis, aërem refert, comparatione ad venalem aquosiorem. Hinc tertia tollitur dubitatio, aër enim, quamuis natura sua sit humidus, nostra corpora, & humecta lintea exiccat. Primò quoniam aquam suo calore in aërem conuertit, sicq́ue linteum siccum reddit. Secundo quoniam calore & humiditate, corpus exhaurit, perinde ac aqua balnei, quæ sudorem mouet & perspirationem reddit maiorem. Tertio ob ventilationis motum, qui in respiratione & pulsibus fit, per eam enim, vapores corpori hærentes dissoluuntur. Quartò quoniam aër in se, vapores excipit, qui ab innato calido semper resoluuntur: ideoq́ue cutis magis exhauritur, ab eiusq́ue inanitione, fames incipit. Quintò ob vim exiccandi, aëri impartitam à sole & stellis, cuius meminit Auicenna. Sextò ob ventorum exiccantium commertium, qui quandoq́ue perflant. Quamuis tamen hæc, ita habeant, habeatq́ue aër ob causas

dictus vim siccandi, non ob id hæc vis semper præponderat, humiditati aëris natiuæ: nam auctum frigus hyberni temporis, nō modo non permittit, vt aër nostra corpora exhauriat, verum quæ à natiuo fit calore, resolutionem minorem reddit: aucta verò humiditas tempore pluuio & austrino, nostra corpora plus iusto reddit humida, vt multis apud Galenum locis videre est. Libro enim artis Medicæ capite octuagesimo quarto: ab aëre nostrum corpus alterari tradit, quia aut calesit, aut frigesit, aut exiccatur, aut humectatur, vel secundum horum patitur coniugationem, aut in tota alteratur substantia. Et primo libro de Sanitate tuenda capite tertio, ob id senium & mortem nos occupare tradit, quoniam aër varie immutat, sanitatis nostræ statum, modo quidem siccans, modo humectans, & similiter in actiuis afficiēs. De aëre etiam dixit secūdo libro Crisiū, quòd condisponit tēperamento suo, corpora nostra, ita vt per æstatem augeatur bilis, per hyemem verò pituita, corpore ex aëris comercio, refrigerato pariter & humectato. Primo etiam libro Epidemiarum, sectione secunda, cōmentario septimo, de aëre pluuio dixit, quòd non solum non demit à corpore aliquid, sed adijcit etiam. Vnde tertio libro Aphorismorum, cōmentario decimo quinto, per id tēpus scripsit Galenus, egere corpus, abūdātiore exercitio & purgatione. Adde quòd si aër pluuius nos ambiēs, est nostro corpore humidior, necessario humectabit ipsum: minus tamē semper humectabit quā aqua, tum ob sex rationes dictas, ob quas vim aliquā exiccandi aër obtinuit, tum quoniam aqua facile permiscetur terræ, aer verò ipsi adhæret difficulter, vt notat Phyloponus secundo libro de generatione, commentario vigesimo nono. Vnde Auerrhois sexto colliget capite quarto ita scribit, Et quanuis aër « humidior sit aqua, tamen non humectat corpus sicut aqua, eo quod non applicatur « corpori sicut aqua, immo desiccat corpora, & secundum quod calidior est plus desiccat. «

Caput vndecimum sit ne aër calidus an frigidus.



INgens quæstio est, & inter clarissimos acta philosophos, quæ aëris qualitatē actiuā vestigat, siquidē Arist. quiq; eum sectātur, calidū esse aëra existimāt, atq; stoici frigidum, autore Galeno 2. libro de Simplicium med. fac. cap. 20. Aristoteles sanè secundo libro de Ortu & interitu cap. 3. hæc habet ad verbum: Ignis enim calidus & « siccus, aër verò calidus & humidus, vt enim vapor aër, aqua verò « frigida & humida, terra autē frigida & sicca: vt rationabiliter distribuantur differē- « tiæ primis corporibus, & multitudo ipsorū sit secundū rationē. Quo loco reliquorū « elementorū qualitates, absq; probatione posuit, solū autē in aëre habēte dubitationē, probatione vsus est, quod ipse sit calidus, eo quod veluti vapor est aër: vapor verò calidus est, & calidi generationem habet, vaporans enim aqua, & calore soluta, in aërem vertitur. Sunt & plura alia, quæ aërem calidū esse probāt, primū quod leuis est,

non

non ratione humiditatis, nã aqua leuis etiam euaderet, ergo ratione caloris, nam & ignis qui leuissimus est, ex calore id habet, si enim ex siccitate, terra quoq; leuis foret: Aër ergo cum leuis sit, ex calore pariter leuis erit. Secundo videmus propinquantia inuicem elementa, qualitatem quandam habere communem, aliter enim sibi inuicem propinqua non essent, nec vnum ab altero ambiri cuperet: & qualitatem aliam cõtrariam, aliter enim vnius in alterum, aut vtriusque in mediam naturam, non fieret cõmutatio. Si ergo aër ab igne differt per humidum, communicabit ei per calidum, & si communicat aquæ per humidum, differat ab ipsa per calidum oportet. Tertiò quia si aër frigidus esset, iungeret natura, duo elementa maximè contraria, aërem scilicet & ignem, citra interuentum medij, quare maximè naturalem legem, transgrederetur natura. Quartò aër & aqua essent eiusdem temperamenti, quare & eiusdem speciei: & ex consequenti tria tantum essent elementa. Nam quod quidam aiunt, aërem ab aqua sola leuitate ac tenuitate distare, non temperamento qualitatum primarum, falsum est. Primò quoniam tenuitas ac leuitas, non sufficit differentiam in specie statuere. Secundo, quoniam secundæ qualitates in elementis, pendent ex primis. Tertiò, quoniam si aër ratione tenuitatis & leuitatis solius, ab alijs distat elementis, præter calidum, frigidum, humidum, & siccum, statuere oportebit, quintum elementum tenuis ac leuis. Quartò, nam Aristoteles secundo libro de partibus animalium capite primo, A virtutibus elementorum, quibus mista componuntur, reiecit tenuitatem, leuitatem, & omnes alias qualitates à primis. Ita enim scribit, "Cũ itaq; triplex sit compositio, prima statui potest, ea quæ ex primordijs conficitur, ijs quæ nõnulli elementa appellant: terram dico aquam aërem ignem, sed melius fortasse dici potest, ex virtutibus confici elementorum, ijsq; non omnibus, velut ante expositum est: humidũ enim & siccum & calidum & frigidum, materia corporum sunt compositorum." Quinto, quoniam inter elementa, debet esse quædam veluti æqualitas, ne calida corrumpantur à frigidis aut contra, aliter enim non conseruabitur vniuersum: tria autem elementa frigida cum vno calido, non seruant æqualitatem dictam. Accedit quod ignis sphæram probabiliter negant plurimi, si ergo aër frigidus est, probabile quoque esset nullum esse calidum elementum. Oleum præterea cum crassam habeat substantiam, concretioni aptam, à frigore non gellatur, idest ad extremam concretionem non venit, quarto libro Metheororum à autore Aristotele. Ergo id contingit ob aëreum qui in ipso est calorem: aër igitur calidus est.

Pro stoicis est Seneca secundo quæstionum naturalium dicens, "aër frigidus & obscurus natura est, lumen & calor illi præstant alimentum." Sunt & rationes, prima quod aër fit ex aqua, solam rarefactionem perpessa, sed aqua est frigida, ergo & aër frigidus erit. Secunda quoniam in loco magis seiuncto à causis alterantibus, puta in media regione maximè dissita ab aqua & igne, frigidissimus est aër, ergo ex natura ipsius aëris est frigiditas. Tertia, quoniam per solam absentiam

causæ calfacientis redditur frigidus, tum noctu & hyeme, tum etiam iuxta Pollos. Nemo enim citra solis vim, de aëris calore cõqueritur, de frigore verò omnes. Quarta quoniam hominem temperatum frigefacit, si ventiletur aër. Quinta quoniam respiratione, perpetuo refrigerat nos. Sexto cerebrum vulneratum, frigefacit etiam aër æstiuus, ergo frigidus est collatione cerebri, quare magis collatione cutis. Septima ingrediens vinum inducit acorem, hic autem sapor, ex frigido ducit ortum. Octaua quoniã flatulenta ædulia, acorem inducunt in ventriculo, vt castaneæ, & robusteæ glandes. Nona vbicunq; includitur aër intra corpus nostrũ, siue in ventriculo, siue in vtero, aut intestinis, inducit symptomata ingentis frigoris, & quæ calorificis leniuntur. Oleum præterea aërũ cum sit, frigore citissime concrescit: Frigidus igitur aër est. quod sensisse videtur Galenus, òctauo libro, de vsu partiũ, capite tertio, vbi magis probat Aristotelem, libro de respiratione, aërem frigefacere respiratione, quã secundo de generatione asserentem, natura calidum esse.

Quanquam autem quæ stoicorum sententiam firmant rationes, non leues censeãtur, prioribus tamen magis in Aristotelis sententiam adducor. Nam quod aqua ex qua fit aër, solam perpetiatur rarefactionẽ, impossibile est: rarefactionem enim antecedit calfactio, tantumq; aut magis caloris inducitur, quantum & raritatis: à calore siquidem pendet raritas, ingentem autem raritatẽ assequutus est aër, ergo & ingenti calore affici, est existimandum. Retorqueri præterea in ipsos, ipsorum ratio potest, nam aër generatur etiam ex igne, solam & humectationem, & densationẽ perpesso, sed ignis calidissimus erat, ergo talis relinquitur aër. Nec media aëris regio (quod putãt) magis dissita est à causis alterãtibus: Sèd præter sui naturam frigidissima habetur: Tum quoniam vt dixit Aristoteles, inibi finiuntur repercussus solares: tum etiam antiparistasis ratione, quoniam frigidi halatus, dum solariũ radiorum ex vna parte, & ignis vim atq; calorem, ex altera fugiunt, frigidiores reduntur. Nec enim placet antiparistasim de medio tollere, quod quidam demõstrare conantur. Quantum autem valeat ipsorum demonstratio, audient infra. Hyeme prætèterea, noctu & septentrionalibus locis refrigeratur aër, ab aqua & terra frigidis, quæ in ipsum agunt. Et etiã quoniã vapores frigidissimi, ex aqua & terra soluti, ab istorũ exiguo calore non dissipantur, quare aërem & refrigerãnt & densissimum reddũt. Quo fit vt nunquã aër sit immunis à refrigerantibus causis, nisi sol vrgeat atq; calefaciat. Videtur tamen obstare quod Aristoteles loco citato, aërem dixit esse calidum & humidum, quoniam est veluti vapor, de vapore enim dixerat primo libro Metheororum capite tertio, quòd eius natura humecta calidáque est: Quo modo ergo aërem summè calidum refrigerabit? Dicendum primo, quòd aëris nos ambientes frigiditas, magis pendet ex aquæ atq; terræ actione, qua aërem nobis proximum refrigerant, quam ex vaporibus, qui tunc non sunt admodum frigidi. Frigus verò mediæ regionis, minus pendet ex huiusmodi actione, quæ minor est ob distantiam: quam ex vaporibus, qui cum illuc peruenere, ad aquæ cuius formam seruant qualitates remigrant, & aërem frigidum

gidum reddunt. Dic secundo, quòd vapor qui actione solis & stellarum, & collisione ex vehementi cursu, innundatione, & attritu aquarum gignitur, quanquam calidus sit, respectu aquarum & niuiũ, ex quibus eleuatur: quod sensit in Metheoris Aristoteles, absolute tamen frigidus est. Nam per hanc actionem aqua atq; nix, licet aliquid incalescant, non tamen redduntur calida, nec calidos vapores eructant. Vnde domus æstate rigamus, vt aërem refrigeremus: & iuxta amnes aut mare habitantes, frigidam auram ab aqua spirantem sentiunt. Et æstas constans æthesijs ventis, à niuibus quæ ad septentrionem sunt, tum temporis calore solutis refrigeratur, vt scribit Aristoteles secundo libro Metheororum capite quinto. Et ex cruda atque frigida pituita, frigidus vapor, per nostrum corpus sæpe discurrit, difficiles cruciatus excitans. Sed adhuc vrgent si vapor est frigidus, cùm sit etiam aëre crassior, cur ascendit aërem penetrans, ad mediam vsque regionem? Dic id fieri ob bonum vniuersi. Quoniam vero natura, non solum vidit quæ bona sunt, sed causas etiam effectrices, quibus id bonum gigni atq; comparari posset, mundo tribuit: ob id in hac vaporũ, elatione, huiusmodi causæ genus non prætermisit. Radiorum enim solarium repercusus, tantam vim habet, vt secum euehat omnes eiusmodi vapores, vt qua aëris parte ipsi finiuntur, ibi etiam ipsorũ sublatio sistatur. Eam autem aëris partem, qua radiorum solarium repercussus finiuntur, mediam aëris regionem appellamus: Quæ non habet locum aliquem destinatum in aëre, sed varium, pro varietate repercussus: Aestate enim longissime abscedit, quoniam ex radijs directis repercussus fit vehementior, atq; ad maiòrem distantiam. Hyeme verò propè nos finitur, ob radiorum & repercussus obliquitatẽ: Quod experimento deprehenditur. Nubes enim æstate longissimè abscedunt à nobis, hyeme verò sunt nobis proximæ, vt notat Aristoteles primo libro Metheororum capite duodecimo: Tanta enim est radiorum vis, in subleuãdo vapores, ipso aëre grauiores, quod nubem etiam crassam (quæ solem ex vna parte, & obtutum nostrum ex altera finit) supra detinet ne decidat, donec iam in pluuiam versa, terram irriget. Cur ergo vaporem dixit esse calidum & humidum Aristoteles, aërique ipsum assimilauit? Dic quòd vapor, qui è nostro manat corpore, aut is quem nos sentimus, dum ignis actione ab aqua feruente eruitur, calidus est, ipsique aërem similauit Aristoteles: nam vlteriori calfactione & tenuatione in aërem facile vertitur, redditurq; aër necessario, eo calidissimo vapore ex quo gignitur calidior. Frigido verò vapori, aërẽ similasse, non credimus, siquidem calere atque humere aërem voluit. Iuxta pollos verò perpetuo alget aër, quoniam vapores aquei & terrei fugientes medium locum terræ, per quem sol, calore suo discurrit, recipiunt se ad mundi extrema & antiparistasis ratione, multò magis frigefaciunt. Nec absonum etiam est, quod eiusmodi vapores, ab aqua & terra ad septentrionem valde frigentibus, vlterius refrigerentur: quanuis non desint quibus id dissonũ esse videatur, quoniam experimẽto inquiunt constare, quod aër potius refrigerat aquam atque terram, quam ab ipsis refrigeretur. Ob id quod aqua aëri exposita citius & magis gellatur, quam quæ sub

 tectis

tectis seruatur. Et quod in cauernis terræ, homines seruantur incolumes, qui sub dio nō possent viuere. Id tamen non quoniā aër terram & aquam refrigeret, contingit vt putant, sed quoniam ventorum verberatu sub dio refrigeratur aqua, subtectis verò & subterraneis, tum ob ventorum tranquilitatem, tum etiam ob antiparistasim calore retracto, maior ibi calor reperitur. Aestate enim, frigidissima sunt subterranea & tectis operta, quoniam dum calor externus, intimas terræ latebras non adit, terræ & aquæ ibi latentis, natiuum frigus validum est, & impense quæ ibi apponuntur refrigerat, adeo vt minime habitabilia tum temporis, præ frigore sint subterranea. Ob id verò respiratione, perpetuo refrigerat nos aër, quoniam frigidus est collatione ad spiritus, & cordis calorem. Præsertim præcedente constrictione cordis, per quam & spiritus & cor incaluit magis. Sic & ventilatus aër, perpetuo nos refrigerat, quoniam in pœnitiores corporis partes, vi ventilationis agitur, vbi & earum & spirituum etiam calorem refrigerat, ob vapores admistos. Quod præterea aër æstiuus, frigefaciat cerebrum vulneratum, monstrat non sui causa, sed gratia vaporum admistorum refrigerare. Nam aër æstiuus, ad sensum, est calidus collatione cutis. Ergo calidior collatione cerebri. Ingrediens præterea vinum inducit acorem, quoniam collatione ad vinum frigidus est, atq; id non sui natura, sed vaporum admistorum. Flatulenta insuper alimenta, acorem ventriculo inducunt, non ob aërem admistum, sed ob aqueam atq; terream naturam, ex quibus actione caloris ventriculi, eruuntur flatus crassi, atq; frigidi, in quibus est acor. Vbicunq; præterea includitur in nostro corpore aër, inducit symptbomata vehementis frigoris: quoniam tenuis aër, atq; calidus facile exhalat, manent verò frigidi flatus, qui sympthomatum illorum causa sunt. Oleum verò ob substātiæ crassitiem, atq; visciditatem, citissime densatur frigore. Quoniam verò aëreum est, nunquam in magnam venit densationem.

De Galeno verò quid in hac difficultate senserit, quanquam parum ambiguum id est, sunt qui existiment apud Galenum, aërem esse temperatum in actiuis. Nam secundo simplicium capite vigesimo nihil decernit, sed maximum id esse dubium adstruxit: octauo verò libro de vsu partium non dixit esse frigidum, sed Aristotelem reprehendit qui calidum possuit: Neutrū igitur est natura. Rationibus præterea, nam aër facile atq; ex leui causa, de calido frigidus fit, & de frigido calidus, & ex leui occasione aut calidissimus aut frigidissimus redditur, & autumno eodem die modo calet, modo frigidet: Ergo calidi & frigidi medium tenet: Nec valde adhoc aut illud extremum accedit. Aëreæ insuper medicamenta, vt oleum & cera, temperata sunt, ergo temperatus quoq; aër euadit.

Sed si aër elementum est apud Galenum, elementa autem omnia habent synceras, impermistas, & summas qualitates, qui fieri potest vt sit temperatus? Primo libro de elementis ita scriptum reliquit. At si illud inquiris quod natura simplex sit, Oportet id haud esse mistum, temperatum ve, & summa qualitate præditum. Rursus igitur ad ignem remeas, & aërem, aquamque, & terram, quippe in ijs solis, qualitates reperies,

« peries, absq; vlla mistura temperieq;. In igne nimirum, calorem summum, summamq;
« siccitatē: summum frigus, cū summa siccitate, in terra: Et in cæteris reliquas, prout
« sua cuiusq; natura postulat. Primo libro de temperamentis capite quinto, in hunc scri
« bit modum. Porrò absoluto sermone, siccum quod de nullo alio dicitur, in solis elemen
« tis est, igne, terraq;, Sicut & humidum, in aqua, & aëre, ad eundem modum, & de
« calido, frigidoq; sentiendum. Nullum enim cæterorum, prorsus calidum, frigidum ve
« est, sed sola elementa. Quicquid verò aliorum cœperis, ex ijs mistum est. Aër ergo
summum habet, aut calorem aut frigus, non calorem ex Galeno octauo de Partium
vsu: ergo summè frigidus est. De aëre præterea speciatim agēs, (libro cui titulus est,
an animi mores, corporis temperaturas sequantur) sic scribit. Nam is ipse, quantum
in se ipso frigidus est, cæterum permistione ignei elementi, bene fit temperatus. Nec
est quod tergiuerseris, stoicorum ibi opinionem referre, non propriam statuere: nam
duplicem tantum opinionem, agnouit Galenus de hac re, secundo libro de Simpliciū
med. fac. capite vigesimo, vnam Aristotelis, alteram stoicorum: Si igitur Aristote
lis opinionem reiecit, reliquam est amplexatus. Libro præterea quarto de Simpliciū
med. fac. cap. 8. vbi nulla fuit stoicorū mētio, aërem appellat, tenue frigidū, & eiusger
men dixit esse, saporē acidū natura frigidum. Causa verò, quod tam citò, aër refrige
ratur, & incalescit, non est qualitatum mistura, sed substantiæ tenuitas. Nam &
aqua, quæ frigidissima est, cito sæpe numero etiam incalescit, & refrigeratur: & hac
nota vtitur Hyppocrates, ad dignoscendam aquam tenuissimam: neque enim aliam
aquam probat, quam quæ vtramq; alterationem, facile subit. Si aqua ergo summè
frigida, cito & induit, & exuit calorem, cur non & aër tenuior, etiam si summe cali-
dus, citissimè poterit refrigerari? Aërea insuper medicamenta, mediocritatem sæpe
numero multum excedunt: nam septica venena, quæ putrefaciendo interimunt, aë-
rea sunt: quoniam aëris qualitates sunt putrefactioni maxime obnoxiæ, Ingenti au
tem calore flagrant. Lignum præterea omne aëreum est, nam cum deorsum per aërem
feratur, omne innatat aquam, præter ebenum, quarto Metheororum autore Aristo-
tele. In lignorum autem genere plurima sunt calidissima, à plantis nimirum collecta
calidissimis. Non ergo aëreum omne, est temperatum, sed vbi contigerit, aërem
mole tantum, non vi & efficatia agendi superare: id autem contingit interdum, vt in
oleo, & cera, & similibus.

Caput duodecimum quod contrariæ qualitates, nec elementa constituunt, nec in eadem substantia cohabitare queunt.

EX copulis sex, calidi & frigidi, humidi pariter & sicci, quatuor tantum recen-
suimus, esse possibiles, calidi & sicci, calidi & humidi, frigidi & humidi, frigidi
& sicci. Ex quibus constituuntur ignis, aër, aqua & terra. Calidi verò & frigidi, hu
midi

midi quoque & sicci, nulla est copulla possibilis, ex qua constituantur elemēta. Nam cum contrariæ qualitates sint, ex contrariorum lege, mutuo se fugant, atque interimunt. Ob idq; dictum est ab Aristotele, decimo Metaphisicorum, capite septimo, quod semper alterum cōtrariorum, secundum priuationē dicitur. Non ergo à calido simul & frigido, nec ab humido & sicco, aliquod consistet elementum. Nam quamuis calidum atq; frigidum, humidum pariter & siccum, in gradibus non excedentibus (quam vocant) latitudinem, copulari queant, id non sufficit ad elementi rationem: Elementum siquidem omne, synceras, summas & impermistas qualitates, habere debet. Si igitur summus calor, cum frigore summo, non potest in eadem substantia copulari, nunquam ex vtriusq; copula, elemētum consurget vllum. De qualitatibus verò contrarijs, in eadem substantia, ita statuendū putò, quod calor & frigiditas, humiditas & siccitas (atq; idem dicendū de mollitie & duritie, raritate & densitate, albedine & nigredine, & quibusq; alijs) nō sunt toto genere contrariæ, sed sub certis gradibus tantum, sub quibus, nulla ratione possunt stare. Sunt autem hi gradus, quicunq; excedūt latitudinem intensionis, quam habent hæ qualitates. Vt si verbi gratia latitudo huiusmodi sit octo graduū (sic enim clarioris doctrinæ gratia partiuntur philosophi) octauus gradus vnius contrarij, cuicunq; gradui alterius aduersatur, & ob id cum nullo ipsorum potest cohærere. Nam & contraria se perimunt, & semper dicuntur secūdum priuationē. Septimus verò gradus verbi gratia caloris, vnum frigiditatis gradū non perimit, sed cum ipso cohabitat, quod ipsi contrarius non sit. Omnes vero gradus qui supra vnum sunt, fugat ceu contrarios. Sextus gradus duobus alterius contrarij gaudet, ijs verò qui sunt supra duos aduersatur. Quintus cum tribus cōcordat, vlterioribus cōtrariatur. Quartus æquatum contrarium amat, cuicunq; verò vltra quatuor, magnopere dissentit. Atq; vt in summa dicam, calor cum frigiditate, humiditas cum siccitate, mollicies cum duritie, & albedo cum negredine, in eadem substantia possunt commorari: Vnum vero contrariorum, cum altero habitare nequit. Nam in gradibus in quibus cohabitant, non contrariantur. Dubitauerit autem nō immerito quispiam, vnde id sit quod quartus gradus vnius contrarij, non possit sine quatuor alterius, quintus sine tribus, sextus sine duobus, septimus verò sine vno consistere, Et vt quid natura hos gradus, tam dissidentium qualitatum, nexuit sine cōtrarietate vlla? cui sanè dubitationi dicendum est, quod calor, non nisi à frigiditate corrūpitur, à qua etiam, loco caloris corrupti, frigiditas semper creatur, ob idq; quantū calori deest, de summa latitudine, tantum necessario completur, de frigiditate: Similiterq; de alijs cōtrarijs est dicendum. Finis verò naturæ, in tam dissidentium qualitatum nexu, non alter fuit, quam mistorum generatio, non enim aliter mista fieri, & concerni possent, quam ex illarum qualitatum adhæsu & temperie.

Caput tredecimum quod elementa, non reperiātur syncera.



I QVANTVM calidum elementum, detrahit frigiditatis, de elemento frigido: tantum etiam indit caloris, & contra, vt nuper diximus, sequens est, vt nullũ reperiatur syncerum elementum in vniuerso: sed quod cuiusque elementi qualitates, ex contrariarũ appulsu sunt refractæ. Adeo enim sibi elemẽta cohærẽt, vt necessaria intercedat, ipsorũ attẽperatio. Ob idq́. 1. lib. dẽ natura humana comment. 39. absolutum elementum mente potius comprehendi, quam inueniri dixit Galenus, quoniã si elementa pura essent, periret atq́ corrueret vniuersum. Nam si puram aquam fingas dari, non manebit iam aqua: concrescet enim mox, & subsistet, & fluere desinet. Ita terram, si prorsus siccã & frigidam cogites, erit ea adamante durior. Quæ si euadat eiusmodi, fœtura desinet plantarum. Hac desita simul alimentum interibit animantium: atque si hoc, nimirum & ipsa animantia. Si enim terra styrpibus alimentum est datura, humore perfundatur oportet. Eoq́ue principio adacta agricultura, agrorum irrigationes excogitauit, & miros aquæ ductus fingit. Vt vniuersum igitur seruaretur, oportuit elementa syncera non esse, & propriam naturam prorsus non custodire. Hinc causam cuiusdam problematis addubitati à multis, pendere puto, Quare scilicet terra nostra, grauitate vincatur a plumbo: & aqua, frigiditate relinquatur ab opio. Respondent vgones, quædam mista, vincere in his effectibus, elementa ipsa (licet habeant qualitates elemẽtales remissiores) eo quod diriguntur à forma præstantiori. Est enim elementi forma omnium ignobilissima. Sed quid mistorum nobilitati detraheret, si elementis minus aut infrigidarent, aut grauescerent? Animantium præterea corpora, cum nobiliorem sortiantur formam: & refrigerantiora & grauiora euaderent. Dicunt alij eiusmodi opera in mistis, consequi non ad qualitates primas, sed ad secundas diuersi generis. Ego verò non video, cui nam qualitati, refrigeratio opij sit referenda, nisi frigiditati, ab elementis frigidis, in mistione acceptæ: nec quo referri poßit, plumbi pondus, quam grauitati, a grauescentibus elementis impartitæ. Quare non à diuersis qualitatibus in mistione creatis, huiuscemodi effectus nascentur. Nostrorum ergo elemẽtorum qualitates, refractæ magis sunt, atq́ attemperatæ magis, quam quorundam mistorum. Terra enim nostra, vt pascuis, & fœturæ plantarum, esset idonea, aquæ humiditatem, aëris calorem, atq́ pinguedinem, & ignis præterea, atq́ solis vim accepit. Aqua rursus, ab eisdem elementis, beneficium atq́ attemperationem, opio atque plumbo maiorem summit, aliter enim nec fluida esset, nec in animantium potum cederet. Nec tamen duæ superiores rationes, prorsus sunt reijciendæ, nam tunc hic, tum etiam libro de Tẽperamentis, ipsis vt veris ac vtilibus vtemur.

Caput quatuordecimum, de mutua elementorum actione, qua se frãgunt, atq́ temperant, dum admisti concretionem veniunt.

Sed


ED ingens difficultas suborta est, qui fieri possit vt mundi elementa se frangant atq; temperent, tum in suis sphæris, tum etiam quando ad misti concretionem veniunt. Sunt autem quinque præcipua, quæ difficultatem pariunt hac in re. Primum est quod tangentibus se se, calido & frigido, si calidum est potentius, quomodo patitur? si impotentius, quomodo agit? si æque potens, quomodo fit aut actio aut passio? ab impotẽtiori enim aut æquali, actio quæ passionem inferat nasci nequit. Secundum est, argumentum maximè inter nostri temporis philosophos celebratum, de parte non repassa, eo enim argumento probant, quòd corpus aliquod, secundum eandem partem, simul mouebitur motibus contrarijs. Nam si corpus pedale frigidum, & bipedale calidum, agant & reagant inter se, ea ratione vt totum calidũ, agat in totum frigidum, frigidum verò agat tantum immedietatem calidi, puta in primum pedale (alterum enim pedale ponitur extra sphæram actiuitatis frigidi) constat quòd prima ea pedalitas, refrigerabitur à pedali frigido, ob actionem reciprocam: calfiet quoq;, à secunda pedalitate sibi continua. Tertium est quòd si ignis calfacit aquã, & aqua refrigerat ignem, per medium aërem: calfiet simul & refrigerabitur medius aër. Quartum est, quòd nunquam agens assimilabit integre passum, si aliquid amittit in reciproca actione, nam per id quod amisit, iam non est actu. Nec est à quo id rursus producatur, per id ergo non assimilabit passum. Quintum est, quod in antiparistasi, experimento deprehenditur, non modo retundi alterum contrariorum, obiectu alterius contrarij, verum & succrescere magis.

Plurimi ex philosophis nostri temporis, vt hos euadant laqueos, reactionem secundum eandem contrarietatem, fieri posse negant, ita vt si ignis calfaciat aquam, nõ refrigeretur ab aqua, sed ab ipsa, secundum alteram cõtrarietatem humectari possit. Dispeream si genus hominum vnquam fuerit insanius, non aduertunt miseri, se friuolis quibusdam calumnijs tempus ludere, sensum negare, & in sempiternum eruditorum odium venire. Si frigidam manum, sinui calido immitas, sinum refrigerabis, manum vero calfacies: Quod vel ipsi norunt pueri, media hyeme, manum pectori, & admouentes, & admouere timentes. Si glaciem manu apprehendas, manum refrigerabis, glaciem verò eliquabis. Si cãdens ferrum, aqua mergas, ferrum frigefacies, & aquam calidam redes. Si feruentem aquam, gelidissimæ misceas niui, exacte temperatum facies. Atq; ex hoc, ceu principio sensui noto, corpus temperatum vestigat Galenus primo libro de Temperamentis. Elementa insuper in suis contactibus, non sunt syncera, quæ autem se contingunt, vnam tantum contrarietatem habent, ergo secundum eandem, reciproce se retundunt. Mista præterea omnia, aut summe calida erunt, aut summe frigida, si alternatim vtraq; non conficiunt, atq; temperant se se. Ars insuper componendi medicamẽta peribit, si ad mediam naturã, vi actionis reciprocæ, nõ veniant simplicia. Omnes præterea autores qui celebre aliquid scripserunt, in hac fuisse sententia constat. Galenus sanè primo libro de temperamentis, ex æquato contra-

tra-

trario, temperatum corpus gigni arbitratur, exemplo niuis, & feruentis aquæ, dum miſcentur. Tertio libro de temperamentis, capite quinto, in hunc ſcribit modum. Omnino enim vbi duo corpora inter ſe commiſſa, multo tempore pugnant, certantq́; de alterando, vtrumq́; eorum, tum agere, tum pati neceſſe eſt. Fortaſſe autẽ & ſi non multo tempore id fiat, attamen agit etiam, id quod vincitur, in id quod vincit: verum ita exiguum, vt ſenſum effugiat. Neq́; enim ſi acutiſſimo ferro, molliſſimam ceram, toto die ac nocte incidas, fieri poteſt, vt non fiat manifeſtè obtuſius: ita nimirum illud cõmode dici videtur, aſſiduo illiſu, durũ cauat vndula ſaxum: quippe ita quoq́; factũ cernitur: cæterũ vno aut altero ictu, nihil adhuc euidens videre in talibus licet. Ex quo factum arbitror, vt quædam ab admotis ſibi, nihil prorſus pati, opinati nonnulli ſint: & cedendum eſt ita loquẽtibus. Sæpe verò nobis quoq́; ipſis, ita plerumq́; loquendũ eſt, niſi ſicubi ad vltimum examen, diſputationem perducimus, quemadmodum in præſentia facimus. Tertio libro de cauſis ſympthomatum, capite ſecundo, hæc habet. Apparet enim omnia, tametſi multo iis quibus appropinquãt, ſint valentiora, aliquid tamen ab ipſis ſenſibile manifeſtumq́; pati: & ſi non primo ſtatim occurſu, at certe tẽporis proceſſu. Iam ferrum accutiſſimum, in molliſſima ſecãda carne, eſt hebetatum: duriſſimus lapis, a guttula longo tẽpore ictus, cauitatem contraxit. Quid verò in his quæ miſta ſunt fiat, omnes norunt: ſiue enim in amphoram aquæ feruentis, frigidæ heminã inijcias, quòd miſtum ex ambobus eſt, nõ ſolum quod hemina vincatur: ſed etiã quod aliquo modo vicerit, indicabit. Et primo libro de locis patientibus, non modo aquã, ſaxum excauare dixit, ſed vnãquanq́; aquæ guttulam, idem efficere teſtatur. Neq́; enim (inquit) fieri poteſt, vt primo ictu nihil efficiẽte, alter aliquid faciat. Neq́; Ariſtotelis locus, è libro octauo phyſicorum capite tertio, oppoſitum ediſſerens, quenquam debet deterrere, (vt id obiter admoneamus) non enim voluit Ariſtoteles, priores aquæ guttas, nihil excauaſſe: & totam excauationem, prodiiſſe ſimul ab vltima gutta, vt quidam male interprætantur: Sed quod excauatio, quæ à quauis gutta fit, tota ſimul, & non per partes proportionales accedit. Neq́; accretio enim, neq́; decretio, neq́; alteratio inſuper vlla, infinita eſt. Quod præterea inter quæcunq́; contraria, actio reciproca reperiatur, dum modo in materia communicent, non modo Galeni, verum & Ariſtotelis, primo libro, de ortu & interitu, capite ſeptimo dogma eſt. Quarto inſuper libro de generatione animalium, capite tertio, ita ſcriptum reliquit, Cauſa vt motus ſoluantur, eſt quod omne agens patitur, etiam à patiente: vt quod ſeccat, hebetatur ab eo quod ſeccatur: quod calefacit, refrigeratur etiã à caleſcente. Deniq́; quodcumq́; mouet, excepto primo, mutuo mouetur aliquo motu. Verbi gratia quod pellit, pellitur quodammodo, quod præmit, reprimitur: interdũ etiam ita fit, vt quod agit, magis patiatur, quam agat, & refrigeretur quod calefacit, caleſcat quod frigefacit, cũ aut nihil fecerit, aut minus quam ipſum affectum eſt. Quid verò ad hæc vnuſquiſque dicat, vt ſuam abſurditatem tueatur, noſtrum inſtitutum, non eſt nunc recenſere.

Quid

Quid verò rationabiliter scribăt, alij reactionem recipientes, vt singulas obiectiones euadant, audiamus. Primæ difficultati quæ actionem ab impotentiori aut æquali fieri probat, respondet ferè vniuersa philosophorum schola, quod quatuor primæ qualitates, non eundem, sed potius contrarium ordinem seruăt, virium agendi & resistendi, ita vt quæ plurimum valet agendo, minimè resistat, maximè verò, quæ minimè. Virium verò agĕdi ordo est, quod post calorĕ, sequatur frigus, post hunc humiditas, vltimum locũ teneat ariditas: quæ sicuti minus omnibus, præstat actione, ita maximè passionem repellit, & humectantibus resistit. Humiditas quoq́, exiccătibus resistit plurimum, at siccitate minus. Humiditatem sequitur frigus, calor verò, qui in altero ordine, primatum obtinuit, postremum in hoc, locum habet. Ex hoc omnĕ actionem, (etiam eius quod vincitur, in id quod vincit) à maiori fieri probant. Nam vis agendi vnius, in actionibus, conferenda est cum vi resistendi alterius, & non cum vi agendi. Exemplum esto, quòd si calidum & frigidum, cuiuscunque mensuræ, aut æqualia, aut inæqualia, mutuo ad actionem cŏgrediantur, tunc calidum calfaciet frigidum, & necessario ab eo interim refrigerabitur. Calfaciet quidem, nam si vis resistendi frigoris, est minor quam eiusdem vis agendi: & vis qua agit calor, superat vim, qua agit frigus: Superabit etiam vim, qua frigus resistit. Refrigerabitur verò, nã si vis agĕdi frigoris, superat propriam vim resistendi, & eiusdem vis resistendi, superat vim qua resistit calor, necessario fiet, vt vis agendi frigoris, superet vim resistĕdi caloris. Quare calidum & frigidum, quibuscunq́ mensuris, superant & superantur, agent quoq́, & reagent inter se. Nec ob id actio erit ab impotentiori, quoniam non comparantur, vires agendi inter se, sed cum potentijs resistendi.

Sed is ordo qualitatum primarum, in agendo & resistendo, voluntarie fingitur. Nec an verus sit, constat ex aliquo probato autore. Sed age quanquam seruent hunc ordinem qualitates primæ: Vnde est quod ex duobus colluctatoribus, si potĕtior deijcit alterum, pariter & ab ipso in pugna lassetur, decidens etiam nonnũquam? Vnde præterea est, quod duo gladij se occursantes, retundantur ambo? Nŏ erat sanè illa, vniuersalis reactionum ratio, quæ diuersum ordinem agendi, & resistendi, in primis qualitatibus spectabat. Si vis præterea agendi frigidi, superat resistĕtiam calidi, excessu finito, eam superabit: Nihil enim quod infinitum non sit, infinito excessu, aliud potest superare. Fiet igitur, vt is amittatur excessus, additione calidi & imminutione frigidi. Vires enim tum agendi, tum resistendi, augentur & imminuuntur, aucta aut imminuta multitudine formæ. Vis præterea agendi frigoris, potest corrumpi & deduci ad non gradum? Ergo ante integram corruptionem, reddetur æqualis, & minor, quam resistentia calidi, quo casu cessaret reactio.

Dicunt alij actionem, à resistentia non distare, sed tantum inquiunt vnumquodq́ resistit, quantum agit. Quod si non agit, ne resistit quidem contrario. Quare cum vnicuiq́ rei, sit maximè naturalis affectus resistere corrumpenti, & non resistat nisi agendo, fit vt maximè naturali lege, vnũquodq́; etiam quod vincitur, agat in id quod

ipsum

ipsum vincit, plus aut minus, prout maiori aut minori excessu vincitur. Neque hoc (aiunt) est, actionem fieri ab impotētiori, neq; talis actio, præstantiam aliquam significat: cum ex resistentia proficiscatur, quæ maximè est vnicuiq; naturalis. Sed si actiuæ qualitates, ad agendum, quam ad resistendum, sunt magis idoneæ: & passiuæ contra vt asserunt: Quomodo idem erit & agere & resistere? Saxum præterea fluuio demersum, mille annis humectationi resistit, ne aut humidū reddatur aut molle, aquā verò interim, nihil admodū aut exiccat, aut indurat: parū ergo agit, & multū resistit. Quomodo præterea huiuscemodi actio, quantūuis ex resistentia proficiscatur, nō significat præstantiam, si passionē infert? Quoniā omnia (respōdet Valesius) quæ vincuntur, resistunt agendo, & actione, necessariā passionem inferunt vincentibus, ita vt nisi clade accepta, non reportent palmā. Omnia ergo quæ vincuntur, eatenus etiā vincunt, quatenus cladem inferunt, neq; eam vnquam inferre possent, nisi vsq; ad eā mensuram vincerent. Vniuersalis enim veritas est, quod omnis actio, præstantiam significat. Siquidem omnis actio, infert passionem, passio verò non fit ab æquali, nedum à minori. Id quod reliquit scriptum Aristoteles, libro de animalium motione, in hæc verba: Et quæcunq; sunt æqualia, à se inuicem non patiuntur, per exuperantiam autem vincuntur. Vnde rectè Galenus tertio libro de Temperamentis capite secundo, Si in amphoram aquæ feruētis, frigidæ heminam injcias, quod mistum ex ambobus est, non solum quod hemina vincatur, sed etiam quod aliquo modo vicerit indicabit. Hæc ergo actio, præstantiam atq; victoriam significat.

Ego verò de resistentia, atq; vi agendi cōtrariorum, sit ne vna altera maior, aut minor, aut fortè æqualis, crediderim certam legem condi non posse. Quædā enim cōtraria, plus agunt quā resistant, vt actiuæ qualitates: Alia contra vt passiuæ: Nōnulla verò tantundem resistunt, atq; agunt, vt duo colluctatores inuicem se dejcientes, dum æquis viribus certāt. Vtcunq; tamē se habeāt, statuendū est, quod omnis vis, per quam passum resistit passioni, quæ sibi infertur à cōtrario, est minor, quā potētia per quam fit actio. Ob idq; siue resistentia sit maior, aut minor, aut æqualis actiuitati, semper passum resistit minus, passioni quæ inducitur, quam agens agat. Vt id autem clarius intelligatur, aduertendum est, quòd potentia & conatus agendi, consurgit ex contrarietate, vnius contrarij in agente, ad alterum cōtrarium in passo: ea enim quæ contraria non sunt, nō agunt, & quo magis dissidentia sunt, eo magis crescit bellum, & agendi cupiditas inter ipsa. Potentia verò resistendi, consurgit ex contrarietate, quam habet passum, cum qualitate, quæ ab agente sibi inducitur. Pensandæ ergo atque librandæ sunt huiusmodi contrarietates, & si ea quæ passo & agenti intercedit, est maior: quam quæ inter passum, & qualitatem quæ sibi inducitur, reperitur: tunc vis per quam fit actio, erit maior vi per quam resistitur, & contra contrarium. Modo constat, contrarietatem agentis ad passum, maiorem necessario esse: quam passi, ad id quod inducitur ab agente: eo quod agens, successiue inducit in passum, & creat, qualitatem quam habet, incipiens a remissisimo gradu, puta

ab vno, vel forte a medio, aut minori. Quod ergo primo inducitur, est remissißimus gradus, cum quo, minimam repugnantiam habet passum, parum ergo eius inductioni resistet. Deinceps inducetur vlterior gradus, aut ipsius pars aliqua, cum qua exiguã contrarietatem habet, & ita consequenter, donec bellum finiatur, reciproca aderit actio atq; paßio. Exẽplum esto, quod si tertio gradu calidũ, & octauo frigidũ, se contingant, potentia agendi calidi, consurgit ex contrarietate, quam habet cum frigido, habet autem contrarietatem, per omnes sui gradus, eo quod cum summa frigiditate, nullus caloris gradus potest stare. Potẽtia verò resistendi frigidi, ne a calido patiatur, consurgit ex cõtrarietate ipsius, cum calore qui sibi inducitur. Inducitur autẽ primo, remissißimus gradus, cum quo, remissißimam etiam contrarietatem seruat, fiet igitur vt calidum, agat per potentiam resultantẽ ex tribus gradibus, frigidum verò, resistat per potentiã, resultantem ex gradu remissißimo. Et ex consequenti id quod vincitur, reciproce etiam, debet agere in vincens, quoniam quadantenus etiam vincit, facta nimirum comparatione, virium per quas fit actio, ad vires atq; conatũ resistendi. Hæc in qualitatibus alteratiuis dicta sunto. De motiuis vero, eadem ferme est ratio, quanquã non simpliciter eadem, sed aliqua ratione diuersa. Semper enim resistentia paßi, est minor actione agentis, ob idq; duo gladij se occursantes, retunduntur ambo: & gladius vnus, si integra die cerã discindat, hebetiori redditur acie, & aquæ guttulla, aßiduo illissu, saxum cauat. Prima enim non excauante, nec reliquæ possent excauare, primo de locis autore Galeno. Quod autem vis hæc resistendi, in saxo & gladio, quam agendi, in gutta & cera sit minor, ex alio principio nasci videtur. Forte verò rationabiliter dicetur, quod vis agendi, resultat ex toto agẽte: resistentia verò, non ex toto passo, sed ex parte ipsius tantum, quæ diuisionem suscipit. Gladius enim lignum scindens, scindit, actione omnium partium sui, non sola acie: Nam quo maior est gladius, eo magis seccat, non ergo sola acie seccat, sed omni sui parte. Lignũ verò quod diuiditur, diuißioni reluctatur, secundum eam partem tantum, quæ seccatur: Proxima vero pars, quæ nondum seccatur, non resistit diuisioni prioris: Vel si ea resistit, quoniã nonnihil condensatur, remotior, quæ nec condensatur, nec seccatur, nõ resistet. Nec enim posterior pars, affectat prioris continuitatẽ: ergo eius distractionẽ nõ impediet. Hæc (dices) causa est, quare gladius, lignũ scindit & cerã, gladius verò, quare retundatur, à ligno & cera, dictum nõ est. Quin dictum iam esse puta, nã potentia pariter agẽdi, ligni & ceræ, in gladiũ: non modo consurgit, ex parte ceræ aut ligni quæ diuiditur: sed ex tota cera aut ligno, adeo vt magis forte, aciem gladij retundat, pars proxima parti diuisæ, quæ post diuisionẽ tangit aciẽ, quã ipsa pars diuisa. Hebetationi vero gladij, & excauationi saxi, sola acies, & lapidis minima & insensilis pars, quæ excauatur resistit. Id igitur per quod passum resistit, semper est minus, quã id per quod agens agit. Quod vero ex duobus colluctatoribus, lassetur nõ modo infirmior, verũ etiã potentior, ad perpetuã spirituũ animalium consumptionẽ, quæ per motus fit arbitrarios, etiã sine lucta, referẽdum duco. Atq; de prima difficultate iã satis.

De

De secunda verò dicunt, quòd sicut frigiditas in parte repassa, producitur à frigido, ita corrumpitur, à parte non repassa ipsius calidi. Quare frigiditas ea, habet naturam puri successiui, & in sola generatione, perinde atq; motus essentiam continet. Obstat verò nihil (inquiunt) si quod calescit, simul etiã refrigeretur, frigiditate successiua, & quæ nullam habet intensionem, in ordine ad suum subiectum. Sed o immana sophistarum temeritas, si refrigeratur, frigiditatem suscipit: Omnis autem frigiditas, latitudinem certam habet: latitudo autem omnis, est partibilis: Ergo frigiditas quæ suscipitur, partes habet: Non est ergo ens successiuum. Entis enim successiui, duas partes simul dare, repugnat. Minori insuper difficultate, fit conseruatio, quam productio. Si igitur frigidum, potuit producere frigiditatem, potuit etiã conseruare: Quare frigiditas nõ erit successiua. Nõ minus præterea repugnat, quod entia permanentia, fiant successiua, quam quod successiua, fiant permanentia. Vtriusq; est sua incommutabilis natura, tempus enim aut motum successiua, nunquam sistes, nec permanẽtia reddas: nec frigiditatem igitur fluere facies, ita vt suum esse, sit suum generari. Nos verò certius credimus, quod pars repassa, nõ calfiet à parte sui non repassa: quoniam obstat frigidum, à quo ob actionem reciprocam, frigiditas creatur in parte repassa. Si pars enim non repassa, non fuit potis, impedire frigiditatis inductionẽ, minus poterit impedire, eiusdem conseruationem. Minori namq; labore, fit conseruatio, quam productio. En quam facile sophistarum cum demõstratione soluitur nodus.

Tertiæ difficultati respondent quidam, quòd medius aër calfit simul atq; refrigeratur, alia atq; alia sui parte. Vbi verò vniformis, atq; æque paratus, ad calorem & frigiditatem fuerit, per species spiritales, omnes partes simul calfiunt, & infrigidantur. Nec id absonũ esse censent, sicuti enim albedo, atq; nigredo, realia atq; materialia simul esse nequeunt: Spiritalia verò, in eadem parte aut aëris, aut pupillæ suscipiuntur: Ita de calore atq; frigiditate, ferendum censent. Alij verò non modo spiritaliter, sed verè atq; reipsa, calfieri simul atq; refrigerari, eandem aëris partem statuũt.
“ *Quod sensisse videtur Gal. tertio libro de simplicium med. fac. cap. 16. exemplo duo-*
“ *rum lapillorum, qui si vno tẽpore, in diuersas aquæ trãquillæ partes cõjciantur, duos*
“ *efficiunt circulos, qui per se inuicem feruntur. Nam cum circulus, circulũ non sistat,*
“ *contrarios in quauis aquæ particula, motus cõspicimus. Si pedes præterea (inquit) in*
“ *calidam, manus verò in frigidam indas, in totum corpus vtriusq; affectionis motus*
“ *peruadit. Tunc enim nec nihil pati corpus, nec ab altero duntaxat dicere queas, nã*
“ *& manifesto patitur, & ab ambobus patitur incalescens ac frigescens. Quod vtiq; &*
“ *in febribus lypirijs & epialis euenit, Præterquam quod in illis non extrinsecus, sed*
“ *ex ipso corpore, caliditatis frigiditatisq; affectus exoritur. Tale quid euenire existi-*
“ *ma, si parẽ absinthij portionẽ, melli exquisitè cõmistã, linguæ imponas: & cum in vnũ*
“ *succũ coeũt, austera & nitrosa facultas. Nã eodẽ tẽpore lingua, vtriusq; succi qua-*
“ *litatẽ percipit. Ac si percipit, nimirũ & afficitur. Si parti præterea inflãmatæ, solani*
“ *succũ imponas, densari eã, cõstipariq;, & cohiberi trãspiratus cõspicies, & si pluscu'o*

id tempore facias, non rubram seruabis particulam, sed liuidam aut attram. Quod si nō solanū sed chamæmelū, parti inflāmatæ imposueris, eā prorsus cōtra affici videbis. Quippe rara, fussa, mollis, laxaq; euadet, nec liuida amplius attraue erit, etiā si vel plurimis deinceps diebus chamæmelo vtaris. Simul verò impositis, solano & chamæmelo, neq; ita densa, dura, tēsa, liuidaq; reddetur, atq; si solo vsus solano esses. Neq; adeo rara, mollis, laxa, rubensq;, ac si chamæmelo solo vsus fores. Sed dictorū mediā, accipere affectionē particula cōspicitur. Ob idq; cōsentaneū est, vtrumq; medicamētū, secundum suam operatum esse facultatē. Nam si neutrum quicquā egißet, sed quieuißet vtrumq;, quam ab initio affectionem particula habebat, eam haud dubie seruasset, non secus ac si omnino nihil impositum foret. Sin autem alterū quidem eorum operatū fuisset, alterū vero penitus deuictū, non mediam affectionē, sed extremarum alteram perpessa particula esset. At si vtrumq; agit, eaq; cōtraria facultatibus fuere, contraria vtiq; corpus eodem tempore perpessum. Nec enim partitis agendi viribus operabantur, tanquam si vtrisq; exempli causa, per totum diem impositis, sex horis prioribus medicamentorum alterum, reliquis verò sex alterum, suo vicißim munere fungeretur. Nugax enim hæc est hypothesis, nec solum demonstratione, sed probabilitate quoq; omni destituta. Ex his sanè, quæ Galeni omnia sunt, colligūt fieri posse vt intermedius aër, incalescat simul atq; refrigeretur. Alij verò quibus hæc minus arrident, medium aërē non simul, sed alternatim incalescere, & refrigerari tradūt. Quoniam nec frigefactio, nec calfactio, nec motus insuper vllus continuus est, apud ipsos, sed ex trāsgreßionibus, & morulis quibusdā coalescit. In morula igitur frigefactionis, cum non refrigeretur calfiet, & in morula calfactionis refrigerabitur. Hi sanè omnes quāquam non vera, probabilia tamen loqui vidētur, ob idq; non omnino fortè sunt reijciendi. Primi qui caloris atq; frigiditatis, species spiritales ponūt, nihil mihi dixisse vidētur. Nā aut eiusdem sunt naturæ, cum calore & frigiditate, aut diuersæ. Si primum vere calescit & refrigeratur aër: si secundum, quomodo calorem alterius naturæ producent? ego sanè existimo medium aërem, non posse ignem refrigerare, & aquam calfacere, nisi frigeat, & caleat ipse. Adde quòd spiritales species, non sunt nostris philosophis excogitatæ, productioni qualitatis realis, sed sensationibus obeūdis. Nec omnes præterea sensus, spiritalibus speciebus valent commoueri. Tangibiles enim qualitates, & non earum species, sunt quæ tactum immutant. Alioqui æque calida aut frigida sentiremus, refragante Aristotele secundo libro de Anima capite vndecimo. Nec obstat, quòd capite vltimo, eiusdem secundi de Anima, in vniuersum de omni sensu accepit, quod est susceptiuus formarū sensiliū sine materia, non enim his verbis, sunt intelligendæ spiritales aliquæ qualitates, sed aduertēda potius est differentia paßionis, qua patiūtur naturalia corpora, quatenus corpora sunt, & qua patiūtur sensus, aut sensificæ facultates. Naturalia enim corpora, nō modo patiūtur à formis, sed etiā à materijs agētiū. Sic enim fit aqua dulcis aut amara mistione corporis dulcis, aut amari, nō solius dulcedinis aut amaroris. Vestes quoq; redduntur bene

olentes

olentes, nõ odoris qualitate affussa, sed odorifero corpore, aut vapore insidente. Dũ lana quoq; colore aliquo inficitur, nõ solus color, sed coloris etiã materia, ipsi immiscetur. Sic & sonus qui lignũ rũpit, subiecti aëris profusione id facit. Sensus verò, aut sensificæ facultates, patiũtur solũ à formis sensibilium, visus quidem à colore, nõ a cerusa vel lana. Et in reliquis simili modo, à sola forma fit passio, perinde atq; ceræ à sygillo. Sicut enim cera, quod in auro est signaculum, non autem aurum aut argentum suscipit, sic sensus, formas sensilium sine materia, & puras sensilium rationes cognitiue suscipit. Fit ergo sensatio omnis, per species reales, eiusdem naturæ cum qualitatibus, cuius sunt species. Nullaq; alia ratione spiritales dici queunt, nisi quoniam sensilis materia, cũ ipsis non migrat ad sensum, sed nudæ potius qualitates sensibus obijciũtur. Minus probabilis est opinio altera, quæ aërem simul calescere & infrigidari, atq; idẽ corpus, contrarijs motibus moueri percenset. Nec huius placiti autor vnquam fuerit Galenus, qui libro de inæquali intemperie capite sexto, apertis verbis oppositum edisserit. Huius quoq; opinionis absurditas, ex duobus colligitur per se, & ad sensum notis. Primum est, quòd contraria, ab eodem subiecto mutuo sepellunt: & alterum est, quòd calor & frigiditas, sunt qualitates contrariæ. Nec obstant quæ ex Galeno tertio simplicium afferebãtur, nam lapidibus proiectis in aqua, varij creantur circuli, quoniam partes aquæ vicinissimæ, contra se inuicem ferũtur, non solum duobus, sed pluribus motibus: ob vicinitatem autem partium, circuli integritatẽ seruare videntur. Dum pedes præterea in calidam, manus verò in frigidam indis, per vniuersum corpus, calor & frigus sentiũtur: sicut & in epialis & lypirijs, ob partiũ quæ refrigerantur & calfiunt vicinitatem, autore Galeno libro de intemperie inæquali capite sexto. A contrarijs quoq; saporibus, iuxta vicinissimas partes, contrario modo afficitur lingua, nec ea partium diuersitas, sensu deprehenditur: tum ob paruitatem, tum ob propinquitatem. Ex dentibus enim duobus, sæpenumero nescias vter doleat, vbi vnus alteri sit coniunctissimus. Solanum quoq; chamæmelo mistum, diuersas partes membri alterant: Nec tamen ob id quædam denigrantur, aliæ impense rubent: quoniam solanum, mistione chamæmeli, refrigerat minus. Sicut & chamæmelum, adiuncto solano parum calfacit, retunditur enim vnius vis, à contraria facultate alterius.

Qui verò nullum motum continuum faciunt, præter omnem rationem loqui videntur. Primo quoniam in morula aut mansione quam ponunt, agens est proximum passo, & nihil deest ad actionem, ergo non intercipietur actio. Secundo quoniam intermedius aër, sæpe sæpius incalesceret & refrigeraretur. Easq; mutationes non leues, sed sensui manifestas subiret. Si insensibiliter enim aut calesceret, aut frigesceret aër, insensiliter quoque aquam calfaceret, & ignem refrigeraret. Tertio quia agens iam non repateretur agendo, sed potius vbi ab actione quiescit. Vltimo nam tertio simplici ũ, capite decimo sexto citato, fallacem dixit Galenus hanc hypothesim esse & omni probabilitate destitutam. Quare prorsus nobis reijcienda venit.

Ob id ego probabilius existimo, quod si aër calfit ab igne, nõ refrigeratur ab aqua. quomodo ergo aqua, refrigerabit ignem, si intermedium aërem non refrigerat? facilis me iudice est solutio, conseruando aëris frigiditatem quo ad potest, tãtum enim aër medius, sua frigiditate refrigerabit ignem, quãtum aqua, aëris illam frigiditatem seruauerit, ne ab igne accendatur. Quartæ difficultati dicendum, nullum agens posse aßimilare paßum, ad qualitatem quæ inerat initio actionis, qualitati tamen relictæ in fine actionis, necessarium est vt paßum simile euadat agenti. Sicque aßimilatio, paßi ad efficiens, simul & mutua ipsorum actio, salua manent, atque seruantur. Quintæ difficultati tantum tribuunt quidam, vt antiparistasim, plurimis retro seculis antea receptã, de medio tollant. Nam præter id (inquiunt) quod ageret quidpiã nihil perpessum, aut calor seipsum augeret, aut frigore augeretur, quorũ vtrumq; est improbabile. Ridendi tamẽ sunt huiusmodi disciplinarũ innouatores. Nam quod calidũ, augeatur obiectu frigoris, aut cõtra, cõtingere potest primo, quãdo ob frigus circunstãs non effluit. Sed potius colligitur, calida aliqua substãtia, quæ aliâs esset effluxura. Sic hyeme intromeante spiritu atq; sanguine, ventres plurimum habent calidi innati. Sic aquæ puteales, hyeme sunt calidiores, & ad oculũ extractæ, fumare visuntur, ex experimẽto & Alexandro quarto problematũ capite quinquagesimo quinto, & Gal. 6. Epidem. parte. 4. com 12. Nec enim (vt putant) hanc causam negauit Galenus, tertio simplicium capite septimo, sed secundã eius apparentiæ rationem, addidit ex tactu nostro, aliter atq; aliter affecto. Sic hyeme valde augentur, & nutriuntur radices styrpiũ, sicut germina per æstatem. Sic germani robustißimi sunt, Aethiopes imbecillimi. Sic media aëris sedes frigidißima est, quoniã eo se recipiunt frigidi vapores, ex vna parte radiorũ solis vim, & ex altera ignis feruorem fugientes. Sic iuxta pollos perpetuo alget aër, quoniam vapores aquei & terrei, fugientes medium locum terræ, per quem sol calore suo discurrit, recipiunt se ad mũdi extrema, vt docuimus ante. Sic Aegypti vina frigida sunt, Scythiæ calida autore Alexãdro. 5. problematum cap. 5. Sic olera frigida æstate nascũtur, hyeme calida, ex eodẽ Alexãdro 5. lib. problematũ cap. 6. Augetur præterea calidum obiectu frigidi, vel contra, etiã si nulla substantia externa aliunde accedat, quoties partes quædam calidæ aut frigidæ in minutißimas partes distractæ, fugientes contrariũ quod eas circunstat, vniuntur in medio. Antea enim ob distractionẽ, aut nullius aut infirmæ actionis erãt. Postea verò vnitæ, vehementius operantur. Nã licet quantitas, nullam habeat agendi vim, est tamẽ necessaria ad actiones. Atq; ob id scintilla ignis nõ calfacit, tertio simpliciũ cap. 17. autore Gal tres verò aut quatuor distractas, si vnias scintillas, cõspicuam iam vstionẽ animaduertes. Sic grãdo in aëre calido per æstatẽ gellatur, & quo aër est calidior, eo magis concrescit, autore Arist. 1. lib. Metheororum capite duodecimo: Vbi in hunc scribit modũ, patet igitur concretionẽ non ideo euenire, quod nubes, in superiorem locum, qui multo frigore rigent propellantur. At cum hic mutua calidi ac frigidi pugna, antiparistasim fieri videamus (ob quod vt æstuante tempore

sub

ſubterranea loca frigida ſunt, ita gellante calida) hoc ipſum in ſupero quoq; loco fieri putandũ eſt, proinde frigus tempore calidiuſculo, introrſum per antipariſtaſim coactum, ob circũdantẽ calorem, interdum celeriter aquam è nube facit. Quo circa & multo maiores ſtillæ, & aquæ impetuoſiores æſtuantibus diebus, quã hyberno tẽpore fiũt. Impetuoſiores namq; dicuntur, cũ denſiores ex alto ruunt: quod profecto euenire ſolet ob concretionis celeritatem. Et rurſus Paulo inferius ſcribit: Cum autem frigus adhuc magis, in profundum coactum fuerit ab exteriori calore, quã fecerit aquam conglaciat magis emergitq; grando: quod accidit vbi aquæ in immum lationem congelatio anteuertit. Quibus planè verbis manifeſtum fit, quod partes quædã frigidiſsimæ, quæ antea nõ operabãtur, intro coactæ atq; vnitæ conglaciant. Sic dũ per æſtatẽ aquã, aut vinũ, aut melopeponem refrigerare ſtudemus, ſoli exponimus. Eoq; artificio ruſticani medio æſtu, vtriũ quodã genus (zaque appellãt) inſolant, quo aquã frigidiſsimam redunt. Ab ambiente enim ſolis calore, frigidiſsimæ quædã aquæ partes, intro repulſæ atq; vnitæ, reliquã aquã frigefaciunt. Interim verò & ipſæ nõnihil calfiunt, ex reactionis iam ſæpe dicta lege. Nec ſequitur tamẽ, quòd ſi calidũ circũſtat frigidũ, mutua debeat intercedere actio atq; paſsio, ob idq; frigidũ remitti. Partes namq; frigidæ, quæ fugiunt cõtrarium, & colligũtur in medio, nõ patiuntur, ſed potius fugiũt paſsionem contrarij. Nec ſequitur præterea quod calor, augeatur frigore aut ſeipſo: Calor enim partiũ minus calidarũ, augetur calore partiũ calidiorũ. Vnum tamẽ præter dicta animaduertere expedit, quod in antipariſtaſi qua corpus noſtrũ hyeme calidius redditur, ſola augetur caloris natiui ſubſtãtia. Tũ quia nõ difflatur, tũ etiam quia collectus in viſceribus, coquit ſuccos ſemicrudos, ex quibus ſanguinẽ creat, & auctior redditur. Caloris verò qualitas & intẽſionis gradus, nõ modo non augetur, verũ & remiſsior redditur, eo quod nõ modo corpora noſtra, circũſtat hyemalis aër, verũ & inſpiratione & arteriarũ totius corporis perſpiratu, noſtri corporis penetralia adit, atq; refrigerat. Nõ enim qui in medio colligũtur ſpiritus, aut humores, paſsionẽ cõtrarij omnino effugiunt, ſi contrarium ipſum eo quoq; penetrat. Atq; hoc voluit inſinuare Gal. 1. lib. Aphor. com. 15. dum dixit, quòd humores cõcreſcentes per hyemẽ, funduntur adueniente vere: hyeme igitur remiſsior eſt eorũ calor. Hyppocrates inſuper libro de Natura humana, bilẽ docuit hyeme minui. Et Auicẽnas ſecunda, primi, doctrina ſecunda cap. 6. eandẽ dixit reprimi. Caloris igitur natiui qualitas hyeme eſt remiſsior, feruentior verò æſtate, vt apertis etiam verbis docuit Gal. 3. lib. de cauſis pulſum, capite ſexto. Quid igitur de antipariſtaſi ſit ſentiendum, & quod ipſa non repugnet, cũ altero reciprocæ actionis dogmate. Quod præterea nec pars repaſſa, nec intermedius aër, moueantur motibus contrarijs: Quod item actio fiat ſemper a potentiori, atq; demum agens paſſum aſsimulare poſsit, ſimul & inter omnia contraria, in materia communicantia, actio reciproca reperiatur, hactenus dictum ſit.

Caput quindecimum, de formis elementorum *ſubſtantialibus, quid ſenſerit Galenus.*



Rimas qualitates, esse elementorum formas substantiales, tũ apud Alexandrũ Aphrodisiensem, tum apud Galenum, ut non dubito: ita eorum opinionem minime probo. Alexandri loca, qui primitus hanc opinionem inuexit, non indicamus, quòd cuiuis Alexandrũ legenti sint obuia: de Galeno verò, nemo quod viderim suspicatur, huius fuisse sententiæ, quanquam ex multis ipsius Galeni locis, id apertißime constet. Primo sanè libro de Elementis post medium ita scribit: Quod sit igne simplicior, caliditas summa, & quod hæc materiæ adueniens, ignẽ constituat: omnes philosophi consenserunt, quos athæneus studet emulari. Et quidem quod sit ignis generationis principium, materia exqualis, quæ omnibus subijcitur elementis, deinde ea quæ huic caliditas aduenit summa, hæc quoq; pariter, ipse fatebitur. Et eodẽ libro ante finem in aëre, igne, aqua & terra, nullam compositionem agnouit, nisi ex materia & qualitatibus. Et paulo inferius à qualitatibus (inquit) nominat elementa Hyppocrates, per quas etiam facta sunt elementa, nam summa adueniente materiæ caliditate, iam corpus est elementum. Eadem ratione & frigiditate, humiditate ac siccitate. Prætereo locũ è primo de natura hominis, commentario tertio, & decimo quarto & alios quos diligens lector paßim offendet. Ex quibus luce clarius apparet, Galenum non agnouisse in elementis, formam aliquam vocatam substantialem, præter qualitates subiecto primo & intransmutabili accedentes. Quod si pœnitius Galeni mentem contemplemur, nullibi reperiemus, substantiæ formam aliam à primis qualitatibus posuisse, non modo loquor de elementis, sed etiam mistis, tam animatis, quam inanimatis corporibus. Primo de Vsu partium, capite nono sic scribit: Nam carni esse carnem, & neruo neruum, & aliorum vnicuiq; id esse quod est, ob quatuor qualitatũ prædictarum, certam quandam temperaturam, mistionemq; cõtingit. Hæc igitur eis, secundum substãtiæ rationem insunt. Consequntur autem necessario odores, sapores, colores, duricies, mollicies. Alia verò necessario accidunt, positio, magnitudo, connexio conformatioq;. Libro quod animi mores, corporis sequantur temperaturas, omnium similarium partium substantiam, primis qualitatibus constare affirmat: dubitat autem de instrumentis atq; anima, sed & hæc vult ex illis esse. Vnde anima sæpißime apud Galenum temperatura est, nisi ea sit immortalis, tunc enim temperatura non erit anima, sed eiusdem ancilla. Vix autem credere potuit Galenus, animã esse immortalem, & aliud à temperatura, vt ex eius scriptis clarißimè constat. Sed veritati iam parcat Galenus, forma quæ largitur essentiam rebus, & est altera pars cõpositi substantialis, substantia necessario erit, ergo non qualitas: cathegoriæ enim sunt impermistæ. Nulla præterea substantia per se, sub sensum cadit, vt docet Aristoteles, libro secundo de Anima, capite sexto. Nemo autẽ nescit, primas qualitates, per se à sensu tactus sentiri, primæ itaq; qualitates, non sunt substantiæ dicendæ: Quare nec formæ substantiales elementorum. Elementa insuper habent binas qualitates, & singulas tantum formas, ergo formæ non sunt qualitates. Dum attigua præterea elemẽ

ta

ta, migrant in se se, remanet qualitas symbola, incorrupta. Et non manet forma, diuersa igitur est forma substantiæ, à qualitate elementi. Si ignis insuper solo calore atq; siccitate, summã leuitatem, tenuitatem, raritatem, & agendi efficaciam consequeretur: non posset pyrethrum crassissimum, tã valido calore & siccitate insigniri. Terra insuper si ob solam frigiditatem & siccitatem, grauitatem habet, non esset plumbum grauius ea, siquidem minori, tum frigore, tum siccitate insignitur. Quare formæ substantiales in his omnibus sunt statuendæ, ex quibus magis quam ex qualitatibus primis omnia alia pendeant.

Caput decimum sextum an apud Galenum, *formæ substantiales elementorum, maneant in mistis.*



I qualitates primæ, vt docuimus de mente Galeni, sunt elementorum formæ: frustra dubitant quidam, insint ne mistis apud Galenũ, elementorum formæ, an solæ qualitates. Multoq; magis ridiculi habentur, qui putant in fragmento de substantia facultatum naturalium, hanc quæstionem proposuisse, adhæsisseq; parti, quæ solas qualitates manere adstruit. Verba Galeni sunt: Corpora quæ apud nos
« sunt, quatuor elementorum temperatione, conflari vniuersa, certo me scire aio. Quæ
« præterea & per se contemperentur tota, nõ vt putabat Empedocles, exiguis commi-
« nuta partibus misceantur. Num autem se totis peruadentibus corporeis inuicem subs
« tantijs, an solis qualitatibus, neq; cognitu necessarium arbitror, neq; pronuntio: cæte-
« rum qualitatibus fieri tẽperaturas probabilius censeo. Primo præterea Methodi post principium, huius quæstionis meminisse tradunt, vbi ita scribit Galenus, dissident in
« eo, quod Aristoteles, qualitates tantum, in se mutuo transire, omninoq; misceri: stoici
« non has modo, sed etiam substantias ipsas, existiment. Quod autem hoc definire, me-
« dico superuacuum sit, quodq; ad Medicinæ opus, abunde sit, si tantum concedantur ea,
« quæ ab vtrisq; sunt demõstrata: itẽ quod qualitates virtutesq; in mistis, totæ sint totis
« permistæ, hæc & ante à me sunt demonstrata. Octauo præterea libro de Placitis ante medium, apertis verbis, potestate mistis inesse elementa, actu verò humores ads-
« truit. Galeni verba sunt: Accuratius de elementis, medicoq; etiam vtilius, scripsis-
« se Hyppocratem constat, quippe qui cum ex quatuor elementis, corpus nostrum dicat
« extitisse, ab effectricibus qualitatibus ea appellat siccũ, humidũ, calidũ, frigidũ. Pote-
« state siquidẽ in corporibus, nõ actu insunt, actu verò insunt, quæ ex ipsis, per media ali
« mẽta gignũtur, sanguis, pituita, flaua, & attrabilis. Igni flaua, attra terræ, pituita
« aquæ correspõdet. Quibus sanè testimonijs, quidã persuasi, nõ sine demõstratione, par tẽ suã egisse pronuntiant. Decipiuntur tamen: primo, quoniam apud Galenum qualitates primæ, sunt elementorum substantiales formæ. Secundo, quoniam qualia ele-

menta, in vniuerso reperiuntur, talia etiam in animalium corporibus, ostendit Galenus primo libro de elementis ad medium. Vti enim in mundo (inquit) de terra qualis sit quæsitus, lapidē mōstro terrestre corpus, ita in animalibus ossium genus, & cartilaginum, & pillorum, quod ad terræ formam, est exquisite exiccatū, atq; densatum. Nā sicuti in vniuerso, elementa syncera non reperies; ita nec in animantium corporibus, impermistum aliquod quærere debes. Sed tibi sufficiat hoc quidem frigidū, ac siccum, & densum inspiciēti terræ meminisse: hoc verò rarū, & humidū, ac fusile, aquæ intellectū suggerere. Et plurimus calor, in corpore animalis ignē adesse significet, & spiritus natura, sine qua animal cōstare non potest, aërē quidē maximè, ignē vero simul cū ipso. Pura enim & alteri non cōmista, nec in vniuerso, nec in animantiū corpore reperiuntur. Sed omnia constat esse adulterata, & alteri naturæ diuersæ cōmista, & secundū magis ac minus, simul cōiunguntur. Verū in hac mistione, ijs qui mentē habent, elemēti exuperantis forma deprehenditur. Tertio quoniā friuola sunt Galeni testimonia quæ adducunt, non enim erat antiquū dissidiū stoicorum, atq; Arist. de formis substantialibus elementorū, neq; ipsis id vnquā in mentem venit: sed de corporeis substantijs elemētorū. Stoici enim totas substantias, totis cōtēperant, atq; omnino miscent: Aristoteles verò solas qualitates contēperat, substātias verò in minima diuidit: sicq; diuisas inter se confundit, veritus manifestā penetrationē corporum assererere, si totas elementorū substantias, totis coire, atq; omnino misceri decernat. Hunc esse Galeni sensum, monstrāt omnia Galeni testimonia quæ citāt, si diligēti animo expendantur. Quid enim aliud portendunt verba hæc, è fragmento libri de substantia facultatum naturalium? Num se totis peruadentibus corporeis inuicem substantijs, an solis qualitatibus, neq; cognitu necessarium arbitror neq; pronuncio, cæterū qualitatibus fieri temperaturas, probabilius censeo. Vbi (corporeis inuicem substātijs) dixit, non formis substantialibus: atq; (corpusculis peruadētibus se totis) idest vndiq; coëuntibus dixit, non secūdum minima distractis. Idem sensit primo methodi qualitates solas, in se mutuo transire, & omnino misceri scribēs. Nam corporeæ substantiæ, cū vndiq; misceri atq; coire non possint, in minima quæ se contingunt diuiduntur. Sed hæc fortè obscuriora sunt, quā vt hominem cogant verū fateri. An alicubi apertius? in proœmio sanè de Natura hominis, his verbis quæstionem proponit, Vtrū elemēta per se tota sint cōmista, an modo se se cōtingāt. Vbi per se totis cōmistis, opponit se se contingētia. Ergo quæ per se tota sunt cōmista, sunt quæ se penetrāt, et vniuersim se peruadūt. An alicubi clarius? lōgus est locus, parcant lectores, omnē enim detegit Nebulā. Primo libro de elementis postrema libri verba sunt: Et quidem quo modo per tota tēperentur, ea quæ recipiunt tēperaturā, an qualitatibus solis, vicissim agētibus, ac patientibus, vt Aristoteles existimauit: Vel etiam corporeis inuicem coëuntibus, neq; Medicis scire est necessarium. Ob hanc rationem, neq; Hyppocrates quicquam de istis ostendit, sed satis esse existimauit, si diceret, per tota temperari elementa. Quare ista sufficiunt, & ad eam quam debeo deinceps transigere, de temperamentis

tractat

" tractationem, & præterea ad alterã, quæ de medicamẽtis inscribitur: dicetur autem " à me, & amplius de ipsis, in libris de curatiua arte. Verum satis fuerit, præsenti adie- " cisse sermoni, quod ea quæ Asclepiades scripsit, in libro de elementis, aduersus illos, " qui totas per totas substantias, inuicem confundunt, ac temperant: nihil illos pertur- " bant, qui secundum solam qualitatẽ aiunt contẽperari. Quare si propter nihil aliud, " saltem ob certitudinem, dogma est eligendum. Atq; dicendum, quod dum vinum si ita " contingat, aquæ admiscetur, partes vtriusq;, ad minimas particulas confringuntur: " vnde illis mutua actio, & passio contingit, & qualitatum inuicem participatio, quæ " tanto prõptior est, atq; facilior, quanto ad minores particulas confringuntur. Quare " qui hæc simul commiscent, impensius agitant, ad minima diuisionem quantum fieri " possit intendentes. Quod autem qualitates magis vniantur, eorum quæ plus inuicem " commiscentur, & longius tempus miscellæ habent, non est à ratione alienum: tempus " enim requirunt, particulæ minimæ temperatorum, vt integre agant inuicem ac pa- " tiantur: atq; ita totũ efficiant, quod sibi sit, vndequaq; consimile. Quapropter statim " quidem, possunt rursus inuicem separari, quædam ex his quæ commista sunt: quod si " longius tempus cõmorentur, ita vt totum vniatur impossibile est, vt etiã distinguatur " ac separetur, alterum ab altero. Verum de ea quæ fit, per tota temperatura, dicetur aliquid in libris de medicamentis. Nec magis vrget locus octaui libri de placitis, vbi potestate corporibus inesse elementa, & non actu, humores verò actu scribit Galenus. Potestate enim sunt elementa, quoniã vt ipse subdit, terram nullibi videmus, per se solam, in corpore congregatam esse, nullibi ignem, nullibi aquam, nullibi etiam aërem, nisi is tantũ, qui in respirationibus, & pulsibus trahitur & eliditur: sed omnia sunt commista, & ob mistionẽ coërcita. Humores verò secreti visuntur, & sui iuris omnes, quare si modum seruant, sanus degit homo, si præter modum vnus excrescit, aut in membro aliquo colligitur, multorum morborũ est causa & origo. Ob idq; recte Hippocrates, morborũ causas, in humores reiecit, Plato vero in elementa nõ recte. Nam humores sunt actu separati, elementa verò non actu, sed potestate vt separentur: separabuntur autem postea, atq; ad se redibunt. Necessarium enim est, reuerti ad sui ipsius naturam, singulum post mortem hominis. Nam & siccum ad siccum, & humidum ad humidum, & calidum ad calidum, & frigidum ad frigidum, reuerti dixit Hyppocrates, in libro de natura hominis. Nomine autem calidi, frigidi, humidi, & sicci, intelligit Galenus, primo de elementis ante finem, non solas qualitates, sed ipsas substantias, in quibus sunt qualitates ipsæ. Substantiæ enim sunt, quæ recedunt in hominis morte, & vniuersi elementis commiscentur. Qualitates verò, corrumpi in hominis morte dicerentur, ad propiam verò reuerti naturam, non dicerentur.

CAPVT decimum septimum, Quid de proposita quæstione, tum Aristoteles, tum humana ratio dictet.

Sed



ED iam quantum valeat ratio, & Aristotelis testimonia perscrutemur: siquidem ad hoc dissidium, Galenus non est vocandus. Si generationẽ omnem, antecedit, alterius præexistẽtis corruptio, vt est omnium philosophorum, cõmune proloquium, elemẽtorum corruptionem, excipiet misti generatio. Si præterea ex pluribus in actu, non fit vnum per se, septimo libro methaphysicorum autore Aristotele: aut elemẽta non manebunt actu in misto, aut mistum nõ erit verè vnum. Forma insuper misti, adueniet enti in actu, quod est præter naturam formæ, quæ eruitur semper de gremio, atq; potẽtia materiæ. De minimo præterea carnis, ex quatuor elementorum minimis genito dubitãt, an in ignea portiũcula, sit forma carnis, nec ne? Si primum, datur mistum vno constans elẽmento: Si secundum, cum in ignea portiuncula, non sit forma carnis, nec eadẽ erit in aëra, nec aquea, nec terrea: & ex cõsequenti, nec in ipso minimo carnis, ex quatuor illis genito. Huc præterea tendunt plura Aristotelis testimonia. Primo libro de ortu & interitu, capite vltimo. Et quoniam eorũ quæ sunt, alia facultate, alia actu sunt, fit vt quæ in mistionẽ recipiuntur, quodammodo sint, & nõ sint. Et paulo inferius, Nec verò actu permanẽt, vti corpus & albedo, neq; corrumpuntur, aut ambo aut alterum, nam eorum virtus & potentia salua manet. Tertio cæli, capite tertio, In carne & ligno ac similibus, inest ignis potẽtia atq; terra. Secũdo de partibus animalium capite primo, Cum itaq; triplex sit compositio, prima statui potest, ea quæ ex primordijs conficitur, ijsque nonnulli elemẽta appellant: terram dico, aquam, aerem, ignem. Sed melius fortasse dici potest, ex virtutibus confici elementorum, ijs quæ non omnibus, sed vt ante expositum est. Humiditas enim & siccitas & caliditas & frigiditas, materia corporũ sunt compositorum. ‹‹

SOLVVNTVR autẽ hæc omnia, nam agẽs Aristoteles de elemẽtorũ ex seipsis, generatione atq; trasmutatione mutua, dixit quod vnius generatio, est alterius corruptio: Nã si de generatione misti ex elementis ageret, & elemẽta corrumpi censeret, vnius generationem, esse plurium corruptionem dixisset. Dum præterea elementa mista constituunt, licet sint actu elementa, sunt in potentia ad vlteriorem formam, sic quòd mistum fit vere vnum: & pariter forma misti, accedit enti in potentia. In singulis præterea minimis elementorũ, formã carnis esse dicere, non formidamus. Nec enim obstat, dari mistum vno constans elemento, si alijs elementis, ad mistionem necessarijs sit coniunctum. Nam sicut minus minimo, seiunctum non reperias, ita mistum vno constans elemento, per se secretum non mostrabis: Coniunctum autem, vtrũq; ponimus. Aristotelem quoq; aut oscitanter legunt, aut negligenter intelligũt, Primo enim de ortu & interitu, elementa, facultate, potẽtia, & virtute, manere adstruxit, quoniam calfaciunt, refrigerant, siccant, & vdum faciunt: actu verò manere negauit, non quoniam corrumpantur, (dixit enim ipse nec corrumpi, aut ambo aut alterum) Sed quoniam coërcentur, & attemperantur: suumq; ius amittunt: idq; indicauit dicens, quòd non permanent actu, vti corpus & albedo, neutrum enim horum

vim alterius frangit. Sic sanè tertio cæli, capite tertio, in carne & ligno, ignem atq; terram, non actu sed potentia dixit inesse. Quod enim elementa sint attemperata, & à misti forma coërcita, vt calfacere possit ignis, non vrere, refrigerare aqua, non stupefacere, potentia inesse appellat. Potentia autem, id est sic refracta manere probat, quoniam manifeste segregantur à mistis elementa, ergo mistis ea insunt. Nam quoniam ex elementis non segregantur mista, ob id nec actu, nec potentia, sunt mista in elementis. Si enim essent, aut integra, aut refracta, aut quomodolibet aliter, segregari quoq; possent. E quis iam non videt, ex hoc loco conuinci aduersarios? Potentia enim inquit sunt elementa in mistis, quoniam à mistis segregantur, non quoniam generantur. Mista verò non sunt potentia in elementis: quoniam etiam si ex elementis generentur, non tamen separantur ex ipsis. Quis ergo ferat dicentem, quòd vti compositio mistorum, facta est ex elementis corruptis secundum formas: Ita resolutio fit ijsdem regeneratis. An nos Aristotelis sensum referentes, aliquid aut addimus aut detrahimus? Is sanè ita scribit: Quòd si id quod est dictum, est elementum, talia quędā corporum esse necesse est: in carne enim ac ligno & similibus, inest ignis potentia, atq; terra, manifeste enim ex illis hæc segregantur. In igne autem caro, aut lignum, non inest, neq; potentia, neq; actu, si enim esset segregaretur. Similiter neq; si vnum quid solùm sit, tale in illo est: neq; enim si caro, aut os, aut quoduis cæterorum erit, inesse potentia continuo est dicendum: sed antea quisnam sit generationis modus est contemplandum. Et profecto si ijs, quæ contingunt attendimus, non modo in mistorum interitu, elementa ab ipsis segregari, sed etiā in misto ipso, adhuc vigēte, diuersæ partes, contrariorū temperamentorū, ex quibus id mistū constat, aduertemus inesse. Quarum quædam, separantur tempore, aliæ destillatione, lotione, aut elixatione aliæ: raro enim aut nunquam reperias mistum, quod valde contrarijs, & separabilibus, non constet partibus & facultatibus, ob contraria, quæ actu continet elementa. Vehementius iam nos vrgeret, locus secundi de partibus animalium, ni scirent omnes, Gazam, alioqui oculatissimum interpretem, abstractum pro concreto, nō recte vertisse. Græca enim verba, calidum, frigidum, humidum, atq; siccum sunt: non caliditas, frigiditas, humiditas, atq; siccitas. Mihi sanè huiuscemodi hominum de elementis, quæ mistis insunt sententia, omni videtur non dico demonstratione, sed leui etiam probabilitate destituta: Nisi quis malit antiquorum sententias contorquere, naturæ operibus imponere, & bonarum literarum prætextu aliquo, sophistam agere. Agedum nulli sis opinioni addictus, omnem affectum exue, bonam induæ mentem, plures deinde rationes, quæ sparsæ, apud bonos autores & Galenum leguntur expende: & manus per deos vinctas dabis, nisi lapis molaris es. Conuincit sanè Galeni ratio, primo de elementis fateri, quod qualia in vniuerso, elementa reperiuntur, talia etiam, animantium corporibus insunt. Id suadet quoq; altera Galeni ratio, octauo libro de Placitis, Nā ex quatuor (inquit) elementis, plantarum & fructuū & seminū, tum ortus, tum nutritio existit: his vescuntur oues, boues, & cætera animalia: quæ rursus hominibus

minibus alimento sunt. In omnibus igitur, reperitur elementorum substantia. Insuper in simplicissimis mistis, qualia sunt metalla, gemmæ, sales, bitumina, plantæ, nemo negauerit elementa seruari: gleba enim, lapis, ferrum, bitumen, terræ substantiam manifestissime habent. Adderunt igitur & reliqua tria, nisi velis quædam elementa corrumpi, & quædam tantum manere. Vlterius aut calida elementa ex quibus mistum concreuit, superant frigida, aut superantur, aut æquis viribus certant. Si primum, non corrumpuntur calida: si secundum, non corrumpuntur frigida: si vltimũ seruantur vtraq; incorrupta. In euphorbio insuper & in pyretro, mistis calidissimis, vbi valde superat ignis elementum, qui fieri potuit, vt ignis ipse a coëuntibus elemẽtis corrumperetur? Ratio præterea mistionis, & diffinitio elementi subuerterentur, nisi formæ elemẽtorum manerent in mistis. Mistio enim, est vnio miscibilium alteratorũ, non autem corruptorum. Elementum vero, est id ex quo aliquid fit, cum insit. Quo modo autem inerit, si formam suam amisit? Ex solis præterea aqua & igne inuicem attemperatis, possent mixta perfecta generari. Quatuor enim qualitates primas, habent hæc duo elementa, quæ frangi hac aut illa ratione possunt, & in temperaturam huic aut illi mixto opportunam transire: materia autem prima, eiusdem rationis, subest omnium elementorum formis. Ergo si formæ elementorum quatuor, non requiruntur ad generationem misti, duo illa elemẽta sufficient. Quin & in materia vnius cuiuslibet elementi, induci poterit forma mixti, si ab alijs elementis, aut à cælo & stellis, refrangantur eius qualitates. Neque enim deest materia, quoniam eadem est vnius atque omnium, nec qualitates quoniam per alterationem producuntur. Ergo formis substantialibus est opus, si quatuor elementorum mixtio, ad misti constitutionem est necessaria. Prætereo manifestam, elementorum à mistis separationem, & leuiores alias autorum rationes. Libero enim animo dictæ sufficiunt, addicto autem alteri sectæ, nec si plura addantur erunt satis.

Caput decimum octauum, quam dispositionem & necessariam vtilitatem, præstent elementorum corpora, & qualitates, mistis corporibus quæ ex ipsis componuntur.



Ed quorsum indiguit natura, ad mistorũ generationẽ, qualitatibus elemẽtorum, aut ipsorũ substãtijs? sufficeret enim forma misti, cum prima atq; communi omnium materia, sicut elemẽtis ipsis, sua forma suffecit. Si enim hæc duo adessẽt, nihil aliud requirere, oportuisset. Nec enim dicere poteris, elemẽtorũ corpora, & qualitates fuisse necessarias, ad generationẽ formæ misti: nã cum hæc, sit elementis perfectior, ab illis nunquam prodibit, nisi quidpiam vltra suæ perfectionis gradum agere existimes. Cui sane dubitationi dicendũ est, quod quãuis elemẽta,

ob minorem perfectionem, non poßint attingere formas mistorum, sunt tamen necessariæ dispositiones, ad introductionem ipsarum, quibus præsentibus de gremio, atq; potẽtia materiæ eruũtur, aut operãte cælo, aut natura (quæ Dei lex est & pactũ) id efficiente. Qualis autem sit eiusmodi dispositio, quam elementorum qualitates & corpora præstant? Dicimus quòd calor qualitas est efficaßima, & quæ reliquarum est forma, separat etherogenea, & cõgregat quæ vnius naturæ sunt, suisq; locis disponit omnia. Tres verò reliquæ, quãuis minori constẽt efficatia, neceßariæ quoq; sunt: frigus enim calorem temperat, ne vrat, & omnium elementorum massam constipat, cogit, & diutius perseuerare facit, & calorem suapte sponte diffluentem & mobilẽ, cogit, vnit, atque roborat. Humiditas calori, frigori, atq; siccitati est vtilis. Caloris enim est pabulum, quem etiam obtundit, suauem, & minimè mordacem reddit: Frigiditatem vero, craßiorem facit, & minus penetrantẽ: Siccitati quoq; subigendæ est vtilis, per eam enim, formam, & variam prout opus est terminationem suscipit. Siccitas item, nec ipsa caret vsu, humiditatem enim continet, & in vnũ cogit ne diffluat, & calorem ad quasdã operationes, velut lima quædam exacuit: Frigiditatem etiam ad retentiones, reddit constipatiorem, & magis tenacem. Habent quoque, ipsa elemẽtorũ corpora, suos vsus: Ignis enim reliquorũ trium, est veluti forma, & plastes quidam ac fictor, qui ex tribus reliquis, ceu ex materia quam tractat, varia effingit corpora: permiscet enim, maturat, attenuat, & leuitatem præstat, reliquisque permiscetur, vt ipsum quoq; fingens, fictionem admittat. Aër massam terræ & aquæ, tenuitate sua fermentat, & spongiformem reddit, vt ignis vis, quam etiam humiditate sua temperat, per ipsam vndiq; meare sit potis. Facitque terram & aquam, quibus permiscetur, pinguiorem & aëream, ita vt quamuis igni, sua natura cõtraria sint, eius beneficio ignis pabulum fiant. Habetque hoc elementum, efficaciam & vim formatoris, minorẽ quam ignis, & maiorem quam reliqua duo elementa. Terra enim, est omnium mistorum perfectorum materia, nam quæ in sublimi sine terra fiunt, perfecta non sunt, nec sine ipsa, constãtia esse queunt. Aqua autẽ terræ miscetur, vt terræ partes inuicem poßint cohærere: Est enim sine aqua, præ siccitate friabilis: Siccum namque atq; humidum, terræ & aquæ cum permiscentur, mutuum beneficium accipiunt, siccum quidem ab humido, vt facile tendi & figurari poßit, humidum verò à sicco, vt figuram impreßam retineat. Vnde Aristoteles, quarto libro Metheororum, capite quarto, " Humidum arido (inquit) vt definiatur causa est, & alterutrum alteri glu" tinis instar existit, id quod Empedocles etiam in naturalibus aßeruit, farinam aqua" conglutinans. Quibus conuenit, sacræ paginæ lectio, quæ hominem de limo terræ formatum esse testatur. Nam quamuis ignem etiam & aërem, admiserit dominus, ad cõpositionem hominis, solius terræ & aquæ, luti nomine meminit: quoniam maiorẽ materiæ partem, hæc duo elementa præstant. Efficientiam verò, nihil aliud, quã domini voluntas, in prima illa creatione fuit operata. Hinc quoq; natam esse puto, eorũ opinionem, qui crediderũt, primos homines, terræ fertilitate maxima prodyße, vt hodie

quoque plantarum genus omne, & exanguium animalium nonnulla gignuntur. Terræ enim vbertas, præter glebam, reliqua tria requirit elementa, nam dum aratro proscinditur, aërem concipit: dum pluit, aquam: ex sole quoque ad ipsam refracto, ignis gignitur. Quæ cum tempestiue fieri non desinunt, ingens tum tritici, tum etiam aliarum plantarum, fit in terra prouentus, sicut penuria & fames, in ipsorum deffectu. Sic quamuis animantia omnibus constent elementis, in terra & aqua solum sunt, in aëre autem & igne minimè: propterea quod terra & aqua, corporum materies existunt, vt scribit Aristoteles quarto libro Metheororum capite citato. Hinc Auicenna prima primi, de elementis edisserens, & omnium elementorũ vsum explicans: Duo elementa grauia, tradit magis iuuare ad generationem membrorum (supple & humorum) atq; ad ipsorum quietem: sicut & duo leuia ad generationem, & motũ spirituũ, & ad mouenda membra. Quamuis enim sola anima, actionum, motionum que omniũ nostrarũ, sit autor: his tamẽ elementis opus habuit, ceu disponentibus materiã, tum ad animæ superuentum, tum ad operationem: Ex ipsorumque varia mensura, & commistione, omnia quæ in nostro corpore sunt, continentia, contenta, & impetentia consurgunt. Nec tamen hic quispiam intelligat, elementa rudia, & exiguam quandam mutationem perpessa, ad nostri corporis generationem sufficere. Id enim à veritate & Galeno valde est alienum, nam primo de elementis, & octauo libro de Placitis ita scribit: Non enim eo modo fiunt corpora ex elementis, ac si dicas, ex terra aqua inspersa, soleq; excalfacta, continuo generare animal asserentes, sed multis interuenientibus mutationibus. Ex quatuor siquidem elementis, plantarum ortus & fructuum, & seminum existit. Quæ omnia postea ouibus, suibus, capris, bobus, reliquisq; animalibus, quæ vel herbis, vel arborum fructibus, vel ramis, vel radicibus vescuntur, alimentum præstant. At hominibus, ipsa hæc animalia nutrimẽto sunt. Ex quibus quidem cibis, sanguis in ipsis gignitur, & pituita, & gemminæ biles. Sed sanguis plurimus, vnde solus ex omnibus, in venis apparet, alia pauciora creantur. Atque hic sanguis, est nostræ generationis, quasi materia, qui ex quatuor quidem humoribus cõstat: à dominio tamen ita appellatur: gignimur quippe ex ipso, dum in vtero concipimur, primamque formationem adipiscimur, æditique in lucem, deinceps formatorum membrorum distinctam explicationem, incrememtum, & perfectionem, inde accipimus. Ac principio lactè educamur, ex sanguine ortum habente, deinde ysdẽ quibus adulti, cibis vescimur, vnde rursus sanguis, & pituita, & flaua, & attra bilis generatur. Hæc Galenus, quibus conficitur, quod quamuis ex naturæ elementis primis constemus, vt reliqua corpora: ex ys non rudibus, sed cicuratis, & multiplici opera elaboratis constamus: ob idque verius, & ad Medicos vsus accomodatius, ex secũdis nos constare elementis, sanguine nimirum, pituita, & bile vtraque: quam ex primis igne, aëre, aqua & terra dicemus. Illa enim integra atq; secreta, in nostris corporibus sunt, ex quibus immediatè generamur & nutrimur: non autem igne, aut aqua, quæ ob multiplices mutationes, & mistorum formas quas receperunt, sub humorum formis

formis delitescunt. Ob idq; non ægrotamus, ex ignis aut aquæ elemento exorbitãte, sed ob sanguinem, pituitam, bilem flauam, aut attram immoderatis, vt libro primo de Natura humana, scribit Hyppocrates. Quare quæ Plato tradidit de elementis, rectius de humoribus ea tradi debere, eodẽ octauo libro de Placitis docuit Galenus. Hic tamen aduertere expedit, quod non eodem modo, sed diuerso admodum, ex humoribus constamus, ac humores ex elementis. In humoribus enim, & in mistis omnibus, seruantur elementa incorrupta: attemperata tamen & coërcita, ac formæ misti parẽtia, quoniam omnibus mistis materiam exhibent, communẽ & necessariã, ex qua cuncta componantur. Humores verò, dum in membrorum nostri corporis substantiam vertuntur, non manent sed corrumpuntur, gignitur quæ caro, os, aut neruus ex ipsis corruptis, manentibus primis, communibus, & necessarijs elemẽtis. Quorsum ergo prima illa elementa, dicuntur Galeno manere potestate, non actu? Secunda verò actu manere? & verius hominis corpus, ex secundis constare quam ex primis? Dicendum vt supra monuimus, quod prima elementa dicuntur, non manere actu, quoniam suo iure vtentia non manent: ignis enim non vrit, nec terra congellat, sed vtraq; formæ misti deseruiunt, & eius motibus parent. Potestate vero manent, quoniam suum ius aliquando resument, in misti nempe dissolutione. Secunda autem elementa, actu manent: non in membrorum, sed totius corporis compositione: quæ ex continentibus, contentis & impetentibus fit. Contenta autem sunt humores, qui in venis actu habentur, ex quorum commoderatione & debita inter se mensura, magna salubritatis aut insalubritatis pars pendet. Non enim tantum ex igneo elemento exorbitante, quantum ex bile causus pendet, atq; tertiana: & ita in reliquis humoribus, de quibus iam nunc agere decreuimus.

¶ *Explicit Liber de Elementis.*

INDEX EORVM QVAE LIBRO de elementis inquiruntur.

SExcupla hominis compositio, notatur in præfatione.

Quomodo priuatio, rerũ naturaliũ principium sit statuendum. ibidem.

Elementi diffinitiones expẽdũtur. cap. 1.

An minima elemẽtorum, sint minima naturalia, an minima ad sensum. ibidem.

Quo modo Medicus est artifex sensualis: si minima naturalia, quæ sensum fugiũt considerat. ibidem.

An elementa, sint plura vno secundum formam. cap. 2.

Cur ex elemẽtis insensibilibus, gigni potest sensibile corpus, & ex impatibilibus, non potest gigni patibile. cap. 3.

Quod calidum, frigidũ, humidũ, & siccũ, syncera sint rerum elementa. cap. 4.

An ignis sphæra, sit statuenda. cap. 5.

Tres locandi elementa rationes traduntur. cap. 6.

Quod terra, iuxta partem habitabilẽ, nõ mergatur, ob aërẽ interclusum. ibidẽ.

An violentum, possit esse perpetuũ. ibi.

An præter motum violentum & naturalem, addendus sit motus præternaturalis, aut supra naturam. ibidem.

An elemẽta in suis sphæris grauia aut leuia sint. cap. 7.

An binæ elementorum qualitates, sint summæ, an vna ipsarum, sit summa citerior. cap. 8.

An aquæ, potius conueniat frigus, quam humor. cap. 9.

An aqua, sit aëre humidior. cap. 10.

An aër, perpetuo exiccet corpora nostra ibidem.

An aër, sit calidus an frigidus. cap. 11.

Quibus gradibus, & cur, contrariæ qualitates, in eadem substantia cohabitare queant. cap. 12.

Quod elementa, non reperiãtur syncera, vt seruari possit vniuersum. cap. 13.

Cur aqua, frigiditate vincitur ab opio. Et terra, vincitur grauitate à plumbo. ibidem.

An omnis actio, sit reciproca. cap. 14.

An antiparistasis, de medio sit tollenda. ibidem.

An primæ qualitates elementorum, sint eorundem formæ substantiales. cap. 15.

An elemẽtorum formæ substãtiales, maneant in mistis. cap. 16. & 17.

Quid vnũquodq; elementũ, præstet misto ex ipsis composito. cap. 18.

¶ *Dum hæc vero, præcipue inquiruntur, multa alia, per transcursum, ingenti vtilitate tradita, reperies.*

DE HVMORIBVS LIBER ALTER.

Caput primum, an ex quatuor humoribus constemus & nutriamur, an vero solo sanguine.



Orpus nostrum perfectum cum sit, non ex rudi, atq; elemẽtari (vt cætera) constat materia: sed expolita atq; elaborata magis: esculẽta enim atq; poculenta, ex quatuor mundi elementis orta, oris primo confectionẽ, & cũ saliua mistionem perpetiũtur. Hæc deglutita, ventriculi & adiacentiũ membrorum beneficio, in albũ succũ (chylum appellatum) vertũtur. Nã cum natura, ad animalium formationem, varios meatus cõstruxerit, quibus alimentũ in singula mẽbra perferatur: opus fuit, id quod per illas vias, ad nutriendũ transmittitur, humidum esse & fluens, autore Arist. 2. lib. de partibus animaliũ, cap. 2. & 3. Ob idq; chylum huiusmodi, in pthysanæ formã præparauit, qui rursus per meseraicas abiẽs, in rudẽ vertitur sanguinẽ, id est sanguineam massam appellatã: & ad iecur delatus, integrã confectionem subit: ex qua consurgũt sanguis, pituita, & vtraq; bilis: Quæ certa inter se mistura tẽperata, per vasa corporis ad eius nutritionẽ ferũtur. Ex quibus mox vtero cõceptis, accedẽte seminis virtute, corpus nostrum primam generationem sortitur: & eisdem per vniuersæ vitæ cursum alitur. Eos enim qui nutrire nequeũt, siue innaturales, siue naturales sint, vt bilis quæ est in felle, & atter succus, qui est in splene, minus proprie humores appellaueris: siquidem nõ sunt secunda elementa, humanæ constitutionis: nec materia restaurationis, eius quod dissoluitur. Quanquã etiam hic, iam est orta discordia, Aristoteli ex solo sanguine nos & ali, & esse genitos: Hyppocrati vero ex semine & quatuor humoribus asseuerantibus. Non possumus autẽ, æque in his ostendere veritatem, sicut in primis elementis: nã sermo vtriusq; habet probabilitatẽ. Libro sane, 4. de partib. animaliũ, cap. 2. & 4: & 1. de generatione animaliũ, cap. 18. & 2: de partib. animalium cap. 3. Arist. ex solo sanguine, corpus nostrũ, & ortum fuisse, & alimoniã capere putat. Nã sicut sanguis mensalis, fuit generationis nostræ primordiũ: ita sanguinẽ natura, in venis studiose seruat, nutrimẽti gratia. Nã & pituita (cui nullũ peculiare conceptaculũ natura cõstituit) initiatus quidã sanguis est: flauã vero atq; attrã bilẽ, ad vesicã felleã, & lienem, iecur eructat, nõ custodit, neq; per venas aliquid eius trãsmittit, quoniã alitioni opportuna nõ erant futura. Eorũ item quæ eadẽ specie continẽtur, naturalis locus est idẽ: non enim diuersus locus est, vniuersæ telluris & glebæ: si ergo melãcholicus succus in lienẽ, & biliosus in fel refunditur, in venas nõ nisi violẽter mouebũtur. Adhæc ex cibis & potubus, quæ ore cõparamus nutrimur, hæc autẽ non aliter nutriunt, quã in sanguinẽ conuersa. Argumẽto est, quod si plura insumũtur, copiosus est sanguinis prouentus, exiguus si pauciora, calidus si calida, frigidus si frigida. Solus ergo sanguis est qui nutrit, ex quo etiã solo constamus. Adde ex 2. de partib. animaliũ, cap. 6. quod ossa quæ minus sanguine ali videtur, sanguine alũtur.

*medulla enim(inquit)natura quædã sanguinis est. Patet hoc experimento, quo cer-
nimus, in recẽs natis animantibus, medullã sanguineã, qualem nõ haberent, nisi à san
guine fouerentur. Quarto rursus de generatione animaliũ, cap. 8. libro de lõgitudine
& breuitate vitæ, & lib. de sensu & sensili, & Gal. 4. de simp. med. fac. & 1. de fa-
cultatibus alimentorum, vnanimiter fatẽtur, nihil nisi dulce sit nutrire: pituita vero
insipida est, bilis amara, melãcholia accida: solusq́; sanguis dulcissimus, & maxime
coctus euasit, ergo is solus corporis nutritioni præest. Vltimus præterea in superpur-
gationibus educitur sanguis, 3. simp. autore Gal: Ergo nutrimẽti gratia solus à natu-
ra seruatur. Adhæc sana habẽtes corpora, difficile ferũt medicationes, nã pharmacũ,
nõ reperiẽs humorẽ expurgandũ, sanguinẽ colliquat, & carnes, vt inde familiare edu
cat, vt 2. Aphor. sententia 37. scribit Gal: Ergo in corporibus integre sanorũ, nõ re-
peries alios humores à sanguine. Secundo præterea libro de nat. fac. Gal, Sanguinem
ex mediocri calore nasci docet, reliquos succos ex immodico: idq́; probat ex naturis,
ætatibus, vitæ generibus, tẽpore, regione, cæli statu. Ergo in corpore temperato, vbi
nulla subest caloris intẽperãtia, nõ alter a sanguine gignetur succus. Hyppocrates au
tem, ortũ nostrum & nutritionẽ, ex semine & quatuor humoribus, iusta mensura cõ
mistis, fieri tradit. De semine sanè tractatio, & quod nõ solũ efficientiã, vt Aristote
les censet, sed etiã materiã præbeat animaliũ generationi, locum alterũ postulare vi-
detur. Ad hunc enim, de solis humoribus cõtẽplatio, opportuna est: In qua Hyppo- “
crates ad ostẽdendũ, quod duæ biles, sagnuini semper cõmisceãtur, & ruffa & attra, “
& tertia præter illas pituita: ea quæ secundũ naturã, & in ætatibus, & tẽporibus an “
nuis apparẽt, suo sermone trãsegit. Si enim dederis(inquit) homini medicinã quæ bilẽ “
ducit, euomet tibi bilẽ. Et si(inquit) aliquã ipsius corporis partẽ percusseris, ex quo ic “
tu sequatur vlcus, fluet ab eo sanguis. Et hæc(inquit) tibi fient, noctu & interdiu, “
hyeme, & æstate. Ad ostẽdendũ autẽ, quòd omnes hominis partes, ex quatuor genitæ “
sint, & nutriãtur: hæc inquit, Primũ quidẽ perspicuo apparet homo, hæc omnia in se- “
ipso habẽs, donec vixerit. Deinde genitus est ex homine, qui hæc omnia habet, & e- “
nutritus est in fœmina, quæ hæc omnia habet. Verisimile præterea(inquit) est, si ex so “
lo sanguine cõstaret homo, eoq́; solo nutriretur, aliquod esse anni tẽpus quo solus san- “
guis, in eo inesse appareret: quoniã vero nullũ tẽpus est, in quo geminæ biles, & pitui “
ta nõ visantur: certius creditur omnibus quatuor constare, totidẽq́; hominẽ nutriri.
Cur præterea animã egerint, qui in superfluis purgationibus, aut bilẽ, aut pituitam,
præter modũ vomere sunt cõspicati: si neq́; his genitũ corpus est, neq́; nutrimentũ assu
mit, difficile est reddere, ne dicam impossibile. Validissimum præterea est Galeni ar-
gumentum, primo libro de elementis, ex membrorum varietate desumptum: Simila- “
ris siquidem est, & caro & neruus, sed caro quidem sanguinea est, & calida, & ex to “
to mollis: neruus vero cõtrario modo se habet, exanguis, durus, ac frigidus existens: “
non tamen aut illa mollis & calida integre est, neque neruus durus ac frigidus, sed “
sanguis quidẽ, carne mollior est atq́; calidior, os vero neruo frigidius ac siccius. Sic & “
quælibet alia particula, altera altera, hæc quidẽ frigidior est, atq́; calidior, hæc vero*

mollior

" mollior, illa durior. Nunquid igitur omnes ex eadem materia sunt genitæ? an potius
" natura, optimus opifex existēs, quo primū tēpore ex sanguine matris, in vterū immis
" so, gignebat atq; afformabat fœtum: ad corporū quidē durorum structurā, partē eius
" crassiorem attrahebat, ad molliorū verò humidiorē, sic & calidiorē, ad partium cali-
" diorum, & frigidiorem ad partium frigidiorū generationem? mihi videtur quidē, hoc
" longè magis naturæ consentaneū, & quod statim ab initio formatus sit hoc modo con-
" ceptus: & quod in sequenti tēpore omni, alimentum, atq; augmentū, pars vnaquæq;,
" ex propria materia susceperit. Sic sanè lib. 5. Aphor. com. 39. simili alimento, quā-
" libet partē nutriri, dixit Gal: Ossa medulla: hepar sanguine: pulmo spumeo quodā humore: cartilagines, & articulorum compages, humore glutinoso: testes, semine: caro quæ sub lingua est, saliuali quodā liquore: mammæ lactè: vētriculus chylo: & reliqua membra, tale etiam nutrimentum requirunt, quale cuiusq; natura postulat: Frigida frigidum, calida calidum, & biliosa biliosum, sicut & pituitosa pituitosum. Quatuor enim humores, cum per se à iecore prodeant, non nisi diuersarum partium nutriendarum gratia, institutos esse, cū Galeno atq; Hyppocrate, credere possumus. Nam nec pro Aristotele rationes plurimum vrgent. Sanguis enim tū mensalis, tum etiā qui in venis à natura custoditur, nō est vtriusq; bilis, atq; pituitæ expers, etiam si primo obtutu simplex appareat. Vnum enim quodā videtur lac, sicuti & sanguis: docet autem ratio, quod non sit vnum. Pars enim vna lactis, est maxime serosa & tenuis, altera autem maxime casealis, & crassa: hæc vero donec inuicem contēperatæ manēt, medium lac reddunt, inter caseum & serū: postquā vero sunt separatæ, propriam formam ostendunt, & lactis naturā indicant, quòd non sit exquisitissimè vnum: sed ex contrarijs & differētibus constitutū. Sicut igitur in lacte, pars quidē vna serum est, altera vero caseus: ita in sanguine, altera quidem veluti liquor sanguinis, sero lactis proportione respondēs: altera verò veluti lutū, & fex, caseo proportionalis. Et quidem quædā veluti fila, quæ sanguini insunt, licet manifestè videre, quibus ablatis san
" guis nō concrescit. Quin à filis sanguis separatus, colore differt atq; substātia, quidā
" enim abunde rubeus videtur, quidā hoc magis flauescit, quidā plus nigricat, quidam
" veluti albedinē, in superficie representat, & nonnūquā liuidus apparet totus, & per
" Iouē sæpius nigro proximus est, ac si esset purpura plena. Quare nō est sanguis exqui
" sitè vnū, nam omnium (vt opinor) & animalium & hominum semper similis esset, si
" verè vnū esset: at nonnunquā in eo superabundat, crassus ac niger humor, adeo quod
" totius corporis colorem nigriorē reddit, & cicatrices facit nigricare, atq; in cruribus
" venas varicosas, simul cū liuenti colore constituit, aliquando autem exsuperat fla-
" uus, quemadmodum & hoc ex capillis, & totius corporis colore licet perspicere, nec
" non ex vomitionibus, & deiectionibus. Nonnunquā vero rubeus, vel albus, quēad-
" modū ex coloribus totius corporis, & capillis, & vomitionibus, & deiectionibus ap-
" paret. Et si etiā venas secueris, hominum qui adhuc sanitate fruūtur, ex eorum ali-
" quo fluet sanguis flauus, ex aliquo rubidus, ex aliquo nigrior, & ex aliquo albior.

quare iecur vtramq́; bilem eructans, in felleam vesicam & lienem, nō deponit vniuersam, sed redundantem. Sic etiam non modo sanguis augetur, aut minuitur, ex copia aut inopia ciborū qui ingerūtur, sed reliqui etiā humores secum misti, augmentū atq́; decrementum, eadem ratione suscipiunt. Medullam præterea ex sanguine, & eo attrabiliari, ortum ducere non negamus. Omne insuper alimentū, dulcedinis debere esse participem fatemur: Dulcißimum autem quale est sanguis, Alterius saporis condimēto eget, alioqui & offendit, & occißime creat fastidium. Reliqui igitur succi, sanguinem condiunt, ita vt ex vtrisq́; selectißimum consurgat alimentum. In superpurgationibus verò, vltimo educitur sanguis, quoniam maximè retinetur: reliqui humores verò, ante ipsum vacuantur, quoniam retinentur minus, ceu minus familiares. Eatenus enim vnūquodq́; magis aut minus retinetur: quatenus corpori alēdo, est magis aut minus opportunum. Sana præterea habentes corpora, difficile ferunt medicationes: quoniam pharmacum, non reperiens humorem peccatem expurgandum, sanguinem (idest sanguineam massam) debita ratione temperatam, & carnes quæ ex eadem maßa concreuerunt colliquat, vt inde quod familiare est eliciat: biliosum si cholagogum est pharmacum, & pituitosum, si phlegmagogum. Quod verò Galenus dixit, sanguinem ex mediocri calore nasci, reliquos succos ex immodico, intelligatur de redundantia: scilicet quod redundātia bilis ab immodico fit calore, pituitæ à frigore, sanguinis verò à temperato: citra redundantiam enim, omnis humor, ab omni generatur calore, siue modico siue immodico. Nam si alimentum quodcunq́; ex quatuor elementis concreuit, ab vno & eodem iecoris calore, diuersorum in diuersa fiet commutatio. Accedit quod docti quidam nostri temporis medici, Aristotelis sententiam, cum Hyppocratica, ita cohærere existimant: quod cum sanguinem aßerit esse vltimū alimentum, de sanguine qualis per venas fertur, commistus intelligit. Primo quoniā dicit, eum in venis tanquam in proprijs vasis contineri. Secundo, quoniam pituitam (etiam citra sanguinem) posse nutrire fatetur primo libro de generatione animalium capite decimo octauo: Vbi pituita (inquit) alimenti vtilis excrementum est. Cuius ‹‹ rei inditium est, quod permistum cum cibo puro alere potest. Tertium, quoniam si ‹‹ vtramq́ue bilem & pituitam, excrementa appellat, tertio libro de hystoria animaliū capite secundo & alibi, de bile flaua, quæ ad folliculum felis secedit: & de attra, quæ tendit ad splenem: sicut etiam de pituita, quæ sanguini mista non fertur per venas: facile interpretari potest & debet. Ego verò superfluum laborem insummi existimo, in conciliandis autoribus, qui nolluerunt de industria esse concordes. Hyppocrates sanè primo libro de natura humana, inuehitur aduersus antiquorum quorundam opinionem, qui præter sanguinem, nullum alium humorem posuerunt: ex quo aut gignamur, aut nutriamur. Hanc Aristoteles postea colluisse videtur, nam bilem cum sanguine, ad cor propterea perduci negat, quòd eius acrimoniam perferre cor nequeat. Non ergo apud ipsum, bilis per vasa fertur, nec nutrire est apta. Nec pituitam nutrire censuit, primo de generatione animalium, sed eam, excrementum

vtilis alimenti appellauit, quoniam in sanguinem commutari, & vlterius coqui potest.

CAPVT secundum, de Humiditatibus, *quæ Secundæ appellantur.*



ORPVS nostrum, ex quatuor humoribus, certa ratione temperatis, & ali & generari diximus: An verò aliquibus humiditatibus intercedentibus, vel nullius interuentu nutritio fiat, est dubium. Nam Aristoteles secundo libro de Partibus animalium, capite tertio & quarto, & libro de Somno & Vigilia, & de Iuuētute & Senectute, sanguinem, vltimum alimentum esse fatetur, nullius igitur interuentu alit. Id quod ratio pariter videtur suadere, nam eadem est generationis & nutritionis materia, secundo de Semine Autore Galeno, ex mensali autem sanguine generamur primo, ergo ex sanguine ad vltimum nutriemur. Id prætere a in nutritione carnis, videtur sensisse Galenus, primo libro de Facultatibus naturalibus, vbi ita scribit. Si eatenus naturæ opera, crassescat sanguis, vt constantem substantiā habeat, nec etiā sit fluidus, prima & recēs cōcreta caro iam existet. Quibus verbis patet, sola consistentiæ mutatione, sanguinē in carnē, apud Galenū decedere.

Sed contra est veritas, nam cū solidi membri substantia, crassa sit & alba, sanguis verò fluidus, tenuis, atq; ruber: nunquam nisi mutationes aliquæ interiaceant, in membrum commutabitur sanguis, sed vertetur prius, in humiditatem quandam, crassiorem, & albicantem, quæ roris modo, per singula membra sparsa enutriet ipsa, & in cuiusq; membri substantiam, cōmutabitur. Hinc Auicēna, fen Prima primi libri, quatuor statuit humiditates post sanguinē, Primam innominatam, in extremitatibus paruarum venarum cōtentam: Secundam ros, omnibus membris simplicibus sparsus: Tertiam cambium nominarunt, à similitudine eius, in quo vnum pro alio redditur. Est enim alimentum vbi primam concretionem, aut congelationem in membrum, fuit assequutum. Quartam gluten, & est humor intus in membris simplicibus, à principio natiuitatis complantatus, per quem partium eorum continuitas existit, & eius principiū est ex spermate. Has humiditates, ex Galeno mutuatus est Auicēnas, septimo namq; libro Methodi, post principium, quatuor ponit, in nostro corpore siccitates, aliunde quam à sanguinis defectu natas: Totidem ergo erunt, humiditates contrariæ, præter sanguinem, corpus nostrum substantifice humectantes. Sunt autem Galeni verba quæ sequuntur. Est autem prorsus consumata siccitas, vbi solida similarium partium substantia, reddita est siccior. Nam est & altera siccitas vtiq; cum ea, quorum substantia ex humore concreto constat, sicut caro & adeps sunt liquata. Etiam tertia cum propria humiditas vnde partes nutriuntur, omnino est absumpta, continetur ea, in omnibus animalis partibus, ceu ros quidam, per eas sparsus, de qua dictum alibi sæpe est. Hanc igitur inferre particulis, sine nutrimento

non est, ideoq; difficillima est, omnium eiusmodi affectuum curatio. Diuersa ab ijs "
siccitas est, quæ in proprijs cuiusq; particulæ, exilibus arterijs, venisq; consistit. Proue "
nit & hæc ex sanguinis penuria. Quibus verbis galenus, quatuor siccitatis differen- "
tias memorat: & ipsis prorsus contrarias humiditates, recensuit Auicennas, inuerso ordine: Nam siccitatũ vltimæ, contraria est humiditas prima: tertiæ, secunda: secundæ, tertia: & primæ, vltima. Est ergo prima humiditas, humor qui in proprijs, cuiusq; particulæ, exilibus arterijs, venisq; cõtinetur: ex sanguine inibi cõcocto, ortũ ducens: Ob idq; quibus multum sanguinis inest, ijs vberrimus fit, huius humoris prouentus: quibus verò sanguinis penuria adest, eiusdẽ defectus: nõ quòd sanguis sit (vt quidam) credunt, sed quoniam ex sanguine ducitur. Secunda fit ex prima, quæ a vasis in roris modum excidens, omnes animantis partes perfundit, & earum fit appositissimum alimentum. Hanc licet intueri, vbi quispiam aut se scalpens, aut quid aliud agens, cuticulam corporis deradit, & membrũ aliquod leuiter exulcerat. Tũc enim rorem, subito manantem videbit, præsertim si partem, aut comprimat, aut abstergat. Est hæc humiditas, pro ratione diuersitatis membrorum diuersa, & vnicuiq; parti nutriendæ opportunissima. Pulmo enim roratur, spumeo quodam humore: cor solidiore atq; crassiore: cerebrum, nerui, & cartilagines, glutinosiore: mammæ lacteo: & reliqua simili modo. Suo enim peculiari rore, vnumquodq; perfunditur, & nutritur. Tertia humiditas, carnis atq; adipis, est pars humidior, & quæ non dum exacte cõcreuit: reliquam carnem, & adipem, humidam, teneram, & facile liquabilem redens. Hanc si pinguedinem, aut carnem recens concretam appellaueris, a Galeno non discesseris. Huius sane tertiæ humiditatis, plurimum decidit, tum ad vesicam, tum ad intestina, per febres colliquantes: vbi & pinguedo, & recens concreta caro, caloris vehementia liquantur: & vrinas, & Alui recrementa, pinguia reddunt. Quarta humiditas, est solidorũ substantificum, & primogeniũ humidum, quod solida ipsa præsens humectat, absens verò, reddit ea veluti senum, frigida atq; sicca. Huius dissolutione, fiunt febres hecticæ, marasmodes appellatæ, quæ quanquam ex genere colliquantiũ sint, decimo methodi ad finem autore Galeno: à colliquantibus ea ratione differunt, quod paucum & vaporis forma est, quod in ipsis liquatur. In colliquantibus verò multum, & pinguedini aut carni, in craticulis dissolutæ persimile. At vero vt ad id, quo digressi sumus, nostra regrediatur oratio, par est ex dictis colligere: nec sanguinẽ, nec humores alios à sanguine, immediate corpus nostrum nutrire, nisi intercedentibus, quibusdam mutationibus & formis, prima scilicet & secunda humiditate. Nam cum Aristoteles, vltimum alimentum dixit esse sanguinem, non de alimento, immediate alente, quoduis membrum, sed de communi, ad omnia membra mandato, intelligendus est: ad differentiam chyli, & pituitæ, quæ nõ nutriunt, nisi in sanguinem vertantur. Quare tantundem refert, sanguinem vltimũ alimentum posuisse, ac si dixisset, nihil nutrire posse, nisi aut sanguis sit, aut ex sanguine ducat ortum. Nam tertio de historia Animalium, capite quinto, neruos dixit, & gigni & ali, ex humore albo,

glutino & mucori simili. Et secundo de Partibus, capite sexto, Ossa nutriuntur me-
" dulla, quoniam natura quædam sanguinis est. Et tertio de Partibus, capite decimo,
" rorem ponere videtur, his verbis, Extremis autem venarũ interioribus, hæc neces-
" sario adiunguntur, vaporem enim prodire, eumq́ sanguineum necesse est: ex quo con-
sistente, concrescenteq́, viscerum corpus, contrahatur & coagmentetur. Mammas
præterea, lacte nutriri, non negauerit Aristoteles. Sicuti verò sanguine, immediate
corpus ali non putamus, ita neq́ gigni: easdem enim perpeti mutationes, sanguinem
mensalem in vtero, nihil est absoni. Si sanguis præterea, naturæ opera crassescat, &
constantem substantiã accipiat, caro fit: secundo de Facultatibus naturalibus autore
Galeno. Dum verò consistentiã mutat, naturã quoq́ & speciẽ mutare credimus, neq́
enim aliud voluit Galenus, nisi minori negotio opus esse, vt ex sanguine caro fiat,
quam os aut neruus, aut quid aliud simile, credamus. Quod valde absonum non esse,
dicemus alibi.

CAPVT tertium, an a Iecore, *omnes prodeant humores.*



PVD omnes, tum medicos, tũ phylosophos (vno dempto Aristotele, qui cordi omnia fere opera tribuit) tam est vulgatum, quod iecur, quatuor humores generet, vt nec id in dubiũ vertãt medici. Difficile tamen apparet. Nam iecur naturale agens est, nulla igitur tangitur cura, generandorum humorum, sed propriæ tantum nutritioni intendens, chylum in iecoris substantiã permutat, ignis atq́ reliquorum agentium naturalium more: quæ non nisi ignem, aut tale quippiam,
" *quale ipsa sunt producunt. Secundo, nam iecur, sanguinẽ sibi similem, & congenerem*
" *creat: ab vnico autẽ agente, vnica prodit operatio, & effectus vnus, idem enim, quatenus idem, semper est natum efficere idem. Non igitur alter humor à sanguine, in iecoris confectione prodibit. Tertio nam venæ meseraicæ, vertunt chylum in sanguinem, quarto de Vsu partiũ capite primo: & venæ corporis, ex pituita sanguinem conficiunt: ob idq́ natura, nullum vas condidit quod pituitam purgaret, secundo de Facultatibus naturalibus ad finẽ, autore Galeno, non est ergo soli iocinori, tribuenda generatio humorum, & sanguificatio. Quarto, nam pituitam in vẽtriculo generari, tradit Galenus, primo libro de Natura humana, cõmentario quadragessimo, vbi ita*
" *scribit, Pituitæ natura, ad morum cultum nihil facit, sed in ciborum prima mutatione*
" *generari videtur. Et libro de Attra bile inquit, Porro à nobis demostratũ est, pitui-*
" *tosum humorẽ, ex pituitosis cibis, in prima, hoc est ventriculi confectione fieri, vti*
" *biliosum, & melancholicum, in iocinore. Et secundo libro de Victu acutorum, trigessimo primo cõmentario, Pituitæ (inquit) generatio, in pituitosis ædulijs, sanguinem*
" *perpetuo antecedit: atq́ generatione ipsius media, cibi in sanguinem transeunt. Neq́*

hoc, deterioribus tantum cibis contingit, verum & quibusdam etiam eorum, qui salubres admodum esse videntur: vt pani, chondro, semidali. Non igitur, omnium quatuor humorũ, autor est iecur. Adhæc morbos ex vitiatis humoribus, ob vitium tertiæ coctionis, memorat Galenus, tertio libro de Sympthomatũ causis, capite primo, ergo nõ omnes humores, in secũda coctione prodeunt. Galeni verba sunt, Ad eundem modum, in tota quoq; animalis mole, quæ velut priuatio est, in crudis istic consistit succis: Quæ tanquam deficiens est functio, in semicoctis: sicut praua in vitiosis hoc loco succis. Porro ex ijs vitiosis succis, erysipelata, cancri, gangrenæ que nascuntur: præterea phagedænæ, carbunculi, vlcera serpentia, alia que eiusmodi. Sed cum ad iecur, deferatur chylus ex ventriculo, & non humores quatuor: post iecur verò, in omnibus vasis, reperiatur sanguinis massa, ex omnibus quatuor humoribus constans: necessario sequitur, nec ante iecur in ventriculo, nec post iecur in vasis, quatuor hosce humores, sed in ipsomet iecore generari, vt vniuersa medicorum schola proclamat.

Neq; obstant, quæ in contrariũ adducebantur, Nam iecur, propriæ nutritioni incumbens, sanguineã massam generat: non vt reliquis partibus nutriendis, eam reddat accomodam (sic enim, non tam naturale esset organum, quam animal, quod ratione, menteq; præditũ, quod melius est eligeret) sed vt tali alimento, quale ipsum est, alatur. Quare decuit, vt sanguineam massam (ex qua primo sui ortu concreuerat) conficiat, atq; ex ea nutriatur, quod redundans est aut abijciens, aut alijs membris permittens. Sic ventriculus, chylum sibi conficit, tertio libro de Facultatibus naturalibus ante finẽ. Sic vbera lac, & testes semen, sibi tantũ parant, quinto libro Aphorismorũ cõmentario trigessimo nono, autore Galeno. Quanquã huic sententiæ, locus alter Galeni videatur aduersus, sexto libro de partium Vsu, ante finem: vbi cordis ventriculus dexter, non sibi sed pulmoni, parat alimentum. Vniuersi enim cordis substantia, venis nutritur, à vena caua deriuatis, crassum sanguinem, & cordi similem ferentibus, non autem à sanguine, in dextro cordis ventre attenuato. Sunt autem Galeni verba, quæ sequuntur, Quod verè corpus ipsius cordis, crassum erat ac densum, ciboq; egebat craßiore, ob id sanguinem ducit, a uena caua, quo nutriatur, prius quam ad cor immigret: eo enim cum peruenisset, calidus, tenuis, ac vaporosus, futurus erat. Qua in re, quod nonnullis videtur absurdum, maxime omniũ, rationi congruere est putandum: vt cor scilicet pulmoni præparet alimentum, sibi autem ipsi minime. Ille enim, sanguinem postulabat tenuem, ac vaporosum, hoc autem nequaquam: cum enim ex se moueatur, corpus validum habere ipsum oportebat, & crassum, & densum: Pulmonem verò, vt qui à thorace moueatur, neq; grauem neq; densum, sed leuem ac rarum esse præstiterat. Cum autem quale est vnumquodq;, tali ipsum nutriri alimento oporteat: iure optimo, cor quidem crasso, pulmo autem, vaporoso sanguine indiguit. Quæ causa est, cur cor non alatur ex seipso, sed prius quã vena caua, dextro ipsius ventriculo inferatur, pars eius tanta, quãta maximè cordi nutriendo, satis sit seiuncta, circa cordis caput, extrinsecus obuoluitur, & in omnes ipsius partes dispergitur. Hæc Galenus

quæ

quæ manifestã, cum priori sententia, contradictionis exhibent phanthasiam. Cui tamen nos respondemus, Quod cor, parat alimentum pulmoni, non hoc, sed aliud intendens: nempe spirituum vitalium generationem, quam necesse est, antecedat sanguinis attenuatio. Sanguinem ergo attenuat cor, vt idoneam materiam, spiritibus sibi generandis faciat: ex qua assumit, quod sibi conueniens est, reliquum vero redundans, pulmoni permittit. Sic ventriculus, chylum iocinori concedit, iecur sanguinem, cor spiritus vitales, & cerebrum animales, vniuerso corpori. Sic mammæ remittunt lac infanti, & testes semen corpori glandoso, citra vllam horum membrorum prouidentiã. Nec obstat quod secundo loco dubitabatur: nam si omne alimentum, ex quatuor elementis concreuit, ab vno & eodem iecoris calore, in diuersa diuersorum fiet commutatio. Satius enim est humorum diuersitatem, diuersis alimenti partibus referre, quam difformitati iocinoris, vt quidã faciunt. Nam licet iecur, non esset vndiquaque simile, ridiculum tamen est, eam in ipso difformitatem asserere, quæ humorum diuersitati respõdeat. Perinde enim, atq; cælestis calor, vnus existens, ex dissimili materia, & ranas producit & pisces, in lacubus stagnãtibus: ita iecoris calor, bilẽ vtrãq; ex impuriore parte chyli, & sanguinẽ ex puriore producit. Nec tamẽ ob partiũ alimẽti, quã diximus diuersitatẽ, necessariũ putet quispiã esse, ex quocunq; alimento, quatuor semper generari humores. Siquidẽ iuuenibus, potissimũ si calidiori natura sint, ac vitã degant laboriosam, totũ mel vertitur in flauã bilem, 2. lib. de naturalibus facultatibus ad mediũ, autore Galeno. Erit autem bilis ex melle genita, non vndiquaq; similis, sed ex partibus calidioribus calidior, & ex frigidioribus minus calida. Nec obstat quod tertio adducitur, nam venæ non sanguificant vi propria, sed facultate à iecore distributa, sexto libro de Placitis ante finem autore Galeno. Quare errat Vesalius, tertio libro de humani corporis fabrica, capite primo, & libro quinto, capite septimo, aduersus Galenum affirmans, venam non posse sanguificare, eo quod (inquit) in omni naturali partium nostri corporis concoctione, concoctum necessario sibi concoquentis colorem ascitscit: venæ autem albæ sunt: igitur in album, & non in rubicundum, commutabunt appositum Alimentum. Sed futilis est hominis ratio, quoniam si venæ illæ, dum sanguificant, agerent per ingenitam virtutem: in album colorem, & non in rubicundum mutarent. At quoniam virtus qua agunt, à iecore manat, rationi est consentaneum, vt in rubicundum, & non in album, commutent chylum. Distribuitur vero à iecore vis sanguifica, non secus ac ab igne vis calefaciẽdi, & à quocunq; agente naturali, vis agendi, intra propriam sphæram actiuitatis, à iunioribus philosophis appellatam: sphæra enim actiuitatis iecoris, venæ sunt. Sed quare cum omne agens naturale, in ambitum diffundat suam vim, iecur non vndiq; & in ambitum, sed per venas, vim sanguificandi exporrigat; dubium est. Cui nos respondemus, quod si ea quæ ambiunt naturale agens fuerint apta ad suscipiendã vim agentis: agẽs vndiq; vim suam deriuauit, vt in igne nostro apparet, qui vim calefaciendi diffundit per aërem in ambitum. Si vero corpora, quæ circumcirca agens sunt, non om-

nia, sed quædam fuerint apta, ad suscipiendam actionem agentis, in corpora apta, tantum distributio fiet, minimè verò in inepta. Sic ignis in sua sphæra, aërem sibi conterminum calefacit, & exsiccat, cælum verò nulla afficit qualitate. Sic iecur ex sui natura, vim sanguificam vndique distribuit: non suscipitur autem nisi in venis, nam septum transuersum, ventriculus, & intestina, cæteræque conterminæ partes, ineptæ sunt vt facultatem sanguificandi suscipiant. Sic cor vim pulsatilem arterijs, cerebrum sensificam & motoriam neruis, & testes procreatricem solis vasis seminarijs transmittit. Exorta enim, ob similitudinem quam habent in substantia, cum suis principijs, aptissima sunt vt eorundem vires suscipiant.

Locus verò generationis pituitæ, quod quarto dubitabatur, varie à varijs interpretatur, quorum sententias hic non recensebo, tum breuitati studens, tum ne aliena fortè detexens, mea videar commendasse. Ego sanè de pituitæ generatione ita censeo. Alimenta ingesta, primam confectionem, atque mutationem in chylum, summunt in ventriculo: omnem autem alimenti mutationem, duplex sequitur excrementum, alterum crassius, alterum tenuius, autore Galeno, tertio Methodi post principium. Quare in ventriculi coctione, aliarum more, duplex excrementum resultabit, crassum alterum, atque feculentum, quod per aluum prorsus expurgatur, ad nihil vlterius vtile: alterum, vero tenue, quòd est accida, atque cruda quædam pituita, quæ non prorsus est inutilis. Pars enim ipsius ad iecur delata, magis cocta, & dulcis, atque naturalis redditur: atque hanc natura in venis seruat, nullumq; ei condidit organum, quo à sanguine mundaretur: nam vlteriori coctione, per longiores præsertim inedias, in probum sanguinem verti solet. Pars verò quæ cruda manet, in ventriculo & intestinis, omnino inutilis cum sit, non alterari, sed vacuari postulabat, vt autem cõmodissime ac citissime vacuaretur, machinata est natura, meatum quendam, à vesica fellea, in ieiunum intestinum deriuatum: per quod bilis delata, quandiu rectè ac naturaliter, animal se habet, pituitam omnem, sua detergendi quam habet facultate deradit. Cur autem meatus hic, non in ventriculum, sed in intestina feratur, & pulchra plura, huc spectantia, reperient studiosi, apud Galenum quinto de Vsu partium, non longe à principio. Pituita ergo accida, cruda, & excrementosa, in ventriculo gignitur, est enim tenue excrementum chyli. Ex hac in iocinore, generatur pituita altera, cocta, dulcis aut insipida & naturalis, quæ quartus est humor, secundo de Facult. natur. ad finem autore Galeno: quæ tamẽ, verius dicetur, vlterior aut perfectio aut elaboratio, quam generatio. An vero generetur etiã ex chylo pituita in iecore, sicut alij humores, si percontetur quispiam? Probabiliter existimamus, ex chylo apud Galenum, pituitam non generari. Primo, quoniam partes crudæ, ex quibus fit pituita, in ventriculo fuere separatæ. Secundo, quia in coctione quorũcunq; succorũ, duo tantũ agnoscit excremẽta Gal. 3. Meth. crassum, & tenue: & speciatim in sanguinis cõfectione, duo recẽset (vini exemplo) florem scilicet, & fecem, secũdo de Facult. nat. & quarto de Vsu partiũ,

vbi

vbi nihil de pituita meminit. Quã non esset prætermissurus, si ex chylo generari fuisset arbitratus. Neque enim multum arridet, opinio quorundam, qui aqueas partes sanguinis, pituitam esse arbitrantur. Nam sicut bimestre vinum (inquiunt) à fecibus & spuma iam expurgatum, gustatu subcrudum, austerum, & minime acre deprebenditur: quod crudis partibus, visum fugiẽtibus, perfussum sit, quas antiquitate vini calor, euincit & coquit: sic in sanguine, à quo vtraq; bilis secreta iã est, crudus quidã humor confusus permiscetur, qui pituita appellatur. Quæ tamen sententia nõ placet: Primo, quoniã serum est hoc, non pituita, quod in oleo absumitur insolatione, sale iniecto, aut frumẽto circũcirca apposito, vt scribit Galenus secundo simplicium cap. 17. In vino vero, atq; fere in omnibus succis, antiquitate euanescit: in sanguine autẽ à renibus & emulgentibus separatur, & etiam suapte spõte absumitur, sicut in alijs succis omnibus. Secũdo, quoniã aqueum hoc recrementũ, compositum est ex aërea essentia, & tenui serosa, secũdo simplicium citato: quare tenuissimam habet substantiã, pituita vero crassissimã & frigidissimã. Tertio nam pituita, actione caloris in sanguinem migrat, serum vero hoc, non migrat in aliud, sed exoluitur. Hanc nostram de pituita sententiam, confirmãt omnia Galeni testimonia, superius allata, nam libro de natura humana, Mores animi sequi dixit, abundantiam vnius è tribus humoribus, in epate genitorum, non pituitæ: hæc enim in ventriculo prius genita, eatenus à natura seruatur, quatenus in ventriculo, & venis, vlterius alterata, dulcescit, & aut in sanguinẽ vertitur, aut sanguini fit maxime affinis. Quare mores animi nõ pituitæ, sed sanguini sunt tribuendæ. Satius enim est, sicut litera iacet, Galenũ interpretari, quã ad rationis leuitatem & ad nescio que verbo φαίνεται quod quidam faciũt, recurrere. Libro quoq; de attra bile, pituitosum humorem in ventriculo generari: Sicut biliosum & melancholicum in iocinore dixit. Nam vti iecur sanguinem conficiens, duo exterit excrementa, bilem, & melancholicum succum: ita ventriculus in chyli confectione, superuacua pariter exterit duo, pituitam & feces. Libro præterea secũdo de Victu acutorum, media pituitæ generatione, cibi in sanguinem transeunt: est enim pituita, media inter cibos & sanguinem, nõ vt quidã putant, inter chylum & sanguinem. Nec obstat, quod libro de attra bile, & secũdo libro de victu acutorũ, particularem tantum sententiã, tulerit Galenus, de pituitosis cibis. Primo quoniã maior copia & euidentior, ex pituitosis, quã ex alijs cibis gignitur: & ob id euidentiori, videtur vsus exemplo Galenus. Secundo, quoniam aperte subdit, Non modo pituitosis cibis id contingere, verum & quibusdam etiam eorũ, qui salubres admodũ esse videntur, vt pani chondro & semidali. Quibusdam sane dixit, non omnibus, nam ex melle aut alio simili, in valde biliosis, nulla gignetur pituita: ex pane vero atq; frequentibus & necessarijs hominum cibis, pituita semper gignitur. Nam quæ quæso hominum, aut cena, aut prandium, sine pane fit? aut quæ præter panem, carnem, piscem, aut olera, pane ipso pituitosiora satis, non recipiat? ex quibus palam fit, pituitam crudam, accidam, & excrementosam, in prima ven-

triculi confectione creari, quæ tamen nunquam fit naturalis, nisi in iecore dulcescat, & ad sanguinis naturam proxime accedat. Ob idq; quatuor humorum naturalium autor est iecur, innaturales vero humores, alubi generari non est indecens. Humores quoq; in iecore & secũda coctione geniti, in tertia posse vitiari, & tumores præter naturam excitare, vt tertio libro de causis symptbomatum retulimus, consentaneum est. Quod vero quarto libro de morbis, Hyppocrati adscripto, capitibus octauo & nono, ventriculum alimenta in quatuor humores conuertere, illius autor dixit: sicut & quod lienem aquæ, vesicam felleam bili, sanguini cor, & pituitæ caput adscribit, vt fontem, & instrumẽtum, in quod suscipitur: inelaboratũ est, & excusatione dignum: Quoniam ars, quæ rudis tũc; & inculta erat, per hæc & similia alia, quæ minime vera sunt, fuit adiuta, vt proxime tunc ad veritatẽ accederet, & posterioribus ad ipsam inueniendam manum daret.

Caput quartum, an omnes humores abundãtiores *efficiat, temperatum iecur, quam intemperatum.*



N iecur temperatum, singulos humores augeat, plusquam intemperatum, in dubium vocant quidam. Putat autem Iacobus, plus pituitæ à temperato, quã à calido epate generari, ob maius robur virtutis, cuius ratione, plures partes alimenti, potest in probum sanguinem commutare, & plures etiam alias, in sanguinẽ crudiorẽ. Simili autẽ argumẽto credere videtur, eo loci quo Galenus cerebri signa exponit, plus bilis atque sanguinis, in temperato epate generari: quo enim validior virtus est, eo plus eliciet humoris, ex partibus in alimẽto, vnicuiq; succo respondentibus: ex igneis plus bilis, ex aqueis pituitæ, ex terreis melãcholici succi, & ex aëreis sanguinis. Quare vnusquisq; humor, magis abundabit, in temperato corpore, quam in quolibet intemperato. Sed fallitur, nam quod à ventriculo, per meseraicas in iecur, ducitur alimenti, id omne, in quatuor humores, & serum transit: quo igitur iecur, vnius humoris plus gignit, eo magis deficiet materia, reliquis humoribus tribus generandis. Nam serum, aqua cum sit, quæ in iecore alteratur, & cũ pauca bile miscetur, in humoris substantiã transire nequit. Neq; enim vlla ratione aqua coctionẽ patitur, Quarto libro Metheororũ autore Aristotele. Ob idq; natura, eius vacuationi intẽta, renes condidit, qui substãtiæ quadã proprietate, serum à sanguine separarent. Tẽperatũ ergo iecur, & quod calidũ & humidum est, plus sanguinis, & reliquorũ humorum minus eliciet: frigidũ vero, & quod frigidũ & humidum est, plus pituitæ: sicuti frigidũ & siccũ, magis melancholici succi: Calidum quoq;, & eo magis quod calidum & siccum est, bilem habebit abundantiorem. Calidum quidem, calore tantum à temperata bile excedentem: calidum vero & siccum, non modo calore, verum & siccitate, exorbitantem bilem creat. Nec enim magni momenti quippiam ad

ferunt

ferunt, qui calidi hepatis bilem, sicciorẽ temperata ponũt: eo quod caliditas (inquiũt) iecoris, maior temperata, bilem vlterius exsiccat. Sed horum sententia facile redarguitur, nam calor hepatis, quantumlibet temperato sit maior, carnem hepatis, non reddit, temperata sicciorem, ergo nec bilem. Sicut enim calidius iecur, solo calore temperiem excedit: ita bilis ab ipso genita, nihil probibet, solo calore, à temperata bile discedere. Nec mirum videri debet, quod calefit, nihil interdum exiccari: aër enim aquam calefaciens, nihil prorsus exiccat, alioquin in se nunquam eam conuerteret.

Caput quintũ, quod omnes humores simul a *iecore prodeant, & quæ sit humorum, inter se mensura naturalis.*



E ordine quo à iecore prodeant humores, statuunt plurimi, frigidos prius generari, calidos vero posterius. Nam iecur non simul, sed gradatim suam qualitatẽ inducit: prius ergo frigidorum, quam calidorum dispositionem creabit. Sicq; prima omnium gignetur pituita, quæ frigidissima est: deinceps attra bilis, quæ à temperato generatur calore secũdo de Facultatibus naturalibus autore Gal: mox sanguis, qui calidus iam est: vltimo verò, bilis calidissima. Sed ridicula est hominum ratio, nam non ex eadem parte alimenti, quatuor gignuntur humores; sed ex diuersis: in quas iecoris calor æquabiliter penetrãs, quo tempore ex mediocri portione, sanguinem facit: eodem ex calidiore bilem, & ex terrena melãcholicum succũ creat. Adhæc iecur sua actione, sanguinem conficit, & duo istius coctionis exterit excrementa, bilem & melancholicum succum: simul igitur prodeant est necessium, nõ enim excrementum est, nisi ab alimento secretum, nec alimentum, nisi excrementa vomerit. Pituita vero, quo tempore reliqui humores generantur, naturalem dulcorem, & cum sanguine affinitatem accipit, omnes ergo generantur simul & non separatim.

De proportione quoque, & naturali mensura, humorũ inter se se, nihil certi statuere oportet. Licet enim diuersi diuersa sentiãt, soli tamẽ naturæ, plene id cognitum esse vel eo constat, quod rerum quantitas, omnium maximè in coniectura versatur: atque ea est, quæ artem Medicam, quam maxime coniecturalem reddit. Ratio tamen persuadere videtur, sanguinem reliquos copia vincere. Primo quoniã naturæ familiarissimus est, & calore atq; humiditate, ad vitã maxime necessarius. Secũdo nã pluri constamus sanguine, quam pituita, aut bile vtraq;, ergo pluri etiam sanguine nutriemur, ex eisdem enim constamus & nutrimur. Tertio nam nutritio est reparatio absumpti, absumptum autem magna ex parte est aëreum, cui inexistit innatus calor. Ergo sanguis cum sit aëreus, maiori copia quam cætera reparatur. Quod voluit Gal. octauo libro de Placitis, vbi ita scribit: Ex cibis quidẽ sanguis in hominibus

nibus gignitur, & pituita, & gemminæ biles, sed sanguis plurimus, vnde solus ex omnibus in venis apparet, alia pauciora creantur. Post sanguinem, pituita abundat, initiatus sanguis existens: & nullum receptaculum habens, quo à sanguine mundetur. Tertium locum tenet bilis flaua, vna enim qualitate cum vita conuenit, altera aduersatur. Cui accedit, quod ex igneo excremento, periculum marcoris calidi innati, per humidi exiccationem impendet. Omnium minus est melancholici succi. Primo quoniam magna pars terreni excrementi, ex quo melancholia constat, fuit in ventriculi confectione separata. Secundo, quoniam melancholiæ receptaculum, maius est quam vesica fellea, exquisitius igitur repurgabit sanguinem. Tertio, nam melancholicus succus, vtraq; qualitate est vitæ contrarius, frigiditate scilicet & siccitate: Minor igitur eius, quam aliorum erit copia. Accedit, quod cum frequens morborum causa, sit obstructio: decuit melancholici succi, qui ad obstruendum est paratissimus, copiam minorem, in bene constituto corpore congeri. Nec verum est, quòd quidam arbitrantur, in sanguinis missione plus subsidere lutulenti, quam innatet biliosi: nam tũ sensuum iuditio, tum rationibus dictis, contrarium potius euenire (cum Alexandro Aphrodisiensi secundo problematum, & cum Mose secundo Aphor.) censemus.

Caput sextum, de humorum inter se, *actione reciproca.*



VM quatuor succi à iecore ex alimento geniti, & per corporis venas distributi, diuerso constent temperamento, & valde dissidentibus qualitatibus insigniantur, pugnabunt inter se se reciproca, & necessaria quadam actione, ita vt nullius eorum qualitas [...]modo exorbitet, alterius contrarij occursu coërcita. Ex omnibus autem sibi inuicem copulatis, totalis vna complexio surgit & forma, cuius ratione vnum per se, & non per aggregationem, redditur sanguinea massa appellata. Sic enim in lacte euenire cernimus, vbi serũ, pingue, & caseus, vna lactis forma superueniente continentur, quibus dissolutis, non manet amplius forma lactis. Sic in rosa, lentibus, brassica, & multis aliis, diuersæ aduertuntur (sub vna cõmuni forma) partes: Vt quid ergo in sanguine non ita eueniet? Nam & secundo libro de elementis Galenus, docere studens, sanguinem non esse vnum, lactis exemplo est vsus, quòd vnum apparens plura continet. Perinde igitur sentit sanguinem esse vnum atq; lac, nam & lac ex sanguine fit. Si fermẽtatio præterea, ponitur in Medicis compositionibus, vbi contraria coëunt medicamenta, libro de Theriaca ad Pisonem capite decimo tertio, & decimo quarto, & libro de Pthisana, capite quarto, autore Galeno, vbi scribitur, quòd confusis multis coëuntibus, credendum est ipsa peruenire ad vnitatẽ quandam, diuersam ab omnibus, per quã operantur: multo magis ad eam vnitatẽ peruenient humores contrarij, intra corporis vasa multifariã misti, &

calidi natiui alteratione agitati. Est autem huiuscemodi adeo leuis humorum mistio, vt leui quacunque occasione peruertatur, nam sanguine per venæ sectionem extra vasa effuso, innatat in eo biliosum, & subsidet lutulentum. Intra vasa quoque, si humorum alteruter, aut quantitate aut qualitate, à naturali & modo & mensura excesserit, statim ab humorum vnitate recedit, difficile à natura gubernatur, facile putrescit, & morbum parit: biliosum, si bilis fuerit: pituitosum, si pituita: sanguineum, sanguis: & melancholicũ, succus atter: Neq; aliter fiunt tertianæ, & quartanæ, quotidianæ, & continentes febres, atque alij morbi, ab humorum vitio nati. Atque hæc, de humoribus in vniuersum dicta sufficiant, de vnoquoque autem sigillatim, deinceps dicemus, à sanguine orsi.

Caput septimum, de quarta sanguinis *substantia medicis appellata.*



ANGVINEM qui sit quarta substantia, à tribus alijs humoribus diuersa, ab humorum numero eximere, conatur turisanus monachus. Existimat enim, friuolis quibusdam rationibus persuasus, præter vtramque bilem & pituitam, nihil in venis contineri, sed ex his tribus sanguinem constare. Primo, nam tot credit esse humores, quot humorum excrementa, nam hæc ab illis deciduntur. Sunt vero excrementa biliosa in felle: pituitosa in ventriculo: melancholica in liene: sanguinea nullibi: ergo præter tres primos humores, nullus reperitur sanguis. Secundo, nam lac, in tres tantum partes dirimitur, fit autem lac ex sanguine, nulla parte ipsius sanguinis amissa, ergo in sanguine pariter tres, non quatuor erunt partes. Quod & sanguis ipse, per sectam venam detractus monstrat. In tria enim secernitur aquam, rubrum, & nigrum subsidẽs. Tria præterea in vrina videntur, spuma, liquor, & hypostasis: tribus igitur humoribus, non quatuor respondebunt. Quarto, quoniam tres tantum sunt, putridarum febrium periodi, tribus humoribus à sanguine respondentes, nullus ergo est sanguis: nam si eßet putreret, & propriam periodum nancisceretur. His adde quod natura, expurgantia pharmaca condidit biliosa, pituitosa, & melancholica: sanguinem vero expurgans nullum, quoniam præter illa tria, nullus habetur sanguis. Sed absurda est hominis sententia, primo, nam si sanguis sit congeries pituitæ, & vtriusque bilis: cum bilis attra, & pituita sint frigida, vniuersus sanguis, frigidus foret. Et cũ bilis vtraq; sit sicca, sanguis mistus ex vtraq; bile sicca, & pituita humida, siccus esset. Secundo nã ex albo, pallido, & attro mistis, nõ resultat ruber color, vt cõstat miscenti, cerusam, sulphur, & attramentũ: pituita vero alba est, bilis pallida, melãcholia attra, ergo ex eis, nõ cõsurget sanguis rubeus.

E Quod


Quod etiã experimento constat, nam si misceãtur extra, bilis vtraque & pituita, non euadent rubra. Tertio, ex insipido, amaro & acerbo, non fit dulce, vt constat miscenti, aquam, aloën, & sorbam immaturam, aut quid tale: pituita vero est insipida, bilis amara, melancholia acerba, ergo ex his mistis, non resultabit dulcis sanguis. Alimentum præterea omne, ex quatuor elementis concreuit, in quatuor igitur humores, singulis elementis respondentes, vertatur par est. Adhæc in temperato corpore, mediocris est sanguinis copia, in calido autẽ & humido abundat, in calido vero & sicco deficit, libro artis medicinalis de signis iecoris autore Galeno: Si igitur sanguis, sola est trium humorum massa, necesse est, in calido humidoque corpore, vel plus pituitæ cõtineri, vel plus flauæ, aut attræ bilis. Si pituitæ, in frigido humidoque corpore, plus erit sanguinis, quã in temperato: Si attræ bilis, in frigido & sicco, plus erit: Si bilis flauæ, in calido siccoque corpore, sanguinis copia abundabit: quæ omnia apertissime falsa sunt. Præterea experientia constat, medicamenta acriora, postremo sanguinẽ educere, reliquis humoribus iam foras euocatis: si vero sanguis, est sola trium humorum congeries, nulla ratio est, cur omnibus humoribus seorsum attractis, congeriem trahat. Neque enim magnes, si ferum imprimis traxerit, mox lignum, demum paleam, deinceps omnium congeriem trahet. Adhæc vbi agens quædam coquit immodicæ, & alia infra modum, necesse est vt quædam moderate coquat & assimilet. Id autem moderatum, est quod sanguinem appellamus, medium (inquã) biliosorum atque crudorum. Vlterius reperitur sanguis crudus, qui pituita nũcupatur, ergo reperietur etiam perfecte coctus, is autẽ triũ humorũ summa esse non potest. Sãguinis insuper intregre cocti, quælibet pars integre cocta est: pituita vero, nõ potest esse integre cocta, ergo neq; erit, integre cocti sanguinis pars. Pituita præterea, necessitatis tẽpore, in sanguinem conuertitur: pars autem in totum, minime cõuerti potest: oportet igitur sanguinem, qui suus sit humor reperiri. Sanguis itidem, in flauam bilem facile conuertitur, trium autem illorum congeries, non potest facile in bilem decedere: nam pituita difficulter, melancholia difficilime, flaua autem bilis, in seipsam non commutabitur: ergo sanguis debet dari, qui quartus atq; simplex sit humor. Vno præterea contrariorum posito, necesse est in eodem genere alterum poni, in genere autem humoris, melancholia est frigida & sicca, ergo alterum reperiri, calidum & humidum est necesse. Ex differentia quoq; partiũ enutriẽdarum, quartã sanguinis substãtiam statuere, necessariũ arbitror. Vt enim quædã reperiũtur partes, ad quas reliqui humores accõmodari possunt: ita quædam etiam deprehenduntur, calidæ & humidæ, vt caro: quædam temperatæ, vt cutis: quæ non nisi puriori sanguine nutriri possunt. Nec monachi argumenta, multam vim inferunt, nam non est opus, ex omnibus humoribus, aliquod superesse excrementum, sed tantũ ex impurioribus. Adde quod ex sanguine, quandoque superfluere videtur, mulieribus per mẽses, viris quandoq; per Hæmorrhoydas, interdũ per nares, nonnunquã per vomitiones, aut alui excrementa, interdum nulla parte erũpens, ad membrũ aliquod

con-

confluit, & inflammationes parit, aut in vasis contentus putrescit, & continentes febres creat. In lacte vero quatuor esse partes, ratio dictat: Butyrum calidum & humidum, sanguini respondet: nam non video quomodo cum bile (vt adstruũt quidam) posit comparari. Caseus respondet succo melancholico: Serum vero in duas partes dirimitur, aquosam vnã pituitæ respondentẽ, cuius ratione, serum & vniuersum lac, frigidum & humidum est, quarto simplicium, capite decimo septimo, autore Galeno: Acrẽ alterã & biliosam ratione cuius, serum ipsum vlcerat, aluum soluit, & extenuat humores, vt scribit Galenus, tertio libro de alimentorum facultatibus capite decimo quarto: pueris apthas inducit & vim habet abstergendi tertio Aphorismorum commentario vigesimo quarto. Atq; huius partis ratione, numeratur serum, inter salsuginosa, secundo simplicium, capite duodecimo autore Galeno. Adde quod non est necesse, vt lac, aut sanguis, aut quoduis aliud mistum, quouis artificio, ostendat numerum componentium. Quædam enim nunquam separantur, vt aurum: Alia separantur, in pauciora componentia, quam intrarint compositionem: vt lac, coaguli vi, in caseum tantum, & serum dirimitur: vi vero ignis, pars pinguis, à reliquo lacte separatur, & ab ambientis frigore, in superficie concrescit. Sanguis etiam perfrigeratus, in aquam & grumum: exassatus vero, in bilem flauam, & atram resoluitur. Quare falsum est, quod existimant, sanguinis detracti tres partes, quas ostendunt, tribus humoribus respondere. Pars enim rubea quæ multa & crassa visitur, non respondet bili: tenuis enim & pauca bilis, per vasa, integre valentium fertur. Serum etiam lactis, cum tenue sit, non respondet pituitæ crassæ: Nec caseus plurimus, melancholiæ: quæ in sanis paucissima cum sanguine fertur: Nec etiam butyrum, dulce cum sit, atque temperatum in actiuis, & humidissimum in passiuis, bili calidissimæ, siccissimæ, & amarissimæ, potest respondere. Tria præterea quæ in vrina spectantur: spuma, liquor, & hypostasis: tribus humoribus non respondent. Nã spuma, non in omni habetur vrina, sed vbi crassus, & sub crudus flatus, intercluditur liquori: Liquor vero, serum est alteratũ, & nonnihil bilis adeptum Hypostasis autem est, quidquid alimenti, in sanguinis generatione, naturæ refugit confectionem. Tres præterea esse, periodos febrium intermittentium, tribus humoribus respondentes, par est. Nam sanguis, ob perpetuum feruorem, continenter facit febricitare. Adde quod sanguis, ante transitum in bilem, dum incipit putrere, per tertium repetit: vnde non biliosam, sed quodammodo biliosam, eam febrem appellauit Galenus, secundo libro Crisium capite duodecimo. Vt vel hinc constet, mala fide Auicennam, Galeni verba retulisse, dum ex Galeno refert, Sanguis cum putresit, colera fit, & non est sanguis. Galenus vero, solum dixit, Non manet bonus sanguis, sed fit biliosus. Male quoque refert Auicẽna, febris fit colerica, Galenus enim scripsit, quodãmodo biliosa fit. Inuẽta præterea fuisse, medicamẽta sanguinẽ expurgantia, testis est Galenus libello de facultate purgantiũ medicamẽtorũ capite quarto: Et Petrus de Appono, in suo conciliatore, differẽtia centesima de-

cima quarta, suo tempore, repertam fuisse herbam æmagogam, testatissimo experimento perhibet. Nec tamē ea desideramus, quoniam superfluus sanguis, fœlicius venæ sectione, quam vi pharmaci educitur.

Caput octauum, de sanguinis temperamento, proprio, & accito.



HYPPOCRATES libello de corde, & Aristoteles secundo de partibus animalium capite secundo, & Celsus libro quarto capite tertio, sanguinem propria substantia, frigidum asseuerant: calidū vero & fusum ex accidenti, quoniam scilicet, frigidus existens, à corporis calore incalescit, atque vt feruens aqua, ab igne, non à se, habet calorem: ita et sanguis, per venas & arterias, iecoris & cordis suscipit influxum. Argumento est, quod venas egressus gellatur, acciduo calore euanescente. Adhæc fœminæ quæ pluri sanguine abundant, sunt frigidiores maribus. Cum præterea proximus est, vt in substantiam ossis vertatur, necessario frigescit. Nec à Galeno abhorret plurimum hæc opinio, nam primo de Temperamentis ad finem, & libro de Fœtus formatione, à corde sanguinem, suum calorem accipere fatetur. Contra vero est veritas, nam materia ex qua fit sanguis, calida est & humida, pinguior scilicet, atque aërea alimenti pars: Sanguinem efficiens iecur, calidum & humidum: igitur confectus sanguis, necessario calebit, atque humebit, tum ex materia, tum ex agente. Nec obstat, quod sanguis apud Galenum, primo libro de Sanitate tuenda, capite secundo, plus habet, substantiæ aqueæ terreæque, quam igneæ & aëreæ. Nam de sanguinea massa, ibi loquitur, in qua quanuis terra & aqua, quantitate exuperent: Vi atque potentia agendi, superantur ab igne & aëre. Quare vt idem ibi subdit Galenus, calidum in ipso, superat frigidum, & humidum excedit siccum. Si autem de sanguine, qui quarta substantia est, ibi mentio foret, aëreæ potius substantiæ, esse diceret, quam aqueæ aut terreæ. Adhæc sanguis custoditur calore, & corrumpitur frigore, dum extra vasa effunditur: conseruatio autem omnis est a simili, & corruptio á contrario, ergo calidus & nullatenus frigidus est sanguis. Adde quod si non esset naturalis, sed accitus, sanguinis calor, non inesset ab ortu: nam quod alteri influitur post ortum, accidere consueuit. Si sanguis præterea, solo cordis influxu, esset calidus, sanguine quantumuis largius educto, non refrigesceret corpus: at manifesto refrigerari constat: ergo proprium calorem habet. Et vt Galenus adstruit, libro de sanguinis missione, capite quinto, natiuus corporis calor, perseuerantiam ex sanguine obtinet. Si frigidus præterea esset, non obstaret iecoris frigiditas, quo minus sanguis generaretur: adeo vero officit, vt loco sanguinis aqua in hydropicis generetur, calidus igitur dubio procul erit. Sed quo gradu, quaue mensura caleat, dubium est.

Cui dicendum: Sanguinem ex se modice calere, & ob id temperatus statuitur, primo de natura humana commentario quadragesimo: Nec obstat quòd quidam asseruut, de sanguinis massa, id intellexisse Galenum: nam quanuis ita sit, quarta etiam sanguinis substãtia, modice calet: eo quod à temperato fit calore, sicut bilis ab immodico, secundo libro, de facultatibus naturalibus, capite secundo autore Galeno. Argumento etiam est dulcedo, quæ in vnoquoque corpore, inest a moderato calore quarto simplicium capite decimo. Sanguis præterea, est omnium humorum optimus, secundo de temperamentis capite tertio; esset autem pessimus & putredini maxime opportunus, si calidus immodice, pariter & humidus foret. Vlteriorem autem calorem, suscipit sanguis à corde, tertio de Temperamentis ad finem, autore Galeno, & Planius libro de Fœtus formatione, vbi ita scribit: Nullum animal exangue, est manifeste calidum: Neque manifeste calidum exangue. Nam sanguini qui est in venis, absque cordis calore, tepida quædam caliditas insita est, & propterea etiam in iocinore. Cor vero, quasi quendam ignis focum, animalia sortita sunt. Sine corde enim, sanguineorum animalium calor, persimilis est calori qui æstatis tempore in domibus sentitur. Sed quemadmodum domus, incenso in ipsa igne, calidior redditur, ita & animalium corpus, ex corde, maiorem calorem acquirit, quam is sit, qui venis & iecori insitus est, & sanguini videlicet in ipsis contento. Hæc Galenus, ex quibus, nostra quam diximus, deprompta sententia est. Insuperque, tam sanguini, quam iecori eius autori, tepidam caliditatem inesse, ex eo loco elicimus. Vtra autem sit calidior, dubitant quidã? Cui dicẽdum: Iecur esse calidius sanguine, quoniã cum sanguinis qualitates, à iecore ceu ab efficiente dependeant, vsq; ad perfectam assimilationem, & conuersionem in iecoris substantiam, nunquã erunt, iecoris qualitatibus æquales. Neq; obstat, quod sanguis ferueat, & magis excalfaciat tangentẽ, quam iecur: huiusmodi enim feruorem, à corde, & spirituum permistione accipit. Sine ipso enim, tẽperatum calorem, & modice excedentem habet, vt è libro de Fœtuum formatione mox retulimus. De sanguinis ergo temperamento, statuere oportet: Quod quarta eiusdem substantia, modice calet, & non valde distat, à medio temperamento: calidior tamen est, atq; humidior, quam sanguinea massa: quæ tamẽ, quanuis exacte tẽperata, & ad pondus non sit, temperata tamen dici debet, quoniã calidum frigido, in ipsa, non magnopere excedit. Nam ob id, tẽperatissimum sanguinem, hanc massam appellat Galenus, primo libro de natura humana, cõmentario quadragesimo. Quoniã scilicet, quarta sanguinis substantia, quæ in ipsa maxime abundat, temperata erat, & adhuc magis temperatur, permistione reliquorum trium. Ergo tẽperatissima euadat, necessarium est. Idque monuit per verba sequentia, quæ ibi subdidit Galenus, Postea quam itaq; & ipse indiget sanguis, quatuor qualitatibus, humiditate, siccitate, calore, & frigore: nemini dubium est, quin cũ reliquis humoribus, postullet cõfundi: quo fit vt temperatissimus sanguis, pituitæ sit, & flauæ, attræque bilis particeps. Quare non placent, qui sanguineam massam, temperatam ponentes reprehendunt:

siquidem præterquam quod à Galeno discedunt, ita temperati & temperatißimi vocabulo vtenti: rationibus etiam medicis aduersantur. Primo nam quarta sanguinis substantia, modice calet vt diximus: bilis autem calidißima, mistione pituitæ, & melancholiæ, valde frigidorum, exacte temperari potest: ergo vniuersa massa temperata est. Secundo, nam omnia membra, tam calida quam frigida, æqualitatem seruant inter se, vt ex omnium actione, resultet in cute, media fere temperies. Ergo massa sanguinea, ex qua omnia sunt nutrienda, eam æqualitatem, aut fere, debet seruare: iisdem enim constamus, & nutrimur. Nec contrarium est, sanguinem menstruum, qui est alterum generationis nostræ principium, nõnihil calere, vt primo libro de Sanitate tuenda adstruxit Galenus: exiguus enim excessus, temperati nomẽ, non adimit, insignis namq; latitudo, vnicuique tribuenda est temperamento. Male præterea argumentantur, quod si temperati corporis sanguis est temperatus, corporis pituitosi sanguis, frigidus esse deberet, cum tamen nullus sanguis frigidus sit, apud Galenum decimo libro simplicium capite quinto. Male (inquam) argumentantur, primo quoniam sanguis, non ob aliud statuitur temperatus, quam quod calidum in ipso, non magnopere superat frigidum. Secundo quoniam decimo libro simplicium capite secundo, præfatus fuerat, se de sanguine animalis, secundum naturam habentis, qui re vera sanguis est, mentionem esse habiturum, non de pituitoso, aut melancholico. Tertio quoniam quanuis iuxta proprij temperamenti rationẽ, sanguis aliquis frigeret, ob cordis tamen, & spirituũ calorem, eßet feruidus. Nec obstant, quæ in contrarium adducuntur rationes, nam si ex congellatione, sumptum inditium, esset firmum: sanguis, oleum, & adeps, essent aqua ipsa, magis frigida, quoniam facilius gellantur, quam aqua. Adde quod congellatio, nõ nisi sanguini mutato accidit, a quo natiuus iã calor ipsius euanuit. Adhæc non est sanguis solus qui concrescit, sed simul cum sanguine, pituita, & bilis attra, quæ cum frigida sint, sanguinem sibi mistũ concernũt. Congellatur præterea sanguis, non quia frigidus, sed quia fibras habet, secundo libro de partibus animalium capite tertio autore Aristotele: vnde damarũ (inquit) sanguis, non concrescit, quoniam caret fibris. Fœminæ vero, non plus sanguinis generant, quã masculi: sed minus absumunt, ob temperamenti frigiditatem. Ob idq; menstruæ purgationes, ex eorum nutritione, supersunt singulis mensibus excernendæ. Ossa vero non nutriuntur sanguine immediate, sed medulla (vt diximus) quæ frigida est. Sed qui fieri poßit, vt ossa frigida, nutriantur sanguine calido, quantuncunque intercedat medullæ forma dubium est. Nam sanguinem in primis coquere debent, & omnis coctio calore perficitur, minus autem calida, quæ calidiora sunt, non possunt calore, conficere, à validiori enim calore, conficientur potius: vnde cocta omnia, calidiora euadere, docuit nos Aristoteles, quarto libro Metheororum, capite tertio: frigida ergo ossa, ex calido sanguine, nutriri nequeunt. Hanc dubitationem multipliciter soluunt autores. Primo quod oßa, sanguinem conficiunt, ope spirituum vitalium, qui ipsis oßibus, a corde demittuntur, sunt enim spiritus, sanguine

guine calidioris. Secundo, quod ossa nutriuntur ex sanguine generato, à frigidis alimentis, qui quanquam sit calidus actu, potestate est oßibus ipsis frigidior. Sanguis enim e lactucis generatus, licet actu sit oßibus calidior, potestate tamen frigidior existit, vnde frigefacit. Tertio, quod sanguis, quo nutriuntur ossa, est frigidior ipsis oßibus, ob plurimam attri succi mistionem. Sed prima solutio non placet, nam spiritus sanguinis, sunt calidiores, quam spiritus oßium: cumque sanguini in quo sunt, semper sint præsentanei, magis multo sanguinem calefacient, quam oßium spiritus, calefacere poßint eundem. Quare necesse est, quod oßium spiritus, refrigerent potius, quam calefaciant, si eo caloris, sanguinem perducere non possint, quo proprij, intraneiq́ spiritus extulerunt. Sanguis præterea non potest, in ossis naturam transire, nisi refrigescat: si igitur ab oßium spiritibus incalescit, nunquam in naturam oßis commigrabit. Secunda vero solutio, Galeno aduersatur, libro de causis morborum, capite sexto, vbi sanguinem, calidum & humidum potestate facit. Nam actu calidum, & potestate frigidum, sanguinem ponere, esset in Aristotelis explossam sententiam incidere. Sanguis ergo qui ex lactucis prouenit, actu & potestate calidus est, atque ipsis oßibus calidior. Quod si refrigerat, ideo est, quod naturalem sanguinem, qui calidior existit refrigerat: refrigeratus vero, ad carnem & ossa, frigidior descendit, & idcirco in frigidiorē carnem, oßa quoque frigidiora, commutari potest. Sed non propterea dubium solutum est, quo sciscitamur, quomodo oßa, sanguinem calore poßint cōficere. Nec tertia solutio placet plurimum, nam ater succus, quantumlibet multus sanguini misceatur, sanguis permanet, qui calidus & humidus necessario erit, & oßibus suapte natura frigidis calidior. Quomodo vero calida, coquantur à frigidis (vt nostra fert sentētia) facile intelliget, qui calidi innati substantiam, qualis sit intellexerit, est enim temperatura quædam, calido participans & frigido, varia pro corporum atq́ membrorum varietate. Hæc autem temperatura, aut naturalis calor, humidum commiscet & siccum, suisq́ locis distribuit. Quemadmodum corporis in quo est, natura expostulat, idcirco aliquando calefacit, si res offeratur frigidior: aliquando frigefacit, si res calidior subigenda sit: & vtrouis modo coquit. Sic mammæ, coctione sanguinem refrigerant: sic oßa, nutrimenta se calidiora coagulant: Sic cerebrum, spiritus animales, ex vitalibus calidioribus creat. Nec ob id fatendum est, coctum incrudari, nam si perinde refrigerarentur, ac dū aër frigidus, frigefacit lutum, aquam, & paleas: quæ omnia vt sors tullit compingit, incrudari fateremur. Seccus vero res habet, in generatione lactis, medullæ, & spirituum animalium: Tali enim ratione, frigefiunt à calido illo innato, vt humidum & siccū inuicem, quo oportet ordine, suis locis aptet, & disponat: id vero coquere est. Nā licet mammæ, frigidæ sint respectu cutis. Habent tamen temperatißimum calorem, gignendo lacti: & ossa, gignendæ medullæ: & cerebrū, spiritibus animalibus creādis. Quod vero Aristoteles, cocta calidiora euadere dixit, intelligendum est, similiora calido innato coquentis. Nam ex chylo fit sanguis, & ex sanguine rursus chylus, ex

sanguine caro, & ex carne rursus sanguis. Lac ex sanguine generatur, & in sanguinem rursus abit. Alterutrũ autem, alterutro calidius esse repugnat, nisi calidius hac parte id dici intelligamus, quod similius est, membro coquenti.

CAPVT nonum, an sanguis, sit bile calidior.



ANGVINEM suapte sponte, modice calidum esse, & cordis beneficio atq; influxu, calidiorem reddi, statuimus ante. An vero ad tantũ efferatur calorem, vt bile ipsa sit calidior, dubium est. Nam primo de temperamentis ad finem, hæc habet ad verbum Galenus, Humidissimũ frigidissimũq; in corpore pituita est, calidissimũ sanguis: non tamen est is, perinde humidus vt pituita. Siccissimum ac frigidissimum est pilus: Minus eo & frigidum & siccum est os. Ex quibus plane Galeni verbis sequitur, sanguinem esse bile calidiorẽ. Cuius tamen cõtrarium, aperte legitur, libro de inæquali intẽperie, in hæc verba: Calidissima natura merito est flaua bilis, at frigidissima pituita est, reliquorum humorum, sanguis post flauam bilem, maxime est calidus, sicut nigra bilis, post pituitam est frigida. Et libro decimo simpliciũ, capite de felle, sic scribit, Hic succus, omniũ quæ in quocũq; sunt animaliũ, calidissimus esse demonstratus est. Hanc Galeni cõtradictionẽ, soluunt quidam, ex diuerso librorum Galeni instituto. Nam libro (inquiunt) de Temperamẽtis de humoribus, agit tanquã de membrorũ idoneo alimẽto: est autẽ sanguis (inquiunt) in ratione alimenti, calidissimum quod est in corpore nostro, & bile ipsa, alimentitio calore calidior. Libro vero decimo simplicium, de Medicamẽtis agens, quæ ab animali summuntur, bilem dixit esse, calidissimum medicamentum. Libro autem de inæquali intẽperie, dum de excrementis, facientibus tumorem præter naturam scribit, bilem calidissimum docuit esse excrementum. Quare (inquiunt) in ratione alimenti, sanguis est calidior, in ratione vero aut medicamenti, aut excrementi, minus calet, quam bilis. Sed frustra se lacerant, Nam libro etiam de Temperamentis, bilem sanguine calidiorem ponit: male ergo ad libri institutum recurrunt. Secundo namq; libro de Temperamentis, capite quarto, ita scriptum reliquit Galenus, Succorum optimus, & maxime proprius, ac domesticus, sanguis est: huius veluti sedimentum, ac fex, attra bilis est. Quæ idcirco tum frigidior, tum crassior sanguine est, sicut flaua bilis, longe calidior: frigidissimum vero ac humidissimum, omnium quæ in animali habentur, pituita est. Ex quo patet, quod tam libro de Temperamentis, quam de inæquali intemperie, & facultatibus simplicium, bilis est absolute, omnium quæ in nostro sunt corpore calidissima, tam in ratione alimenti, quam medicamenti, & excrementi. In ratione quidem medicamenti, quoniam omnium animantium fel, magis est calfactorium, quam vlla alia, eiusdem animantis pars. In ratione excrementi, quoniã mala à bile nata, sunt æstuosissima, causi, erisipellata, ignes sacri, & alia huiuscemodi. In ratione præterea alimẽ-

ti est calidior, etiam si sola bilis nō nutriat: Nam quæ pluri bile, alijs humoribus mista aluntur, sunt calidiora: biliosus homo, non bilioso, & biliosum membrum, eo quod diuerso alitur humore. Satius ergo alij, sanguinem esse calidissimum, eorum quæ sunt in corpore nostro, inter ea quæ calida & humida sunt interpretātur. De calidissimo enim atq; humidissimo, loquitur Galenus primo de Temperamentis, sicuti proxime ante, de eo quod est frigidissimum simul ac humidissimum, & proxime post, de frigidissimo ac siccissimo est loquutus: Gemminas enim qualitates, ibi semper, non vnam recenset. Monstrant quoq; id, sequentia Galeni verba, quibus de sanguinis humiditate, calori coniuncta, mentionem habet. Sic enim scribit, "Calidissimum est sanguis, non "tamen est is perinde humidus vt pituita, ergo non modo de calore, sed etiam de sanguinis humiditate coniuncta, locus is Galeni est audiendus. Si de sanguine præterea, vt subit rationem alimenti, & non absolute is locus intelligendus foret, non faceret pituitam sanguine humidiorem: sanguis enim, humore alimētitio maxime abundat: sicut aqueo & excrementoso pituita.

CAPVT decimum, de Sanguinis *in alios humores transmigratione.*



IN bilem flauam, posse sanguinem cōmutari, constat primo, quoniam iecur calidum & siccum, nō redundaret plus alijs flaua bile, si sanguinis aliqua portio in bilem non decederet. Secundo ex frequenti euētu, quo cernimus, morbos sanguinis, in biliosos transmutari: & bilis statim more, per tertium repetere. Tertio quoniam dulce omne recalfactum bilescit, & amarum redditur: exemplo mellis. Sed iam hic subest scrupulus, nā si bilis, ex sanguine amplius incalescente fit, sanguine quoq; ipso, crassior euadat, videtur necessum: nam dum calescit tenuissimæ partes resoluuntur. Id vero naturæ atq; proprietati flauæ bilis, maxime dissonat, est enim omnium humorū tenuissimus. Sed soluitur, nam non ex vniuerso sanguine, flauam bilem fieri, dixit Galenus: sed ex tenuiore parte flauam, ex crassiore vero attram, erit ergo bilis genita, crassior parte sanguinis tenuiore, & vniuerso sanguine tenuior. Quod vero crassa sanguinis pars, in attrum vertatur succum, constat primo ob affinitatem coloris, & substantiæ: nam sanguinis feci, nihil sanguine crasso similius euadit, tum crassitie tum nigrore. Secundo quoniam ex sanguine crasso, atq; exusto, attrabiliares & exitiosi morbi, fieri consuescunt. Nam carbo ex sanguine crasso, plurimum incenso, & qui iam in confinio est attræ bilis generatur. Febris præterea quartana, morbos sanguinis interdum fuit sequuta, & tunc maxime cum opportunæ sanguinis detractiones fuerunt omissæ. Et ob id Auicennas, & omnes practici autores, quartanam sanguineā eam appellant. Sed iam hic pugnantia quædam Galeni loca se offerunt. Nam tertio libro de locis patientibus, capite sexto,

& libro ſexto Epidemiarum, parte ſexta, commētario tertio, & primo Prorrhetici, parte prima, commentario quarto, attrum ac craſſum ſanguinem, materiā eſſe, attræ bilis ſtatuit. Libro vero de Attra bile poſt principium, & ſexto Aphoriſmorum, commentario quinquageſſimo tertio, duplicē tantum eſſe docet, attræ bilis materiam melancolicum ſuccum, & bilem flauam. Dic vt Galenum a calumnia liberes, duplicem eſſe attræ bilis materiam immediatam, nam ſanguis medio melancholiæ, in confinio attræ bilis collocatæ, tranſit in attram bilem: autore Galeno libro ſecundo de diff. feb. capite duodecimo. Mediatæ vero materiæ ſunt plures, ſanguis ſcilicet, & cibus etiam externus. Quod vero ex ſanguine, pituita gignatur, exiſtimant nōnulli, nam in lac verti poteſt, eſt autem lac, medium ſanguinis & pituitæ, quinto libro, de Simpliciū medicamentorū facultatibus, capite vigeſſimo, autore Galeno: poterit ergo ſi tantundem rurſus in frigidius traſmutetur ſanguis, in pituitam abire. Sed contra eſt veritas, Nā pituita eſt ſanguine crudior, ergo ſi coctum nequit incrudeſcere, nunquam ex ſanguine gignetur. Secundo nam lac, non eſt medium tranſitus, inter ſanguinem & pituitam: pituita enim, immediata generatione in ſanguinē vertitur, & non medio lacte. Ergo ſi regredi deberet ſanguis in pituitam, non fieret prius lac. Tertio nam pituita per coctionem, fit ſanguis, & ſanguis vlteriori coctione, fit lac. Ergo magis abeſt lac à pituita, quam ſanguis: eſt enim lac magis coctum, pituita & ſanguine. Quod vero Galenus dixit, lac eſſe medium ſanguinis & pituitæ, intelligatur, quod habet temperamentum medium, id eſt nec adeo frigidum vt pituita, neq̄ adeo calidum vt ſanguis. Idq̄ aperte perſonant Galeni verba, quæ ita habent, In medio autē pituitæ & ſanguinis eſt lac, vtiq̄ quod ad calorem attinet: Non tamen æque ab vnoquoq̄ abeſt, ſed longius abeſt à pituita, propius accedit ad ſanguinem.

CAPVT vndecimum, de Temperamento *pituitæ*.

P*ITVITAE temperamentum quale ſit, iam indicauimus, dum Galeni verba, primi & ſecundi de Temperamentis percenſuimus. Quod nimirum, omnium quæ in noſtro corpore ſunt, frigidiſſima atq̄ humidiſſima ſit pituita. Nam quanuis pituita, ſuccus ſit, natus ex cibis iam in ventre coctis, nihilominus frigida tangentibus ſentitur. Neq̄ enim a corporis calore ſubacta, neq̄ à violentia tractus, dum per vim expurgatur, calfieri poteſt, tertio de Temperamētis capite quarto autore Galeno, & experimento conſentiente. Quod præter alia, monſtrat etiam aqueus, & inſipidus ſapor, qui nulla caloris impreſſione prouenit. Vnde quanuis dulcis pituita ſit naturalis, quoniā ſanguis eſt initiatus, non tamen hæc eſt naturaliſſima pituita, & elementum ſecundum quo conſtamus: ſed altera inſipida, in qua nondum calor, impreſſionem aliquam inuexit, quæ frigidiſſima eſt atq̄ humidiſſima,*

dißima, omnium quæ in nostro corpore sunt. Eamque natura seruat in vasis, quoniã ea ipsa indiget, pro nutritione corporis, eaque corpus ipsum, ceu ex elemẽto constiterat: constitit autem ex ea, non conuersa in sanguinem (alioqui ex tribus tantum constaremus humoribus) ergo ea ipsa etiã pituita insipida nutrimur. Qua etiam dum in vasis seruatur, abutitur natura ad alios vsus, nempe vt indigentiæ tempore, cum extra non suppetit alimentum, noster natiuus calor, ad eam conuertatur, eamque primo in dulcem, & mox in sanguinem, pro nutritione commutet, aliter enim sanguinem accenderet, & primogenium humidum vastaret. Sed obstare videtur, quod si natiui calidi substantia, consistit in sanguine, & pituita, vt autor est Galenus, octauo libro de Placitis post medium, calida potius quam frigida, statui deberet pituita. Galeni tamen locus mendo non vacat: Græcus enim codex phlegmati idest pituitæ, pro pneumati, idest spiritu legit. Eam autem lectionem fuisse genuinam, mostratur primo ex affinitate, atq; similitudine dictionum. Secundo quoniam hæc eadem sententia, legitur ab eodem Galeno, tum alias, tum primo aphorismorum commentario decimo quinto, vbi calidum innatum appellat, sanguinem & spiritum, qui intro cõmeat hyeme, & fœliciorem coctionem facit. Pituitam autem, nullibi ponit innatum calidum esse, nec id vlla ratione, mente comprehendere possumus.

Caput duodecimum, qualiter pituita, ab humore *crudo, & à muco distinguatur, & quotupliciter crudus humor summatur.*



ITVITAE nomine, omnem humorem frigidum atq; humidum (qualiscunq; is sit) intelligit nonnunquam Galenus, vt cõstat Galenum legenti, secundo de Febrium differentijs capite sexto. Secundo vero libro de Facultatibus naturalibus in fine, excremẽtum quod à cerebro destillat, à pituita separat, & mucum atque destillationem appellat, non pituitam. Pituita nãque similaris est, mucus vero dißimilaris, & vaporoso spiritu plenus, tertio de locis capite quinto autore Galeno. Crudum etiam quendam humorem, qui frigidus atq; humidus est, à pituita distinguit: quoniam pituita minus craßa est, ob multam humiditatem & spiritum flatulẽtum permistum: Crudus vero succus proprie nuncupatus, crassus est, & colore atq; craßitiæ adsimile puri: nec fœtet autem, nec lentus est vt pus, primo libro de alimentorum facultatibus capite de tritico autore Galeno. Quod vero dixit, crudum succum lentum non esse, subaudiatur neceßario, maiori enim ex parte lentus est, licet sine lentore interdum reperiatur. Quod voluit aperte Galenus, sexto libro de sanitate tuenda ad medium, vbi extenuãtem victus rationem, vtilem esse dixit, Ijsqui crudum congerunt succum, qui crassus quidem omnino est, non tamen perpetuo glutinosus. Ex quibus verbis patet, maiori ex parte glutinosum esse crudum succum, licet

contrarium quandoque contingat. Libro præterea de Plenitudine circa finem, crudum humorem ponit; alia pituita crassiorem, & minus flatulentum: & dum in vrinis subsidet, fauaceæ pulticulæ similem. Lentus ergo erit, si pulticulam representat: nam in omni pulte, lentor adest. Atque hæc est, humoris crudi, propriè sumpti, famosior aceptio. Nam aliter, omnem humorem vitreum, omnem accidum, & omnẽ aquosum, crudum appellamus. Et aliter, crudus vocatur humor, qui à natura non est superatus: siue bilis, siue pituita, aut melancholicus succus fuerit.

Caput tredecimum, de pituitæ speciebus.

PITVITA *contradistincta muco, & crudo humori famosius dicto, in multiplices differentias dirimitur, tum ex substantia, tũ ex sapore desumptas. Quas describit Galenus, libro primo de alimentorum facultatibus, in proœmio, vbi ita scribit: Pituitosi humoris, alius quidem est accidus, alius salsus, alius dulcis, alius deniq; sensibilis qualitatis est expers. Rursum alius est liquidus, alius crassus, alius viscidus, alius dissipatu facilis. Hunc locum produximus, quoniã in eo, vtrasq; differentias Galenus est complexus: Nam alijs locis, quamuis de pituitæ differentijs agat, per saporis tantum species, distinguit species pituitæ. Libro primo de Natura humana, commentario trigesimo secundo, salsam, dulcem, accidam, & insipidam pituitam percenset. Quarto vero libro de Victu acutorum, commentario decimo tertio, insipidam prætermisit: quoniam de dignotione succorum, per impressionem in linguam, sibi erat sermo. Insipidum vero (omni sapore priuatum cũ sit) hac ratione nequit dignosci: neq; enim saporis priuatio, in linguam aliquid imprimere potest. Sunt autẽ Galeni verba, quæ sequũtur: Cũ lingua amarulẽta redditur, flauã redundare bilẽ ostẽdit, cũ salsa salsum, salsuginosumq; vocatũ humorem, qui ex pituitæ generibus, quæ tria sunt, vnum existit (vt tibi innotuit) accido scilicet, dulci, & salso. Ex quibus Galeni verbis constat, de dignotione succorum, per differentias saporum, locum hunc audiendũ esse. Sed secundo libro de differentijs febrium, cap. 6. vitream, accidam, salsam, & dulcem, pituitas memorat. Vbi dupliciter peccare videtur: Primo quod vitreum, admiscet differentijs saporum, cum substantiæ attineat. Secundo, quod insipidum, alijs sapidis non annumeret. Primum vero soluitur, quoniam Paulo inferius, vitreum ad accidum reducit: scribit enim in hunc modum. Forte autem & vitrea pituita, accidæ qualitatis est particeps, adeo vt eius differentiæ, tres sint numero vniuersæ: accida, dulcis, & salsa. Forte autem aduerbium dubitandi posuit, nam verisimile est, vitreum humorẽ, sine acore vllo interdũ reperiri. Insipidam vero pituitam prætermisit, quoniam libro de Febrium differentia, de speciebus tantum, pituitæ non naturalis agit: insipida vero est naturalis. Sed obtrudet nobis quispiam, Galeni locum, è secundo libro de Naturalibus facultatibus in*

fine,

fine, vbi scribit naturalem pituitam, & animanti salutarem, esse dulcem, Insipidæ vero nõ meminit. Cui nos dupliciter respondemus, primo quod insipidum, dulce appellamus sæpenumero: Atq; vt aquam fontanam, nullius prorsus saporis participem, dulcẽ appellant: quoniam nec salsa est, nec bituminosa, nec sulphurea: sic secundo de Naturalibus facultatibus, insipidam pituitã dulcem appellauit, quoniã alienos sapores non induit. Dicendum secundo, duplicem esse pituitã dulcem, vnam naturalem, præternaturam alteram. Si enim insipida pituita, quæ naturalis est, in sanguinem potest abire: prius pituita dulcis fiat oportet: Quæ præter naturã esse nequit: nã quod mediat, inter duo extrema naturalia, necessario est naturale: hæc vero de qua fit mẽtio, mediat inter naturalem pituitam & sanguinẽ. Est vero altera pituita dulcis, præter naturã, propter sanguinis, aut vaporis sanguinei permistionẽ: aut forte propter maiorẽ calorem, quam sit is, qui naturalem pituitã creat. Quæ multotiẽs (inquit Auicennas, prima primi de Humoribus) in reumatismis & in saliua sentitur. De qua intelligantur Galeni verba, libro de Attra bile, quæ sic habent. At vero sanguis, dulcis in totum videtur, pituita autẽ qualitatis expers, perinde ac aqua. Quæ si a naturali qualitate diuertat, non modo salsa, verum & accida redditur, nonnunquam vero, & dulcis particeps fit qualitatis. De hac quoq; agit Galenus, secundo libro de Differentijs febrium citato, quod ostendunt ipsius Galeni verba, quæ sic habent. Est & alia pituitæ species, quã pleriq; cũ screatu expuũt, sensibilem habens dulcedinem. Agens ergo secundo de Differentijs febrium, de pituita præternaturali, insipidam non memorat, quoniam est naturalis. De dulci vero agit præternaturali, quæ in reumatismis & in saliua sentitur, quã pleriq; cum screatu expuunt, nõ autem de dulci, quæ ex insipida pituita, in sanguinem meante fit, quoniam & hæc item est naturalis, & ob id secundo libro de Facultatibus naturalibus percensita. Sunt ergo differentiæ ex sapore sumptæ, Insipidum, frigidissimum eorum quæ sunt in corpore nostro: Accidum, quod debilem suscepit calorem: Dulce, quod modice calidum euasit: Salsum, quod putredine, aut seri salsi mistione, tale est redditum. Quod vero Auicẽna addit ponticum, frustra est factum: si ex permistione melancholiæ ponticæ, vt ibidem refert ipse, tale redditur. Nec video, cur si ponticam pituitam memorat, ob pontici humoris mistionem, non percenseat item amaram alteram, ob mistionem bilis. Nam bilis, minori copia faciet pituitã amaricare. Differentiæ vero sumptæ ex substantia sunt (vt ex proœmio libri de Alimẽtorũ facultatibus retulimus) liquidum, crassum, viscidum, & friabile, aut facile dissipabile. Quibus adde si placet, similare atq; dissimilare, siue id ad sensum, siue re vera sit. Atque hæc est vtilior pituitæ, per oppositas differẽtias distributio, quã quæ ab Auicẽna ponitur, prima primi. doct. 4. cap. 1. in mucilaginosum, crudum, aquosum & gypseum: quanuis & hæc, non sit prorsus aspernanda. Nam per mucilaginosum, mucum intelligit, qui aperte & ad sensum est dissimilaris. Per crudum vero, intelligit pituitam vitreã, quæ vitro fuso est similis, vt secundo libro de locis affectis, capite quinto, Galenus est autor. Hæc autem ad sensum

sensum similaris, vere autem dissimilaris est. Aquosum appellat, quod tenuem habet substantiam: & gypseo oppositum habetur. Est enim gypsea pituita, crassa reddita, per serosi humidi absumptionem: reperiturque in artubus, & in pulmone, & in alijs meatibus corporis non raro, talisq́ appellatur, ante integram exiccationem, & cõuersionem in tophum aut lapidẽ. Quæ enim iam obduruit, inter humores memorari nequit: siquidem humoris, ab Auicenna prius tradita definitio (quod scilicet est corpus humidum liquidum) thophos non comprehendit. Nec obstat, quod his nominibus, aliter interdum vtãtur autores. De crudi enim multiplici significato, loquuti sumus anteacto capite. Mucosam vero & vitream pituitam, confundit Galenus quarto libro de sanitate tuenda capite quarto. Quoniam quæ mucosa (inquit) pituita est, eadẽ & vitrea sit. Cum tamen mucum distinxerit alias, non modo à vitrea, sed ab omni alia pituita: quoniam mucus valde dissimilaris sit, pituita vero, ad sensum similaris habeatur. Auicẽna insuper in dicta diuisione, vitreum non apponit: cum tamen postea, dum pituitæ species colligit, vitream simul recenseat. Quod euidens est argumẽtum, ipsam in diuisione non fuisse prætermissam, sed crudi nomine comprehẽsam, Galeni immitatione secundo libro de Febrium differentijs cap. sexto.

Caput quatuordecimũ, de salsæ pituitæ *generatione.*



Dubium est, qua ratione generetur, salsa pituita. Nam secundo libro naturalium facultatum in fine, de eius generatione ita scribit Galenus, Sane aduertere hoc loco, ac scire oportet, tanquam ex bilis generibus, aliud vtile, naturaleque in animalibus est, aliud innutile, ac præternaturam: sic pituitæ quod dulce est, id salutare esse animanti, & naturale: quod accidum salsumq́ est, accidum quidem, omnino crudum esse, salsum computruisse. Ex quo loco constat, pituitam putredine reddi salsam. Secundo vero libro de Febrium differẽtijs, capite sexto, duplicem causam memorat salsæ pituitæ, putredinem scilicet, aut seri salsi mistionem. Auicenna vero, sen prima primi, de humoribus capite primo, causam aliam addit, mistionem scilicet paucæ bilis, cum aquea & insipida pituita. Difficultas autẽ est, nam si salsum putredini; est inimicum, & à putredine corpora omnia præseruat, non poterit quod putridum sit, salsum euadere. Et ex consequenti pituita salsa, non gignetur putrefactione. Serum præterea salsum, non magis afficiet pituitam salsedine, quam reliquos humores. Nulla autem fit mentio autoribus, de sanguine salso, bile flaua, aut attra salsis: ergo à sero salso, nunquam pituita reddetur salsa. Quod mistio præterea, paucæ bilis cum pituita, salsedinem non pariat, constat experimento vomentium pituitam, paucissima bile mistam: in quibus, etiam si bilis, sui paucitate sensum lateat, amaror tamen, & non salsedo deprehenditur. Tam efficax enim

est amarus sapor, vt vel minima quantitate, quæ sibi commiscentur omnia, faciat amaricare: aloës exemplo; quæ exigua quantitate, plurimæ aquæ permista, amaram prorsus, non salsam eam reddit. Primum vero soluitur, nam acetum, putredine ex vino genitum, putredini quam maxime reluctatur: quoniam dum putrebat, omnes partes putredini opportunæ, calidæ nempe & humidæ, fuerunt separatæ, & absumptæ. Et relinquuntur frigidæ atque siccæ, putredini inimicæ, quæ non modo non putrent: verum etiam à putredine, reliqua corpora præseruant: frigore, siccitate, & adstrictione qua insigniuntur. Sic salsa pituita, putredine generatur, atque alijs pituitæ differentijs, difficilius ipsa putret. Serum præterea salsum, pituitam omnis saporis expertem, salsedine afficit: reliquos vero succos, sic inficere nequit. Reluctantur enim, in sanguine, dulcis sapor: in bile flaua, amarus: & in attra, accidus. Accedit quod de sanguine salso, & pituita salsa, meminit Galenus libro de Attra bile. Nec audiendus est Auicenna, prima primi de Humoribus, aduersus Galenum existimans: quod serum salsum solum, non valet pituitam salsam reddere. Sensui enim patet, ex cuiuslibet salsi mistione, quod insipidum est, salsum reddi. Quare frustra etiam Galenum excusat, mendatium in codicem reijciens, vbi nota disiungendi (aut) scribi putat, pro (&) nota copulandi. Nam aperte generatur pituita salsa, aut ob putredinem, aut mistionem fieri salsi, vt docuimus. Nec ferendum est, quod gentilis, locum Auicennæ enarrans, tam insolenter in Galenum feratur, vt rudem ipsum appellet. Tam ruditer enim Galenum intelligit ipse, vt putet Galenum dicere, causam pituitæ salsæ, esse salsam ipsam pituitam, aquositati mistam: non aduertens, serum humorum, quintam quandam humiditatem esse, à quatuor primis humoribus diuersam. Tertium vero soluitur, nam sicut non quæuis putrefactio pituitæ, reddit eam salsam, (non enim in omni quotidiana febre, peccat pituita salsa, quod oporteret) sic non quæuis permistio, amari cum aqueo, reddit salsum: Sed requiritur permistio amari adusti, vt in sputo ieiunantium, in quo ob inediam, bilis torretur, & saliua salsa redditur. Sic lixiuium, ex amaris & adustis cineribus, salsum fit. Sic sudor & vrina, salsa sunt, ob mistionem paucæ bilis adustæ, cum bibito humore, decimo libro de simplicium medicamentorum facultatibus, capite decimo quinto, autore Galeno. Sic etiam mare salsum est, ex mistione terrei adusti, cum aqueo: apud Aristotelem secundo libro Metheororum. Nec mirum videri debet, ex pauco amaro, plurima aqua diluto, salsum saporem gigni: Nam aqueo ipso rursus absumpto, reddit iterum
" *sapor amarus. Quidquid enim salsum, plusculum excalfeceris, amarum tibi euadet, sic & bituminosi lacus aqua, in caua calidaque regione cõtenta, dũ sole torretur,*
" *amara efficitur: proindeque æstate, quam hyeme amarior est. Ac si quid eius, hausl*
" *tum in vase cauo, regioneque aprica (quemadmodum Galenus effecit quarto libro*
" *de simplicium medicamentorum facultatibus capite vigesimo nono) æstiuo tempore*
" *deponas, continuo amarior se se reddita videbitur. Merito igitur ex aquæ permis-*

tione,

tione, cum amaro adusto fit salsum, si ex eiusdem aquæ consumptione, amarum iterum redditur. Sed scrupulus subest, Si enim tripliciter (vt diximus) pituita redditur salsa: vt quid secundo libro facultatum naturalium Galenus, solius putredinis mentionem habuit? Cur item secundo libro, de Febrium differentijs, capite sexto, permistionem amari præterijt? Respondendum pro Galeno est, quod secundo libro de Facultatibus naturalibus, non erat sibi sermo, de salsæ pituitæ differentijs, nec de earum generatione: sed tantum studuit docere, ex pituitæ differentijs, quasdam esse naturales, vt dulcis: & quasdam præternaturam, vt accidum quod incruduit, & salsum quod computruit. Libro vero de differētijs febrium, non prætermissit amari mistionem, nam hæc, includitur in permistione seri salsi. Habet enim serum id salsum, generationem ex bile adusta, & bibito humore, decimo de simplicium medicamentorum facultatibus, capite de sudore, autore Galeno. Sed si amarum est vltra salsum, calidius nēpe, ac siccius ipso, fit enim ex salso, plusculum excalfacto, vt de bituminosi lacus aqua, à Galeno est proditum: quomodo, ex amaro vlterius adusto, fiet salsum? recrudesceret enim, & retro reuerteretur vstione. Dicendum quod vsta omnia, amaricantia redduntur, atque salsa: cinis enim omnis amaricat, & aqua dilutus, in lixiuium salsum abit. Salsus namque & amarus sapor, idem fere sunt, autore Aristotele libro de sensu, & ijs quæ in sensum cadunt capite quarto: Quia vterq́, designat excellentem calorem, absumentem humidum: maiorem quidem in amaro, & minorem in salso. Humidum tamen, in amaro prorsus perit, in salso autem non omnino. Amarum ergo, principio vstionis, fit amarius & calidius, vlterius autem aucta vstione, tam amaror quam acrimonia, minuitur atque resoluitur: sicut & acria omnia medicamenta, vstione redduntur minus calida, & ad salsi naturam, retrocedunt vtraque, præsertim si aqueus humor accedat, ex cuius mistione, salsi natura, quæ minus sicca est completur. Cui etiam accedit, quod calore atque amarore, per vstionem in re amara imminuto, salsæ partes, quæ in omni amaro reperiuntur (apud Albertum magnum, quinto libro de Mineralibus capite primo) magis deteguntur & elucent. Sed cur ex alijs humoribus vstis, cum aqueo mistis, non fit in nostro corpore salsedo, sed ex sola bile amara. Dicendum primo, quòd quoniam ij sapores, maxime sunt affines, & fere idem, vt ex Aristotele retulimus, ob id alterutrius, in alterutrū, cōmutatio est facilior. Dicendū etiam secundo est, quod frigidi humores, non tantum vruntur, vt eum saporē induant: sanguis vero, eius est naturæ, vt prius fere in bilem vertatur: Quare sola bilis est, quæ salsedinem, vlteriori vstione, possit efficere.

Caput quindecimum, an pituita salsa, sit calida, an frigida.

De



ES ALSAE PITVITAE tẽperatura dubitant, calĩdane sit, an frigida; nam primo de Facultatibus medicamentorum simplicium, capite trigesimo secundo, & tertio Aphorismorum duodecimo, calidam esse scribit Galenus. Secundo vero de Naturalibus facultatibus, pituitam in genere frigidam facit. Et quarto Acutorum, decimo tertio, vbi causum duplicem scribit, legitimum ex bile, & nothum ex salsa pituita, de legitimo inquit, quod citam habet excretionem, tenuem scilicet, & feruentem aßequutus humorem: seram vero spurius, ob frigidam glutinosamque, & crassam pituitæ substantiam. Qua oratione patet, salsam pituitam statui frigidam, ab eaque nothum causum pendere.

Huic difficultati, respondet doctißimus Manardus, libro decimo octauo, epistola quinta, quod cum pituita salsa gignatur, aut putredine, aut mistione seri salsi, quæ ambo calida sunt: & ex humiditate aquea, quæ frigida est: fit vt pro ratione superantis, euadat modo calida, modo frigida. Sed obstat, quod quæ à putredinali calore torrefaciente salsa redditur, frigida nunquam erit, sed calida atque exusta semper: quæ vero seri salsi, aut vrinæ mistione talis fit, nunquam erit calida, sed semper frigida: nam licet vrina sit calida, est tamen multo magis pituita frigida, quam vrina ipsa sit calida. Vnde in curatione morborum, qui à pituita salsa, ex putredine genita oriuntur, præcipit Tralianus, libro septimo, capite decimo tertio, frigidis atque humidis, vti medicamentis: quoniam quæ calore concreuerunt, non aliter quam frigore atque humore soluuntur. Si vero morbus ex altera pituita, quæ mistione seri, fit salsa oriatur, calfacientibus, coquentibus, atque extenuantibus est vtendum. Sunt autem hæc quæ sequuntur, Traliani verba. Si salsa fuerit, quæ inhærescit pituita, considerato rursus, vnde salsa existat, quippe videtur, interdum etiam ex serosæ substantiæ commistione salsa: interdum vero non propterea, sed ob calidam quoque intemperiem, quæ ipsam torrefacit. Nam pituita incalescens, & salsa & crassa, perpetuo redditur. Quod si igitur ob calidam intemperiem, salsa tibi facta appareat, humectante & tepida potius ratione vtitor. Etenim non à calefacientibus, sed humectantibus refrigerantibusque dißoluitur, sicut etiam sal & nitrum. Hæc enim, vt à caliditate concretionem sortita, non igne sed aqua resolui possunt. Hactenus Alexander. Est igitur pituita omnis frigida, præter salsam quæ computruit: Nam quæ sero salso permista, salsa fit, non tantum incaluit, vt frigida esse desistat: Has vero pituitæ salsæ species (ne in earum dignotione, atque medella, quæ ipsis debetur, confundaris) distingues primo, nam quæ computruit, valde crassa est, exustæ enim fuerunt, inter putrendum tenuiores partes: altera vero quoniam serum asciuit, valde tenuis. Secundo, nam quæ computruit, maxime salsa est, vt pote sua substantia talis existens, altera vero salsedinem dilutam habet. Sed scrupulus subest, nam quarto simplicium, capite vigesimo, & vigesimo primo, videtur tribuere Ga-

lenus salsedini, calorem immodicum: Omnis ergo pituita salsa erit calida. Dic locum Galeni, intelligēdum esse, de salso syncero, qualis est pituita salsa ex prutredine: non de diluta salsedine, qualis in multis subfrigidis reperitur: vt in sero lactis, secundo simpliciū capite duodecimo, & in pituita salsa ob mistionem vrinæ, apud Alexandrum loco citato.

Caput decimum sextum, De generatione *accidæ pituitæ, deque eiusdem temperamento.*



E ACIDAE quoque pituitæ temperamento, & generatione, non est exigua apud autores discordia. Nam aidi saporis generatio, apud Galenum libro quarto de simplicium medicamentorum facultatibus, capite octauo, & capite duodecimo, frigido tenui est referenda. Hanc vero sententiam, videtur reprehendere Tralianus, libro septimo, capite decimo quartoin, hæc verba. Quoniam igitur non pauca, à contrarijs euenire solent, attendendum est diligen- ter. Etenim acores in stomacho, subinde non solum ex frigiditate, sed etiam calore oriuntur. Nouimus autem plerosque medicos putare, omnem acorem à sola frigiditate prouenire. Qua de causa, semper his calefacientia adhibent. Video rursus multos etiam, à refrigerantibus cibis adiutos fuisse, qui antea à calefacientibus plurimum offenderentur. Nam vinum potius ipsis magis acescebat, quam calidiores potiones factitiæ, quæ ex pipere, aut aniso, aut alio quodam huiusmodi parantur medicamento. Quare talibus repudiatis, contrarijs vsi, temperata aqua largiore, cibis boni succi, & qui ægre confici possunt, vt vulua, omazo, aut anserum ventriculis, iuuencæ pedibus ex posca, & ex pisculētis orpho, iscijs pectinibus, ostreis non coctis, tali affectu liberati sunt, vt neque acidos ructus, neque aliam cruditatem in posterum sustinerent. Ex talibus igitur vniuersis, coniectura assequi licet, idem accidens, à contrarijs sæpe causis oboriri. Hactenus Alexander. Auicenna etiam, decimatertia tertij, tractatu primo, capite decimo septimo, acorem à frigiditate, & interdum à calore fieri tradit. Cui sentētiæ subscribunt experimēta plurima, nam vinū, lac, ptbisana, & succi fere omnes, citissime acescunt æstate, & exposita soli, seruātur vero exposita frigori, & aquiloni. Frigus ergo qualitatē eorū seruat, & in acorē vertit caliditas. Huc accedit experimentum Auicennæ, prima quarti, tractatu. 2. cap. 43. quod infantes causo correpti, lac corrumpunt & acetant. At hæc non ignorauit Galenus, sed quæ vlterius ipsi ignorant attigit. Nam libro quarto de simplicium medicamentorum facultatibus, capite decimo tertio, & decimo quarto, & decimo quinto, vina inualida, lac, ptbisanæ succū, & alia eiusmodi: æstatis calore, alterari atq; acescere: & hyemis frigore magis seruari scribit. Censuit tamē præter hæc, non omnia quæ sequuntur ad calfactionem, opera esse caloris, sed interdum frigoris.

Nam

Nam sicut in iuuene bene carnoso, æstate media ad frigidæ affusionem sequuta sanitas, & euasio à conuulsione, non est referenda frigiditati, sed calori natiuo intro meanti: ita dum externum calidum, materiam aliquam tractans, natiuum eiusdem calorem elicit & dissipat: qualitas acciditatis in materia sequuta, non est referenda calori, sed frigori, & paupertati calidi innati, in reipsa quæ accescit. Modo calor æstiuus, huiusmodi succos tractans, innatum ipsorum calidum elicit, dissipat, atque euaporat. Calor quoque validus ventriculi, lac vinum, & huiusmodi succos, eadem ratione corrumpit, & in acorem vertit. Atque hoc personant, ipsissima Galeni verba quarto simplicium capite decimo quarto, vbi ita
" *scribit. Res quælibet, in propria seruatur natura, calore proprio. Corrumpitur au*
" *tem ab immoderatione extrinseca, nempe caloris, humidi, aut frigoris, abundan-*
" *tia. Quod vero ab vtroque efficitur vnum est, non tamen vnus generationis mo-*
" *dus: quare non æque, ab idiotis omnibus facilis cognitu est, hæc corruptionis ratio.*
" *Etenim vbi quid rerum calidarum, à frigore deuictum est, ne vulgo quidem igno-*
" *tum est. At vbi à circunsistente foris calore validiore, digestum ac disipatum est,*
" *eos sane, qui circa naturam exercitati non sunt latet. Ignorantes caliditatem me-*
" *diocrem, omnibus esse vtilem: Immoderatam vero, non minus frigiditate noxiam.*
" *Quanquam ergo acciditas, sæpe fiat à calore, non est referenda calori, sed frigori, aut ipsius caloris defectui: nunquam enim calor superat, vbi acciditatis gignitur qualitas. Sed tum potissimum gignitur (vt scribit Galenus, libro quarto*
" *de Facultatibus simplicium, capite decimo quinto) dum à calido mutatur, non tamen vt supperet. Quod vero calidum, non supperet materiam, tripliciter fieri posse existimo: Primo ob caloris imbecillitatem, cuius ratione conualescentes ex longis morbis, & frigidum ventrem habentes, succum accidum in ventriculo gignunt, & patiuntur quas vulgo azedias vocant. Fit enim in istis ciborũ potius inquinatio quædam, quam coctio. Secundo ob modum quo calor, materiam tractat, si enim mouet humidum, ea ratione vt faciat exhalare calorem natiuum, acciditas generatur. Si vero ea ratione tractet, vt permisceat humidum suo sicco, potius sequitur dulcedo & maturatio maior. Sic lac calore æstatis, & pueri causo laborantis accidum redditur: Calore vero ventriculi sani, & calore ignis, redditur dulce. Quia ambo hæc, humidũ sicco permiscent: alterum ob temperiem, in qua consistit facultatis robur, & alterum ob vehemẽtiam caloris, validã ebullitionem inferentis, valida autem ebullitio, humidum suo sicco, ob violentiam necessario permiscet. Tertio fieri potest vt calor non superet, ob ipsius materiæ, quæ calfit rebellionem, & contumaciam coctioni inimicam. Actiones enim actiuorum: sunt in patiente bene disposito. Quare quam habet rationem infirmus calor, ad materiam facile alterabilẽ, eandẽ validus habebit ad contumacem: quare ad consimilem qualitatem commutabit vterq́. Hac ratione qui plurimũ prãdẽt, & qui intẽperãter aqua satiãtur, in acetũ vertũt ingestos cibos. Sic etiã pituita accida, semper generatur in vẽtriculo hominis quantuncunq́*

sani. Secundo de Naturalibus facultatibus, & quarto de Usu partium, autore Galeno. Duplex enim excrementum cuiusque coctionis, necessario exterit natura, ut supra quoque monuimus. Alterum crassum, tenue alterum. Primæ autem commutationis ciborum, quæ in ventriculo agitur, crassum recrementum feces sunt, tenue, pituita accida atque cruda, ex crudissimis alimenti partibus, coctu contumacibus generata. Fit ergo semper acor, ob calorem non superantem, sed mouentem & superatum, in re quæ acescit. Quod enim acescit frigidum redditur, atque tenue. Tenue quidem, quoniam aliquid passum est à calore: frigidum vero, quoniam calidum in ipso, non superat sed superatur.

Caput decimum septimum, de pituitæ *in alios humores transmigratione.*



PITVITAM intra corpus manere, nec ei repurgandæ, aliquod instrumentum, naturam fabricasse, constat: quoniam scilicet in corpore manens, non indiget vacuatione sed alteratione, secundo de naturalibus facultatibus, capite decimo quarto, autore Galeno. Est autem hæc alteratio, ulterior coctio, qua in sanguinem commutatur: est enim pituita citra sanguinem, sicut bilis ultra. Ob idque in medio biliosorum, atque crudorum, sanguinem contineri dixit Galenus quarto libro de Tuenda valetudine. Fit ergo hæc pituitæ in sanguinem commutatio, apud Auicennam prima primi de humoribus, necessitatis aut indigentiæ tempore. Necessaria enim (inquit est) Ad hoc ut cum membra nutrimentum, quod ad ea consueuit venire, amisserint, quod est sanguis bonus, operentur in eo virtutes naturales eorum, & coquant, & digerant & nutriantur ex eo. Sed cum membra, naturalia agentia sint, omni arbitratu carentia, omni tempore agent, & commutabunt pituitam. Tam satietatis (inquam) quam necessitatis tempore. Homo insuper optime temperatus, iuxta artem tuendæ sanitatis gubernatus, cui semper suppetit pro membrorum nutritione, decens sanguinis quantitas, pituitosam quotidie cacochimiam congereret: nam pituita in eo non vacuatur: quoniam natura non fabricauit vas quo vacuaretur: nec commutatur: quoniam membra non destituuntur sanguine: ergo semper magis atque magis congeritur, & ex consequenti irrita foret & vana, ars tuendæ satitatis, quæ præcepta traderet quibus cacochimum minime reddatur corpus. Satius ergo Galenus nullo temporis discrimine facto, pituitam temporis processu coqui, & sanguinem effici, secundo de Victu acutorum commentario trigesimo tradit. Hinc est, quod qui plurima abundant pituita, inediam facile ferant, vicem alimenti supplente pituita. Nec enim miraculum esse censeo, quod refert Albertus, libro septimo de Animalibus, se vidisse Coloniæ mulierem, quæ interdum totos triginta, interdum viginti dies, nihil cibi summeret.

Et

Et quod portius, puellam germanam narrat, per biennium sine cibo nutritam. Et quod Aponensis decimo problematum, in interpretatione vltimi problematis scribit, se à viris probatæ fidei accepisse, puellam in Normandia, sua tempestate fuisse, annos natam triginta: quæ annos decem & octo nihil gustasset cibi. Et quod de vrsis, refert Aristoteles, sexto de historia animalium capite trigesimo: & octauo de historia animalium capite decimo septimo, vt minimum latere dies quadraginta, & eo tempore, nihil omnino cibi summere, attamen adeo pinguescere, vt non citra difficultatem, se poßint loco mouere: atque quatuordecim primis diebus, ita sopiri, vt ne tantillum quidem se moueant. Cuius rei, causam euidentißimam, tradit Auicenna, libro tertio, capite de destructione appetitus, & debilitate, in hæc verba. Abstinet (inquit) vrsus, & chinus, plurimáque animalia, à cibo: hyeme tempore extenso, quoniam natura operatur, in rectificando illud, quòd est ex crudis humoribus in corpore, digerendo ipsum, & administrãdo loco eius quod resoluitur. Ex quibus manifesto constat, pituitam in sanguinem verti. Mutationem vero pituitæ, in bilem flauam, non intercedente sanguinis forma: concedit liber quidam de humoribus, Galeno adscriptus, ab Archangelo picolhomino, nuper æditus in lucem. Et ratione satis apparente, eius sententia videtur confirmari, nam talis in animantis corpore, potest excitari calor, vt acer sit, & mordax, & omnino præternaturam, qui ad sanguinem procreandum, non erit idoneus, quique poterit pituitam expoliare, & humiditate & frigore, & in eam ipsam materiam, quæ occupabatur à frigore & humiditate, calorem ac siccitatem inducere, atque etiam colorem flauum: quod enim album est, actione caloris flauum euadere potest. Si ergo ex pituita potest gigni aliquid, quod siccum sit, & calidum, atque flauum, & tale prorsus quale est bilis flaua: profecto videbitur fieri posse, vt ex pituita gignatur bilis flaua. Contra est tamen plurium seculorum experientia, quæ post febres quotidianas, vbi acer, & mordax calor, pituitam exagitat, nunquam aduertit, tertianam, aut ardentem febrem sequutas esse. Tam dißident enim, pituita & bilis flaua, quam aqua & ignis: aqua vero in ignem, immediate non vertitur, quarto simplicium, capite secundo, autore Galeno. Ergo nec pituita, in bilem flauam vertetur vnquam. Si præterea, talis in corpore excitetur calor, qualem memorant, aut putrefaciet, aut assabit pituitam, vnde aut nullus, aut attrabiliaris forte, gignetur succus. Maior autem difficultas est, etiam à Manardo disceptata libro nono, Epistola secunda: An pituita, in attram bilem transire poßit. Nam quod non vertatur, apparet Manardo, eo quod Galenus, sexto Aphorismorum, commentario quinquagesimo tertio, & libro de Attra bile, post principium, duplicem statuit materiam attræ bilis, sanguinis fecem, & bilem flauam. Duplicem quoque memorat tertio de locis capite sexto: & libro 6. Epidemiarũ, parte sexta, commentario tertio: & primo prorrhetici, parte prima, commentario quarto: scilicet bilem flauam, & attrum ac

crassum sanguinem, nullibi de pituita mentione facta. Adhæc si pituita in attram bilem verteretur, comitialem morbum ex pituita ortum, in melancholiam commutare, non esset impossibile: cuius contrarium, scribitur tertio de locis capite quinto, & sexto. Nam cum morbus comitialis, fiat interdum, à melancholico succo, & interdum à pituita, autore Galeno septimo Aphorismorum commentario quadragesimo: Qui a melancholico succo excitatur, in morbum appellatum melancholia decedit: Qui vero à pituita, decedere nequit, apud Galenum tertio de locis citato. Secundo præterea libro Prognosticorum, commentario quadragesimo quinto, screationem albam, glutinosam, ac rotundam, fieri dixit, propter assatam pituitam. Ergo pituita superassata, non amittit candorem: & ex consequenti in attram bilem non abit. Secundo etiam libro facultatum naturalium, capite nono, laudat Galenus, sententiam Praxagoræ, qui decem præter sanguinem statuit humores. Liquido autem constat, bilis esse quinque genera, vt scribit Galenus libro decimo simplicium capite de felle: pituitæ tria, secundo de Febrium differentijs capite nono: locus igitur tantum, duabus attræ bilis speciebus relinquitur: Et ex consequenti nulla ex pituita, bilis attra gignetur. Adhæc fieri nequit, vt ex albo in nigrum mutatio fiat, nisi per medios colores, immo & per medias substantias, libro primo Facultatum naturalium, capite decimo innuente Galeno. Igitur pituita alba, non commutabitur in attram bilem, quæ nigra est, nisi prius fiat sanguis, & bilis, cæterosque præter hos colores consequatur. Nam in flauæ bilis transmutatione, id ita contingere aduertimus, quod in attram bilem non transit, nisi prius in vitellinam, porraceam, & æruginosam transmutetur: Ergo in pituita, tanto plures fieri medias substantias, quam in bile oporteret: Quanto maior est distantia albi, quam flaui coloris, à nigro. Hanc autem varietatem, aut pituitarum, aut nigrarum bilium, nec ad sensum percipimus, neque apud autores legimus de humoribus scribentes. Addunt ex Aristotele, quarto Metheororum, capite nono, quod quæ multa humiditate redundant, sunt inepta vstioni: pituita ergo cum sit humidissima, non poterit superassari. Contra vero stat, plurium seculorum experientia, animaduersa ab Auicenna, Rhaze, Mesue, & alijs: Quod post febres quotidianas & pituitosos morbos, vbi pituita exuritur, visæ sunt febres quartanæ, & vitia alia attrabiliaria, migrante in attram bilem pituita. Nam prima quarti Auicennas, tractatu secundo, capite quadragessimo septimo, de febre quotidiana loquens inquit. Et quãdoque magnus splen fit, & sequitur eam accidus ructus. Hæc „ autem palam est, esse initia quartanæ, tunc causas ac signa. Et ibidem capite sexage- „ simo: Iam (inquit) sciuisti, quod melancholia præternaturalis, alia fit ex adustione sanguinis, alia bilis, alia phlegmatis. Et capite sexagesimo secundo diuersa ratione curat vtrasque: Nam si fuerit melancholia pituitosa, properet (inquit) ad sy- „ rupum acetosum ex melle, cum succo apij. Et Mesue: Fit (inquit) quartana, „ succedens febri quotidianæ à pituita exusta: & tunc da sacharum rosatum, cum „

succo

succo apij & fœniculi. Et Rhazes, decimo octauo continentium scribit ex autoritate Alexandri (quanquã apud Alexandrum, etiã si vniuersum voluerim, mihi non licuerit legere) quod quartana fit interdum, ex pituita sicca salsa. Ad rem etiã facere videtur quod Aëtius, sexto libro, capite nono, tertiũ melancholiæ genus, quod à ventriculo prouenit, fieri ex cruditatibus, ac mala coctione testatur. Ratio quoq; suffragatur, nam si pituita putrescat, terreũ aliquid, ac veluti cinis, eiusce putrefactionis, relinquatur est necessarium: fit enim humidi à sicco, dum aliquid putrescit separatio. Quid igitur obstat, terreum illud, per putrefactionem exustum, attram bilem appellare? terreum præterea hoc, si putrescat, quam rogo à quartana aliam febrem creabit? Si vero non putrescens, in partem aliquam corporis abscedat, non video, quod tumorum genus efficiat, nisi aut cancrum, aut elephantem vitia melancholica. Omnes tamen angit, quod Galenus, inter materias attræ bilis, totiens percensitas, nunquam de pituita meminit. Cui nos respondemus, rarum esse, attræ bilis, ex pituita prouentum: quod notat Auicennas, prima tertij, tractatu quarto, capite decimo nono, in hæc verba: „Et oportet vt scias, quod colera nigra, faciens „melancholiam, quandoq; est colera nigra naturalis, aut phlegma cum conuertitur in „coleram nigram, propter spißitudinem: aut propter aliquam adustionem: quanuis „hoc sit rarum & parum. Id est ex pituita per adustionem, fit attra bilis raro: quoniam non per quanuis adustionem, sed dum vehementer aduritur: & parum, id est ex modica, eius quod aduritur portione. Nam cum pituita, humidißimum corpus sit, fere totum, in vapores & putridas fulligines abit; Terreum vero quod relinquitur, non est admodum momentaneum. Hanc ergo raritatem prætermißit Galenus, & post Galenũ eã recte notarũt Arabes, sicut & alia multa, antiquitati prætermissa. Nec obstat morbum comitialem, in melancholiam non verti, nam nunquam in epilepticis, putret, aut superassatur in cerebro pituita. Nec obstat similiter screationem albam, glutinosam ac rotundam, fieri propter assatam pituitam. Primo, nam si diutius in pectore, mansisset pituita illa, nigra forte redderetur: si enim satis fuisset exusta screatio dicta, minime esset glutinosa. Secundo, quia ex pituita fit attra bilis, non quauis exustione, sed putredine. Tertio quia non video, ad attræ bilis essentiam, cur sit tam necessarius niger color: si alia adsint quæ in attra bile spectantur, scilicet substantia terrena, exustione genita, proprio temperamento frigida ac sicca, & quæ ob generationis modum, calorem vehementem asciuit: cuius ratione, terram fermentat, & nostri corporis partes, exedit & vlcerat. Sed nulla alia ratione, sputum rotundum, & grandinosum, tabidos reddit, quotquot illud spuunt, (sexto Epidemiarum parte tertia, commentario trigeßimo sexto autore Galeno) nisi quoniam generatur, ab ardente circa pulmones calore: a quo attræ bilis more, summit vim exedendi, vlcerandi, & putrefaciendi pulmones ipsos. An dices ex attra bile huiusmodi sputum non esse, quoniam candorem habet? minime: nam rei essentia, alia potius, quam colorem sequi assolet: Bilis enim suam essentiam

seruans, plures & induit & exuit colores. Et sicut non omnia nigra sunt attra bilis, ita nec ad bilem attram, necessaria est nigredo, si adsint reliqua. Nec si nigredo esset necessaria, credere oportet, quamlibet attræ bilis materiam, ad æqualem nigredinem assurgere: sed quæ ex melancholico succo fit, suapte sponte nigro, nigerrima erit: ex sanguine post ipsam: minorem nigredinem habebit ex bile: Pituitæ vero, dilutissima quædam sufficiet nigricies, candoris plurimum habens: qualis cinereus color est, & forte sufficiet adhuc, cinereo colore candidior. Nec necessarium item esse putet quispiam, si pituita denigranda est, per medios omnes colores, aut substantias transeat: farina enim, aut lana, & multa alia huiusmodi, igni admota, nigra redduntur: per subnigrum tantum, aut cinereum transeuntia: non pallida, non rubra, non flaua, non fulua, non viridia, non liuida, prius reddita. Quid ergo dicendum est Galeno, primo de Facultatibus naturalibus, capite decimo, vbi ita scribit: Vt rubrum flauũ fiat, "
aut flauum rubrum, vnica simplici commutatione est opus: vt vero album nigrum, "
vel nigrum album, omnibus quæ in medio sunt. Dic Galenum voluisse, faciliorẽ esse "
transmutationem, ex medio in extremum, quam ab vno extremo in alterum. Nam plures ab vno extremo colore, in alterum, medij colores interiacent, quam a medio in extremum. Non tamen voluit, quod omnia quæ transmutantur, ex albo in nigrum, & ex nigro in album, per eosdem colores transeant. Sed id pensandum est, iuxta naturam corporis quòd transmutatur, & iuxta naturã causæ transmutantis. Si pituita enim transmutetur à calore naturali fiet sanguis & rubra: Si à præternaturali, cinerea: Si a frigore, alium forte colorem consequetur. Bilis antequam a frigore nigra fiat, liuida redditur: a calore non liuida, sed viridis. Chylus quoq; in ventriculo confectus, cum omni ex parte sit albus, iocinoris calore alteratus, fit partim flauus, partim ruber, & ex parte niger, nullo, aut forte dilutissimo altero colore intercedente. Quæ omnia partim sunt referenda, naturæ causæ transmutãtis: Partim naturæ corporis, quod transmutatur: Quæ per hæc aut illa media, volunt & agere, & agi, in colorem in quem tendunt. Minus vrget quod alij afferunt ex Aristotele, humidissima non posse vri. Nam humidissima vt aqua, & omnis terræ expertia, nequeunt vri: quoniam in talibus nihil est, quod sustineat vstionem. De pituita vero constat superassari, crassam, albam, & glutinosam reddi: quoniam terram ipsa continet, quæ ignem possit sustinere.

CAPVT decimum octauum, an Bilis, sit sanguinis spuma.



AVICENNA prima primi de Humoribus, bilem naturalem dixit esse spumam sanguinis, quòd videtur sumpsisse ex Galeno, quarto libro de Vsu partium, ad initium, & secundo libro de Naturalibus facultatibus ad finem, vbi humorum generationem in iocinore, cõparat generationi vini in dolio. Sicuti enim, dum vinum conficitur

conficitur, duplex prouenit excrementum, alterum leuius magisq́ aëreum, quod aut florem aut spumā vocant, alterum grauius ac magis terreum, quod fecem appellant: Ita in sanguinis confectione, dum chylus subigitur, & a iocinoris calore tractatur, quod feculentum est, ac crassum subsidet, innatat vero, quod tenue est ac leue, & veluti spuma quædam, in sanguinis superficie fluitat. Qua comparatione (parcat Auicennas) nolluit Galenus, bilem esse sanguinis spumam: sed spumæ vini proportione respondere: tenuitate, leuitate, & situ. Innatat enim bilis, alijs humoribus, vt vel ex hoc, per vomitū magis, quam per deiectionem sit expurganda, Galeno autore, quarto libro Aphorismorū, commētario quarto. Accedit quod spuma, ortū habet ex flatu, crassæ materiæ intercluso, quarto libro Aphorismorū, commentario quadragesimo tertio, & libro item septimo Aphorismorum, cōmentario trigesimo autore Galeno. Quare quiuis è tribus humoribus reliquis, aptior erit spumæ generandæ, quā bilis tenuissima. Adhæc si bilis ex sui natura esset spuma, non adscriberetur ipsi flauus, aut luteus color. Nam octauo libro de Placitis pituitā ob id albam apparere dixit, quia in generatione eius, multæ paruæ ampulæ in ea contineantur: quare si bilis, sui natura spumesceret, multo satius alba foret. Cum ergo ex omni humore, flatus concipiente, posit spuma generari: a quo humore genita spuma sit, declarat ipsius spumæ color: qui quanquā spumescentiæ ratione, in album inclinet, seruat tamen nonnihil coloris pristini. Si enim rubea sit, aut in rubrum inclinet, ex sanguine: si penitus alba, ex pituita: si pallida, ex bile duxit ortū. Quæ ex pituita præterea ducitur, difficllime dissipatur, diutius permanēs: quæ ex bile, statim euanescit, ob tenuem substantiam, quæ vapores inclusos nō seruat: Inter hæc duo, mediū tenet sanguis. Est ergo bilis, humor tenuis, leuis, fluidus: ex quo licet spuma, sicut ex alijs tribus, posit generari, ex sui tamen natura, spuma non est.

CAPVT decimum nonum, de *Bilis naturalis speciebus, & vtra earum, sit naturalior.*



ILIS naturalis color latitudinem habet, à pallido in flauum, per medium rufi: pallida enim, rufa, & flaua bilis, naturales sunt omnes: & ob id indifferēter his tribus nominibus vtūtur autores, vt naturalem bilem nobis indicent, primo Crisium, capite duodecimo autore Galeno. Vtra autem harum sit naturalior, dubitant quidam. Cui nos respondemus rufam bilem maxime naturalē esse, quoniam est in medio duorum extremorum naturalium, scilicet in medio pallidi & flaui. Nam si rufæ bili, serosam humiditatē misceas, pallida redditur: si humiditatem detrahas, fit flaua: & naturæ in vtroq́ colore seruatur latitudo: Nam pallida, & flaua bilis, naturales sunt: Hæc quidem vlterior, & magis excocta, quæ a vesica

fellea, magis quam alia trahitur, vt per aluum expurgetur: Illa vero citerior, aquosior, & quodammodo crudior, quæ cum sanguine manens, per venas lata, in rufam naturaliorem, ipsarum coctione, vt corporis alitioni seruiat, commutatur. Quæ si vlterius ibi excocta flauescat: non dum cæpit esse præternaturam. Quanquam non omnis flaua sit naturalis, sed ea tantum quæ tenuis, humida, & fluida fuerit. Vitellina enim, quo ad colorem attinet, flaua est & naturalis: A natura vero, eo exorbitat, quod ad vltimum est excocta, non tenuis, non fluida, non humida, sed crassa & vitellis ouorum similis, secundo de Facultatibus naturalibus ad finem autore Galeno. Si vero horum colorum, exactam dignotionem assequi studes, sic consequeris. Pallidum insignitur colore citri maturi, aut maturæ palleæ: Rufum quod appellat Auicenna rubeum clarum, auro non syncero simulatur, aut capillis in homine rufo, Galeno autore, secundo de Temperamẽtis (quod nos dicimus ruuio. Non quod appellamus bermejo) aut vt idem Galenus aßimilat, secundo simpliciũ, capite primo, similis est colori flammarum. Flauũ vero, aureum colorẽ notat, quod puro & splendenti auro, huiusmodi color similis sit: Aut vt Galenus aßimilat, secundo simpliciũ citato, similis est carboni incenso. Quæ doctrina satis consona est, traditis a Galeno, primo libro Crisium, capite duodecimo, vbi pallidum albo proximum posuit: Rufum vero, " tantum a pallido discedere, quantum flauum, discedit a rufo. Rufus enim a flauo, eo " tantum differt, quod rufus magis ad album, flauus vero magis ad splendidum vergit. " Si enim amara bilis, albior & turbulentior facta sit, rufescit: Si vero spledens sit & " purior, flauescit. Nam quod veluti igneum, in bile splendet, ipsam redit flauiorem. " Sed obtrudet nobis quispiam locum Galeni, è secundo libro de Temperamentis, capite decimo, vbi rufum colorem, flaui albiq; esse medium adstruit. Quare minus distat à pallido rufum, quam à rufo flauum. Sed dicendum, quod rufus color, flaui albiq; est medius, id est interiacet flauo atq; albo: non æque distat. Quandoque etiam Galenus, bilem rufam prætermißit, vniuersam latitudinem bilis naturalis, comprehendẽs palido, & flauo. Nam medium, vtriusque extremi, nomen, & rationem, suscipere potest. Sic 6. Epidem. parte quinta com. 14. dixit: Flaua quidem bilis, proxima pali- " dæ est, & eiusdem fere generis. "


CAPVT vicesimum, an rubra *Bilis, ab humorum numero sit ablegand*a.



POST flauum colorem, ruber sequitur: tanto à flauo distans, quanto à rufo flauum distare diximus, primo Crisium capite duodecimo, autore Galeno. De quo sane colore dubium est, an alteri humori à sanguine conueniat: nam Auicennas prima primi de Humoribus, & Rasius Secundo continentis, & Actuarius libro primo de Iuditijs, capite decimo quinto, & libro primo de

Causis, capite nono, & libro primo de Præuidentijs, capite sexto, bilem quandam rubram statuunt: Quæ obscurum (inquiunt) rubore acquirit, ex attra bile, quæ bili naturali commiscetur. Quod etiam videtur sensisse Galenus, libro primo de Natura humana, commentario quinto, vbi bilem quandam rubram, per putrefactionem genitam percenset. Quanquam autem huius rubræ bilis generatio, ex dicta permistione, non videatur impossibilis, experimento tamen communiter medentium nunquam occurrit. Nec credibile est, tam rarum fore huius humoris prouentum: vt vel semel in vita, aut nobis aut socijs nostris, apud quos mille millium quotannis sanãtur ægroti, non contingeret. Adde quod inter citatos autores, qui bilem rubram memorant, non conuenit. Rasius enim, & Auicenna, sæuissimam hanc bilem esse censent. Actuarius vero primo de præuidentijs citato, modestiorem eam, naturali crocea, aut aurea statuit, mitioremque in ferre sitim, & somnum nõ adeo perturbare dixit: quare nihil certum de ea tradunt. Accedit quod Galenus sexto Epidemiarum, parte quin
" ta, commentario decimo quarto scribit: Excogitari non posse, ab alio abundãte humore, quam à sanguine, rubrum colorem fieri: vbi etiam de rubra bile mentione facta dixit, eam esse sanguinis serũ. Sciscitanti vero, quare serum sanguinis rubra bilis ap-
" pelletur, respondet ipsemet Galenus, libro de Attra bile in hæc verba. Sic igitur &
" rubram nonnulli bilem nominarunt, quæ ad tenuem sanguinem, consistentia proxime
" accedit. Sed quoniam nõ coit, bilem idcirco eam appellãt. Ex quo loco manifestũ est, bilis nomen, sero sanguinis fuisse inditum, quoniã bilis more non concrescit: ob sanguinis vero quem seruat ruborem, rubræ cognomen ipsi fuit additũ. Et bilis rubra, a veteribus appellatũ. Vnde & à Galeno ipso, inter biles quandoq; percensetur, vt primo de Natura humana cõmentario quinto, quoniam scilicet sequutus est antiquorum nomenclaturam: Et vbi res nõ agitur ex professo, numerat eã inter species bilis. Eius tamen prouentus, ex causis supra memoratis, mihi non videtur impossibilis.

Caput vigesimum primum, de vitellinæ bilis colore & consistentia.



INTER BILES præternaturam, vitellina primo occurrit consideranda, hæc enim quatenus ad colorem attinet, aut est naturalis, aut naturali multum proxima. Flaua enim est, autore Galeno, secundo libro de facultatibus naturalibus, ad finem. Nam licet bilis flaua recalfacta, mutet consistentiam, & seri dissipatione reddatur crassa, colorem tamen aut non mutat, aut intra terminum flaui, flauior redditur. Quod mostrant apertissime, Galeni verba, è decimo libro simplicium, capite de felle, quæ ita habent: Seroso recremento, flauæ bili commisto, pallidam constitui contingit: Sicut & flauã, plusculum excalfactam, consistentia reddi crassam, colore autem flauam. Quod vero flauus color, vt vitellina bile, sit intensior,

tensior, quam in flaua, videtur ex hoc loco Galeni, nam quod flauum iam est, non potest flauum reddi, nisi flaui coloris intensione quadam. Et hanc intẽsionem maiorem, in bile vitellina, significauit Galenus secundo libro de Naturalibus facultatibus ad finem: vbi post flauum addit igneum. Sunt autem hæc Galeni verba: In sanguine generando, quidquid abunde crassum, ac terreum, ex ciborũ natura, in nutrimento fertur, nec commode à naturali calore alteratur, id lien ad se trahit. Quod vero assum, (vt sic dicam) vstumque nutrimenti est (fuerit sane hoc calidissimum in eo, ac dulcissimum, qualia sunt tum mel, tum adeps) id cum flaua bilis factum est, per fellis vocata vasa expurgatur. Est autem hoc tenue, humidumque & fluidum: nõ quale cum ad vltimum est excoctum, flauum, igneum, & crassum, vitellis ouorum simile. Fit ergo bilis vitellina, ex flaua naturali, à calore plus iusto alterata. Dum enim recalfit, eius serum absumitur, & crassa redditur, atq; flaua, adeo vt similis euadat, tum colore, tum consistentia, vitello oui crudi, libro de attra bile autore Galeno. Crudi (inquã) nam coctum pallescit: crudum vero flauescit, vt experimento constat. Quod non intelligens Auerrhous tertio collectionum capite tertio, inepte transtulit vitellinam bilem, similem esse, vitello oui nati eo die. Fallitur autem, primo quia apud Galenum legitur crudi, non recentis. Secundo quia vitellum oui, parum ex ætate mutatur in colore, præsertim intra primam septimanam. Tertio, quoniam cum bilis vitellina, sit flauissima, & oua antiquitate magis flauescant, similior erit vitello oui antiqui, quam recentis. Quarto nam vitellinæ bilis similitudo, cum vitello oui, intelligenda potius est in consistentia & modo substantiæ, quam in colore: nam ouorum vitelli non sunt vnius coloris, sed quidam pallidi, alij ruffi, & interdum flaui visuntur: substantia vero est vna, crassa scilicet perinde atque bilis, cuius serum fuit absumptum. Et ob id Galenus, separatim dixit, Bilem vitellinam flauam esse, & vitellis ouorum similem, libro de Attra bile, secundo libro de Naturalibus facultatibus, & decimo libro simplicium citato. Quoniam scilicet verbo flauum, exprimit colorem, similitudine autem cum ouorum vitellis, modum substantiæ. Quoniam autem hæc similitudo in substantia, non seruatur cum vitello oui cocti, ob duritiem & consistentiam maiorem, quam debeatur humori, sua natura fluido, ideo comparauit Galenus cum vitello crudo, non cum cocto.

Caput vigesimum secundum, an vitellina sit *humor simplex, an ex pituita cum bile mista constet.*



CVM ex flaua bile, propter exuperantiam caloris euaporata, & tanquam assata, fiat vitellina, vt ex Galeno nuper docuimus. Lubricus detegitur error Auicẽnæ, Haliabatis, Ysac, & Ioanitij: qui vitellinam bilem ex permistione pituitæ, cum flaua bile generant. Primus autem qui hunc errorẽ aduertit, est Auerrhous, tertio

tertio libro Collectanei, capite tertio, & post eum iuniores plurimi. Primo quia vitellina licet sit crassa, lentore caret: quo non careret, si ex mistione pituitæ fieret, quæ viscida semper est. Secundo, quia cum vitellinæ color, sit flauißimus, & igneus, vt dictum est: fieri non poterit ex permistione flaui in bile, cum albo pituitæ: nam permistio albi cum flauo, potius retrahet ad pallidum, quam trahat ad flauius. Tertio nam vitellina, naturali bile esset frigidior, cum omnium sententia longe ardentior habeatur. Quarto nam bilis flaua, pituitæ permixta, similis erit non simplici vitello (quod oporteret) sed conquasato cum albumine. Atque talis sæpenumero excernitur, per vomitiones & aluum in tertiana notha, & semitertiana, atque horrida febre, & febribus quibusdam compositis. Vitellum enim atque bilis, flaua sunt ambo, albumen vero & pituita sunt alba. Hanc vero bilem ex huiuscemodi permistione natam, non prætermisit Galenus: sed a vitellina diuersam esse censuit: atque de ea & tenui quadam substantia croci colori simili, mentionem habuit, secundo prognosticorum commentario trigesimo octauo. Et Hyppocrates septimo Epidemiarum, in historia filij Cidis, in quo excrementum prodijt subbiliosum, viscosum, & velut ex ouo conquassato subpallidum. Non ergo errant Auicenna & reliqui, quoniam genus quodam bilis statuant, ex bile & pituita genitum (frequentißimum enim est, & tertianam notham atque alios morbos illegitimos creat) sed quoniam hoc genus bilis cum vitellina confundunt. Dialectica vero, atque curiosa nimis disceptatio foret, an in hoc bilis genere, ex bile flaua & pituita pauciori genita, seruetur vterque humor, alteri plurimum permistus, an vero ambo, in tertium humorem degenerent, cuius vna sit forma substantiæ. Nobis enim sat est intellexisse, id genus bilis periodum tantum habere tertianum, non quotidianum. Si vero id contingat ob formæ vnitatem, aut quoniam periodus sequitur humorem dominantem in mistione, medicis parum est vtile.

CAPVT vigesimum tertium, De prasina *& æruginosa bile, & vbi generentur.*



ILIS porracea atque praßina, perperam à quibusdam distinguntur, atque duæ esse putantur. Nam πράσον a quo praßina nomen duxit, porrum est. Et bilis praßina, est eadem quæ porracea: sic veteribus appellata, quoniam porri virorem præfert, secundo de Temperamentis, capite octauo, autore Galeno. Ex quo alter quorundam detegitur error, qui porraceam bilem, succo porri similem eße ferunt, nam succus porri, est obscurior & nigrior, bilis vero porracea, clariorem dilutioremque habet viriditatem. Vt quæ ex prima commutatione, in viriditatem consurgat. Similatur ergo folio porri, vt voluit Galenus non succo.

succo. Quæ vero post hanc, obscuriorem viriditatem habet, magis exusta est, & ad nigrum propius accedit, appellaturque æruginosa. Talis enim apparet, sicuti si quis optimam æruginem, aqua perfunderet, adeo vt ex eorum vnione, talis substantia exultaret, quæ defruti craßitudinem repræsentaret, quinto libro Aphorismorum, commentario primo, autore Galeno. Quod vero æruginosa obscurior sit, & ad nigrum magis accedat, quam porracea, constat: quoniam æruginosa ex porracea magis exusta generatur, & attræ bili fit vicinior: Et ob id deteriora infert sympthomata, memorata à Galeno duodecimo Methodi capite vltimo, & quinto libro Aphorismorum Commentario primo. Et ob id calidißima animantia, qualia sunt miluiorum & aquilarum genus, felle visuntur ærugineo, ac nonnunquam attro, decimo Simplicium capite de felle autore Galeno. Hinc Auicennæ detegitur error, qui fen prima primi de Humoribus, bilem Zinariam Albicantem esse definit, quoniam scilicet ex praßina, magis adusta & deßiccata generatur. Nam quæ aduruntur (inquit) eatenus nigricant, quatenus humorem, qui concrematur seruant: eo vero absumpto, & desiccato, alba redduntur. Exemplo sunt ligna, quæ primo in carbones, vltimo in cinerem vertuntur. Sic ergo cum bilis praßina magis torretur, partes humidæ in ipsa nigricantes & eam ipsam obscurantes, exoluuntur & desiccantur: generaturque zinaria, aut æruginosa, quæ propter dictam rationem, viridis est, viriditate magis quam porracea trahente ad albedinem. Sed fallitur Auicenna: Primo quoniam vt dictum est, porracea fit, ex prima commutatione ad viriditatem, ergo dilutiorem habebit virorem, & magis albicantem, quam æruginea. Secundo, quia cum æruginea, ad attram bilem propius accedat, obscurior & nigrior erit neceßario. Si æruginea præterea albicaret, ob humiditatis desiccationem: vlteriori vstione redderetur candidior, & in attrum humorem nunquam verteretur: quod tamen falsum esse, monstrant experimenta, & autorum omnium testimonia. Adde quod candor, in re concremata, vltimam sequitur siccitatem, quæ cum humoris essentia nequit stare. Fallitur ergo Auicenna, non quoniam bilis zinaria non detur (quod quidam existimant) sed quoniam porracea candidiorem esse censet, leui ratione seductus. Qui vero zinariam tollit, non aliam quàm ærugineam negat: de barbaro enim nomine, barbaris autoribus, non est detrahenda fides: quos si consulas, & suum pandectarium adeas, intelliges ziniar esse æruginem: a qua zinarium, quasi ærugineum ducitur. De loco vero generationis, horum humorum viridium, dubium est, nam Auicennas porraceam, & æruginosam, frequentius in ventriculo generari censet: Is enim de humoribus, primo capite, ita scribit. Et quæ in stomacho generatur, duas habet partes, praßinam scilicet, & viridem vt ærugo æris. Galenus tamen, solam porraceam, in ventriculo gigni, est arbitratus, secundo libro Præsagiorum, Commentario trigesimo nono, & libro secundo de Temperamentis, capite octauo. De æruginosa vero nullibi quod legerim, tale

aliquod

aliquid reperitur scriptum. Nam quod libro de attra bile scripsit, bilem in ventriculo gigni, quam porraceam, à porrorum similitudine appellant, sicut & æruginosam, quod ærugini similis conferatur, denominationis est exemplum, non generationis vt constat Galeni verba expendenti. Accedit, quod si in ventriculo, generaretur bilis æruginosa, per integram sanitatem interdum excerneretur, sine morboso aliquo affectu, hoc vero non ipsi, sed porraceæ tantum bili contingit, tertio libro de Alimentorum Facultatibus, capite de melle, autore Galeno: Porracea ergo bilis, in ventriculo generatur, non æruginosa. Nec vero porracea, perpetuam generationem, habet in ventriculo: sed interdum etiam, in iecore & vniuersi corporis vasis generatur, propter calorem immodice assantem: secundo libro Præsagiorum, Commentario trigesimo nono, autore Galeno, vbi ita scribit. At vero gignitur in corpore, quemadmodum crocea bilis, per naturam habentibus, ita porracea altera, præternaturam, constatque vt hæc sæpenumero, in ventriculo gignatur, propter quorundam cruditatem esculentorum, aut olerum, qualia beta, cæpa, brassica sunt: atque vt etiam talibus nequaquam ingestis, ratione ægrotationis, in venis gignatur: ac decumbat, aut in ventrem superiorem, aut inferiorem, calorem in corpore indicans præternaturam, atque excrementi proprietatem, talis temperamento, qualis prædictorum olerum succus est. Ex quibus plane Galeni verbis constat, duplicem generationem, porraceam bilem habere, vnam in ventriculo, propter quorundam ciborum cruditatem: & alteram in vasis, propter calorem immodice assantem. contra vero est, quod secundo libro de Temperamentis, capite octauo, bilem porraceam non modo gigni in ventriculo dixit Galenus, sed signum etiam distinctiuum significauit, quo distingueremus bilem euomitam, aut à ventriculo esse aut à iecore. Nam si pallida, aut flaua est, à iecore: si porracea, à ventriculo ducit ortum. Sic enim eo loci scribit. Tertium notæ genus, in ipsis est vacuatis. Nam quibus in ventre, biliosum excrementum gignitur, id porri virorem præfert: at quibus ex iocinore descendit, ijs vel plane flauum est, vel omnino saltim pallidum. Ex quibus verbis facile deducitur, porraceam bilem, non alibi quam in ventriculo gigni, si inditium id firmum sit futurum. Quid in huius contradictionis solutione dixerint alij, non curo: ne in re aperta, in qua omne punctum tullimus, paginas impleamus. Quod sentio est, porraceam bilem excerni posse per morbos, & sine morbis: hæc in ventriculo, illa vero in vasis gignitur. Nam quæ ex ciborum ingestorum cruditate, in ventriculo generatur, non est mirum per sanitatem, citra corporis læsionem posse excerni: quæ vero altius egit radices, & ex praua dispositione vasorum, duxit ortum: sine morbo eoque graui excernetur nunquam. Libro ergo de Temperamentis, signa tradens Galenus, dignoscendorum temperamentorum, de porracea bile, quæ per sanitatem excernitur, fuit loquutus: libro vero prognosticorum, bilem vtramque est complexus.

nam non parum, ad prædictionis vim attinet, nouisse: an ex cibis male in chilum conuersis, an ex praua dispositione vasorum, porracea bilis traxerit ortum, vt enim illa sine periculo est, ita hæc valde periculosa & interdum exitium portendit. Nec obstat, quod apud Galenum, tertio libro de Morbis popularibus, parte secunda, Commentario octauo, nunquam viridia, aut nigra, excernuntur sine morboso aliquo affectu. Nam supplendus est locus, ex tertio Alimentorum, capite de melle, vbi porraceam bilem excipit. Sic enim eo loci scribit Galenus: Diximus enim iam, sæpenumero medicos solere, bilem eiusmodi, simpliciter citra coloris adiectionem nominare. Reliquas vero biles omnes, cum coloris sui nomine explicare. Alias autem omnes, porracea excepta, cum corpus grauiter ægrotat, excerni videmus. Flaua vero, & pallida, & porracea, etiam sine morbis euomuntur sæpenumero, ac deijciuntur. Ex quibus Galeni verbis aperte colligitur flauam, pallidam, & porraceam bilem, & euomi & deijci posse, sine morbis. Flaua & pallida quoniam sunt naturales: quæ naturalia autem sunt, citra magnum lapsum possunt augeri & excerni: Porracea vero, quoniam in ventriculo generatur: & sine interna læsione, ab externa cibi prauitate, prouenire potest. Cuius certe ratione, porracea in ventriculo generata, morbosum aliquem affectum, ipsius ventriculi, non significabit. Nam ex causa externa ducit ortum, puta ex prauo cibo, a coctrice ventriculi non chilificato. Ex laudabili enim cibo, nunquam generabitur, autore Galeno secundo libro de temperamentis, capite octauo, vbi sic ad verbum scribit: Præterea quibus in ventriculo, bilis illa gignitur, quæ porri colorē immittatur, debet omnino ijs, cibus fuisse non panis, non suilla caro, simileue aliquid: sed necessario aliquid, quod his calidius fuit, neque id boni succi. Sed iam hic insurgit Auerrhoes, qui tertio libro Collectionum, capite tertio, porraceam bilem, in ventriculo, nulla ratione posse generari censet. Primo Nam ventriculus, est membrum frigidum, non poterit ergo calidissimam bilem, qualis porracea est generare. Secundo nam si iecur, dum recte valet, est causa bilis naturalis, erit quoque dum ægrotat, causa bilis præternaturam. Non enim alteri, est referendum innaturale, quam cui naturale conueniebat. Sic enim si ventriculo recte valenti, tribuitur naturalis chili confectio: non erit alteri membro à ventriculo, referenda confectio chili vitiati & innaturalis. Tertio, nam prasina bilis, prauus humor est, & qui veneni naturam sapit, cuius potentiam sæuiora sequuntur symptomata, quam ex cibis, male in ventriculo confectis, sequi par esset. Hanc difficultatem, fugere forte volens, Nicolaus Florentinus, sermone quinto, tractatu primo, capite vndecimo, huiusmodi bilem, in ventriculo gigni perhibet: ipsam tamen verum humorem esse negat. Huiusmodi enim bilis, & alij etiam nonnulli succi, quamuis humoris exhibeant phantasiam, æquiuoce tantum, humores sunt appellandi. Sed parum pro Auerrhoë dictæ rationes vrgent, nam porracea bilis, non calet ex ventriculo generante, sed ex materia ex qua generatur, porro scilicet cæpa

allio, Aut simili aliquo succo calido atque viridi, non bene in chilum conuerso. Taleque habet temperamentum, qualis prædictorum olerum succus est, vt secundo libro Prognosticorum, Commentario trigesimo nono, scribit Galenus. Nec obstat secundum, nam pituita naturalis, gignitur in iecore, acida in ventriculo, & præternaturam altera, quæ mucus potius est quam pituita, in cerebro, vt autor est Galenus, libro secundo de Naturalibus facultatibus: ventriculo tamen, aut capiti, non inest vis generandi naturalem pituitam. Minus difficile est, quod tertio obycitur, nam bilis praßina in iecore ac vasis genita, prauus humor est, & sæua symptomata inducit, lætalesque morbos, magna ex parte parit. Quæ vero in ventriculo generatur, sine morbis etiam excernitur, quoniam nec sequitur, prauā corporis dispositionem, nec in altum corpus penetrauit.

CAPVT vigesimum quartum, De bile cærulea, & isatidea: in quo, omnes bilis species recensentur.



POST bilem æruginosam, memorat Galenus, decimo libro de simplicium medicamentorum facultatibus, capite de felle, bilem cæruleam, & Isatideam: quæ magis quam ipsa æruginosa, ad atrum colorem vergūt, & fiunt quotiens calida animantia, famæ, siti, atque labore violento, torquentur, quod in tauris defatigatis, & vinculis violenter tractis, sæpe vidit Galenus, & quotidiano nos experimento aduertimus. Sunt autem hæ duæ species bilis, adhuc in genere viridium, nam cærulea est in colore Isatidis, seu glasti (Hispani vocamus pastel) qui quidem, magis est colore braßicæ fuscus, & nos appellamus azul cerrado. Vnde constat in genere viridium, quatuor species bilis contineri: praßinam, & æruginosam, de quibus egimus capite superiori: & cæruleam, atq; Isatideam quæ hic commemorātur. Quod aperte sensit Auicenna fen decima tertia tertij, capite octauo, sic scribens, « Et viridis ad nigredinem decliuis, sicut azul indicum, secundum plurimum significat « congellationem caliditatis. Quibus verbis patet, azul non esse extra genus viridium vt diximus. Qua certe ratione, autores qui de Isatidea, atque glastea bilibus, nec meminere, nec morbis, ab ipsis enatis, remedia perscripserunt, accusandi non sunt: quoniam vt vno genere viridium continentur, ita in remedijs & prædictione cum ipsis conueniunt. Thamarindis enim, Crystallo, & frigidis alijs alexipharmacis, si aduersus bilem omnem viridē ac venenatā vtaris: simul & non multum promiseris, curationi & prædictioni te satisfecisse puta. Si quispiam vero, ad omnia quæ de bile, à nobis dicta sunt, animum aduertat, intelliget bilis esse species octo, tres naturales, pallida, rufa, & flaua, & quinq; præternaturam, vitellina, praßina, æruginosa, cærulea, & Isatidea. Nec refert, si pauciores interdum memorentur species, nec adeo exac

ta fiat ipsarum diductio apud autores. Nam & harum, ad minorem numerum, fieri potest reductio, si tam minutæ differentiæ, non recenseantur: pariter & ad maiorem, si minutiores differentias consideremus. Innumeræ enim sunt bilis species, præsertim quæ ex putredine constant, libro de natura humana cōmentario decimo sexto, autore Galeno. In transitu enim, unius humoris ad alium, per infinita pene pertransitur. Et hinc ortum habent cineritiæ, ferruginosæ, fumosæ, indicæ, & aliæ bilis species eiusmodi, quæ apud autores leguntur.

Caput vigesimum quintum, De commutatione bilis, & in alios humores transmigratione.



VM BILIS sit vltra sanguinem, & ex sanguine plus calfacto generetur, in sanguinem redire nequit, secundo Acutorum, Commentario trigesimo, autore Galeno. Quare nec in pituitam commeare valebit: est enim pituita sanguine ipso citerior. Nec obstat, quod phrenitis, ex Auicennæ atque Aetij decreto, plurimum refrigerata, in lethargum quandoque decedat: Id enim citra commutationem bilis in pituitam fieri potest, bile atque sanguine valde refrigeratis, & etiam pituita, per vsum narcoticorum, tum aucta, tum etiam plurimum incrudata: simul & facultate animali, adeo per narcotica dicta sopita, vt quem soporare volumus, excitare postea non possimus. Quod vero tertio libro acutorum, Commentario trigesimo octauo scribitur, Amara in pituitam decedere, cum ab aceto in sublime attolluntur: nec à Galeno interpretatur, nec a nobis, pro genuina Hippocratis sententia recipitur. Nam acetum bilem dissecans, & contemperans, vt quid ipsam in pituitam vertat, non capio. Quin & acetum, pituitam non gignit, sed tenuat, secat, subigit, & tractabilem reddit, vt tum a natura, tum ab expurgantibus medicamentis, facile è corpore deturbetur. Nec in melancholicum succum, bilis vnquam vertetur: nam nihil magis distat a fece, quam flos: est autem melancholicus succus, fex quæ subsidet in sanguinis confectione, bilis vero, flos innatans. Quare non commutabūtur in se se. In quem vero humorem commutari possit si requiras, Galenum audies, sexto libro Aphorismorum, Commentario quinquagesimo tertio, & libro de Attra bile, post principium, & alibi, sæpe dicentem, quod bilis flaua, est attræ bilis materia, & meat in attram medio vitellinæ, porraceæ, æruginosæ, cæruleæ, atque Isatideæ. Sed hæsitabit forte quispiam, quare si vitellina, porracea, æruginosa, cærulea, atque Isatidea, connumerantur Galeno, atque alijs autoribus, inter species bilis: non veniat etiam in earum numerum, bilis attra computanda? cum pauculam quandam alterationem, vlterius sit perpessa, & modo dictis, sit valde proxima? cui nos respondebimus, quod attra bilis, non connumeratur inter bilis species, quoniā non ex sola bile, sed ex alijs

etiam

etiam humoribus, generationem obtinet. Secundo, quoniam attra bilis, periodum tertianum, qui est de natura bilis non seruat: Sed quarto quoque die repetit, more attri succi, cuius nomenclaturam accepit, sicut & colorem, & repetentiam, fuit mutuatus.

CAPVT vigesimum sextum An succus melancholicus, sit sanguinis fex: & an ab Hippocrate, inter quatuor humores recipiatur ceu eorum vnus.

SICVT in sanguinis generatione, supereminens flos, bilis appellatur, ita & quæ subsidet fex, atter succus: & interdum melancholia, idest attra bilis nominatur. Quanquam hoc nomen, minus huic succo naturali quadret, quam alteri prauo, & præternaturali, per exustionem genito, tertio libro de locis capite quinto: & quarto libro Aphorismorum Commentario vigesimo primo, autore Galeno. Nam succus atter, quartus est humor, tum ab omni bile, tum à duobus reliquis humoribus distinctus, & corporis constitutioni, æque atque ipsi necessarius. Frigidus enim atque siccus existens, materiam præstat opportunam, nutriendis ossibus, neruis, venis, arterijs, cartilaginibus, membranis, & reliquis partibus, tali temperamento præditis. Nec obstat Cardanus, libro primo contradictionum, tractatu tertio, capite 18. qui melancholicum succum, à fece sanguinis diuersum esse vult, primo quoniam (vt inquit) sanguinis, fex sanguis est, nec diuersam ab eo, nanciscitur naturam. Secundo, quoniam melancholicus succus, frigidus & siccus est, sanguinis autem fex, calida & humida. Nam & fex (inquit) vini, & olei, suorum humorum naturam agnoscunt. Tertio quoniam sanguinis fex, gellatur, sicut & sanguis ipse: Succus autem melancholicus, non gellatur libro de Attra bile, autore Galeno. Sed friuola hæc sunt, nam sicut fex vini, vinum non est, nec olei oleum, ita etiam limus sanguinis, ab ipso sanguine distat. Fex etiam vini, & olei, frigida est atque sicca: nisi quatenus vini aut olei aliqua substantia, cum ipsis retinetur. Sanguinis præterea fex, nec gellatur, nec (vt existimant) fibras habet: Quare siue melancholicum succum, appelles Hippostasim sanguinis, siue limum, siue fecem, aut turbulentiam sanguinis, nec errabis, nec a probatis autoribus discedes. Quod vero libro de genitura, succus atter, ad humorum numerum non vocetur, apud me est satis difficile. Sic enim eo loci apud Hippocratẽ reperitur scriptum: εἰσὶ δὲ τέσσαρες ἰδέαι τοῦ ὑγροῦ, αἷμα, χολὴ, ὕδωρ, καὶ φλέγμα. idest: Sunt autẽ quatuor humorũ species, sanguis, bilis, aqua & phlegma. Et subdit: Homo namq; tot humorũ species, congenitas habet, a quibus morbi, tum fiunt, tum

etiam indicantur. Quibus verbis Hippocrates, tũ a seipso, tum ab omni medicorum cœtu, dissentit. Nam sæpe alibi, quatuor hos humores enumerat: sanguinem, bilem flauam, bilem attram, & pituitam. Dici forte posset, per aquam intellexisse pituitam, per phlegma vero, bilem nigrã, à verbo πεφλέχθαι *quod vstum esse significat. Sic enim eo nomine, vsum fuiße prodicum, testis est Galenus, secundo libro Naturalium facultatum ad finem. Sed obstat, quod nunquam flegmatis nomen, alia significatione, vsurpatur Hippocrati, quam ea, qua paßim vtitur libro de Natura humana, pro eo scilicet humore, frigido & humido, quem Latini pituitam appellant. Ob id forte dicetur melius, aquæ nomine, attram bilem intelligendam fore. Nam libro quarto de Morbis, eandem sententiam repetit, & melancholicum succum, aquam appellat & hydropem: ob id forte, quoniã is succus, lienem obstruens, aquam intercutem frequenter solet excitare, nomine consequentis dato causæ. Sunt autem eã loci, Hippocratis verba huiusmodi: Habet autem & mulier & vir quatuor humoris species in corpore, à quibus morbi fiunt, qui non à violentia aliqua fiunt. Sunt autem species hæ, pituita, sanguis, bilis, & hydrops siue aqua. Quibus verbis, si per aquam vt quidam volunt, humorum serum intelligamus, duplex notabitur error: vnus, quod attrum succum prætermiserit: & alter, quod humorum serum, ad numerum humorum admiserit: cum tamen non sit humor, sed humorum nos alentium vehiculum. Satius ergo est, vt per aquam, attrum succum intelligamus, eam enim lieni adscribit, idem Hippocrates libro quarto de Morbis, capite octauo & nono, sicut bilem flauam iecori. Sed non est, cur tam anxios nos reddant, sententiæ quædam, libris Hippocratis, ab alio potius, quam ab Hippocrate interdum insertæ: qualis forte hæc est, quæ humorum numerum, (aliter quam ipse, ex professo tradiderit, libris genuinis & emendatioribus) memorat. Plura enim loca alia reperies, quæ si ad vltimum ducantur examen, quemuis lectorem ancipitem reddent.*

CAPVT vigesimum septimum, *qua ratione succus melancholicus, à reliquis nigris humoribus, distingui queat.*



IGRARVM deiectionum, differentias tres, percẽset Galenus, libro de Attra bile ad initium. Primam sanguinis, qui ob refrigerationem nigrescit. Alteram fecis sanguineæ, quam attrum succum naturalem esse diximus. Et postremam attræ bilis exquisitæ, quæ per exustionem aut bilis, aut melancholici succi, frequentius generatur. Prima ex his, à reliquis distinguitur, concretione substantiæ: nam ex omnibus humoribus, solus sanguis concrescit, gellatur, & coit in thrombum aut grumũ, tum quia pinguis, tum quia fibras habet, tertio libro

de

de hiſtoria animalium, capite decimo nono, & ſecundo libro, de Partibus animalium, capite quarto, autore Ariſtotele. Attra vero bilis, ab attro ſucco, diſtinguitur acore, ſplendore, fermentatione terræ, & animalium fuga, quæ non inſunt ſucco melancholico. Primum ſane horum, eſt acor: de quo an ſucco inſit melancholico dubitatio eſt. Nam tertio libro de locis patientibus, capite ſeptimo, dixit Galenus ἥκιστα μετέχει ποιότητος ὀξείας *quod eſt minime participat qualitate acida. Et quarto libro Aphoriſmorum, Cõmentario vigeſimo primo de deiectionibus melancholicis, quæ attrabiliares non ſunt, ſcribit* δριμὺ καὶ διαβρωτικὸν καὶ ὀξῶδες οὐκ ἔχει *Quod eſt acre, & corrodens, & acidum non habent. Contra vero quinto libro de Vſu partium, capite quarto, ſucci melancholici ſaporem, acidũ & auſterum eſſe ſcripſit. Tertio quoque libro de ratione victus in acutis commentario trigeſimo octauo, non modo acidum eſſe huiuſmodi ſuccum, ſed plurimum acoris habere adſtruxit. Hæc ſane in Galeni verbis apparẽs contradictio, ita ſoluitur. Habet ſuccus melãcholicus, quoniam frigidus atque ſiccus eſt, & terrenæ ſubſtantiæ, ſaporem ſatis acidũ, & adſtringentem, ex ſui natura: occulitur tamen alieni ſaporis miſtione: dum enim naturam ſuam ſeruat hic humor, & recte valet corpus: ſanguinis dulcedine cuius ipſe eſt limus & fex diluitur, atque ob id occultatur eius acor. Dum vero torretur, & attrabilis fit, ſanguinis dulcedine amiſſa: mordax fit veluti acetum, quarto Aphoriſmorum, commentario vigeſimo tertio, autore Galeno: nam tunc acorem ſynceruм oſtendit, quem antea ob miſtionem alieni ſaporis, non oſtendebat, vt tertio libro Acutorum, Commentario trigeſimo octauo ſcribit Galenus. Cum ergo tertio de locis, & quarto Aphoriſmorum Galenus, ſuccum melancholicum dixit, acida qualitate non participare, de manifeſta & ſyncera intelligatur. Nam id ipſum etiam reliquit ſcriptum Galenus, libro de attra bile in hæc verba. Quippe hæc (De naturali melancholia loquens) neque acerbitate, neque acore, manifeſte participat. Et tertio libro*
" *de ratione victus, Commentario trigeſimo octauo hæc habet. Nam & bilem nigram*
" *acidam eſſe contingit, cum ſcilicet præternaturam habente corpore, & ſyncera &*
" *impermiſta fuerit. Nempe cum recte valet, plurimum quidem prædictæ habet quali-*
" *tatis, non tamen exquiſitam ipſam. Vnum tamẽ hic expedit aduertere, in dignotione*
" *attræ bilis, quod nomine acoris, non modo venit intelligenda qualitas guſtatilis, ſed altera etiam innominata qualitas, mouens odoratum: habet enim attra bilis, iniucundum quendam odorem, qui acori, proportione reſpondet. Nam in vniuerſum acida omnia, ſicut & acetũ ipſum, ſimiliter odoratũ mouent, atq́ guſtum, quarto libro ſimplicium, capite vigeſimo ſecundo, autore Galeno. Quod autem attra bilis, ex odoratu quoque innoteſcat, ab eodem Galeno libro de Attra bile traditum eſſe conſtat. Alterum vero, non minus aduertendum eſt, quod quanuis attram bilẽ eſſe acidã, ſine diſtinctione ſcripſerit Galenus: non de omni, ſed de ea, quæ à ſucco melãcholico aduſto fit, eam ſententiam intelligimus. Nam quæ acerba & auſtera ſunt, in acidum ſaporem, vlterius calfacta verti poſſunt. Amara vero aut dulcia, nequeunt vſtione acida*

reddi. Dulce enim vstione amarescit, amarum vero, vstione aut non amittit amaritudinem, aut in salsum commutatur, cum nimirum aqueum aliquod sibi miscetur.

Altera nota, attrã bilem, à succo melancholico distinguens, est splendor. Nam quæ ab igne, plurimum passa sunt, ignis conditionem assequuntur: & quanquam nigra ipsa redduntur, splendentem tamen accipiunt nigredinem, quarto libro Aphorismorum, commentario vigesimo tertio, autore Galeno. Contra vero nigrum, quod à frigore nascitur, & ignis vim non experitur, obscurum & turbulentum necessario euadit, tertio de causis sympthomatum, capite octauo teste Galeno. Distinguitur tertio attra bilis, a naturali melancholia, terræ abrasione, aut si mauis dicere fermentatione. Est autem fermentatio, intumescentia quædam, eius quod fermentatur, a re quæ fermentationem inducit. A qua vero nascatur causa, prõptum respondere non est. Siue enim à calido, siue a frigido, oriri respondeas (vtrumq; enim dicunt) In obscuras ambiguasq; rationes, te ipsum conijcies, primo libro de Simplicium medicamentorum facultatibus, capite trigesimo autore Galeno. Plura enim tibi ostendam, æque calida, aut frigida, quæ nullatenus fermentant. In difficili autem hoc problemate, si experimentis attendas, & vtrorumq; rationes expendas, probabiliorem eorum sententiam iudicabis, qui a calore eximio, subito vertente materiam subiectam in flatum, fermentationem nasci tradunt. Flatus enim genitus sicut & spirituosa omnis substantia, ob leuitatẽ, motionem quandam nanciscitur, vt extra erumpat, a re quæ fermentatur. Hæc contra, ob craßitiem substantiæ, non dans exitum facilem spiritui, ab ipso spiritu aut flatu intumescit, cauatur, & ampullas, atq; leuem quandam efferuescentiam ostendit. Sic cum acetum acre, in terram effusum fuerit, protinus intumescens, sursum quasdam terræ partes, simul attollit: fitq; compositum quodam, ex terrestri substantia, & aceti humiditate, & ex facto vaporoso spiritu. Simile rei huic contingit, cum attra bilis, in terram effusa fuerit, nempe & in vtroq; spirituosa quædam motio euidenter fieri videtur, ei similis, quæ in feruente musto apparet. Simile quoq; & in panibus, quotidie fieri videtur, cum remista aquæ, tritici farina, misto illo & fermento, mediocriter macerari permiserint, fermentatio fieri videtur, fusa simul, & intumescente, quæ fermentatur substantia. Vrinæ quoq; fermentatæ (seu vt barbari loquuntur fenestratæ) apparent, vbi a valido calore perturbantur, agitanturq; crudi humores, vt in dysode contigit, secundo Prorrhetici commentario quadragesimo. Distinguitur præterea bilis attra, quoniam ad ipsam, nec musca, nec aliud ex domesticis animantibus accedit: Eam enim ceu venenum refugiunt. Ad melancholiam vero naturalem, & sanguinis limum, omnia istiusmodi animantia, alliciuntur vt prandeant, & vtantur ea, vice alimẽti. Est enim miranda, in multis brutis sagacitas, in dignoscendo alimento, fugiendo veneno, & perquirendo ad suos morbos medicamento, adeo vt homines, ab ipsis multa didicerint. Oues enim & boues, gramine pascuntur, & sibi salutaribus herbis: intactis tithymallo, atq; oleandro venenatis. Hirundines quoq; chelidoniũ oculis prodesse nos docent.

Caput

CAPVT vigesimum octauum, quæ caloris mensura, melancholico succo generando, sit idonea.



DE causa generante melancholiam, dubitant an fiat à temperato calore? An ab immodico? an forte ab imminuto? à tẽperato enim fieri, dixit Auicenna fen prima primi de Humoribus, & huic attestatur ratio, nam temperatum iecur, melius coquit alimẽtum: quo autem coctio fit melior, eo plus excrementi separatur: magis ergo subsidebit lutulenti, in temperato iocinore, quam in alio. Aperte enim errat Cardanus lib. 1. Contradictionum, tractatu tertio, capite decimo nono, vbi Auicennæ codicem emendat, pro calore temperato, intemperatum legens. Ab imminuto vero calore generari, eo constat: quod temperatura melancholica, plus generat melancholiæ, ex qua nutrimentum sibi proueniat. In autumno præterea, inter anni tempora, & in ætate consistendi, vbi iam corpus cæpit refrigescere, plus melancholiæ congeritur, tertio libro Aphorismorum, commentario trigessimo autore Galeno. Quanquam hoc loco Galenus & sæpe alibi, prouẽtum melancholiæ in autũno, & consistendi ætate, magis reijciat, in æstatem & iuuentutem, quæ bilem adusserunt, & exustam, in autumnum & ætatem consistentem deriuarunt: Verumtamen, præter bilem exustam, ex anteacto tempore, & ætate translatam, temperatura inclinãtis ætatis, & autumi, quæ magis frigida est quam calida, sicca autẽ euidenter, ad melancholicum succum parandum est idonea. Ob idq; tertio libro aphorismorum, commentario vigessimo secundo, non modo quæ ab attra bile, proueniunt mala, autumo adscripsit, vt sunt furores & attræ biles: Sed febres erraticas, & quartanas, & lienes, quæ maiori ex parte, à melancholico succo creantur. Quod vero ab immodico calore, melancholicus succus generetur, constat ex Galeno libro secundo Crisium capite duodecimo, vbi dixit, ostensum esse, in naturalibus sermonibus, quod " sanguis, ex moderato calore generatur, flaua autem bilis, ex maiore, attra vero " ex sufficienter immodico. Nec valet quod quidam dicunt de præternaturali, non de naturali loqui, nam sanguini, & flauæ bili naturalibus, illius generationem cõparat. Multa sunt quæ in hac difficultate mentiũtur Fulginates, Vgones, & Apponenses, quæ nos vtilitati, & breuitati studentes, consulto præterimus. Quod vero nos de Galeni sentẽtia esse credimus, est, melancholicũ succũ, prout ab attra bile distinguitur, nõ vnius modi sed multifidum esse. Quidam enim est naturalissimus, exacte coctus, & a naturali calore sufficienter alteratus: alter citra: & alter vltra: hunc progreditur. Qui enim vix, aut omnino nullam, a calore naturali, alterationem suscepit, sed ipsa est terrea alimẽti portio, quæ vix aut nihil alterata, in sanguinis generatione separatur, citerior est. Qui vero ab immoderatiore calore cepit aduri, versus extremũ attræ bilis, vlterior. Nã nõ ab initio adustionis est attra bilis exquisita

sed in adustionis termino. Cum ergo, triplex hic melancholicus succus habeatur, & non vnus: triplicem quoque, a quo generetur, causam habeat oportet. Naturalissimus & maxime coctus, a calore fit temperato: citerior, ab imminuto: vlterior vero, ab immodico. Hic autem aduertere oportet, quod maior pars melancholici succi citerioris, in lienem fertur: sicut eius qui absolute coctus est, in venas cũ sanguine transumitur vt testis est Galenus, lib. 2. de Natur. facult. capite vltimo, in hæc verba. Quod " almodum est crassum & terreum, ac prorsus eam quæ in iocinore fit mutationem " subterfugit, lien ad se trahit, reliquũ quod mediocri est crassitudine, id & absolutum " iam est & in omnem partem fertur. Succus vero melancholicus, siue citerior, siue " naturalis, & maxime coctus: si diutius in corpore detineatur, in vlteriorem transit, etiam bene valente homine, & vltimo in attram bilem exquisitam, a qua exitiosa statim prodibunt mala.

CAPVT vigesimum nonum, an lien, *nutriatur succo melancholico, & vtrũ ex recremento suæ nutritionis, naturalem famem excitet.*



ICVT stercus hominum, est canibus suauissimus cibus, ita melancholicus succus, in sanguine subsidens, est lieni iucundum & familiare alimentum, tertio libro de Facultatibus naturalibus, ad medium autore Galeno. Habet autẽ hoc dubitationem, nam quarto libro de Vsu partium, trium membrorum nutrimentum comparans, pulmonis, scilicet iecoris, & lienis, sic scribit Galenus. Vt " autem summatim perstringã, nutritio horũ trium viscerũ sic habet. Hepar quidem " ex rubicundo & crasso sanguine: Splen autem ex subtili sed nigro: pulmo ex elabo- " rato ad vnguem, flauo, subtili, spirituoso, ac puro summit alimẽtum. Iam vero carnis " eorũ species, ad portionẽ nutrientis succi se habent. Ex quo Galeni loco constat, lien nutriri tenui alimento: quo modo ergo nutrietur succo melancholico, crassissimo, limoso & feculentissimo? Huic sane dubitationi, dicendum ex Galeno est, quod lien, habet substantiã raram & laxam, spongiæ modo, vt facilius crassos humores ex iecore, tum alliciat, tum suscipiat: habet præterea numerosissimas arterias, vt earum beneficio, crassi humores tenuẽtur, & idonei reddantur nutriendæ carni laxæ. Præstant autem eum vsum arteriæ, spiritu vitali, per ipsas a corde influxo: cauitate propria, quæ lienis raritatẽ conseruat: & vtroque motu, tũ distentionis, tum cõtractionis. Nam eleuatione, insitum lieni calorem refrigerant, & conseruãt: submissione vero, fulliginosa recrementa expellunt. Quæ cum propter humorum, in eo contentorum prauitatem, & crassitiem, plurima sint, merito tum multæ, tum grandes extitere. Quod autem, ab ea quæ in splene fit elaboratione exciderit, neque in sanguinis tenuis, ac vtilis, speciem transmutari potuerit, omninoque inutile fuerit ad nutriendum: hoc

ad ventriculum, per alium quendam venosum canalem, splen eructat, vtilitatem & ipsum, non contemnendam præstiturum. Sed cur melancholicum succum, non traduxit natura, ab splene, in proxima ano intestina: compendiosior enim ea via, erat futura, quam per ventriculum? Dic id factum esse, primo quoniam oporteret, meatum à liene in dicta intestina protensum, esse angustum & plus iusto longum: angustum quidem, ad portionem paucitatis excrementi melancholici: longũ vero, propter ipsius interualli longitudinem. Angustus vero, & omnino longus meatus, iniurijs est maxime opportunus: In longo enim, atq; angusto itinere, aut fractionẽ, aut obstructionem a crassissimo succo nõ aufugeret. Adde secũdo, quod ijs quæ expelluntur, solet in trãsitu, abuti natura, ad alios vsus: ob idq; bilem, ad duodenum, non autem ad rectum intestinum transmissit, vt sua acri, & abradente qualitate, intestinorũ omnium sordes mundaret. Sic melancholicũ succũ, ad ventriculum traduxit, vt acerba atq; accida sua qualitate, vẽtriculum constringat, intẽdat, ac in se ipsum cõtrahat, vt cibos quousq; fuerint percocti, circumplectatur, & retineat. Coctionem enim eo promouet hic succus, quoniam contentrici oppitulatur, vt quinto libro de Vsu partium Galenus est autor. Auicenna vero prima fen, primi libri, doctrina quarta, capite primo, Succi melancholici, ad ventriculum confluẽtis, vsum aliũ inuenit, Galeno indictum,
" quod nimirum famem naturalem excitet, scribit autem in hunc modum. Vtilitas ideo
" accidit, quod in os stomachi, quasi mulgendo profluit. Et hæc quidem vtilitas est duo-
" bus modis, vno quia os stomachi stringit, & confortat, & inspissat: alio vt in ore
" stomachi, cõmotionem faciat, propter acredinem, & excitet ad famem, & faciat desiderium. Ex quibus verbis, nemo non videt, Auicennam, primo Vsui ex galeno desumpto: suum alterũ, de Famis naturalis excitatione assuere. Auicennæ subscribũt, omnes quod sciam practicarum scriptores, & medicorum maxima turba, & est sua hæc sententia non omnino improbabilis. Primo nam si accida, atq; adstringentia cibaria ingesta, appetentiam mouent, cur eam vim non obtinebit, melancholicus succus, accidus, atq; adstringens? Secundo, quoniam melancholicus succus, dum immodicus congeritur, & ventriculum perfundit, famem caninam & immodicã facit: modicus ergo, & qui secundum naturam quotidie influit, temperatã excitabit, & naturalem. Tertio quia vna causa fastidij, est prohibitus defluxus melancholici succi, ab splene ad os ventris, vt constat ex Auicenna decimatertia tertij, tractatu secundo capite septimo: Et est locus transcriptus ex Paulo libro tertio, capite quadragesimo nono. Si igitur absens appetentiã deijcit, præsens, excitabat. Quarto, nã corpora, laudabili sanguine referta, & nullatenus inanita (qualia atthletarum corpora sunt) naturali fame, nunquam famescerent, nisi ex melancholia huiusmodi fames prodiret.

Contra vero est veritas, Primo quoniam naturalis fames, non fit, sine nostri corporis iactura, vt constat ex Galeno, libro primo de causis sympthomatum, capite septimo, & ex Aetio, sermone nono, capite vigessimo. Vbi quinq; symtphomata, necessario se consequi testantur, vt secundum naturam fames comitetur. Primum, est

vacuatio, & dissipatio partiũ nostri corporis: Alterum naturalis appetẽtia, partium quæ iam sunt vacuatæ: Tertium, ventriculi suctio, quæ fit à venis corporis iam exhaustis ac vacuatis: Quartum, sensus suctionis in ventriculo, qui a venis sugentibus diuellitur: Quintum est, animalis appetentia, qua animal excitatur, ad huiusce suctionis, & tristis sensus remedium quærendum, sicque ad capiendum cibum impellitur, & appellatur appetentia animalis, quoniã ex arbitrio pendet tota, vt ostendunt hi: qui inedia sibi mortem consciuerunt. In nullo autem horum symptho-matum, habet locum, melancholici succi defluxio in ventriculum: Quare non erit famis naturalis causa. Secundo ex famis essentia, atque definitione, est enim fames (vt inquit) loco citato Galenus, nihil aliud quã suctionis sensus: vt quid ergo extendemus eam ad sensum mordacitatis melancholiæ? Famis enim potius imaginem, ac phantasiam inducit, ob rosionem, quæ suctioni similatur, quam veram & naturalem famem efficiat. Nam rosio, ob similitudinẽ quam habet cum suctione, decipit nos, & excitat ad simile remedium, cibum scilicet quærendum: nec tamen vera fames ea est, nec eius remediũ est cibus, sed rodẽtis, & praui illius humoris, cõcoctio aut vacuatio. Tertio nam Auicenna, prima primi citato, & Paulus libro tertio, capite quadragessimo nono, Dicentes melancholicum succum, in os ventris ab splene euomi, non sunt integram anathomis rationem assequuti. Venosum enim vas, non fertur in os, sed in ipsum potius ventriculum, vt quinto libro de Vsu partiũ, capite quarto Galenus est autor. Et in hoc repræhenditur a Vesalio, libro quinto de Humani corporis fabrica, capite nono, quoniam apparet (inquit) duci vas ipsum, ab splene, in fundun ventris, non in os. Quin & ipsemet Auicenna, decimatertia tertij, tractatu secundo, cap. 1. fundo ventriculi, implantari docuit, immemor eorũ, quæ alibi scripserat. Hic tamen aduertendum est, quædam corpora esse, inconcinne formata: in quibus ad os usq; ventris, protenditur dictum vas: quod cardinali de cibo contigisse, refert Ioannes de valuerde, medicus de Amusco: Præter naturam tamen est hæc compositio, sicut & ea, in qua bilis meatus, ventriculo inseritur: Et ex consequẽti, non mandatur succus melãcholicus in gratiã appetitricis, quæ est oris ventriculi passio, sed in gratiã contẽtricis & coctricis, quæ in ipsius vẽtriculi fundo, magis vigẽt. Adde quod succus hic melãcholicus, aut trahitur a ventriculo in hora famis, aut pellitur ab splene (per se enim non ibit, sicut cum nos ad templum, aut ad forum imus, eo quod intellectu sit minime particeps) Trahi vero ad vẽtriculum non est verosimile, nã multo faciliora sunt ad trahendum, & ad nutriendum magis opportuna, quæ in primis venis, atq; ipso iocinore continentur: Quare ex ipsis potius, quam ex liene trahit. A liene vero, si pellitur, non pelletur, stato ac præfinito tempore renutritionis, sed cum primum lien, eo succo grauari ceperit. Non est enim organum animale lien, vt præsentiens ventriculi indigentiam: Succum melancholicum, famem excitaturum, in eum traijciat. Si ex acescente præterea succo, fieret naturalis fames, non sedaretur ingesto alimento, siquidem alimentum nihil prohibet, quo minus is succus sua mordacitate ventriculum

arodat.

arodat. Accedit, quod vsus excitandæ famis, multo satius, deberet accidæ pituitæ referri, hæc enim in ventriculo, quotidie generatur, ceu recrementum necessarium in coctione ventriculi, vt ex secundo libro de Facultatibus naturalibus supra annotauimus. Aperte enim errant qui sine morbo generari non posse tradunt. Si ergo pituita accida, in vẽtriculo genita, famem naturalem non facit acore, multo minus eã efficiet, melancholicus succus, aliunde delatus, & immanifestum habens acorem, libro de attra bile autore Gal. Sed age quantũ ponderis habeãt, quæ pro Auicenna, dictæ sunt rationes expẽdamus. Fastidiẽtibus sunt acõmoda accida omnia, vt acetosa, agresta, acetũ, succi granatorũ, citri, limonũ, & aranciorũ: & styptica adstringentia vt menta, absinthiũ, pyra, cidonia, sorba, succus melancholicus, & pituita accida: quoniã vẽtriculum titillant, & mordent, & phantasiam exhibent famis: quod vtile est, in vẽtriculo sopito & suctionẽ venarũ non sentiente: innutile, & noxiũ, ventriculo sano. Succus præterea melancholicus, qui immodice ad ventriculum fluit, famem caninam & immodicam excitat. Quoniam ob redundantiam, ex fundo, regurgitat in os ventris, cuius solius fames est passio. Cum vero modicus influit, os ipsum non pertingit, quare appetitrici non seruit, sed contentrici & coctrici quæ fundo insident. Sed dices, si ex modico illo succo, qui secundum naturã, fundo ventris mandatur, paucissimus in ventris os regurgitet (quod est vero simile posse contingere) appetentiam naturalem iuuabit: Non enim canina a tam exigua quantitate prodibit. Sed facile soluitur, si dicamus, quod a paucissima quantitate, immodica fames non excitabitur: quoniam exiguus lapsus, intra latitudinem sanitatis consistit, melius vero haberet corpus, si eo exiguo lapsu, non laberetur: sicut melius habet, ventriculus temperatus, quam quiuis ex intemperatis. Temperatus enim solus est, qui non indiget pedagogo: eo quod tantum appetit, quantum coquere potest. Ventriculus vero natura frigidus, intra latitudinem sanitatis sedens, plus appetit quam possit concoquere, libro Artis medicinalis autore Galeno, quare indiget cohibente, & manũ tenente, ne tantum ingerat, quantum appetit. Quod vero fastidiant ægrotantes, quibus obstruitur meatus, a liene in ventriculum protensus, referendum videtur, ad deprauatam coctionem ventriculi, cuius ratione, ventriculus impletur cruditatibus, & flatu, hæc autẽ appetentiam deijciunt. Dum vero succus melancholicus in ventriculum influit, tunc eius beneficio, ventriculus in seipsum contrahitur, & cibũ melius comprehendit, atq; coquit fœlicius. Quod vero atthletæ, plurimũ sanguine referti, famescant (licet multi hac in re delirent) ex duplici natura, in atthletis reperta pendet, vna genuina & natiua, atq; altera per consuetudinẽ acquisita. Prioris ratione nõ famescerent atthletæ, quoniam plus sanguinis habent, quam propria natura exigat, altera vero, per consuetudinem conquisita, inexplebilis fere est. Nam etiam si, aliquantulum præmantur atthletarum membra, & genuina ipsorum natura, præ alimenti copia grauetur: plus potest conquisita membrorum, venarumq;, & arteriarum voracitas, quam sanguinis ipsorum plenitudo sufficiat. Non sunt enim atthletæ, plenitudine venarum contenti:

tenti: sed vltra impleri, atq; distendi quærunt. Nam nec proportionem ipsi, aliquam seruant, difflationis & tractus, sed pro minima difflatione, plurimum alimenti prolectant: quoniam plus cæteris, ob consuetudinem æsuriunt. Exemplo sint magnatum ventres, qui non satiantur, prius quam lautißimã mensam absoluerint. Contra vero monachi, & temperantes, dum parcæ vitæ assuescunt, parco alimento expleri atque saturari discũt. Quam vim autem, habeat assuetudo, & de generali omniũ assuetudinum causa: pariter, & de speciali, in vnaquaque materia, circa quam versatur consuetudo, tradimus lib. de temperamentis cap. 17.

CAPVT trigesimum, An succus melancholicus, sit causa metus, & mæstitiæ, sua nigredine, an temperamento, quo insignitur.

SVCCVS melancholicus, mæstos reddit, & timidos. Tum quia temperamentum cerebri, & cordis frigidum & siccum inducit, tũ etiam quia niger est, & obscurus. Nam sicut eorũ, quæ extra corpus sunt, nihil videmus, quod perinde ac tenebræ, nos terreat. Ita cum tenebræ, rationalis animæ parti sunt circunfusæ, necesse est hominem timere, vt qui semper cũ corpore suo, timoris causam circunferat, tertio libro de locis patientibus, & secundo de causis sympthomatum, capite vltimo, autore Galeno. Contra vero euenit sanguini, nam alacres, & securos nos reddit: cum ob calidum atque humidum temperamentum, quo cerebrum atq; cor irrigat: tum ob lumen, & insitum sanguini splendorem, quo in cerebrũ & animales spiritus irradiat, atque alacres omnes, quæ per eos spiritus, in cerebro aguntur functiones reddit. Sic quibus sanguis, ex naribus fluxurus est, fere ob oculos, versantur splẽdida: sic deliria ex sanguine, fere sunt cum risu: sic & pueri, ob fumum lactis, sæpe ridere deprehenduntur in insomnijs: sic & atter succus, cerebrum obscurans, & animalium spirituum, natiuum splendorem turbans, turbulentas, & tristes rerũ reddit imagines, nunc has, nunc illas, quarum ratione timent, mærent, vitam damnant, odio habent homines, mortem fugiunt, & interdum adeo extraneo sunt animo, vt simul mortem metuant, & eandem sibi conciscant. Proinde recte videtur Hippocrates, sexto Aphorismorum, sententia vigesima tertia, omnia ipsorum accidentia, in hæc duo coëgisse, metum & mæstitiam: nam particulares aliæ ipsorum imaginationes, adeo sunt variæ, vt comprehendi nulla ratione poßint: hic testam se se factum putat, & obuiantibus cedit ne collidatur, alter gallos cãtare audiens, vt hi alarum, sic ille brachiorũ plausu, latera quatiens, animãtium sonum imitatur. Timet alius, ne athlas, qui mũdum sustinere dicitur, grauatus sub tanto onere, ipsum a se excutiat, ac nos quoq; cum illo collidamur. Sunt qui se deo plenos, & cælesti numine afflatos opinantur, & futura prædicere tentant. Vt in summa perstringam: Cum recte valet cerebrum, & spiritus

spiritus suo sũt splẽdore, & puritate insigniti, visa omnia minus modi, & vt ipsa sunt apprehenduntur, cum vero ab ea puritate deficiunt, multifariam apparent, & diuersas imaginationes inducant. Naturale enim est vnum, præternaturam vero multiplex. Iam vero si dicta diligentius expendantur, duplex ex ipsis conuincitur error: primus quidem Auerrhoi, tertio collectionum, capite quadragesimo, qui non intelligens, ad quem modum, melancholicus succus, in corpore delitescens, sua nigredine, mæstos reddat & timidos, Galenum erroris insimulare non fuit veritus, inquiens eum scripsisse verba cantionum, tanta est in admirandum virum impudentia vsus. Alter vero, eorum (inter quos est Valesius) qui solæ nigredini melancholiæ, metum & mæstitiam referunt, non autem temperamento frigido & sicco, nam si temperamento melancholiæ referendum esset, fierent (inquiunt) senes omnes, sine morbo quopiam melancholici; quoniam frigidius atque siccius cerebrum, habent senes, quam melancholici iuuenes. Sed frigida est ratio, nam vt nerui senum, quam iuuenis conuulsi, sunt sicciores: nec ob id tamen conuelluntur senes: sic senum cerebrum, frigidius atque siccius est, cerebro iuuenis melancholici, non tamen ob id delirant senes. Senibus enim, gradatim & sensim accessit frigiditas ac siccitas, non per vim, & confertim, vt iuuenibus melancholia laborantibus. Quare his morbosa, illis vero naturalis existit. Si vero, ambas metus & mæstitiæ causas, vt decet expendamus, intelligemus potius temperamento, quã colori, dicta symptomata fore referenda. Nã vt autor est Galenus tertio libro de locis affectis: attra bilis quæ ex flaua superassata contingit, ferina deliramenta, non melancholica creat, quoniam etiam si colore sit attra, temperamento est calida: Melancholicus vero succus, metum inducit: quoniam tum atter, tum frigidus est; plus ergo facit, temperamentum quam color. Nec aliud voluit Galenus, vbi de ea re mentionem habet, nam secundo libro de causis sympthomatum, capite vltimo, sympthomatum quæ principes, & rectrices actiones occupant, causas inquirens, partitur ea sympthomata, in actionis abolitionem, imminutionem, & deprauationem. Abolitio sane, vt in stultitia & obliuione contingit: in quibus tũ rationis, tum memoriæ actus perit, ex cerebri corpore perfrigerato fit. Imminutio vero quæ mediocris est noxa, ac veluti torpor, tum rationis, tum memoriæ: ob minorem euenit refrigerationem. Deprauatio vero, cuiusmodi est delirium omne: siquidem ferinum fuerit, ex calido aut succo, aut vapore, aut intemperie, cerebrũ occupante proficiscitur. Sola vero (inquit) melancholica appellata deliria, frigidiorem humorem pro causa habent. Non ergo fit apud Galenum, sympthoma aliquod, ad principem animæ partem attinens, sine cerebri intemperie: quanquam metui, & mæstitiæ melancholicorum, succi ex quo prodit, nigredo accedat, vt diximus. Tertio præterea libro, de Locis patientibus, vbi de nigredine melancholiæ, mentionem habet, temperamentum non vsq; adeo omisit, quin eius mentionem habuerit. Scribit autem hunc in modum. Sane quemadmodum, externæ tenebræ, omnibus fere hominibus, pauorem inducunt:

nisi

nisi vel audaces admodum, vel edocti fuerint: sic attræ bilis color, mentis sedem, tenebris similem reddens, timorem efficit. Etenim summis tum medicis, tum philosophis, in confesso est, & humores, & omnino corporis temperantiam, animæ actiones vitiare posse: id quod nos quoque, vnico commentario docuimus, quo demostratum est, quod animæ potentiæ, corporis temperantiam sequuntur. Quo etiam libro verba illa Hippocratis (humor in melancholia, vertitur ad animã) interpretatur Galenus, id est ad temperamentum. Quæ sane Galeni loca, satis aperte declarant, ipsum non retulisse, vniuersam causam metus & mæstitiæ melancholicorum ad colorem, sed etiam ad temperamentum cerebri, ab ipso humore permutatum.

CAPVT trigesimum primum, De commutatione melancholici succi, in alios humores.



Elancholicus succus in sanguinem nõ abit, tum ob contrarietatem temperamenti: tum quia fex, in succum cuius est fex, nullo artificio potuit vnquam commutari. In pituitam vero non commutabitur, nam caloris actione, succus melancholicus non rehumescet, sed aridior semper magis, ac magis reddetur. In bilem quoque, aut pallidam, aut flauam, nunquam vertetur: nã niger color, vltra pallidum est, atque flauum: qui non potest, actione caloris citra reuerti. Quare errant inter practicos, Guillielmus & alij, qui febrem quartanam, in tertianam commutare student: vt tertianam ipsam, postea facilius curent. Et ob id merito, horum sententia, non recipitur à Nicolao Florentino, sermone secundo, capite de cura quartanæ, per potionem, ad finem capitis. Sola ergo restat bilis attra, in quam melancholicus succus, frequenter commutatur, si non prius vacuetur, sexto libro Aphorismorum commentario quinquagesimo tertio autore Galeno.


Caput trigesimum secundum, An attra bilis, ex succo melancholico, sit deterior, quam quæ ex bile flaua generatur.



IBRO de Attra bile, & sexto etiam libro Aphorismorum, Commentario quinquagesimo octauo, Galenus, minus prauam dixit esse, attram bilem ex succo melancholico, quam ex flaua bile ortam, calidior enim & abradentior hæc est. Contra videtur sentire Auerrhous, primo Canticorum Commentario sexagesimo nono: quod quæ ex melancholico succo generatur, quam ex quocunque altero succo nata, est perniciosior. Et videtur ratio fauere, nã vt autor est Galenus, libro de

" *attra bile. Si attra bilis, tenuissimæ substantiæ foret vt acetum, non exederet, sed*
" *permearet. Nā acetum quoniam tenuium est partium permeat, attræ autē bilis crassitudo, cum sedem ipsi stabilem, firmamq; præbeat, erosioni fit causa. Quare cum attra bilis ex melancholico succo orta, sit crassior, erit ob id erodentior & prauior. Cui dubitationi dicēdum quod omnis attra bilis, cōsequuta est crassitiem erosioni necessariā, nulla enim adeo est tenuis vt acetum. Hinc fit, vt ea apud Galenum censeatur deterior, quæ qualitate est prauior & efficacior: qualis ea potissimum est, quæ a bile vsta ducitur. Quanquam vero simpliciter hæc sit deterior, est etiam & altera ex succo melancholico orta, quibusdam nominibus difficilior, vt autor est Auicennas, prima primi de humoribus, primo capite, vbi ita scriptum reliquit. Melancholia colerica est, quæ est fortioris malitiæ, & velocioris corruptionis, veruntamen est susceptibilior curationis quā illa. Et paucis interpositis subdit: Tertia vero, quæ minus super terram ebullit, & minus in membra penetrat, tardius perimit: sed ad resoluendum, & ad maturandum, & medicationem recipiendum, magis est effrenis. Ex quibus verbis manifesto apparet, quod attra bilis, ex flaua vsta, deterior est, quam quæ ex melancholico succo constat: ob tenuitatem tamen, facilius potest, è corpore deturbari, & medicationibus magis paret quam illa. Quæ enim ex attra bile, melancholica oriuntur mala, vt cancri & alia huiusmodi, leuibus pharmacis non cedunt, fortioribus vero efferantur: & tandem vtrouis modo, cum homine commoriuntur. Quare quanquam illa sit deterior, hæc medicationem suscipit minus. Quod forte voluit Auerrhous loco citato, quamuis solo rationis cortice inspecto, quibusdam reprehendatur.*

Caput trigesimum tertium, Quo humorum varij *circuitus, & eorundem causa, in examen vocantur.*



VMORES pro sui diuersitate, diuersum characterem, & repetendi ordinem seruant. Nam sanguis continenter affligit, & vno impetu, sine exacerbatione, aut annotatione vlla mouetur, nunquam vlterius repetens: pituita vero, quotidie: bilis, alternis diebus: sicut & atter succus, quarto quoque die reddit. Cuius rei causam, quidam ex astris petunt. Sed ô quam remota narrant. Alij ad occultam vim, & humoris proprietatem confugiunt, atque hi prioribus, non displicent minus. Primo, quoniā occulta, & quæ ipsi ignorant docent. Secundo, quoniā tres tantum sunt humores, qui per circuitus repetunt, periodi vero plures, tertiani, quartani, quotidiani, quintani, septimani, & qui octauo atque nono respōdent diei: vt constat apud Hippocratem, primo Epidemiarum, parte tertia, sententia secūda, septima & nona: & apud Galenū libro de Typis, & apud Auicēnam, prima fen quarti libri, tractatu secūdo, capite septimo. Adhæc quoniā quantuncunq; redūdent

humores

humores, si non accedat ipsis putredo, non mouentur motu aliquo ex dictis: vt constat in ictero, scyrrho, & œdemate, in quibus nulla est, aut exacerbatio, aut annotatio: quoniam humores ex quibus constant minime putrent: Quod vero humori, cum putredine accedit, à sua natura & proprietate non procedit. Quarto, quia si ex humoris vi, & proprietate aliqua, huiusmodi fierent repetentiæ, statam & præfixam horam perpetuo seruarent, cum tamen experimento constet, multis nonnunquam horis, anticipare aut postponere. Quinto, nam mulieribus, menstruæ purgationes, singulis mensibus accedunt, quandoq; saniosæ, alias biliosæ, nonnunquam pituitosæ, atque attrabilliariæ: nec tamen ex diuersa humorum qui vacuantur natura, diuersum aliquẽ characterem assumunt. Sexto, nam optima deiectio, suam semper seruat horam, secundo prognosticorum: & vere reperias hominem qui singulis, & alium qui alternis diebus, stata ac præfixa hora, aluum exoneret. Quod cum non sit referendum, ad occultam vim & naturam secum: sed ad onus, quo se intestina grauari sentiunt, rationi fit consonum, vt humorũ motus, quotidiani, tertiani, quartani, atque alij, non alio referantur. Septimo quoniam hæc proprietas, nec est actiua in bile, scilicet quæ moueat bilem, de tertio in tertium, ad focum in quo putrescat: perperam enim cum humoribus, egisset natura, si facultatem ipsis inderet, ducentem eos ad interitum. Nec item est passiua, hoc est quod membrum aliquod, moueat bilem alternis diebus, non ante aut post: Nã continendi aut expellendi aliquid à se, præfinitum tempus, nõ est certi alicuius temporis circuitus, sed ipsius vsus occasio, vt late docet Galenus, libro secundo de sympthomatum causis, capite tertio. Accedit vltimo, quòd si humoris proprietati, referatur ordinata eiusdem accessio, flatus & vapor, eandem proprietatem habebunt: nam sæpe per interualla affligunt: & epylepsias, atq; colicos cruciatus, per circuitus inuehunt. Nullus tamen hucusque, in vapore aut flatu, talem proprietatẽ agnouit: quare nec in reliquis est recipienda. Nos vero circuitus varios, ad causas manifestas, & quæ prope nos sunt, referendos fore existimamus. Pendet autem harum causarum noticia, ex quatuor capitibus. Primum est, maior ad putrendum apparatus, & dispositio. Sanguis enim, cæteris facilius putret, ob calidum atq; humidum temperamentum, putredini maxime opportunum: ob idq; continenter putret, nunquã intermittens. Melancholicus vero succus, putret difficilime, ob frigidum atq; siccum temperamentum, ad putrescendum maxime contumax: quare non ante quartam diẽ accedit. Pituita atque bilis, in medio horum sunt, nam vna qualitate reluctantur, & altera sunt putredini opportuna. Nec ob id tamen in eundem diem recident, nam pituita, magis est ad putrendum apta, ob humiditatem, quam bilis ob calorem. Exemplo sunt pepones, & omnes prope horarij fructus, qui quanquam frigidi sint, ob superfluam humiditatem, putrent facile. Contra vero aromata, & quæ calorem cum siccitate coniunctum habẽt, difficillius multo putrent. Ob idq; pituita quotidie, bilis vero, non nisi alternis diebus exacerbantur. Secundum caput est, dispositio relicta in foco, ex humore qui inibi putruit. Hæc enim est quæ parat, & inficit humorem, alterã

accessionẽ

accessionem creaturum: nam si plurimum humoris qui putruit, relinquatur aut non repurgatum, aut non integre exustum, citius ab eo inficietur, portio altera humoris, quæ sequentem accessionem est allatura: si exiguum vero aut integre exustum, nihil habens fumidum, tardius. Pituitæ sane portio quæ putrescit, & primam accessionem facit, nec integre exuritur, ob superfluam quam habet humiditatem, nec prompte in accessionis declinatione expurgatur ob lentorem, sed semiexusta foraminibus adhærescit, fumosum & putridum semper calorem seruans. Et ob id eius intermissio non est pura, nec venit vnquam corpus ex ea, ad integram infebricitationem. Plurimum ergo hoc quod relinquitur ex humore, fumãtis putredinis, breui inficit atque putrefacit alteram portionem pituitæ, quæ secundã accessionem est allatura: ob idque altera statim die mouetur, atque putrescit, & singulis deinceps diebus repetens, quotidianam febrem facit. Bilis vero ob tenuitatem & natiuum feruorem, breuem facit accessionem. Nam ex bile longissima febris, duodecim horis finitur: & quidquid in ea efferbuerit, prompte dissipatur, atque vacuatur, adeo vt vix aliquid relinquatur, quod secundæ accessionis sit causa. Atque nisi tempore primæ accessionis, idest in spatio illo duodecim horarum, concepta esset putredo aliqua exigua, in humore qui secundam accessionem parit, quæ postea clam agens augeretur, donec tertia die manifestam accessionem exhibeat, vnica forte constaret accessione biliosa febris, & alternis diebus non repeteret. Melancholicus vero succus, cum sit siccissimus atque terrenus, nihil fumidum aut semicombustum in accessione relinquit, nec foraminibus promptæ adhærescit: nam licet crassus sit hic succus, lentore caret. Quæ certe causa est, quare magis puram, & diuturniorem cæteris, faciat intermissionem hic succus. Ne vero quispiam istbæc nos finxisse putet, Galenum audiat secundo de Febrium differentijs, capite quarto, vbi ita scribit. " Singulis autem diebus accenditur pituita, quamuis minus calida sit, biliosa tertiana. " At illa, cum & humorem habeat, accensioni opportunum, & facile subinde propter subtilitatem, quicquid ex eadem efferbuerit, totum in accessione expurgatur, ad puriorem quandam infebricitationem terminare videtur: postque accessionem breue aliquod putridæ caliditatis vestigium relinquere. Quæ autem in pituita febris accenditur, in accessionum declinationibus, integre non expurgatur, neque parum relinquit, eius quod veluti succendi videtur: hinc ergo eius intermissio longe deterior, ac secundæ accessionis festinat inuasio. Tertium febrium intermittentium genus est, exquisita quartana, quando ex solo atræ bilis humore generatur, qui frigida ac sicca constat temperatura. Succenditur autem paulatim, veluti lapis aliquis, aut testa, aut os, aut tale aliquod huiuscemodi corpus frigidum & siccum. Vbi vero aliqua ex eo flamma fuerit accẽsa, nihil fumidum, aut semicombustum, in accessione relinquit. Atque idcirco in hoc humore, copiosiores sunt euacuationes, quam in pituita, atque intermissio exquisite pura videtur: quoniam & hic, quicquid atræ bilis fuerit accensum, exhauritur atque dispergitur.

Quibus Galeni verbis, manifesto constat, vicissitudines paroxismorum, ex dispositione in foco relicta, eo quo explicuimus modo pendere. Hanc causam videtur attigisse Auerrhous, tertio Collectionum, capite vigesimo nono, quamuis capite vigesimo septimo, calori putredinali nihil tribuat, sed ordinati redditus causam vniuersam, in naturalem calorem reyciat. Tertium caput est, maior aut minor quantitas, humoris peccantis. Sanguis enim continenter putret, quoniam copiosa eius materia semper suppeditatur, post sanguinem plus est pituitæ, bilis deinceps est minor copia, melãcholici vero succi minima, vt 5. cap. huius tractationis mõstratũ a nobis est. Ideo à pituita quotidiana nascitur, quæ cum continua non sit, continuitati proxime accedit: à bile tertiana, quæ vno die intermittit: Et à succo melancholico quartana, quæ ab assidua duobus diebus deficit. Ex horum præterea humorum varia quantitate, varietates quædam in dictis febribus contingunt. Nam cum plurima sanguinis copia, magis semper est quod succenditur, quam quod dissipatur: contra vero dum sanguis est paucus, minus semper quam dissipetur succẽditur: sicut dum mediocris est, eundem tenorem seruat. Reliqui vero humores, si plurimum abundent, non possunt (quod sæpe contingit) ab expultrice facultate extra venas pelli ob copiam, vnde fit vt in vasis putrescentes, continuas concitent tertianas, quartanas, & quotidianas. Si minor vero sit humorum copia, ita vt iam ab expultrice venarum possit deturbari, intermittentes fiunt febres. In quo genere quanto ex pluri pendent materia, tanto magis anticipant, quanto vero ex pauciori postponunt. Quandoque vero ex materiæ multitudine, duplicantur & triplicantur, atque vna & eadem die multotiens repetunt, quod in febre, ab Auicenna appellata syncopalis humorosa, notant autores, & nos frequenti experimento, in multis febribus fuimus animaduersi. Materia vero minori reddita, simplices redduntur, tardantur, atque deficiunt, vt quotidiano constat experimento medicorum.

Quartum caput est, quod pars quæ per interualla laborat, aut malum sibi ipsi parit ipsa, aut aliunde accipit, vt secundo de Febrium differentijs ante finem, edisserit Galenus. Si primum, ad coctionis vitium causa est referenda: vt cum colon intestinum, ex flatu genito, certis temporibus affligitur: & ventriculus, cum ex mala coctione, excrementa congerit: in quibus dolores per interualla oriuntur. quoniam certo tempore, ex mala coctione accerbantur cruditates, & flatus, quæ in colo, aut ventriculo, dolorem generant. Atque huiusmodi circuitus pendet, ex proportione facultatis coctricis, ad alimentum coquendum, & superandum. Siquidem valida facultas fuerit, & quod assumitur alimentum paucum, & boni succi, facileque ad coquendum: aut dolor non generabitur, aut per longissima saltem interualla accedet. Si imbecilla vero fuerit coctrix, & assumptum alimentum aut multum, aut prauum, occissime repetet. Quod si pars, quæ per vicissitudines laborat, sui mali non est causa, sed eam aliunde accipit, alio causa est redigenda. Eam autem sic venabimur: Aut suapte sponte feruntur humores, propria siue

grauitate siue leuitate acti, aut ab alio mouentur. Nam crura sæpe dolent, & tument, quod in imo sint posita, quo facile humores ob grauitatem decumbunt. Vapores vero caput potius, quam aliam partem petunt, quod illi sursum ferri, natura sint apti. Vnde vertigines, scothomiæ, & morbi etiam comitiales, per circuitum repetentes sæpe fiunt, vt tertio libro de locis patientibus Galenus est autor. Atque huius inuasionis causa, est præualentis elementi natura, simul & partis positus. Si vero humores, ab alio in partem feruntur, erunt sane aut tracti ab ipsa parte, aut impulsi. Si primum, causa accessionis erit, aut calor, aut dolor, aut ipsa partis quæ laborat, tractrix facultas: si secundum, quod scilicet ab alia parte transmittantur, quod maiori ex parte cõtingit, ad facultatem expultricem quæ se exonerat, & aliena transmittit, causa refertur: & varietas interualli harum inuasionum, pendebit ex proportione facultatis grauamẽ sentientis, ad ipsa excrementa quæ grauant. Nam expultrix nunquam expellit, nisi vt onus quod præsensit deponat: Quod enim singulis diebus grauat excrementum, quotidie accessiones facit: in quo genere sunt quotidianæ appellatæ ex pituita, tertianæ duplices ex bile, & triplex quartana ex succo melancholico. Quod vero tertio, aut quarto die est oneri, alternis diebus, aut quarto quoque die reddit, & si tardius grauat, tardius quoque accedit. Sic tertianæ, quartanæ, quintanæ, & quæ longioribus etiam respondent interuallis, diuerso tempore accedunt. Quoniam humores ex quibus constant, diuerso tempore grauant. Sic quotidie quidam aluum exonerãt, per tertium, aut quartum alij. Sic singulis lunationibus, menstrua mulieribus accedunt. Sic nouem mensibus, vtero gestatur infans. Sic crises in impari magis contintingunt, quoniam morborum acutorum materia, in impari magis grauat, atque molestat, quam in pari.

Ex quatuor capitibus dictis constat, quod humorum circuituum causæ quædam, attinent humori, qui per circuitus mouetur: & aliæ, facultati nostri corporis expultrici. Nam motus initium, irritatio nimirum, & facultatis expultricis commotio, & incitatio, in ipso humore est. Quod autem hic humor citius, ille tardius irritet, ex tribus capitibus prioribus pendet. Nam pituita quoniam apta est ad putrendum, & pluri quantitate, & fumosi plurimum relinquit: quotidie putret, & putredine, expultricem irritat facultatem: melancholicus vero succus, quoniam difficillime putret, & minori est copia, & nihil fumidum aut semiexustum in accessione relinquit: non ante quartum diem irritat, atque putret: bilis vero in omnibus medium tenens, medium inter duos dictos periodum seruat. Motus ergo initium ex humore est, atque ex tribus prioribus capitibus pendet: prosequutio vero, atque complementum motus, non ab ipso humore, sed à robore pendet expultricis facultatis. Quæ cum ab humore irritatur, si potens est, extra venas expellit, & ad ignobilia transmittit humorem: si vero impotens, frustra conatur expellere, & loco accessionis annotationem, & designa-

tionem quandam, noui insultus facit. Inæqualitas enim quædam, & incipiẽs ægri velut confractio, atque labor, tunc augeri videntur.

CAPVT trigesimum quartum, Quo quædam dubia, ante actum caput concernentia soluuntur.



VI circuituum causas, præcedẽte capite reuoluit, si libero est animo, statim acquiescet: sin alicui sectæ addictus fuerit, semel atque iterum perlegat, bonumque in legendo animum adhibeat. Si quæ sibi dubia occurrerint (occurrent autem multa) ea potius detexere, quam causas infirmare studeat. Sufficiet enim in re probabili, probabilem rationẽ attulisse: Nec quærat Mathematicam certitudinem in causa penitus naturali, & maxime huc vsque inter sapientes dubitata. Dubitabit is forte circa causas datas, cur in febre sanguinis, non est circuitus, aut exacerbatio aliqua, vt in alijs febribus? Secundo, cur alij humores à sanguine, non putrescunt simul, ita vt vnam tantum accessionem faciant, sicuti sanguis? Tertio, cur in continuis ex vtraque bile & pituita, vbi nulla extra vasa fit expulsio, fiunt exacerbationes tertianæ, quartanæ, & quotidianæ, non secus atque cum ab expultrice, in intermittentibus, pelluntur foras humores? Quarto, cur in tertiana duplici, vbi singulis diebus fiunt accessiones, non per singulum, sed per tertium, semper sibi respondentes fiunt? Quinto si ex proprietate, aut cælesti aliqua influentia, non pendent dicti circuitus, cur sunt tam constantes, & perennes. Vt nunquam à suo deerrent charactere? Nihil enim eorum, quæ ex inferna pendet materia, ordinatum videmus. Primum vero sic soluitur, sanguis dum suam seruat naturam, & nullatenus putret, omni caret circuitu. Nam & reliqui humores si non putreant, non habent exacerbationes. Vnde recte Auicenna, prima quarti, tractatu secundo, capite primo dixit: Et putredo quidem coleræ, facit tertianam: melancholiæ, quartanam: flegmatis, quotidianam: & quæ currunt, cursu eius. Dum vero sanguis putret, non amplius bonus remanet, sed biliosus redditus, tertianum bilis circuitum assumit, etiam manente sanguine, vt secundo libro de Crisibus, capite duodecimo, Galenus est autor. Qui locus maxime est aduertendus, nam ex eo male intellecto, Galenum erroris falso insimulat Auicennas, prima fen, quarti libri, tractatu secundo, capite quadragesimo quinto, quasi is, nullam febrem à sanguine putrefacto fieri, opinatus sit. Primo enim, Galeni expressa verba, pessima fide refert, in hunc modum. Nam (inquit) sanguis cum putrefit, colera fit & non est sanguis. Galenus vero solum dixit,

non

non manet bonus sanguis, sed fit biliosus. Secundo refert Auicenna febris fit colerica. Galenus vero scripsit, quodammodo biliosa. Tertio, febris sanguinis essentiam & notionē docere aggressus eam esse (inquit) quam Hippocrates σύνοχον id est continentem appellat. Quasi vero Galeno, hoc genus febrium, fuerit incognitum, quo ve nomine esset vocandum ignorauerit. Omnibus sane vel mediocriter in Galeno versatis, notum est, illum exquisitißime descripsisse synochum, & in suas species digesisse, libro nono Methodi, & secundo de Febrium differentia, capite secundo. & secundo Crisium, capite sexto. Nihil præterea magis ridiculum est, quam febrem ex putrido sanguine natam, de qua secundo Crisium, capite duodecimo, loquitur Galenus, synochum appellare. Nam vt ipse Galenus refert vndecimo libro Methodi, capite quarto, synochus fit, quando sanguis vel in omnibus æqualiter vasis, vel in maximis putrescit. Libro autem secundo Crisium, capite duodecimo: non de eo sanguine qui in venis, sed de eo qui ad aliquam partem procubuit solus, in ea quæ phlegmonem concitauit, loquitur. A quo tamen sanguine concitata febris, non synochus idest continens, Sed σύνοχος id est continua dicitur. Quod vero eo capite, de febribus ex phlegmone ortis, non de ijs, in quibus sanguis in venis corporis putrescit agat, caput legenti luce clarius innotescit. Vt vero eo quo fluxit oratio reuertamur, notare oportet, quod humores qui non putrent, nullo mouentur periodo ex dictis. Et ex hoc ceu principio infertur, quod humores qui sine putredine, febrem possunt committere, sine exacerbatione aut circuitu eandem creant. Talis vero naturæ est sanguis, qui sua multitudine incensus, citra putredinem febrem facit. Eius etiam naturæ forte est bilis. Reliqui vero humores, nisi putrescant, ob sui paucitatem febres nullatenus concitant. Notandum secundo est, quod non omnis putredo sufficit ad periodum, sed si leuis est, continenter affligit. Sic ex bile dantur febres continentes, vt secundo de Febrium differentijs non longe ab initio, ediserit Galenus, ex bile scilicet plurimum incensa, & leuiter putrente. Sic dum sanguis, in magnis corporis vasis putret, leui putredine magna ex parte inficitur, tum quoniam difflatur facile, tum etiam, quoniam eius magnam curam gerit natura, & continentes ob id creat febres, nullo actas circuitu. Dum vero sanguis in aliqua parte corporis acceruatur, & in eiusdem vasis paruis obstructus putrescit, magna agitur putredine, tum quia vis partis plurimum oppressa, humoris curam non gerit: tum etiam quia ob obstructionis magnitudinem non difflatur, vt secundo de Febrium differentijs, capite nono, autor est Galenus. Et sic omnium phlegmonarum febres, per tertium exacuuntur, etiam manente sanguinis forma. Quod ostendunt Pleuritides per tertium exacerbatæ, dum adhuc rubrum spuunt ægrotantes, quoniam scilicet sanguis, valida putredine agitatus, tertianum circuitum assumit, quemadmodum cum putrescit flaua bilis, in cuius iam confinio locatur. Secundum soluit Auerrhous, tertio collectanei, capite vigesimo septimo, quod humor vniuersus

non

non putrefit simul, quoniam non totus est paratus putredini: atq; hic ad fimum colũbinum cuius Galenus tertio simplicium meminit, attendere oportet. Non enim hic totus simul putruit, sed paulatim accensus est. Quod & in inflammationibus quæ exacerbantur, & in continuis periodicis (vt tertiæ dubitationi occurramus) cogitare oportet, etiã si nulla materia, aut influat, aut expellatur: per partes enim, & nõ tota simul putrescit. In duplici autẽ tertiana, quod quarto dubitatur: paroxismi per tertiũ sibi respondẽt, si ex duplici oriantur minera, cuiusque enim sua est tertiana, ab altera distincta. Si vero ab eadem minera prodeant, possunt quidem, & fit etiam frequenter, vt sibi mutuo per tertiũ respondeãt, tertia cum prima, & quarta cũ secunda: nõ autẽ secunda cũ prima, nec tertia cũ secunda, ob humoris difformitatem. Nam qui primo die putrescit humor, paratior est ad putrendum, quam qui putret altero die: nõ ergo inter se, sed eorum quilibet suo compari, ad tertiũ diem respondebit. Contingit tamen quandoq; (quod praxim exercẽtes aduertãt maxime) nullã similitudinẽ aut respondentiam intercedere, tertiæ cum prima, nec quartæ cum secunda accessione, ob humoris multiplicem difformitatem, ob quam erraticis sunt maxime coniũctæ. Quod non modo in tertianis, verum etiam in duplici atq; triplici quartana, nos sæpenumero aduertimus. Quintum vero soluitur, si intelligamus nõ esse dictum ordinem adeo firmum, & constantem, vt plurimi autores affirmãt. Primo quoniam intra spatium vnius diei, anticipant & postponunt dictæ febres. Secundo quoniam febres errantes omnes, sunt humorales, & a quocunq; humore fieri possunt. Tertio quoniam sanguis qui putret, per tertium exacuitur, in modum bilis, secundo Crisium citato: & bilis vtraque, quotidie, in duplici tertiana, & quartana triplici: & pituita, per tertium, vt apud Auicennã in sua Epiala, prima quarti tractatu secundo, capite quinquagesimo tertio. Et in tertiana notha, quoniam bilis vincens, trahit pituitam ad periodum tertianum. Melancholicus quoque succus facit quintanam, sextanam, septimanam, octomanam, & nono diei respondentem apud Hippocratem primo Epidemiarum: clarius & latius apud Auicennam, prima quarti, tractatu secundo, capite septuagesimo primo: idque ob succi melancholici crassitiem, quæ ante quintum, non potest accendi in quintana, & ante nonum in nouena. Quin etiam febrem, per mensem accedentem, vidit Rasius, decimo sexto continentis: ex qua nostris temporibus, vulgatissima fama constat, Gamonalem perysse Compluti. Et Gentilis quæstione decima quarta de Febre, affirmat se vidisse febrem, singulo die decimo quarto reuertentem. Referunt aly quosdam, qui semel duntaxat in anno, eo die quo nati sunt, febre leuissima & quæ vno aut altero die abiret, corripi solerent. Febrem octomanam, quæ multos dies durauit, vidit in quodam sene Valesius, ante quam esset medicus. Quæ experimenta neganda non sunt, non enim autores, probi, & boni viri, in historia mentiuntur. Nec Galenus primo Epidemiarum, dictos negat periodos, sed se quintanum circuitum obscure vidisse fatetur. Obscure (inquam) quoniam ad finem quartæ diei, iã incipiente quinta, cepit accessio. Cuius ratione quartanus circuitus, quadantenus

fuit

fuit seruatus. Quintanum vero circuitum manifestum, aut maiorem alterum periodum, non vidit Galenus. Hortatur autem, vt rem vnusquisque diligenter obseruet, quam an ita habeat, experientia diiudicet. Ne vero falli contingat, in rerum experientia hac, viam aperit huic rei inuestigandæ idoneam: quod scilicet aduertant, ne sit error aliquis in victu, a quo citra causam internam, pendere circuitus possit.

CAPVT trigesimum quintum, De *humorum sero, vrina, & sudore.*



RAETER quatuor humores memoratos, atque eorundem differentias, liquor alter, humoribus mistus, in corpore reperitur. Qui etiam ab eis, manifesto quandoque secerni conspicitur, cum scilicet sanguis è vena missus concreuit. Tum enim, præter quatuor humorum massam, quæ in vnũ coit, aquositatẽ alteram licet spectare, quæ reliquis humoribus est magis tenuis & fluidior, & ob similitudinẽ quam habet, cum aqua lactis, serum eam appellamus. Cuius postquam de reliquis humoribus egimus, explicanda est materia, vsus, & excernendi ratio. De quo scire oportet, quod potus qui cũ cibis sũmitur, est necessarius coctioni ciborum in ventriculo, nam id genus coctionis elixatio est, secundo libro Acutorum, commentario vigesimo secũdo, autore Galeno: quæ non nisi in humido perficitur. Est præter id necessarius, vt chylus à ventriculo in iecur traducatur: simul etiam vt sanguis, per minutissimas venas epatis, in magnam feratur venam. Quod munus postquam absoluit, non oportuit amplius manere in corpore: & huius vtilitatis gratia, renes facti sunt instrumenta caua, osculis alijs attrahentia, alijs autem emittentia, tenue hoc & aqueum excrementum, vt Galenus est autor, quarto libro de Vsu partium, capite quarto. Verum aqueum hoc excrementum, non tam exacte a renibus purgatur, quin magna eius pars, cum sanguine eat in vniuersum corpus, quæ postea per sudores, & insensilem halitum vacuatur, libro de Attra bile, capite secundo, & primo libro de Naturalibus facultatibus in fine, autore Galeno. An vero hoc excrementum, feratur in vniuersum corpus, eo solum quod a renibus, prorsus trahi nequeat, an alicuius vsus gratia, dubium videtur. Cui nos respondemus, non ex renũ facultatis tractricis defectu, sed necessaria vtilitate, aquositatem dictã in mẽbra ferri. Nã manca esset natura in renũ fabrica, si renes ad opus suũ integre obeundũ, inidoneos creasset. Vt vero qualis sit vtilitas, quæ ab hoc sero mẽbris corporis cõparatur intelligamus: nosse oportet, quod nostri corporis mẽbra omnia, duplici indigẽt humido, substãtifico videlicet, pro substãtiæ reparatione, quod ex humoribus fit: & rorido, pro attẽperatione, refrigeratione scilicet, & humectatione, quod ex dicto sero paratur. Nã eo vniuersi corporis mẽbra roratur, & naturale eorundẽ

calidum, refrigescit atq; humectatur. Sicut vero substantifici humidi defectu, fit fames: ita defectu roridi, fit sitis. Nostri enim corporis membra, hoc aut illud humidum, è ventriculo trahunt, quoniam aut huius, aut illius, sunt indiga. Ventriculus vero, illius suctum sentiens famescit, sicut & huius tractionem percipiens, potum desiderat. Sic cum multus humor est vacuatus, aut sudore, aut alui profluuio, aut alia quauis vacuatione, sitit animans. Sic æstatis tempore, per febres ardentes, & laboriossa exercitamenta, sitis fit valida, exhaustis venis à suo sero. Quod si potum non reperiat animans, acres & biliosas humiditates, ex vicinis partibus, ad se alliciunt venæ: perinde atq; pueri & bruta cū sitiunt, ad casu oblatū humidum, siue acre siue salsum sit irruūt, sperātes inde sitim satiaturos: vt quarto libro de Ratione victus, cōmentario primo Galenus est autor. Potus ergo qui insummitur, patitur in ventriculo alteratione quandam, & cum cibo cōmistionē, in vnā chyli substantiā, in qua cō mutatione separātur feces, & recremēta alui pituitosa. In iecoris vero cauo & meseraicis venis, alterationē alteram suscipit chylus: qua in rudem sanguinē conuertitur. Per quam coctionem, vtraq; bilis separatur, flaua ad cistim, in iecoris cauo sitam, & melancholicus succus ad splenē, per manifestum & effatu dignū meatū. Sanguis vero nondum exactam suscepit elaborationē, sed per minutissimas venas iocinoris, e cauo ad gibbum trāsit, vbi magis ac melius elaboratur. Atq; in hac elaboratione iocinoris, separatur potus: non enim ante hanc, mistio potus cum cibo, in vnam chyli substantiam, fuit soluta. Hic vero merito à natura renes sunt fabrefacti, qui familiaritate quadam serum ad se alliciant, & per alios meatus, in vreteras & vesicā effundant. Atq; hinc pendet intelligentia, doctissimi Actuarij, libro primo de Differentijs vrinarum, capite quinto, vbi vrinam recrementū esse tertiæ coctionis dixit. Non enim aliam coctionem, à sanguifica intellexit, sed in duas eam partitur, vnam quæ in cauo, & alteram quæ in gibbo epatis perficitur. Hic autem aduertere oportet, quod venæ corporis, habent ab ipso iecore, distributā vim sanguificandi, vt sexto de Placitis Hippocratis & Platonis post medium, & septimo libro Methodi capite vltimo, autor est Galenus. Hac virtute, sanguinē ab ipso epate distributum, magis atq; magis, ipsæ venæ perficiunt, & in vlteriori hac elaboratione, atq; perfectione, portio altera seri, quæ in iecoris gibbo non fuit separata secedit, & separatur à sanguine, ex qua membra rorātur, & post quā inutilis facta est, aut sudore aut insensili transpiratione vacuatur. Et ob id Galenus decimo libro de Simplicium medicamentorū facultatibus, capite decimo tertio, de sudore ita scribit. Sudor, vnus hic etiam est, humorum in ‹‹
animantis corpore prouenientiū, eandem habens materiam, & eundem generationis ‹‹
modum quem vrinæ: Siquidem vtriq; ex bibito humore constat generatio, excalfacto ‹‹
simul in corpore, & nonnihil biliosæ substantiæ adepto. Quibus verbis constat ‹‹
(apud Galenum) potum esse materiam sudoris, & vrinæ, & eundem vtriusq; esse generationis modum. Fit enim vterq;, per separationem excrementi serosi, à facultate sanguifica iocinoris. Hoc vero solum distant quod vrina separatur in ipso iecore, sudor vero in venis, postquā renes & emulgentia vasa effugit sanguis. Sed quid

potus, nō sit vrinæ materia, videntur persuadere multa. Primo quod volucres bibentes, non mingunt. Secundo, quod in latebris degentia, mingunt, & non bibunt. Tertio, quod homines à potu temperantes, mingunt. Quarto, quod libro secundo Præsagiorum, commentario trigesimo, vrinæ naturalis materia, statuitur non potus, sed concoctus humor. Quinto, quoniā quilibet humor, habet suū serum, ex quo mictum fieri est verosimile. Sexto, quod potus, eo quod sanguinem traduxit, per minutissimas venas epatis, non posset vasorum mōstrare conditionem, nec morborum tempora, salubritatem aut insalubritatem, longitudinem & breuitatem, atque innumera alia, quæ Medici ex vrina petunt. Primum vero, soluit Alexander Aphrodisiensis, quarto libro Problematum, problemate centesimo vndecimo, quod volucres, plurimo indiguerunt humore, ad pennarum generationem, & vt exercendo inter volandum consumerent, & stercora etiam liquidiora egerunt, quæ sine mictu potum dissipant. Animantia vero, quæ in latebris degunt, sicuti plurimam accerbarunt cruditatem, ex qua nutriuntur: ita plurimam cacochimiam serosam, ex qua mingunt. Nec obstat, quod quarto libro de Sanitate tuenda, capite sexto, & libro de Plenitudine ad finem, omnē cacochimiā describens, de serosa cacochimia non meminit Galenus: rara enim est, quoniam ob tenuitatem facile dissipatur, & eius præterea mentionem habuit sexto libro Aphorismorum, Commentario quadragesimo sexto. Qui à potu præterea abstinent, mingunt partem aqueā ac potulentam, in omnibus alimentis repertam, præsertim in fructibus, & plantarum succis: quæ etiam potus nomine venit intelligenda. Libro vero secundo Prognosticorum, Commentario trigesimo, vbi Laurentianus vertit humore, clarius vertisset humiditate, in hunc modum. V-
« rina naturalis modice crocea est, vt pote ex humiditate consistens concocta, quæ
« flauæ bilis parum recepit. Græcus enim codex ὑγρῶ habet. Cuilibet præterea humori, suum inest serum, de ipsius humoris substantia, diuersum pro diuersitate humorum, quorum serum esse dicitur. Attræ bilis serum, est acerbissimum, minus acerbum flauæ, minus item quam hoc pituitæ, omnium mitissimum sanguinis, sexto libro Epidemiarum parte secunda, Comentario trigesimo octauo, autore Galeno. Sicuti enim lac, aqueam partem habet, de ipsius lactis substātia, ita & humores omnes, partem tenuiorem & serosam habēt, quæ ab humoribus ipsis excussa, cum vrinali aquositate misceri potest, & humorū à quibus separatur notitiam præ se ferre. Hanc vero humiditatem, nunquam humores à se excutiunt, dum integri sunt & incorrupti, exemplo lactis, quod integer dum est, suum serum seruat: Excutit vero a se dum corrumpitur. Sic dum humores putrent, serū suū elidūt, quod cū vrinis excernitur. Libro ergo decimo simpliciū, vbi vrinā dixit es
« se potum alteratum, cui nonnihil bilis est admistum, de vrina egit sanorum. Quod
« clarius expressit secūdo Prognosticorū, Commentario trigesimo, addens verbū na
« turale dū dixit. Vrina naturalis modice crocea est, vt pote ex humiditate cōsistēs

concocta


concocta, quæ flauæ bilis parum recepit. Si vero humores corrumpantur, tunc eorundem mistione soluta, serum ab ipsis separatur, & a renibus, simul cum aquositate vrinali, in vesicam excolatur: non enim renes, rationis haud compotes, inter hoc & illud serum separant, tantum est eis tributa vis, serum à parte pingui, & crassa separandi, non hoc serum ab illo. Sic dum sanguis putrescit, crassa & fibrosa sanguinis pars, cogitur in caseum, & serum ipsius rubrum, pariter cum vrina excernitur. Et ob id colore subrubra apparet, secundo prognosticorum, commentario vigesimo septimo, nam vrinæ naturalis color dilutus, retrahit rubrum sanguinis, ad subrubrum. Dum bilis putrescit, craßius quod in ipsa est cogitur, & tenue serosum, igneas atque subtiles vrinas reddit. Pituita putrescente, eadem ratione albæ redduntur vrinæ, nisi in sanguinem & ipsa quadantenus etiam commutetur, nam tunc rubidæ apparent, de quibus meminit Galenus primo libro de Arte curatiua ad Glauconem, capite de signis febris quotidianæ. Melancholicus vero succus paucum habet serum, & difficile excutitur, ob humoris craßitiem & rebellionem. Quare vrinæ in quartanis, magis apparent albæ, ob cruditatem, & obstructiones, quas succus melancholicus parit: Nisi forte ad finem quartanarum, vbi humor maxime subactus est, & serum non adeo tenacißime retinet, quo tempore subnigræ quandoque visuntur. Tam perpetua vero est, huiusmodi seri separatio, ab humore qui corrumpitur, quod non modo putrescens, verum & corpus nostrum enutriens (nam tunc quoque corrumpitur humor) serum excutit. Quod etenim crassum est in humore, fit membri substantia, serosum vero, recrementitium est, & vacuari postulat, vt constat ex Galeno, secundo libro de Facultatibus naturalibus, capite vltimo, vbi ita scribit. Verum seri genera, quæ in succis habentur, omnia sunt excrementa, purumque ab eis esse, postulat animalis corpus. Dum ergo humor, per tertiam coctionem, in membri substantiam decedit, duplex in hac coctione, sicut in alijs fit excrementum, tenue, ac craßum. Ex crasso fit sordes, quæ membris innascitur, & vestimentis adhærescit. Et ex eo etiam in quibusdam partibus emergunt pilli. Tenue vero & serosum, quod succis inerat, vacuatur insensibili transpiratione, si naturalißime & valet, & gubernatur corpus. Si vero aut naturalis calor languet, vel nutrimento vtitur, quam iustum sit ampliore, vel motus quidē vehementior animali contingit: per sudorem, & perspirationem visibilem purgatur, vt constat apud Galenum 3. libro Methodi, cap. 3. & libro 3. de sanitate tuenda, cap. 13. Differt autem hic sudor à priori, qui eandē materiam habet cum vrina, nam hic tertiæ coctionis, illæ secundæ, quæ fit in epate & venis, sicut & vrina ipsa est superfluitas. Quod non aduertens Auicenna, secundo libro. cap. 657. sudorem definiuit dicens, quod est aquositas sanguinis, cui pus colericum est admistum. Et paucis interpositis, sudorē vltimæ coctionis, vrinam vero secundæ recrementum esse testatur. Quæ nō cohærent, nam aquositas sanguinis, cui pauca bilis

per-

permiſcetur, etiam ſi ſudore elidatur, eſt ſecundæ, non tertiæ coctionis recrementum. Sudor vero alter, qui ex tertia coctione purgatur, non eſt aquoſitas ſanguinis, quæ bili permiſcetur. Quare male illa duo coniunxit, quæ diuerſis congruũt ſudoribus, non eidem. Quomodo vero vrina, ſignificet ſalubritatẽ & inſalubritatẽ, morborũ ætates, longitudinem & breuitatem: ſoluunt quidam exiſtimantes, quod portio ſeri a renibus non purgata, quæ cum ſanguine per venas proceſſit, partim exhalatione tranſpirat, partim ſudore vacuatur, partim retrocedit, atque ad renes vſque relabitur, & ab eiſdem trahitur, atque per vreteras in veſicam excollatur, quæ poſtea micta, euidenter oſtendit, omnium eorum quæ in venis ſunt, conditionem & ſtatum: quoniam ibidem cum humoribus eſt commorata, & non leuem cum ipſis alterationem eſt paſſa. Contra vero eſt, quod primo libro de Facultatibus naturalibus, aperte non recurrere, ſed reſolui ſtatuit: perinde atque in fructibus, & plantarum ſuccis, diuturnitate diſsipatur, ſecundo libro Simplicium, capite decimo ſexto, autore Galeno. Vis præterea naturalis, habens per cutem commodam expurgationem, nunquam repellet intro. Si vero eorum quæ diximus, non es immemor, non erit tibi difficile nodum ſoluere. Quod tamen vt melius aſſequaris, aduertere expedit, quod cuiuſque partis in corpore ſuperfluitas, eam quæ illi ineſt diſpoſitionem oſtendit, ſi cocta quidem fuerit ſalubrem, cruda autem ægram: deiectio diſpoſitionem ventris, ſputum thoracis, mucus cerebri, lyppa oculorum, ſudor vniuerſi corporis, pus partis vlceratæ. Sic & vrina iecoris & vaſorum, ſalubritatem aut inſalubritatem monſtrat, primo libro Criſium, capite ſeptimo, & primo libro Epidemiarum, parte ſecunda, Commentario quadrageſimo quarto, & primo libro Prorrhetici, Commentario ſecundo, & libro de Artis Medicæ conſtitutione ad finem, autore Galeno. Monſtrat ergo vrina, qualis ſit coctio iocinoris, quoniam coctionis eiuſdem eſt excrementum, ſiquidem ſubrufa fuerit, aut ſubflaua, & mediocrem habuerit ſubſtantiam, optime valet iecur, & vaſa. Nam aquoſitati potulentæ, ex qua fit vrina ſanorum, acceſsit bona concoctio, & paucæ bilis eiuſque naturalis, rufæ videlicet aut flauæ miſtio. Si vero alba, viridis, nigra, rubra, aut liuida mingatur vrina, malam iocinoris & vaſorum ſignificat diſpoſitionem. Nam aut non concoxiſſe, aut aduſiſſe, aut prauos humores quos continent corrupiſſe, & eorum ſerum potulentæ parti, quæ naturalis mictus eſt materia, miſceri ſignificat. Sic præſentem diſpoſitionem, ſanitatem ſcilicet, & morbum, & ex hoc, aut illo ſucco pendere, monſtrat vrina. Et ex frigido longitudinem, ex calido breuitatem promittit. Tam in calido autem, quam in frigido, quatuor ætatum, & tẽporum morbi ſigna præ ſe fert: in morbo ſalubri, per augmẽtum coctionis, & in lethali, per augmentũ putredinis. Incipiẽtia enim, & debilia, principium ſignificant, maiora augmentum, maxima ſtatum. Sic fortunam, ex vrina præuidere datur, & diem atque horam nonnunquam, in qua altera fortuna cõtinget,

vt tertio libro de Crisibus, autor est Galenus. Amplissimam ergo vtilitatem, habet vrina inter omnia excrementa, quæ aut partis, aut totius, significant coctiones. Primo ex liquore, quoniam coctionem iocinoris, omnium maxime necessariam, & potissimam, significat liquor. Secundo, quoniam cum vrinæ liquore, permiscetur serum humorum putrescentium in vasis. Tertio, quoniam significationem magnam, præstat ex contentis, nebula, appendiculo, subsedimento, albo læui & æquali, ad citã salutem: sub rubro, ad diuturniorem: viridi, liuido, nigro, similaceo, furfuraceo, squamoso, aut orobino, ad mortem. Quarto, quoniam indicat coctionem humoris peccantis, summum bonum in morbis, & putrefactionem atque colliquationem maximum malum. Accedit quod significationem dat, in grauissimis morbis, plenitudinis & cacochimiæ: Et ideo magnam vim habet, in omni febre, siue febris sit accidens, siue essentia, primo libro Crisium, capite septimo autore Galeno: & in acutis, & grauissimis morbis, ipsa sola, (id est etiam si reliqua non consentiant) est signum fidele, vt autor est Galenus, sexto libro Epidemiarum, sectione prima, nono commentario. Atque hæc, pro nostræ breuitatis stylo, de hac re dicta sufficiant.

¶ EXPLICITVS EST LIBER
de Humoribus.



INCLYTO, AC MAGNANIMO PRINCIPI DOMINO Illefonſo Perez de Guzman el bueno, Duci de Medina Sydonia, Comiti de Niebla, Marchioni de Caçaça, digniſsimoque Almadrauarum domino: Petrus de Peramato medicus, librum hunc nuncupat.



VI omnia à maioribus iam diu inuenta eſſe ſantur, nihilq; de nuò dici, quod non ſit dictum prius prædicant, clariſſimæ Dux, plurimum autoritatis labori, mihi detrahere videntur. Cuius tamen tam admirandæ ſunt laudes, vt neminem vnquam fefellerit, neque ingenti fructu fraudauerit, ſi ad veritatis inquiſitionem, animum voluit adijcere. Vox hercle illa, deſidum eſt: atque eorum, quos aut domeſtica vrget neceſſitas: aut auaritia acti, opibus cumulandis inuigilãt: aut quod peius eſt, eorum qui mollitie, dælitijs, ac ludis, ſanctiſſimam artem contaminant: aliter enim de fructuoſiſſimo labore ſentirẽt, niſi eiuſmodi ludibrijs, eſſent effaſcinati. Nos vero, qui ab ineunte ætate, omnes dælitias, in literarum labore, cõſtituere maluimus, & indefeſſo ſtudio, emaculati candoris veritatẽ, vndecunq; latentem, & impeditam eregimus, quantum fructum afferat nouimus, & communis vtilitatis ratione, plura in arte medica, ingenti labore parta, & fæliciter excogitata, prælo dare decreuimus. Cœpimus autem à noſtri corporis elementis, tam primis, quam ſecundis, quẽ tuæ excellẽtiæ dicauimus: quod an id quod prædicamus præſtiterit, aliorum eſto iuditium: doctis enim placuiſſe fama eſt. Hic vero qui de Temperamentis inſcribitur (niſi me paternus fallit affectus) clarius noſtrorum laborum fructum oſtendet, & dignior eſt quem tu Princeps clariſſimæ, tua virtute & autoritate tuearis: quod non grauatè te eſſe facturum, & confido, & poſco. Dices fortè, quid Principi, cum Medicorum libris? Multa & præclara recẽſuimus Regum exempla, in medica noſtra introductione, nondum edita, qui non modo medicina delectabantur, verum & præſtantiſſimi medici fuerunt: & verè Principi viro, nihil medicina charius, nihil iucundius, nihil fructuoſius, in vita contingere poteſt. Vale Principum exemplar, & ornamentum.

De Temperamenti essentia, atque definitione.

CAPVT PRIMVM.



X quatuor elementis, ad minima diuisis, & certa quadam mensura conuenientibus, mutua quadam suarum qualitatum refractione, mista fiunt. Nam si magnopere vnum elementum, reliqua euincat, non fiet mistio, sed transmutatio illorum, in valde excedens. Quod exemplo vini guttæ, quæ in aquæ amphoram injcitur, ostendit Aristoteles: fit enim tunc, aquæ ex vino generatio, non mistio: & cum ignis aquæ guttulis inspergitur, non modo non temperatur, verum & ardet magis. Oportet igitur, vt ea quantitate ad mistionem veniant, qua vnum, aut reliqua conuertere, aut in ipsa conuerti nequeat. Nec hoc tamen sufficit, vt mista generentur: infinitæ enim possunt esse, elemẽta permiscendi rationes, & mensuræ: mista tamen, infinita esse nequeunt: quoniam Deus finita creauit. Fit ergo necessarium, vt plurimi elementorum concursus, in quibus elementa ipsa mutuo temperantur, & franguntur, sint inutiles, & frustranei, ad generationem misti. Alij vero, in quibus is adest calidi, frigidi, humidi, atq; sicci cõcentus, & proportio, qualis misti gignendi natura expetiuit: ij vtiles sunt, & temperamentum creãt. Ex quo elicio, temperamentum non esse primarum qualitatum concentum, harmoniam, aut proportionem, vt Fernelius definit. Primo, quoniam proportio eorum quæ miscentur, requiritur ad mistionem: tam mistio autem, quam proportio, prærequiritur ad temperamentum. Secundo, quoniam calidum, frigidum, humidum, & siccum, iusta quantitate, & proportione conuenientia, temperamentum efficiunt: vbi elementa sunt efficientia, temperamentum effectus, & proportio est ratio efficiendi: quæ valde inter se distant. Tertio, quoniam proportio est relatio, quæ vt omni caret vi agendi, ita ex aduerso, temperamentum omnium functionum autor ponitur. Elicio secundo, temperamentum diuersum quid esse, à calido, frigido, humido, & sicco refractis, & coagmentatis. Primo, quia vbi deest vtilis proportio elementorum, ad gignendum mistum, quantumuis refractione temperentur, mistum non gignitur, quare neque temperamentum. Secundo, quia elementa efficiunt temperamentum, nihil autem se ipsum efficit. Tertio, quia magnam diuersitatem, inter elementa, & tempe rãmetum, agnouisse Galenum, eo patet, quod nullibi de alia forma misti, præter temperamentum meminerit. Per temperamẽtum namq; scribit, primo libro de vsu partium cap. 9. carnem esse carnem, neruũ esse neruum, & singulas partes id esse, quod sunt. Et secundo libro de natura humana, com. 1. ita scribit. Formas voco, corporis naturas, quarum essentiam demonstrauimus, in quatuor elementorum temperatione consistere. Quæ Galeni doctrina, quanuis prorsus non probetur, & alibi à nobis, fuerit explosa (præter temperamenta enim, formas subsãtiæ ponendas esse, est verius) conuincit tamen, aliud, idq́ nobilius, esse temperamẽtum, à calido, frigido, humido,

uido, & sicco refractis, & coagmentatis. Quarto, nam diuersa temperamenta, & proprietates in animantibus apparent, ad quæ, calidum, frigidum, humidum, & siccum, non videmus attingere: ferrū enim coquit, & exterit, structiochamelus: quod non immutant, animantia alia, ipso calidiora, nec ipse ignis externus. Quare ex alia perfectiori, & potiori qualitate id pendet, quam temperiem, aut temperamentum appellamus. Vnde in libro de artis medicæ constitutione, & 7. Methodi, & primo de naturalibus facultatibus, cap. 3. scribit Galenus, fieri corpus similare, quod pro temperaturæ qualitate, aut sensu pollet, aut vacat, aut neruus est, aut os, & actionem edit tantum diuersam, ab aliarum actionibus, quantum ipsa particula, ab alijs
" *quæ illas edunt, est diuersa. Differt autem vna, ab alia, temperamento: quare qui*
" *vult (inquit) actionem earum seruare, ipsum temperamentum seruet. Quinto, ex quatuor humoribus in sanguinea massa, & in lacte ex triplici substantia, qua constat, vna fit complexio, ab ipsorum humorum, & partium lactis temperamentis diuersa, vt libro nostro de humoribus, capite sexto, diximus. Cum ergo ex sanguine hoc, & semine, nostræ generationis primordijs, gignitur homo: temperies alia, eaq; perfectior, & firmior creanda est (quæ à sanguinis, & seminis temperie distet, in locum eius, quæ ex massa sanguinea corrumpitur) vt formæ nostræ seruiat. Sexto, ex qualitatibus secundis, inuicem permistis, resultant & gignuntur, diuersæ qualitates à componentibus, vt ex permistione colorum & saporum constat. Ex partium præterea coaptatione hac, aut illa, consurgit in cōposito pulchritudo, aut deformitas, & vniuersim figura, aut circularis, aut triangula, quæ omnia, sunt qualitates denuo genitæ. Multo ergo melius, ex primis qualitatibus, tanta agendi, & immutandi vi præditis, & ex ipsis elementorum minimis, vtili commistione à natura dispositis, vna creari potest & debet qualitas, ab elementis, & elementorum qualitatibus diuersa: quam temperamentum & sanitatem appellamus. Hac corpus nostrum, ad omnes functiones recte obeundas disponitur: perinde ac forma tibiæ, aut lyræ, qualitas est & dispositio, præter fidium, & ligni substantiam, & naturam, qua suaues eduntur soni: hoc solo differens, quod lyræ, aut tibiæ qualitas, tantummodo disponit suum subiectum, vt artifex possit modullari: temperamentum vero, non modo disponit nos, ad animæ & facultatum functiones obeundas, verum & vim agendi, pro facultatum, in quas ordinatur, natura possidet, ceu accomodatissimum instrumentum. Septimo, in compositione theriacæ, & plurium medicamentorum, post fermentationem gignitur noua forma, facultas, aut temperamētum, quod nulli inerat simplicium: vnde Auicenna inuentam fuisse credit diuina reuelatione, & Galenus examine, & perscrutatione scientifica: iungit enim Andromachus, antidota omnium venenorum, & omnium membrorum, vt omni veneno, & membro prodesset. Fit præterea, ex non purgantibus simplicibus, compositum expurgans, vt in stibio arte mathioli præparato videmus, in quo ex stibio crudo, & vsto, & chrysocola non purgantibus, fit validissimum expurgans: & scamonium,*

I 2 quod

quod potentius bilem, quam pituitam purgat, addito castoreo non purgante, potentius purgat pituitam, vt constat ex Traliano, & Auicenna in cura lethargi. Plures etiam sunt compositiones, multo supra omnia simplicia mirabiliores: nam in alimentis, sæpe compositio, & conditura, est sapidior simplicitate: & in odoribus, aqua Angelorum vocata, vincit aquas simplices: & pastilli ex ambra, moscho, styrace, lasere odorato, & alijs minus odoris, odoratiores sunt simplicibus, ex quibus constant. Quid ergo non putabimus, ex mistione naturæ perfectissima, & secundum minima elementorum facta, temperamenta, & qualitates admirandas, ab elementaribus diuersas prodire? Minimum sane elemẽti, minus est minimo misti, quoniam minimum misti, mistum est: ob idq́; in compositis quæ arte fiunt, minima mistorum, seruant pristinam elementorum proportionem, quam in suis simplicibus habebant: & ex consequenti, qualitates denuo genitæ, & effectus earundem, non possunt esse tam diuersæ, & pugnantes, ac in mistis quæ natura producit. Octauo, ex alimentorum, venenorum, & medicamentorum vsu frequenti, comparatur noua, & stupenda qualitas, etiam si de nouo non accedat forma substantialis: ergo multo melius, ex prima elementorum commistione, gigni valebit, qualitas perfectior, præter formam, quæ functionum formæ sit instrumentum. Siquidem quod Persica planta, in Perside fuerit venenosa, & in Aegyptũ translata, facta fuerit alẽdo apta, ab omnibus proditur, & nemini est incognitum, vt scribit Galenus, libro tertio, de causis symptbomatum, cap. 1. & quod vetula nutrita cicuta, reddita fuerit venenosa, scribit Galenus, libro. 3. simplicium, cap. 17. in quo loco transcribendo, errauit Auicenna, anum referẽs nutritam napello, pro cicuta: est enim napellus, calidum venenum, prorsus in nostram substantiam incommutabile. Experimento etiam scimus, Indos qui regi Portugaliæ subiacent, opio (ab ipsis Amphion vocato) non lædi (vt notat Orta, libro de simplicibus Indiæ) ob assuetudinem, qua eo vti didicerunt. De medicamentis vero, constat ex Galeno, libro de theriaca ad Pisonem, Mythridatem, magnum illum belligeratorem, vsu antidoti Mythridatij, antequam theriaca esset inuenta, tam firmam aduersus venena constitutionem comparasse, vt postea à Pompeio victus, veneno epoto, eoq́; copioso, mori non potuerit, donec ipse, amico suo Bistoco iniunxit, vt ipsum iugularet: eius vero filiæ (quæ ob eximium erga patrem amorem, cum eo mortem voluerunt oppetere) eiusdem medicamenti potu, subito conciderunt. Ex vsu quoque theriacæ, salubrioris adhuc, & maiori examine, ac perscrutatione compositæ, bonam quandam temperiem, salubremq́; statum, & firmam constitutionem, aduersus pestem, & venena, & morsus venenosos, comparari: testatissimis tradit experimentis. An hæc potest ars, & vltra primarum qualitatum coagmentationem, non potest in cõmistionibus natura, temperamentum, & firmam dispositionem creare? quis ei mirandas surripuit vires, & tribuit arti? Nono, qualitates elementales, admodum fluxæ sunt, parumq́; durantes, nisi in vnitatem temperamenti durabilioris conspirẽt: tricesimo siquidem anno, viget theriaca, & vsque

in

in sexagesimum, vim vtilem seruat, vt scribit Galenus, libro de theriaca ad Pisonem, cum tamē plura recipiat simplicia, quæ annum vix integra seruētur. Oportuit ergo vt animantia, viuatiora, & magis durantia sint, non habuisse naturam, in solo calido, frigido, humido, & sicco, coagmentatis: sed potius in tēperie istis superueniente, quæ vna cum sit, minus est fluxa, & à se ipsa non discrepat, sed vnæ formæ misti inseruit, eiusq; est ad omnes functiones durabilissimum instrumentum. Vnde recte Auicenna, capite de eo quod comeditur, & bibitur, scribit: quod complexio præparat rem, ad recipiendum formā specificam. Hanc quintam qualitatē, agnouit Auerrhous, libro de generatione, vbi Commistio (inquit) est qualitas media, inter contrarias qualitates, in corporibus agentibus, & patientibus æqualiter. Et secundo colliget, cap. 1. Et differentia (inquit) quæ reperitur in istis corporibus consimilibus, non euenit nisi secundum differentiam, & mensuram, siue temperantiam calidi, frigidi, humidi, & sicci: & secundum quod inuenitur in eis, alia forma temperantiæ. Et Alexander Aphrodisiensis, libello de mistione, ita scribit. Quoties plura corpora, quæ & agendi vicissim, & patiendi vim habent, in idem coeunt, ita vero sese habent, ne contrarietatibus adeo, alterum superari ab altero possit, vt abeat in illius migrans naturam, tunc (inquam) hæc corpora, propter virium, ac potestatum æqualitatem, per quam dum agunt, mutuo quoque patiuntur, eatenus progrediuntur, donec abiecta contrarietatum excellentia, propter quas diuersa erant; & contraria, vnicam ex omnibus illis potestatibus, qualitatem effecerint, vnita simul atque vna, eademque, facta ea materia, quæ vtrisque, vel omnibus ipsis subijciebatur. Quod Aristoteles, secundo libro, de generatione, & corruptione, cap. 7. prius insinuasse fuit visus: postquam enim elementorum in vna communi materia, vicissitudinariam transmutationem demonstrauit, ita scribit. Ac primum quidem sic elementa mutantur, ex his autem carnes, & ossa constant, quæque sunt eiusdem generis, cum id quod calidū est frigidū, & quod frigidū est calidū efficitur, & ad mediū perueniunt. Hoc enim neutrum est. Hoc ergo medium, quod neutrum (inquit) esse extremorum: temperamentum, aut complexionem appellamus. Quam Auicenna doctissimè definiuit, prima primi, vbi ita scribit. Complexio est qualitas, quæ ex actione ad inuicem, & passione contrariarum qualitatum, in elementis inuentarum: quorum partes ad tantam paruitatem redactæ sunt, vt cuiusque earum plurimum, contingat plurimum alterius prouenit. Hæc Auicenna, quæ subabsurda, visa sunt Fernelio, ait enim Auicennam velle, eam qualitatem, quæ ex actione; & passione mutua elementorum, in mistione fit, esse simplicem, & eam superesse, reliquis pereuntibus à quibus est facta. Quod tamen falsum esse probat. Primo, nam omnes qualitates primas perire, est impossibile, saltem enim, quæ validior est, à contraria corrumpi nequit, debetque superesse. Secundo, quoniam si corrumperentur, nulla maneret in misto contrarietas, & repugnantia: quare nec senesceret, nec ex interno principio vnquam occumberet. Tertio, in misti dissolutione, elementa non segregarentur: vnde

enim qualitates, quas in mistione amiserunt, resumerent. Sed frustra laborat, nam Auicenna, nec somniauit quintam eam qualitatem, esse simplicem, nec primas qualitates extingui. Sed ex mutuo adhæsu, & actione, quinta qualitas resultat, quæ quatuor dictarum, veluti frenum est, & actionum suarum terminus, ne vlteriori actione, & passione se perimant. Nam & ipse Auicenna, suam statim definitionem, nullis lineis intermedijs declarans, ita subiungit. Cum enim adinuicem agunt, » & patiuntur suis virtutibus, accidit ab earum summa, qualitas in toto earum simi- » lis, quæ est complexio. Quibus verbis voluit, quod elementa agunt, & reagunt, suis » virtutibus, id est, qualitatibus, quæ sunt elementorum virtutes, donec in vnum coëant, fiatq́ omnium summa vna: ex qua coniunctione, & summa qualitatum, accidit, atq; consurgit in toto misto, & omnibus elementorum minimis, qualitas quinta, quæ similis est ijs qualitatibus, quæ in vnum coierunt, & hanc appellat complexionem. Ex qua sententia, nec primas qualitates ibi perire, nec complexionem qualitatem esse simplicem, inferre possumus. Et paulo post, complexionem quandam esse calidam, & frigidam aliam, quoniam plus in hac est frigoris, in illa caloris, scribit: puerorum etiam complexionem, calidam esse, & humidam. Quæ non diceret, si primæ qualitates nō superessent: nam nō modo superest qualitas vincens, sed & reliquæ, nulla enim extinguitur in mistione, sed omnes vniuntur in quintā, quæ ipsis est frenum, & perfectio, qua non amplius se ipsas conficere curant. Exemplum esto, in palido colore, ex albo & nigro genito, in quo, vterq; color temperatus seruatur, additurq́ noua perfectio paloris, quæ diuersa qualitas est: si enim extremi colores, non seruarentur in medijs, non esset palidum nigro candidius. Modestius in Auicennam irruit Valesius, qui quintam hāc qualitatem, se non intelligere confitetur. Quoniā temperamentū (inquit) non potest esse vna qualitas in toto corpore, nā longe inter se distāt membrorū tēperamenta: nec potest esse vna qualitas in singulis mēbris, nā singulæ etiā membrorū particulæ, diuersa habēt tēperamēta: quare diuersas etiā (apud ipsum) & pene infinitas habebunt eiusmodi qualitates, quod cum videatur absurdum, nunquam dabitur, hæc quinta qualitas, quę temperamētum est. Dicendum vero, quod vtcunq; res habeat, nec possumus, nec debemus effugere, multiplicia tēperamenta, in singulis partibus corporis humani: nec vnum temperamētum totius, ex omnium coalternatione consurgens. Si temperamentū est proportio, multiplices proportiones, cōcentus, aut harmonias, pro partium nostri corporis multiplicitate ponemus. Si est qualitatum primarū coagmentatio, multiformes coagmentationes. Si vero qualitas cōsurgens, multiplices qualitates, ex quarū demū coalternatione, vna totalis consurgat, exēplo lactis, in quo triplex inest substantia, triplex temperamentum, & triplex actio, vt cōstat ex Galeno 3. lib. de alimentorū facultatibus, cap. 13. & sæpe alibi. Præter quas tamē tres particulares temperies, vnā habet ex omnium coalternatione natam, quæ lactis temperies est, per quam lactis forma, & natura seruatur, vt pulchrè Auicēna docet, libro secundo, tractatu primo, cap. 1. Sic homo, ex


multiplicis temperamenti partibus constat, ex quarum coalternatione, temperamentũ aliud prosilit, cuius gratia hominis natura seruatur. Nec oportet in singulis mẽbris, hoc temperamentũ, æqualem intensionem habere, sed in cute, ad quam omnium intemperatorum membrorum actio terminatur. Condecuit enim ob tactum, qui ab excellentijs tangibilium exui debet, omnium membrorum intemperantias in cute coæquari. Sic theriaca, ex pluribus diuersorum medicamẽtorum constat temperamentis, ex quorum mutua actione, & fermentatione, temperamentũ aliud, diuersaq́ facultas resultat, à temperamento, & facultate simplicium: quam non habet, ante integram fermẽtationem, quoniã ante eã, actio fit magis, virtute simpliciũ, quam compositi. Ob idq́ actio opij, primis annis manifestißima est. Addit Valesius, Auicennã non definire, an qualitas hæc (quã complexionẽ esse statuit) sit actiua, an paßiua. Dicendũ tñ, quod hæc qualitas, est actiua, & paßiua, vt primæ qualitates ex quibus cõstat: est enim efficiens omnium functionum, tanquam instrumentum omnium facultatum, & formæ, & patitur etiam, euersionem suæ integritatis per morbos. Quod si nec actiua, nec paßiua esset, sed sui subiecti dispositiua, tum vt suscipiat, & seruet formam misti, tum vt corpus dispositum reddat, & edendis operationibus aptũ, vt de lyræ & tibiæ dispositione diximus, nihil incõmodi sequi video: oẽs enim hos vsus exhibet, agendi, patiendi, & disponendi. Obijcit tertio, quod aut eandẽ habet essentiam hæc qualitas, cum naturalibus facultatibus, aut diuersam. Si eandẽ, vna, & eadem qualitas, esset tractrix & expultrix, & moueret motibus contrarijs, tractionis scilicet, et expulsionis, quod fieri nequit. Si diuersam, frustra illã qualitatẽ ponimus. Primo, quoniã ex calido, & frigido, humido, & sicco, iusta ratione temperatis, sine quinta aliqua qualitate interueniente, facultates naturales orientur. Secundo, quoniã si qualitas ea intercedit, ex ea cũ vna sit, non resultabunt diuersæ virtutes, sed ex varia mensura qualitatũ primarum: quare superfluè interponitur, siquidẽ in ordine causandi non intercedit. Tertio, vna facultatum læsa, reliquæ incolumes esse queunt, quoniã proportio, calidi, frigidi, humidi, & sicci, requisita ad vnã, vitiari potest, non vitiata proportione, quæ requiritur ad aliam. Cuius euentus causa, si temperamẽtum est qualitas quinta, tradi nequit: ea enim vitiata, omnes facultates, quæ ex illa pendent, necessario læderẽtur, nulla ipsarũ superstite manente. Dicendum tamen, quod ex calido, frigido, humido, & sicco, iusta ratione tẽperatis, vnio fit in mediam, ac ipsis perfectiorẽ, ac potentiorẽ qualitatẽ: qua præsente, introducitur forma misti, & anima in animãtibus: quæ nec ante ipsam introducitur, nec ipsa manẽte, excluditur è subiecto. Anima vero introducta, suas vires ipsa, de suo promit sinu, vt libro de facultatibus nostrũ corpus dispẽsantibus, cap. 1. docuimus. Harũ virtutũ interuentu, diuersas & cõtrarias, anima exercet functiones, & in ijs obeũdis, vtitur temperamento, tanquã instrumento, & calido innato, & quibusdã organis corporis: vt fibris rectis, ad tractum: transuersis, ad pellendũ: & obliquis, ad retinendum. Ad coquendum vero, non vtitur fibris, sed parte carnosa, & abundãtia sanguinis, ac spiritus.

ritus. Vbi sicut nihil incõmodi est, spiritibus & innato calido naturam uti, ad attractionem, & expulsionẽ: sic nec si eodem uteretur tẽperamento. Praetereo quod utitur diuerso, nam cum haec qualitas quinta, reliquas in se habeat unitas, calorem frigus, humiditatem, & siccitatem, calorem magis accõmodabit ad tractum, & frigus, ad expellendum, ueluti cùm praeter naturam refrixit, calore se reducit, & cum incaluit frigore, multo potentius, quam si solus calor, aut frigus, se reducerẽt. Nam maior est temperamẽti uis, quam calidi, aut frigidi, ut diximus. Sicut uero calorem magis accõmodat ad tractum: ita ubi calor refriguit, laedi potest tractio, illaesis caeteris. Minor tamen semper est laesio tractionis, & aliarum actionum firmitas maior, ob perfectionem illius quintae qualitatis, ex quatuor unitis resultantis. Nec obstant etiam aliae rationes, quas obijcit Gaspar Lopez, primo libro de temperamentis, cum aliqua forma (inquit) à philosophis, quae sensu non percipiatur, statuitur: id fit, propter aliquam operationẽ, quae in aliam causam referri nequeat, sed ita habet, quod seruatis qualitatibus, & forma substantiali, nihil est quod tribuamus quintae qualitati: nam calfactio, frigefactio, humectatio, & exsiccatio, à primis qualitatibus fiunt: attractio uero, retentio, expulsio, coctio, generatio, nutritio, auctio, ab anima, & eius facultatibus prodeũt. Ergo superuacanea est huiusmodi quinta qualitas. Dicendum primo, quod haec qualitas, ex ijs est, quae sensu percipiũtur: sanitas enim qualitas, aut dispositio est secundum naturam, ex qua sensibiles operationes secundum naturam prodeunt: nihil autem refert, siue sanitatem siue temperamẽtum dixeris. Secundo, nam qualitates quae sensum fugiunt, & soli intellectui innotescunt, nõ magis debent ordinari in operationes, quam quae sensui sunt notae: color autem albus, aut niger, in Germano, & Aetiope, & dulcis sapor humanae carnis, & aliae huiusmodi qualitates, non ordinantur in operationem aliquam (quas tamen nemo negat, quoniam sub obtutum cadũt.) Ergo quae sensum effugiunt qualitates, si intellectui innotescant, nõ sunt eximẽdae, ob operationũ defectus. Tertio, quoniam in lyra (ut diximus) resultat ex ligno & fidibus concinne dispositis, qualitas & dispositio, qua ipsa lyra, apta redditur, ut à citharoedo pulsata, dulcẽ sonum edat: quae passiua tantum est; aut uerius dispositiua subiecti, nullã uim habẽs ad modulandũ. Sic ergo sufficere deberet, quintae huic qualitati, subiectum disponere, ut anima & eius facultates, sanas edant actiones. Quin omnẽ qualitatẽ, quae ita disponit subiectũ, quãuis sit è secundis, temperamentũ appellat Galenus, perspicuitas enim corneae, quae ipsam disponit ad uisum, temperamentũ est, & eiusdẽ opacitas, quae uisum laedit, morbus in temperamenti habetur apud ipsum: tenuitatẽ etiam & crassitiẽ cerebri, nomine temperamenti cõplectitur: libro enim artis medicinalis, postquã solius temperamenti in cerebro notas tradere proposuit, ex discursuũ uelocitate, tenuitatẽ cerebri, & ex tarditate ac hebetudine, crassitiẽ colligit. Tertio etiã de locis patiẽtibus, cap. 6. ideo scribit, colorẽ melancholiae mores mutare, quoniã alibi ostenderat, mores animi, tẽperamentum sequi. Colorẽ ergo, humoris temperamentũ compellat: & omnẽ qualitatẽ

quæ immediatè disponit ad actionẽ, quanuis nullã edat actionẽ, temperamenti nomine insigniuit. Accedit, quod quinta hæc qualitas, omnes edit operationes, calfaciẽdi, infrigidandi, humectandi, & exsiccandi, gignẽdi, nutriẽdi, & augendi: quoniã est instrumentũ gignitricis, altricis, & auctricis facultatis, & frenũ, modus, ac terminus, qualitatum primarum, in nobis repertarum. Nõ enim alius est in nobis calor, quam qui hanc qualitatem componit: nec is frigiditatẽ aliam debellat, nisi quæ ab hac qualitate exorbitat. In hac enim qualitate, calor atq; frigiditas, amicicia quadam coniunguntur, ita vt vtriusq; actio, & finis, nõ tam sit calfacere, aut infrigidare, quam mediam hanc qualitatem, quæ ex ipsis consurgit producere, & tueri. Addit, quod si ad introductionem formæ vnius elementi, nõ vna qualitas, sed plures disponunt: & quanto res est perfectior, plura requirit, sequitur vt ad formam misti, non vna qualitas, sed plures concurrant. Sed hæc ratio, & aliæ quædam, quas deinceps subdit, eo peccant, quod supponunt, hanc qualitatem (apud Auicennam) simplicem esse, & primas qualitates non superesse: quod ne Auicennam somniasse probabimus.

Sed age, quid isti temperamentũ esse velint audiamus. Duplex (inquit Lopius) temperamentũ est, alterũ elemẽtorum, alterũ qualitatũ. Primum substantiale, quod nihil aliud est, quam quatuor elementa alterata, & vnita. Secundum vero, qualitates primæ alteratæ, atq; cõmistæ. Sed hoc secũdum, nisi quintam qualitatẽ producat reiecimus, & in primo cõprehenditur: elemẽta enim alterata, qualitates primas comprehendunt: aliter namq; alterata esse nequeũt. Primũ vero, cum sit substãtia, essentiæ temperamenti, repugnare videtur: tẽperamenti enim nomen, præter id quod qualitatem præ se fert, idem est cum sanitate, quæ qualitas est, aut dispositio secundum naturã. Quòd si aliud esse sanitatem, à temperamento statuas, ex temperamento hoc tuo, sanitatem resultare, & progigni, non ibis inficias: quare qualitas quinta, necessario resultat, siue sanitatem, siue temperamentum ipsam appellare malis. Valesius vero, qui elemẽta secundũ formas, in mistis nõ manere tradiderat, ex partibus terreis, aqueis, igneis, & aëreis, ad minima certa proportione mistis, quendã substantiæ modũ, qui est habitus naturalis, & omniũ virtutũ fundamẽtum, per totũ generari tradit, atq; hanc proportionem, esse natiuã temperiẽ, per quã singula membra suas operationes participant. Et præter hanc proportionẽ, esse secundã aliã (scribit) quæ ex hac prima proficiscitur: proportio, scilicet, qualitatum primarum, quæ quoniã mutatur leuissimis ex causis centies, dispositio potius, quã habitus, venit appellãda. Quæ sane sententia, pugnãtia claudit. Si enim temperamẽtum est proportio, & proportio est relatio, quo modo erit, aut habitus, aut dispositio? Quo modo item, quintam qualitatem euitat, qui modum substantiæ, & habitum dictum ingenerat? Tam habitus enim, quam substantiæ modus, in qualitatis cathegoria proculdubio continetur.

Traduntur quædam quæ ad temperamenti pariter essentiam attinent, *CAPVT III.*

N T E R artis medicæ scriptores, sunt qui subtilius agẽtes,
non vnam qualitatem, ex quatuor primis resultare, sed binas: ex
singula contrarietate vnicam, affirmant. Calor enim & frigus,
cum in se operantur, ad mediam qualitatem, & naturã veniunt,
ab ea longe diuersam, quæ ex siccitate, & humore consurgit: ex
diuersa enim contrarietate, diuersaq́; actione, ac retusione, diuer
sus effectus consurgat par est. Sed falluntur existimantes, qualitates paßiuas, à se
ipsis, in creatione mistorum, & non ab actiuis affici. Paßiuæ enim ob id præsertim
appellantur, quoniam paßiuè potius, & materialiter concurrunt, in generatione mi
storum: actiuæ vero, quoniam paßiuas subigunt, & perficiunt. Ob id Aristoteles,
secundo libro de generatione, & corruptione, harum essentiam, & definitionem, po
nit in agendo, congregando scilicet & disgregando: illarum vero, in facili, aut diffi-
cili termino suscipiendo, & retinendo: quod pati est. Simileq́; euenit, in misti genera »
tione, ei quod in arte figuli (vt notat Philoponus. 2. de generatione, & corruptione, »
cõm. 8.) Etenim in fictiliũ opificio, humidũ, & siccũ cõgressa, materiã fictiliũ operã »
tur: frigidũ vero, hanc cõpingit, & calidũ mutat maxime, & facit fictile. Sic sim- »
plex, & secundũ naturã generatio, permutatio est materialiũ, & paßiuarũ qualita-
tũ, ab actiuis proportionatis, vt. 4. Metheo. cap. 1. scribit Arist. Sic coctio, perfectio
est, ab innato calido, in oppositis paßiuis facta. Et inquinatio, imperfectio ex calidi
natiui defectu, & incõmensuratione ad ipsum humidum. In quibus omnibus. quali-
tas perfectionis, aut imperfectionis, ex cõgressu actiuarum, cõmensuratione, aut in-
commensuratione ad paßiuas, gignitur: nõ autem ex actione paßiuarum inter sese.
Quo fit vt vna qualitas, vna perfectio, & temperamentum vnum, resultet in ani-
mantis, aut plantæ generatione, dum actiuæ qualitates, paßiuas euincunt, nõ autem
duo, vt censuerunt. Ex quo etiam colligitur responsio, ad obiectionem quam af-
fert Galenus, primo libro de facultatibus naturalibus, capite tertio, aduersus Ari-
stotelem, vbi contraria de actiuis qualitatibus, ipsum scripsisse autumat. In libris
enim de generatione, & corruptione, quatuor actiuas qualitates esse demonstra-
uit: in Metheoris vero, & problematibus, duas tantum actiuas agnouit. Ita enim
eò loci scripsit Galenus. Sunt tamen non pauci viri non incelebres, nec philoso- »
phi modo, sed etiam medici, qui calido, & frigido, actionem tribuunt: siccum, & »
humidum, pro patientibus, ijs subijciunt. Ac primus quidem Aristoteles, particu- »
larium omnium causas, referre ad hæc principia est aggressus: sequutaque eum »
postmodum schola Stoicorum est. Quanquam his quidem (vtpote qui elementorum »
ipsorum, mutuam mutationem, ad fusionem & densationem referant) consenta- »
neum erat, calidum, & frigidum, actiua principia statuere: Aristoteli non item: »
sed cum quatuor qualitatibus ad elementorum generationem sit vsus: satius erat »
omnes particulares causas in has reducere. Cur igitur in libris de generatio- »
ne, & corruptione, quatuor vtitur: in metheorologicis, & problematis, atq; alibi, »

tantum

" tantum duabus? nam si quis in animalibus, & styrpibus, calidum, & frigidum, magis
" agere, siccum vero, & humidum, pati dixerit, fortasse etiam Hippocratem subscri-
" ptorē habuerit: sin pari modo in omnibus, non arbitror id cōcedet, non modo Hippo
" crates, sed nec Aristoteles, modo eorū, quæ in libris de generatione, & corruptione,
" non simpliciter ac nudè, sed cum demonstratione nos docuit, meminisse velit. Hæc Galenus, aduersus Aristotelem. Pro Aristotele tamē est, quod omnes quatuor sunt actiuæ, actione mutua inter sese: ob idq; ex illis solis, elicitur elemētorum numerus, primo libro de generatione, & corruptione: Actione vero, quæ cōuenit compositis, qua mista sunt, aut composita: duæ tantum ex ipsis sunt actiuæ, calor scilicet, & frigus, quæ reliquas duas subigunt, & perficiunt. Quod. 2. lib. de generatione tradidit, & apertius lib. 4. Metheo. Quin inter has actiuas, calor agit per se, frigus vero per accidens: nam passiuis annumeratur qualitatibus, apud Aristotelem. 4. lib. Metheo. cap. 5. quoniam passiuis inest corporibus, aquæ scilicet, & terræ, & quoniam agit potius ad corruptionem, quam ad generationem, & perfectionē. Nisi per accidens (ob antiparistasim retrahendo calorem, aut eius forte actionem limitando) perfectæ actionis, aut generationis, sit causa. Dum enim perfectum, ex imperfectiori prodit, generationē: dum cōtrarius est ordo, corruptionem eò loci appellat Aristoteles. Quo etiam significato dixerat, accedente sole ad nos, fieri generationes, & recedente corruptiones. Sunt autem Aristotelis verba, quæ sequuntur. Quo circa fri-
" gus, passiuorum magis existit, in his enim est: quandoquidem & terram, & aquam
" frigere supponimus. At frigus actiuum est, quatenus corrumpere: aut aliud quip-
" piam, per accidens efficere potest: quemadmodum antea est dictum. Nam interdum
" & vrere, & excalfacere, dicitur: non tamen perinde vt calor, sed quia calorem co-
" git, & in vnum contrahit, aut eidem circumobsistit. Hanc Aristotelis sententiam, sectatus Auerrhoes. 3. libro colliget, cap. 21, membra omnia voluit, calore (tanquam instrumēto necessario) suas operationes exercere: qui tamen determinatur à frigiditate commista, interdum superante, & alias superata, ita vt agens semper sit calor, non frigus. Frigus enim omne contrahit, cōstipat, & substantiam reddit immobilem, aut ægre mobilem. Calidum vero, rarefacit, fundit, coquit, & mouet: quas actiones, ad functiones naturales obeūdas, summe requiras oportet: aliter enim neq; nutrimenti ex terra attractio, & per plantā distributio, neq; alteratio eiusdē, neq; concoctio, neq; incrementū, nec germinatio, nec fructuū generatio proueniret, nisi calidū, efficacia quā habet ad actiones, et ad eiuscemodi motus, in planta superaret. Nō quoniā oporteat calidum in mistura vincere, aut in omni planta, aut in omni misto, vt sensit gētilis, prima. 1. vtq; philosophi quidā, Galeno antiquiores existimarūt. Sed quoniam calore quantūuis exiguo, ceu cōmodo instrumēto, ad actiones & motus paratissimo, ob efficacē, & mobilē, atq; motiuā sui naturā, forma misti promptius vtitur, atq; expeditius, quā frigore ad congelationem, & immobilitatem opportuniori. Papauer enim, mandragora, cicuta, & salamandra, ex omnium sententia frigida sunt, & nos enecant,

enecant, quamuis nutriantur, augeantur, & viuant, exiguo suo quem habent calore. Quare immoderatius à Galeno scriptum est. 3. libro simplicium, cap. 6. recte à Philosophis, qui de tota natura scrutantur (id est, qui temperamenta in ordine ad medium totius substantiæ inquirunt) dictum esse rosam, & plantas reliquas calida esse: medicis vero, qui in ordine ad hominem temperamenta inquirunt, dictum esse non recte. At dixerat, primo libro de temperamentis, idem Galenus, hominem temperatum, medium esse vniuersæ substantiæ. Quare vtriusque comparatione, recte aut non recte dictum erit, non autem philosophus recte, medicis vero non recte. Veritati tamen contraria, interdum sunt litigiosis concedenda, si in principio aliquo, ad præsentem veritatem indagandam opportunè, conueniunt. Sic vt morosos huiusmodi philosophos aufugeret, cōcessit illis ita loqui, in ordine ad vniuersam substātiam, (dum modo sibi cum illis cōueniat, in ordine ad hominem) medicis inquirēda esse temperamenta. In quo sane, vel eo tunc cōueniebat, quod omnes vno ore pronunciabāt, papauer, mandragoram, cicutam, salamandram, & similia frigida esse. An vero viuens omne calidum sit, & humidum, propriū infra habebit caput. An frigidum vero, opera interdum naturæ per se ingrediatur, libro de facultatibus tractamus. Quid quoque singulæ qualitates primæ, & singula etiam elementorum corpora præstent, quosque vsus in mistione exhibeant, libro de elementis tradidimus.

De numero temperamentorum, & a quo sit *incipiendum.* *CAP. III.*



I ex calido, frigido, humido, & sicco, mistis, & alteratis, commutatio fit, in mediam naturam, & perfectionem, quam temperamentum dicimus: quo modo ex ea cum vna sit, carnes, & ossa constabunt in vno corpore, & in diuersis hominibus, diuersæ saluabuntur temperaturæ? Respondet Aristoteles. 2. libro, de ortu, & interitu, cap. 7. quod medium hoc indiuiduum non est, sed multas habet stationes, & magnam latitudinem, tum quæ diuersitati partium, & ætatum, respondet in vno animanti, tum etiam diuersitati indiuiduorum in vna specie. Hanc latitudinem Galenus, in nouem partitur temperamenta, inuicem dissidentia: quorum præcipuum, medium tenet calidi, frigidi, humidi, & sicci, & in æquilibrio, aut quasi, omnium quatuor est constitutum: quatuor sequentia, vnam qualitatem excedentem habent, cum alterius oppositionis mediocritate: sicut & quatuor alia, bina constant qualitate à medio recedente. Neque enim plures quam quatuor sunt qualitates primæ, quæ simplices intemperantias constituant: neque ipsarum plures quam quatuor, possibiles copulæ esse queunt, vt libro de elementis tradidimus.

Primum, à quo qui doctrinam de tēperamentis tradere studet, medium est temperamētum: quod reliquorū omnium, velut canon est, & polycleti statua, ad quā reliqua

qua

qua referantur, vt primo libro de temperamentis, & libro artis medicinalis, cap. 51. scribit Galenus. Reliqua enim, cum excessus sint nomina, in comparatione ad hoc medium dicuntur, & eo posterius noscuntur: saltem cognitione intellectiua, in qua intemperatum, comprehendi nequit, sine agnitione temperati: nec mensuratum, sine agnitione mensuræ: neque obliquum, sine notitia recti. Sensui enim, qui huiusmodi respectus non nouit, sed vim ac actionem obiectorum, absolutè comprehendit, notiores sunt excessus, quam moderantiæ: res mensuratæ, quam ipsæ mensuræ: obliquitas, quam rectitudo: morbus, quam sanitas à qua deflexit. Præstat autem iuxta agnitionem illam intellectiuam, temperamenta inuestigare, quam sensus tarditatem & ignauiam spectare. Primo, quoniam cum sensus (vt diximus) respectus non noscat, & regula careat, qua referat excessus, irregularis est prorsus. Secundo, quoniã exiguos excessus, fere non cõprehendit, donec in magnitudinẽ insignẽ, ac irreparabilẽ assurgunt. Ob id Medici indocti, qui sensum tantũ, & non intellectum sequuntur, morbos incipientes non cognoscunt. In quem sane sensum aduerbio, simpliciter, prout opponitur respectiuo, vsus est Galenus. 2. libro de victus ratione in morbis acutis, commentario. 47. vbi ita scribit. Verum singula hæc completa simpliciter cognoscuntur, cum vero fiunt & sensim increscunt, medicos plerosque latent. Quæ sane, non quando ob magnitudinem auxilio iam carent, tunc cognoscere oportet (quod vulgo contingit) sed & cum incipiunt, & fiunt, hoc siquidem optimum est. Quibus Galeni verbis, & sententia admoniti, intellectiuam, & exactam cognitionem, quæ regulam habet, in quam excessus referat, sequemur. Priusque de temperato corpore, cuius comparatione intemperata, reliqua omnia dicuntur agemus: quantumuis mediocritas, minus calore, aut frigore, obesitate, aut gracilitate, innotescat sensui: exacta siquidem notitia, calidi, aut frigidi, obesi, aut gracilis, nunquam habebitur, sine comparatione ad quadratum.

De temperati significatis, vbi omnia temperati significata expenduntur. *CAP. IIII.*



RIPLICIS significati corporis temperati, meminit Galenus, primo libro de Temperamentis. Primo enim, quod medium est vniuersæ substantiæ generabilis & corruptibilis, hoc nomine intelligit. Quoniam autem omnis huiusmodi substantia, calido, frigido, humido, & sicco, constat: concludit temperatum corpus id esse, quod omnibus his quatuor æqualiter coëuntibus gignitur. Primo enim libro de Temperamentis, capite. 12. ita scrbit. Substantiam medio temperamento esse dicemus, cum pari modo ab extremis abest, quæ scilicet, & principia omnium sunt, & elementa. Porro aberit pari modo ab extremis, cum ea continet æqualiter inter se mista. Aequaliter vero dicta quatuor

tuor coire tum perhibet, cum æquales quatuor elementorum portiones, mensuræ, aut pondera, inuicem miscentur & alterantur. Nam eodem primo libro, de temperamentis, cap. 11. ita scribit. Vbi simpliciter substantia quæpiam eucratos, siue temperata dicitur, tum hac, alia siccior, alia humidior, & alia frigidior, alia calidior: eo loco eam, quæ ex contrarijs, æqua prorsus inter se portione coëuntibus constet, eucraton siue temperatam nominari; quæcunque vero ab hac deficiunt, superantq́ᵹ, aliquo ea superantis nomine vocari. Et rursus eodem capite subdit. Est igitur temperaturæ æqualitas, in omnibus temperatis animalibus, styrpibusq́ᵹ, non ex ea, quæ ex pari elementorum commistorum spectatur mole, sed quæ tum animalis, tum styrpis naturæ conuenit. Capite etiam 17. eiusdem libri postquam cutem, verè mediam omnium extremorum, calidi, frigidi, humidi, & sicci, pariq́ᵹ interuallo, ab vtrisque abesse dixit, subdit. Iam vtique & constat, ex omnium horum æquis portionibus. &c. Quibus locis, æquales elementorum portiones, & æquales moles, modos, aut mensuras, accipit Galenus. Ponderis etiam, simul & mensuræ, meminit Galenus, eodem primo de Tēperamentis, cap. 11. in hæc verba. Iustitiam esse dicimus, non quæ pondere & mensura, sed quæ eo quod pro dignitate conuenit, æqualitatem explorat. Quare non est, cur Gaspar Lopius, æqualia pondera elementorum sumenda esse vetet: tantumq́ᵹ concedat æquales portiones, aut moles, aut mensuras, ad huius temperati corporis fabricam, Galenum sumpsisse. Contra enim est, primo, quoniā non horum solum, sed ponderis etiā meminit. Secundo, quoniam cum elementa, in genere substantiæ reponantur, non autem in genere quantitatis, per æquales elementorum portiones, aut moles, æqualitatem substātiarum eorundem, non autem quantitatis debemus intelligere. Tertio, nam mensura, quæ fallax & iniqua futura non est, à pondere diuersa esse nequit. Nam pondus est lex mensuræ, & omnes iustæ mēsuræ, ad sua referūtur pondera. Mēsuræ enim oēs, sunt fallaces, in æstimanda, & libranda re mensurata, nisi suo ponderi conueniant. Fac enim tibi, æqualiter miscenda fore, vinum, oleum, & mel: plus olei, quam vini, parte nona: & vini, quam mellis, parte dimidia conijcies: quoniam oleum, parte nona leuius est vino, & vinum melle parte dimidia. Vnde mensura, quæ capit mellis vncias quindecim, repletur vini vncijs decem, & olei nouem. Pondus enim, quantum de cuiusque substantia, & materia recipiatur, exactè declarat: mensura vero, nisi ad pondus referatur, verax esse nequit, propter modos substantiæ diuersos, crassitie & tenuitate, valde distantes. Non ergo intelligere oportet, per æqualem, aut molem, aut portionem, aut mensuram elementorum, aliud à pondere, quod est mensuræ regula: nisi cum res æqualis fere ponderis permiscentur, vt gelida aqua cum feruenti: aut cinis, vel terra aliqua, non admodum ponderosa, cum aqua: tunc enim parum refert, pondere ne vtaris, an mensura. In elementis vero, per decuplum sese excedentibus inuicem, non sic: sed perinde ac in melle, vino, & oleo (si æqualiter sunt miscenda) mensura mellis, vino est implenda

pleuda, & dimidium insuper est addendum. Oleum etiam, postquam vino æquaueris, nonam vini partem addere conuenit. Ita decuplum aquæ, vigecuplum aëris, & ignis trigecuplum, addere ad terram, in elementorum commistione oportet. Sic enim, & pondus æquale sumes, & summæ qualitates contrariæ, in elementis repertæ, ad medium interualli peruenient. Nam ex hoc ceu fundamento iacto, primo libro de compositione medicamentorum per genera, & 5. Canone, cap. 1. artem componendi medicamenta, docent Galenus, atque Auicenna: ita enim scribunt. Sæpe cum corpus, aliquatenus calefacere volumus, simplex nullum, quod præstare id queat, habemus. Medicamentum enim curans, affectioni cui adhibetur, proportione nimirum respondere oportet: Ergo si dispositio sit frigida, quatuor numeris à naturali recedēs, curaturum ipsam pharmacum, totidē gradibus mediocri, symmetroue, calidius esse oportere, quis ignorat? Porro cum interim, tale simplex nullum adsit, si duo habeamus, quorum hoc numeris quinque, illud tribus calidius sit, ea si miscuerimus, mediū efficiemus, quatuor numeris symmetrū exuperās. Quibus verbis, ad medium semper interualli, contraria se deducere voluit, vbi æquo pondere decertant. Sic si ex chamæmelo, & rosa, temperatum facere volumus, vtriusque pondus æquale miscemus: ex chamæmelo pariter ac lythargiro, aut ex rosa, & agalocho, dum medium temperamentum, conficere volumus: licet valde impares ad oculum, vtrorumque sint quantitates, æqualia pondera in vnum conijcimus. Quod etiam in compositione temperati in vniuersa substantia, Galenum voluisse (primo libro de temperamentis, cap. 12.) non est dubium: vbi ita scribit: Substantiam medio esse temperamento dicemus, cum pari modo ab extremis abest, quæ scilicet & principia omnium sunt, & elementa. Porro aberit pari modo ab extremis, cum ea continet æqualiter inter se mista. Nam pariter abesse ab extremis, nihil aliud est, quam ad medium peruenire interualli: quod non aliter, quam ex contrarijs, æquo pondere mistis, tam in medicamentis, quam alimentis, & quibusque etiam alijs contrarijs, verum esse oportet. Hinc falsum esse elicimus, quod arbitrantur libram ignis, reliquorum elementorum libras singulas, prorsus debere corrumpere, & in sui naturam conuertere: ad medium enim potius interualli, aut ad aliquanto calidius, propter caloris maiorem efficaciam, se deducent omnium quatuor libræ singulæ, post integram actionem. Nam ante mutuam reactionem, compositum & congeries, ex singulis quatuor elementorū libris, non potest agere in tertiū, nisi iuxta medium interualli: quoniā id compositum contraria continet æquata: Non ergo se corrūpent, sed perinde ac ignis sphæra, decuplo maior, nec aërē, nec alia elementa corrūpit prorsus, vt libro de elemētis tradidimus: ita nec in huius tēperati generatione, cōtingere oportet. Quo enim quidpiā rarius est, ac leuius, eo imbecillius operatur: quo grauius, & densius, vehemētius: pondus autem æquale, vires exæquat, quoniā materiā exibet æqualē: in materia autē æquali, æqualis etiā reperitur qualitatis forma. Huius temperati corporis imaginē, & velut obumbrationē, nobis præparare iubet Galenus,

primo

primo libro de temperamentis cap. 17. miscendo aquæ feruenti, parem modum niuis, aut glaciei: quod enim (inquit) ex ambobus est mistum, pari interuallo ab vtroque extremorum aberit, & eo quod vrit, & eo quod frigore stupefacit. Si terram quoq; (inquit) quæ sicca sit, vel cinerem, vel tale aliquid quod plane sit aridum, pari aquæ modo imbueris, medium in sicci, humidiq́ compositione effeceris. Nihilq́ (inquit) iam erit difficile ei, qui ita mista viderit, ac tetigerit, medium vniuersæ substantiæ, in vtraque oppositione habere, eiusq́ meminisse, pro norma & exemplari, ad quod calida, frigida, humida, ac sicca referat. Quanuis enim veram mistionem perficiēdi, in qua elementa ipsa, tota per tota alterantur, & in vnum temperamentum vniuntur, omnibus elemētorum minimis insidens, solius Dei, vel Naturæ sit munus, attamen appositionem eiusmodi efficere, vt sensum effugiant singula simplicium corporum, non solum naturæ opus, Deiue est, sed etiam nostrum. Quare nobis facultas datur, huiusmodi imaginem, & exemplar, ex aqua feruenti, & glacie, & ex cinere ac aqua, in qua exerceamur præparare, eiusq́ meminisse, vt quando in temperata corpora à Deo, aut natura, creata inciderimus: noscamus ipsa, & eorum quæ ab ea deflectunt, caloris, frigoris, humiditatis, ac siccitatis excessus metiamur. Sed si omne mistum (vt docuit Aristoteles, primo cœli) mouetur ad motum elementi prædominantis: in quo elemento locabitur huiusmodi mistum? suspensum inter aërem & aquam, necessario debere esse, videtur multis: quoniam grauium, & leuium, æqualia pondera suscipit. Dicendum vero, quod ex ratione simplicium componentium, medius locus aëris, & aquæ, sibi conueniret: fit tamen interdum, vt qualitas secunda merito cōpositionis consurgat noua, quæ elementis non inerat: aut auctior reddatur, quæ præerat in elementis: plumbū enim, & aurū, ob id terra, & aqua, cōponentibus, sunt grauiora. Quod si intellexisset curtius, hominis cutē, in medio aëris & aquæ, suapte natura, consistere nō affirmaret, ni (vt inquit) obstarēt partes aliæ, quæ plus terræ habent, quibus ipsa est coniuncta, & obuoluta, à quibus deprimitur, & deorsum simul fertur cum ipsis: auulsa vero, & ab alijs partibus separata, nec temperata est (apud ipsum) nec cutis est, vt quæ mortua sit: quare diuersum natura locum appetet. Contra vero est primo, quod in recens excoriata cute, quāuis vita, & principiorum influxus cessauerint: mistio tamē, ex portionibus elementorum, eadem seruatur, donec putredine dissoluatur, & quodque ad suum remigret elementum, aut denuo in vermem, aut nouum aliud mistum conspiret. Quod si ab initio, eius dissolutionis, & putredinis vim persensit, leuior ex calore ebulliente, & flatus cōcitante, reddatur opportet, more cadauerum, quæ post triduum innatant. Si præterea quandiu cutis est temperata, ex sui natura consistit in medio aëris, & aquæ: fiet vt cor, iecur, & membra cute calidiora, suapte natura sublimius locentur: quod non dicet. Difficile etiam cum hac ponderis elementorum æqualitate, cohærere videtur Aristotelis. 4. libro Metheororum, cap. 4. sententia, vbi ita scribit. Porro ex omni elementorum genere, peculiarissime terræ quidem, siccum: aquæ autem, humidum tribuitur.

" buitur. Eam ob rem omnia ista definita corpora, non sine terra, & aqua consistunt: " sed potentia quoque huius esse videtur, cuius plus habuerit. Quin etiam animan" tes in terra, & aqua solum sunt, in aëre autem, & igni minime: propterea quod " terra & aqua, corporũ materies existunt. Quibus verbis, aquam, & terram, in mistis omnibus cætera voluisse excedere, quibusdam apparet: quoniã materia sunt, ex " quibus corpora constant, vt dicit. Dominiũ etiam & potentia, huius (inquit) esse vi" detur, cuius plus habuerit. Terræ ergo & aquæ (inquiunt) plus est in mistis, & ipsa " cæteris dominantur. Sed hac dictione solum voluit Aristoteles, in misti procreatione, aquam & terram, materiæ vicem obtinere: aërem & ignem, magis vicem actus, quod verum est. Ex quo infert primo, quod terminata corpora, quæ constantiam & soliditatem quandã habent, sine aqua & terra non sunt: quoniam autẽ quædam, plus aquæ quam terræ, alia vero, plus terræ recipiunt, quam aquæ: ideo cuius è duobus plus habuerit, plus quoque virtutis & potentiæ, ex illo habebit. Infert secundo, quod animantes in terra & aqua solum sunt, in aëre autem & igne minime: nam volatilia quæ in aëre, & salamandra quæ in igne degit, ex terra & aqua, vel ex his quæ nascuntur in eis, alimentum desumunt, vt notat Aphrodisiensis in commentario. Ex qua plane sententia, nihil sumere licet, quod æqualitati elementorum, & procreationi eiusmodi temperati ad pondus, repugnet. Est vero temperati ad pondus, maioris æqualitatis significatum aliud, cuius non meminit Galenus, quoniam ipsum reperire, rerum naturæ repugnat. In hoc, non modo calidi, frigidi, humidi, & sicci, desideramus æqualem modum, & intensionem, sed par robur: quod fieri non posse (sed qualitatum primarum naturis pugnare) est quam certissimum. Hæc duo temperata ad pondus, cum autores interstinguere nesciuerint, proprias voces interdum ignorant, & secum etiam pugnantia dicunt. Quod vero huiusmodi temperatum, in quo par calidi, frigidi, humidi, atque sicci, robur seruetur, rerum naturæ repugnet, eo constat: quod calidum est actiuius frigido, & minus ipso resistens, (vt libro de Elementis tradidimus) ergo si vtraque concurrrant ad mistionem, vires agendi habebunt inæquales: quare tantundem, tunc de frigido oportebit addere, vt æquentur potentiæ actiuæ, quantum calidum excedebat agendo: & tantundem de calido, vt æquentur resistiuæ, quantũ calidum inferius est in resistendo, nunquamq; huiusmodi potentiæ coæquari quibunt, vt alterutra in alteram agat æqualiter. Nam quod ad medium interualli contraria peruenire dicebamus: intelligendum est, non de vera actione vnius contrarij, in alterum contrarium: sed de actione compositi ex vtroque contrario, in hominem. Huiusmodi enim actio, fit secundum medium interualli. Altera vero, qua vnum contrarium, alterum conficit: nisi contraria æqualia sint in agendo, & resistendo, ad medium interualli peruenire nequeunt. Nec valet, quod ex mutua elementorum actione, quandoque vincit calor, quandoque frigus, quod idem contingit in passiuis, ergo poterunt inuicem coæquari, & pari robore insigniri, nec vincentes, nec victæ. Non valet

(inquam) nam improportio virium agendi ad resistentias, talis est, vt coæquari nequeant: sed aut excedere, aut excedi. Nec enim ea proportione se excedunt, vt dicere possis, æqualem cladem, frigidum inferre calido, ob minorem calidi vim resistendi, ac ab ipso recipiat calido, ob maiorem efficaciam calidi: sicque vim agendi maiorem in vno, compensari cum vi resistendi minori in altero. Si enim ea proportione se excederent, æquale robur semper seruarent, nec sese conficerent, fieretque mistum ab interno principio incorruptibile: quod nulli conuenit misto, animato, nec inanimi: minus vero nobis, atque animatis omnibus: in quibus calidi efficacia, & agendi vis, adeò excedit efficientiam frigoris, vt semper nos, nostramque cutem, in quacunque ætate conficiat. Nec fere aliter, frigus in nobis vires habet, quam si per efficientiam calidi, absumpto proprio subiecto (humido scilicet, cui calidum insidet) ipsum frigus efflorescat: ita enim frigida senecta, & morte corripimur. Quare quanuis calidum, & frigidum, ad mistionem conuenientia, ea mensura concurrant, & congrediantur, vt in fine actionis, par prorsus, aut minor sit calor, frigore: Calor tamen, tunc erit potentior, tum ob sui naturam suapte sponte efficaciorem, & improportionabiliter frigido minus resistiuam: tum quia forma misti, præsertim animalis, aut plantæ, magis vtitur calido, quantumuis exiguo, ceu instrumento ad suas obeundas functiones, quam frigido: vt capite secũdo, huius tractatus diximus. Accedit, quod si dum æquales gradus sortiuntur calor & frigus, æquum robur assumerent, sic æqualia semper durarent: neuter enim alterum conficere posset: non durãt autem nisi momentum, ob continuitatem motus, quo vnum, alterum necessario corrumpit (vnde indiuisibile id temperamentum, aut momento solum durare, aut cogitatione potius, quam solide consistere, scripsit Galenus, primo libro de sanitate tuenda.) Ergo robur semper ipsis, est inæquale, & nunquam parem efficaciam habebunt. Quare non placet nobis Gaspar Lopez, primo libro de temperamentis, capite quinto, qui contendit temporis spatio, indiuisibile temperatæ cutis temperamentum conseruare, calidioris sanguinis, aut aliorum calfacientium ad ipsam accessu, ne in frigidius labatur. Nam præterquam quod Galeno, primo libro de sanitate tuenda, repugnat, eadem ratione probare posset, tota vita huiusmodi temperamentum seruatum iri: cur enim mense id vno fieri, & non altero: si calidior sanguis, aut calfaciens causa semper accedat, reddere rationem nequibit. Adhæc, aliud est temperamentum cutis: sibi proprium: & aliud aduentitium, ex calore (verbi gratia) Solis, aut Boreæ frigore: illud naturale est, quo proprias sibi functiones cutis exercet: hoc vero, præter naturam aduenit cuti, & nocuum est. Si sanguis ergo calidior, atque feruentior, ad cutem accedit, quam pro natura deberet accedere, plane lædetur cutis, & perinde, ac ex sole temperamentum aduentitium, ac præter naturam, in ipsa sequetur: tantum abest, vt momentanei, & indiuisibilis temperamenti tutelam recipiamus. Quod vero, primo libro de Temperamentis, capite primo, conceptis verbis, æqualitatem

ponderalem

ponderalem adimere videatur Galenus, non obstat, si sane intelligatur: ita enim scriptum reliquit. Constare animalium corpora, ex calidi, frigidi, sicci, humidique mistura, nec esse omnium horum, parem, in temperatura portionem, demonstratum antiquis abundè est, tum philosophorum, tum medicorum præcipuis. Quibus verbis, aut varietatem temperamenti vnius speciei, ab altera intelligit. Aut si æqualitatem ponderalem explodit, non eam, quam eodem libro toties admittit, & commendat: sed hanc postremam, quam rerum naturæ pugnare demonstrauimus, voluit de medio tollere.

Intelligit secundo, voce temperati Galenus, medium quodam in genere aliquo, sub generabili, & corruptibili substantia contento. Sic in gemmarum genere, temperatior est smaragdus, in genere metallorum aurum, sicut in genere animalium, homo. Ad id semper, quod temperato ad pondus magis accedit referentes. Homo enim, ob id leone & ape, est temperatior, quoniam medio temperamento, quod ex pari elementorum spectatur mole, magis accedit.

Tertium temperati significatum, in specie vltima, quæ nullum sub se genus claudit, reperitur: idque temperatum ad iustitiam vocant. Nam cum temperies idonea requiratur, in singulis animalibus, & plantis, ac in partibus illorum, ad actiones edendas pro cuiusque natura: aliam oportuit esse proportionem elementorum in animalibus, quam in plantis, aliam in homine, quam in leone & cane, aliam in corde, quam in epate, & cerebro, sicut hepar & cerebrum, diuersam à reliquorum membrorũ temperie, complexionẽ expetiuit. Neq; enim similem temperaturã habere potuerunt, homo, leo, apis, & canis: cerebrũ, cor, & epar. Sed est in leonũ, canum, & equorum specie, temperatissimum leonem, canem, & equum reperire, in quo ea elementorum symmetria, ac moderatio subest, quæ leonis, canis, aut equi naturæ, maxime conuenit. Cor etiam temperatum dicitur, aut cerebrum, non quod medio temperamento vniuersæ substantiæ, accedit magis: sed quod optime pro sui habet natura. Id autem (aut cor, aut cerebrum, animal, aut vegetale) inter omnia, ac singula indiuidua, temperatissimum est, & pro sui natura optime habet, quod actiones suas edere optime potest, vt capite. 11. primi libri de Temperamentis, scribit Galenus. Ficus enim virtus, bonitasque, est optimos, plurimosque ficcus afferre. Ad eundem modum vitis, plurimas, optimasque vuas pendere. Equi vero, quam velocissime currere. Canis, ad venationes quidem & tutellam, quam animosissimum, & ad domesticos quam mitissimum esse. Fit ergo, vt huiusmodi temperaturæ æqualitas, quæ ad iustitiam est, in omnibus temperatis animalibus, stirpibusque, & ipsorum partibus spectetur, non ex ea quæ ex pari elementorum commistorum mole constat, sed quæ tum animalis, tum stirpis naturæ conuenit. Ea autem cuique naturæ, magis conuenit æqualitas, & operationibus edendis est accommodatior, quæ ab extremis suæ speciei, pari modo distat, vt libro de optimo corporis habitu, Galenus est autor. Canem enim medio tempera-

mento esse omnium canum dicimus, apud Galenum, primo libro de temperamentis, capite. 12. cum pari spatio distat ab extremis: & hominem, cum tantum recedit à bilioso & sanguineo, ex vna parte, quantum à pituitoso & melancholico, ex altera. Cor item, tunc temperatum habemus, cum calidi & frigidi cordis notæ, coëquantur in medio.

Quod medium temperamentum quo ad iustitiam, in homine coincidit, cum medio quo ad vniuersam substantiam, iudicio sensus.

CAP. V.



X nuper dictis temperati significatis, vltimum non modo homini, verum cuique etiam animanti, animantis parti, styrpi, & inanimis etiam corporibus, quæ pro sua natura actiones optime edere possunt, conuenit. Secundum, in omni genere, vni tantum conuenit speciei, & in genere animantiũ soli conuenit homini: hic enim quantumcunque intemperatus sit, reliquis animalibus est temperatior: tum quoniam ex elementis constat valde refractis, & multiplici compositione alteratis, tum ob operationum, quibus homo vacare debet (intellectionis scilicet & scientiæ) perfectionem, quæ temperatissimum, aut instrumentum, aut subiectum poscunt. Accedit & tactus præ cæteris animantibus excellentia, quæ exutum magis ab excellentijs tangibilium hominem esse indicat. Aperto enim errore tenetur Isacius, capite primo, dietarum vniuersalium, testudinem, ad pondus temperatam esse asseuerans. Primo, quoniam nullum animal, est homine, aut temperatius, aut æquè temperatum. Secundo, quoniam testudo aquea est, & omnes homines refrigerat. Primum temperati significatum, illi soli conuenit homini, qui temperatus statuitur ad iustitiam. Quanuis enim temperamentum iustitiale, non requirat æquata contraria, sed tantum de vno quoque accipiat, quantum corporis poscit natura, pro operationibus optimè obeundis: tanta tamen est hominis perfectio, vt ea proportio iustitialis & geometrica, quam pro optimis actionibus perficiendis requirit, incidat in temperamentum aliud ponderale, quod æquata recipit contraria. Ita vt qui in hominis natura, temperatum corpus nouerit ex actionum perfectione, certo sciat, pariter etiã se nouisse temperatum totius substantiæ, ex æqualibus portionibus elementorum constans, & omnium mediocritatem seruans, tum in calido & frigido, humido & sicco, tum etiam in duro molli, aspero leni, gracili & obesso, atque in cæteris omnibus, quæ contrariorum elementorum commistionem æqualem sequuntur. Nam in idem prorsus corpus (quantum ad medicum præsertim conducit) incidant oportet, indicia temperati ad iustitiam, & temperati in vniuersa substantia. Non enim alteratur in actiuis, ab æquali mi-

stura niuis & feruentis aquæ, nec cineris & aquæ sibi æqualis in passiuis, quoniam à simili passio non fit: statim autem, ac mediocritatem eam æqualium contrariorum, alterans causa excessit, iam corpus nostrum immutat: ineuidenter quidem, dum excessus paruus est, & primi gradus: euidens, & quæ conspici possit, in gradu secundo fit alteratio. Iam & nostram naturam euertit gradus tertius. Eam vero, affatim corrumpit quartus. Hinc pendent totius medicæ artis præcepta præcipua, corporis nempe temperati conseruatio, & intemperatorum ad ipsum reductio, ægrotantium curatio, alimentorum & medicamentorum obseruatio, & qualitatum per diuersos gradus, & ordines partitio. Non est autem temperamentum hoc indiuisibile, & punctuale, vt plurimi existimant, sed ad sensum tale, & latitudinem habens non minorem, quam reliqua intemperamenta. Primo, quoniam medicus, artifex est sensualis, & indiuisibilia temperamenta, non cadunt sub sensum. Secundo, quoniam operationum perfectio, ad quæ potissimè in descriptione temperati respicit, non pendet ex aliquo indiuisibili, aut punctuali temperamento, sed latitudinem habet vtrinque, pro exigui excessus, atque defectus ratione. Tertio, nam indiuisibile id, cogitatione potius, quam re ipsa comprehendi, & solidè non consistere, propter ingenitam nobis alterationem, & propter ea quæ nobis occursant, affirmat Galenus, primo libro de sanitate tuenda. Temperatum vero, per omnes ætates durare potest, est enim id corpus, quod salubre simpliciter semper appellauit, primo libro artis medicinalis. Quarto, nam primo de temperamentis, capite. 18. dum temperatum hominem (qui intemperatorum regula esse debet) æstimat, sensibilibus vtitur notis, & medium in vniuersa substantia apparere debere scribit, in

" *hæc verba. Insistentes igitur, hoc loco æstimemus, quis nam sit optime temperatus*
" *homo, quem scilicet, totius substantiæ, vel potius tum hominum, tum reliquorum a-*
" *nimalium medium, veluti regulam, & normam statuẽtes: reliquos omnes huic col-*
" *latos, calidos, frigidos, humidos, siccosq́ dicere oportet. Concurrant ergo in hoc ho-*
" *mine oportet, multæ notæ: quippe & cum vniuersa substantia collatus, medius appa-*
" *rere in ea debet, & magis etiam cum hominibus, & bestijs. Ac medij quidem in vni*
" *uersa substantia, cõmunes notæ dictæ iam sunt, quæ vero in animalium speciebus no*
" *tantur, actionis perfectione, quæ cuiq; sit conueniẽs indicatur. &c.*

Quibus verbis, medium calidi, frigidi, humidi, & sicci, huiusmodi corpus apparere, sensuum indicio voluit: & magis adhuc ad animalia collatus, quam ad vniuersam substantiam. Quod autem magis & minus suscipit, indiuisibile non est. Quinto, nam idem monstrãt imagines corporis tẽperati, quas ex niue, aut glacie, & aqua feruenti: & ex cinere, aut terra, cum aqua æqualiter mistis cõponit. Nam in sumenda quantitate æquali, sensuum iudicium, & arbitrium nostrum est necessarium. Plurimum enim refert, pondere ne vtaris, an mensura: quorũ vtroq; vtitur Galenus. 1. lib. de temperamentis cap. 11. niuis enim libra, multo maiori mole cõstat, quã libra feruẽtis aquæ: quare diuersum tẽperamentum cõsurget, ex mistione æqualium quantitatum, ac ex mistione

æqualium ponderum. Pugillus etiam glaciei, pluris est ponderis, quam niuis pugillus, plusque habet de materia, & de formæ multitudine, quamuis intensio frigoris, in vtraque sit par, formæ enim multitudo, materiæ multitudinẽ sequitur. Frigidius ergo temperamentum consurget, ex mistione glaciei, quam ex mistione tantundem niuis, cum aqua feruenti æquali. Pugillus etiam terræ, plus habet de materia, & de siccitatis forma, quam pugillus cineris, non vnum ergo, & indiuisibile consurget temperamentum, ex permistione alterutrius cum aqua. Prætereo quod in indicando temperato, a quo insigniter non afficimur, sensus facile falli potest. Sexto, nam temperatum in actiuis, tepidum appellamus, & insigni constat latitudine, à frigido nempe in primo, ad calidum in primo. Lini semen enim, & chamæmelum in primo calida, tepida facit. 11. libro Methodi, Galenus. His addit rosaceum, primo ordine frigidum, tertio libro de simplicium medicamentorum facultatibus, capite. 6. & 10. Libro autem tertio, de his quæ in medicatrina, cõment. 33. quod nondum calfacit hominem, tepidum esse definit, quoniam scilicet calido, & frigido dictis interiacet. Septimo, accedit Galeni exemplum, de cithara bene tẽperata, quam alter citharœdus pulsans, aliquid reperit temperandum. Latitudinem enim habet, hæc bene sonantium vocum ratio, ex graui & acuto temperatis consurgens. Non ergo in indiuisibili, consistit essentia temperati, ex calido, frigido, humido, & sicco resultantis: sed quoniam ad neutrum extremorum labitur, latitudinem habet maiorem versus vtrumque extremum, quam intemperata natura, quæ ex lapsu simili statim ægrotat. Octauo, nam salubria simpliciter semper, & salubria simpliciter vt multum corpora, de quibus libro artis medicinalis egit Galenus, temperata sunt: meliori tamen conditione illa tenentur, quoniam puncto medio sunt propiora: hæc vero, ab illorum perfectione quadantenus decidunt, quoniam ad extrema latitudinis vergunt magis. Nono, nam temperati corporis latitudo, quæ ætatibus respondet ingens est, ab infantia enim, in senectam discurrit, temperantiam non violans: quamuis diuersum singulis ætatibus huiusmodi corpus acquirat temperamentum, illæ ætati naturale, & alteræ inutile, ac præter naturam. Indiuisibile autem temperamentum omnium quatuor qualitatum, nulla ætatis parte assequitur: quoniã semen & sanguis, ex quibus homo gignitur, calida sunt, & humida, apud Galenum, primo libro de sanitate tuenda: & puer ex illis genitus, calet & humet: quæ duæ qualitates, non ita progrediuntur, & contemperantur æqualiter, vt simul ad mediocritatem veniant: nam humor quadantenus exsiccatus, in adolescentia ad mediocritatem venit, calore tunc non admodũ mutato: calor vero tardius, ad finem nẽpe iuuentutis contẽperatur, ita vt tricesimo quinto anno, cœperit in frigidius cõmutari, quando iã corpus non parum siccum euasit. Decimo, nam temperatũ vnius clymatis, diuersum est, aliterque dispositum, à temperato alterius clymatis, per assuetudinem quam ex aëre comparauit: ita vt si Sclauus, permutetur ad Indum, aut Indus ad Sclauum, infirmabitur, aut morietur, ex Auicenna & experimen-

to, ingens ergo est latitudo corporis temperati, non autem arcta, atque indiuidua, vt plurimi censent. Vndecimo, nam nec ipsum indiuisibile contemperamentum medium, quod in media ætate acquiritur, vnius semper est modi: aliter enim disponitur, qui hyeme, quam qui æstate, id punctum nanciscitur, quo fit vt vel ipsum indiuisibile, fiat quodammodo diuiduum. Duodecimo, nam si propter momentaneum, & indiuisibile temperamentum, corpus diceretur temperatum, omnes intemperatæ naturæ, essent temperatæ: omnes siquidē à calida, humidaq́ pueritia, in frigidam, siccamq́ senectam profectæ, necessario contemperantur in ætate media: non sunt autem omnes temperatæ, ergo quæ temperatæ sunt, propter temperamentum insignis latitudinis, sunt & dicuntur temperatæ. Decimo tertio, nam Galenus primo libro de temperamentis, capite vltimo, duplici ratione summam æqualitatem calidi, frigidi, humidi, & sicci explorat. Prima ex coalternatione contrariorum membrorum, & humorum, quæ in ipso ita reperiuntur, vt quodque contrarium, suum compar habeat contrarium: quo ex vtroque compositum, temperatum dici queat. Calori enim sanguinis, atque bilis, reluctatur frigus pituitæ, & melancholici succi: humiditati vero sanguinis, & pituitæ, siccitas bilis vtriusque: cordi reluctatur cerebrum: iecori, lien: carni, neruus, ligamentum, os, cartilago, vena, arteria: ita vt summa æqualitas, in vtraque oppositione seruetur, contrariorum membrorum compensatione, & coalternatione. Alteram vero, æqualitatis eiusmodi rationem, in parte vna considerat, cute scilicet: quæ non solum (inquit) omnium hominis partium: sed etiam vniuersæ (omnium quæ generationi, corruptioniq́ subijciuntur) substantiæ media est: ea nec callosa, nec dura, lapideaúe est, sed secundum naturam se habens. Quo scilicet cutis genere, maximè perfectum esse tactum censemus. Ac quod in duritia, & mollitie, medium omnium particularium locum sit sortita, abundè liquet: Quod autem & in calore, & frigore, similiter se habeat, ex eius substantia maximè intelligas licet. Est enim veluti sanguine præditus neruus, qui sit inter neruum & carnem, quiddam planè medium, ac si ex mistis vtrisq; constitueretur. Cæterum neruus omnis, exanguis & frigidus, caro multi sanguinis, & calida: media inter vtrumque est cutis, nec planè exanguis vt neruus, nec sanguine abundans, vt caro. Primam autem rationem, si expendamus, reperiemus non ad exactum & punctuale, æquilibrium, frigida æquari calidis. Inter humores enim, sanguis & bilis, frigidos humores copia vincunt, & qualitatis intensione, & efficacia. Inter præcipua vero membra, cor, iecur, & testes, & spiritus in his contenti, calidiora sunt: quam cerebrum sit frigidum, vt Auicenna aduertit. Cerebrum item & ossa, cartilagines, nerui, membranæ, & reliqua frigida, ex influente à principijs calore calida sunt: ita vt cerebrum sit æstiuo aëre calidius, nudatum enim æstiuo aëri læditur, quia refrigeratur, vt scribit Galenus, octauo libro de vsu partium capite secundo, & tertio. Secunda vero ratio, quæ ex cutis summa temperie pendet, latitudinem eiusce temperiei apprime docet: nam cutis non est vnius modi, sed

quæ in manu est temperantior habetur, magis quæ in eius palma, ut scribitur, secundo libro de temperamentis, cap. 1. adhuc magis quæ in digitis, & quæ in pulpis & extremis digitorum, temperatißima censetur ex Auicenna. Quæ vero vniuersum corpus obtegit, intemperatior est, & quæ caput vestit, durior, ac minus neruosa creata est, vt onera, citra defatigationem, & sensum, vehere poßit. Magnam ergo latitudinem cutis tēperies habet, etiam in corpore temperatißimo. Nec putet quispiā, ex hoc Galeni textu delusus, cutem constare ex neruo & sanguine, aut ex neruo & carne, æqualiter mistis, cum gentile prima primi, de complexione membrorum, ita opinante. Non enim verè constare ex neruo & sanguine, nec ex neruo & carne dixit: sed mediam temperiem, quo ad calorem & frigus attinet, habere inter neruum & sanguinem, aut inter neruum & carnem. Cutis enim similaris est pars, seminaria, & alba, propria quadam sibi substantia, vt cætera constans: quæ neruorum filamenta, araneorum similia, aut paulo craßiora, vt humani capilli, ex substratis sibi partibus, recipit pro sensu, sicut & venas, & arterias, pro nutritione & vita, vt scribit Galenus. 3. libro de anatomicis administrationibus. Latitudo ergo corporis temperati (vt inde quo fluxit oratio non recedamus) ampla est, & latißimè funditur. Quo fit, vt quanuis temperatum hoc, cum temperato in vniuersa substantia, sensuum iudicio coincidat (cum illud re ipsa, & suapte natura debeat esse indiuisibile, & cogitatione potius fingi, quam vltra momentum durare) præcepta medica, de hoc sensibili permanente, & latitudinem habente, sint intelligenda: eiusque comparatione, non autem comparatione ad medium totius substantiæ (quod aut cogitatione fingitur, aut non durat) medicamenta sunt graduanda, vt libro. 3. de simplicium medicamentorum facultatibus, cap 6. scribit Galenus. Nec enim medium in vniuersa substantia, aliter locum habet in hac doctrina, nisi ex suppositione, medicis, & philosophis concessa, quod cutis manus hominis temperati, optimoq́ habitu præditi, est medium totius substantiæ: quidquid enim hac cute est mollius, molle: & quod durius, » durum absolutè appellant, non modo medici, verum etiam Plato & Aristoteles, vt » scribit Galenus. 5. lib. de simpli. med. facul. cap. 3. Quare vtriq; videntur supponere, tactum nostrum esse medium vniuersæ substantiæ. Medium (inquam) prout sensuum iudicio explorare quimus: non autem secundum exactam rei veritatem, quod sola ratio agnoscit, & cogitatio fingit potius, quam solidè consistere queat. Hoc ergo diuisibile, sensibile, permanens, & per ætatum decursum duraturum, vtile est, efficax, & conseruandum. Alterum vero, indiuiduum, non durans, inutile est, & nullius momenti, nisi quatenus in hoc diuiduo, & vtili, clauditur. Ob id Auicenna prima primi, postquam æquale ad pondus, in quo contraria pares vires poßideant, secundum exactam rei veritatem, dixit impoßibile esse, aliquo modo reperiri: recte statuit, hominem temperatum, esse vicinißimum æquali ad pondus. Ob vicinitatem enim, sensuum iuditio, & quatenus medico conducit, medium tenet inter omnia extrema, & non alteratur à mistura æquali, gelidæ, & feruentis

aquæ.

aquæ. Quare non placet expositio quorundam, quod ob id asseritur temperatissimus homo, vicinissimus æqualitati ponderis, quoniam in ipso parum distant, membra calida à frigidis. Contra vero est. Primo, quod non alterari ab aqua feruenti, & glacie, æqualiter mistis, vicinitatem, aut identitatem, totius temperiei, cum temperie ponderali concludit: non autem diuersorum membrorum, vicinitatem inter se. Secundo, quoniam temperatissimus homo, membra habet secundum suam exigentiam temperata: ergo in eo plus distat cerebrum à corde, quam in homine intemperato, cuius cerebrum sit calidum, cor vero frigidum. Nec itẽ placet expositio gentilis, quod sicut æquale ponderis, est medium elementorum, ita temperatissimus homo, est mediũ omnium mistorum. Primo, quoniã non alterari, ab æquali portione niuis, & feruentis aquæ, medium elementorum esse, non autem mistorum concludit. Secundo, quoniam simillimus, aut proportionalis, in hoc, quod est esse medium, dici posset homo tẽperatissimus, æquali ponderis, iuxta suam expositionem: vicinissimus autem nequaquam, siquidem valde distant, apud ipsum, medium elementorum, & medium mistorum, tum gradu, tum etiam perfectione, in eoq́ solo cõueniunt, quod est esse medium. Temperata ergo cõplexio humana, ea est, in qua calor & frigus, humor quoque & siccitas, quæ ex omnium membrorum compensatione consurgunt, in cute, aut æquãtur, aut insensiliter trãsgrediuntur æqualitatem. Aequalitatem autem insensiliter, vno fere gradu, transgredi possũt, nã gradus primus, siue caloris, siue frigoris actualis, iam sensui fit manifestus. Quare temperatam complexionem, quæ vna est, in nouem diuidere cogitatio potest: quarum vna, pares habet omnes qualitates primas: quatuor sequentes, simplicem qualitatem, insensiliter à medio exorbitantẽ habent: sicut & aliæ quatuor, binis qualitatibus insensiliter excedentibus, insigniuntur. Sed quomodo temperatum, sensuum iudicio dicitur, quod sola cute temperatum est, si reliqua membra o[illegible]ia ad tactum, cutis respectu calida habet? Cutim enim calfacit, pars omnis recens detecta, & vlcerata, quantumcumq́ frigida. Et cerebrũ, quod inter omnia membra frigidissimum statuitur, est aëre æstiuo calidius, ab ipsoq́ refrigeratur, & læditur, vt scribit Galenus. 8. libro de Vsu partium. Aër autem æstiuus, cute est multo calidior. An non videtur insanum, corpus id temperatissimum statuere, cuius nulla pars præter cutem est temperata? Ignobilis enim, exiguiq́ momenti pars, est cutis, quæ quanuis vsum nos obtegendi præstet, nullam habet apud Galenum actionem (intellige toti corpori communem, nam priuatas, sibiq́ proprias habet, nutritionem & auctionem, cæterasq́ his seruientes) reliqua vero membra omnia, tam quæ munia, & officia excercent publica, quam quæ priuata, tangenti deprehenduntur calida. Dicendum, quod si nostri corporis membra, diuidantur per classes temperamentorum, frigida æquantur calidis, & sicca humidis, quantum bona cõ coniectura assequi licet, vt constat ex Galeno. 1. lib. de temperamentis, cap. vltimo, & 2. de temperamentis, cap. 8. Nullum est tamen inter frigida membra, quod officium habeat publicum, gignẽdi materiam aliquam frigidam, vniuerso corpori vtilẽ.

Ventriculus enim pituitã gignit acidam, tanquã recrementum suæ coctionis, per intestina expurgandum: cerebrum mucum, per nares, & palatum emungendum. Calida vero membra, nõ sic: officium enim ipsis iniunctum est, gignendi sanguinem, & spiritus, pro totius corporis nutritione, & vita: quorum præsentia, vna quæuis corporis pars, vltra suam temperiem innatam incalescit, temperamento alio influenti, & recepto à iecore, & corde: pariterque infrigidaretur, materia defluente à frigidis, si à natura in id essent destinata. Non sunt ergo plura calida frigidis, sed ex officio calidis iniuncto, gignendi sanguinem, & spiritus calidos, & transmittendi in omnia membra, quæ frigida sunt, actu calent: & eo magis, quo plus sanguinis & spiritus recipiunt. Est enim ea receptio, iusta, non fortuita: sed quantum vniuscuiusq; natura poscit, pro sui nutritione, tutela, & conseruatione, tantũ ipsi de sanguine tribuitur. Quare nõ est, quod quispiã existimet, defluentẽ tẽperiem, ab innata immutari, eã enim, vis quæ influit, potius cõseruat, nutritionis, & vitæ appulsu: quãuis incalescentis sanguinis, & spiritus præsentia, tactui nostro occultetur frigiditas, sic mẽbra omnia intra cutẽ, actu calida sunt. Sic ex abũdantia, aut paucitate sanguinis, cuiusq; mẽbri tẽperiem diiudicat Gal. 2. lib. de temperam. cap. 8. non quoniam sanguis largiatur membris temperiem; potius enim eam suo calore celat, atque occultat: sed quoniam non plus, cuiq; membro sanguinis tribuitur, quam suum poscat temperamẽtum. Cuti ea mensura tribuitur, quæ medio temperamento conseruando, conueniẽs est: quæ minus sanguinis recipiunt frigida sunt, & quo magis exanguia, eo frigidiora: quò vero sanguinea magis, eo calidiora, vt. 2. lib. de temperam. cap. 8. scribit Galenus. Sed cur reliquarum partium frigidiorum, frigiditas natiua celatur, & obtegitur, calore paucioris sanguinis: cutis vero media temperies, non incalescit sanguine aliquanto copiosiore sibi tributo? Dicẽdum, quod huius causa est duplex, Prima, cutis maior à iecore, & corde distantia, & vasorum gracilitasq; tenuitas, cuius ratione sanguinis, & spirituum calor, deferbuit in via. Secunda est, cutis cum aëre comercium: tantum enim ex eo, tum extra, tum per arteriarum oscula admisso refrigeratur, quantum ex sanguine, & spiritu incalescebat: præsertim in parte detecta, vt manu, in qua huiusmodi temperiem, iubet explorare. Hinc Gal. 2. lib. de temp. cap. 1. dum naturas ex tactu cognoscere docet: in frigida natura, postquam frigiditatem præpollentem, tangi debere asseuerauit, admonitionem subiungit his verbis. Frigiditatem autem præpollere, vt in animalis corpore intelligere oportet, eoq; tum sanguineo, tum humido. Quod ita Galenus admonuit, quoniam animalia etiam frigida, in pueritia, adolescentia, & iuuentute, calere possunt, præsertim si sint sanguinea, qualis homo est: quoniam ex sanguine, & spiritu, cutis interdum, incalescere potest, & natiuam (vt & cæterorum membrorum) frigiditatem celare, & obtegere. Quod non intelligens Brachelius, Galenum leuitatis, instabilitatis, & pugnantiæ accusat. Intelligit enim per hæc verba, Galenum voluisse, omnem temperiem humanam, à dominio calidam esse, contra ac paulo ante statuerat: temperatam autem,

& absolute frigidas naturas negasse, dum non absolute, sed vt in animalis corpore frigiditatẽ præpollere, in frigidis naturis, falso interpretatur. Classes autem temperamentorum, omnium nostri corporis partium, quæ totius hominis tẽperamentũ, aut æquale, aut æqualitati proximũ reddunt, quatuor sequentibus capitibus tradũtur.

Omnium quæ in nostro corpore calida sunt, classis ordinatur. CAP. VI.



VTIS media est, calidi, frigidi, humidi, atq; sicci, quoniam nec est exanguis vt os, aut neruus: nec sanguine redundans, vt cor, aut iecur: sed mediam potius naturam nanciscitur, inter neruum exanguem, & carnem sanguineã: inter os siccum, ac durum, & mollissimam, ac humidissimam pinguedinem. Quare ab ea classes ordiri, si à remissiori incipimus, aut si ab intensiori, in ipsam desinere oportet. Quod ipsa est calidius, aut sanguine magis particeps, calidum est: quod frigidius, aut sanguine expertius, frigidum. Pro mensura enim temperamenti, quantitas sanguinis & spiritus, vnicuiq; tribuitur membro: nisi deferens alteri sit, vt vena, atq; arteria, quorum temperies ad sanguinis, atq; spirituũ, quos deferũt proportionem, non est calida: quoniam exiguum sibi, multum vero alijs defert. Quare si venæ, atq; arteriæ nomine, ipsa corpora venarum, atque arteriarum, secundum sui naturam, & elementorum commistionem quam habent intelligamus, frigida sunt, atque sicca, vt Gale. est autor. 1. lib. de temp. cap. 19. vbi postquam partes quasdam « frigidiores ac scciores memorauit, ita scribit. Deinceps membrana, & arteria, & « vena, ipsa scilicet corpora vasorum. Quã ob auditionem Galenus eo addidit, quoniã aliàs vtitur, nomine venæ, atque arteriæ, pro corpore vasorum, non simpliciter, sed pro vt alterata sunt à sanguine, & spiritu in ipsis contento. Quo certe significato, venæ & arteriæ, temperatæ sunt, vt paucis interpositis, idem aduertit Galenus, in « hæc verba. Etiam tunicæ ipsæ, maxime sanguineorum vasorum, arteriarum dico, « & venarum, non solum exangues sunt, sed etiam frigidæ naturæ: contactu tamen « sanguinis calefiunt, atque ad medium temperamenti, statum veniunt. Hæc Galenus. Sed dubium est, quare calorem, aut frigus particulæ, metitur Galenus per sanguinis abundantiam, aut defectum: potius enim per abundantiam, aut defectum spirituum, sanguine calidiorum, temperamentum eiusmodi metiri deberet? Dicendum, quod quoniam spiritus, sensibus nostris non sunt adeo expositi ac sanguis, & præter id, simul cum sanguine ipsi feruntur, per venas, atque arterias, & vtrisq; communes anastomoses, ita vt pars, quæ plurimum recipit sanguinis, eadem etiam plures recipiat spiritus: ideo spiritus ipsos nominare prætermisit, & sanguine notiori, fuit vsus, primo de temperamentis, capite vltimo, & secundo de temperamẽtis, capite octauo: quasi nihil amplius referat, sanguinis, an spiritus, meminisse. Sicut autem, quod

cute

cute est sanguine magis, aut minus particeps, magis quoque calidum est, aut frigidum: ita quod ipsa cute durius est, siccum: & quod mollius, humidum esse in nostro corpore indicatur. Interim enim dum sani sumus, non potest in nobis tantus esse calor, vt sicca eliquet, atque emolliat, neque tantum frigus, vt congelet, atque induret humida. Semper ergo in nostri corporis partibus, mollities atque durities, humiditatem ac siccitatem consequentur, non autem causas alias. Ex his duobus datis principijs, temperamentorum: singularum nostri corporis partium, classes pendent. Magis exangue, inter corporis membra, est os: magis vero sanguine particeps, est aut iecur, aut cor: ad iecur autem, paucæ veniunt arteriæ, quare & pauci spiritus: ad cor vero, caua vena plurimum sanguinem affert, vbi est spirituum officina, & promptuarium. Quare quanuis minus habeat sanguinis, calidius est iecore ob spiritus: quod voluit Gal. primo libro de temperamentis, capite vltimo, vbi ita scribit. Quippe id viscus natura, tum omnium animalis particularum, maxime sanguineum, tum vero calidissimum est. Nam hæc duo simul, maxime sanguineum, & calidissimum esse, soli conuenit cordi: de quo, libro secundo de temperamentis, capite octauo, ita scripsit. Calidior vero non modo his, sed etiam omnibus plane corporis partibus, quod etiam sensu clarè deprehendas licet, in pectoris animalis dissectione, si digitum in sinistrum eius sinum immisseris: inuenies enim locum hunc, omnium quæ in animali sunt, non paulo calidissimum. De iecore vero, quanuis maxime sanguineum, vt pote sanguinis officinam esse, vere dicamus, non tamen dicemus calidissimum esse, nec ingentem in eo feruorem, deprehendi per dissectiones. Dixit autem, cor calidissimum esse, omnium animalis particularum, non autem omnium quæ in corpore sunt, quoniam quanuis sanguis, & spiritus cordis sint corde ipso calidiores, nõ tamẽ sunt membra corporis: sicut nec pituita, quæ osse est frigidior, & adipe humidior: nec pilus, qui est siccior. De istis enim, ad initium vltimi capitis, libri primi de temperamentis, ita scripserat Galenus. Humidissimum, frigidissimumque in corpore, pituita est: calidissimum sanguis, non tamen est perinde humidus, vt pituita. Siccissimum, ac frigidissimum est pilus, minus eo, & frigidum, & siccum est os. Et Auicenna pilum, osse magis siccum esse probat, quoniam si ex pari vtriusque pondere, per cucurbitam destillatoriam, extrahatur humor, paucissimum ex pilo, & multo minus, quam ex osse destillat. Et quoniam os, multa nutrit animalia, pilus vero nulla: nisi verum forte sit, quod quidam produnt, vespertiliones pilis nutriri. Inter omnia ergo, quæ in nostro corpore sunt, calidissimum est sanguis, frigidissimum atque humidissimum pituita, siccissimum pilus. Inter nostri autem corporis partes, calidissimum cor, frigidissimum, ac siccissimum os, humidissimum adeps. Nec adipis humiditati, obstat aliqualis durities ipsius. Hæc enim ex modo substantiæ, pingui & crasso, non autem ex eius siccitate pendet: quod monstrat, tum liquatio facilis in humidam

substan-

substantiam, tum materia ex qua gignitur, pars scilicet sanguinis oleosa, fluxilis, ac pinguis, quæ in frigidum veniens locum, qualis membranarum est, in adipem conuertitur: quæ tamen ne dura quidem est, apud Gal. 2. libro de temperamentis, cap. 8. vbi concludens, ita scribit. Commode igitur dictum veteribus est, humidissimam esse adipem. Nam si membrorum naturam, & consistentiam spectemus, nihil adipe mollius reperiemus: nisi iam ad humores ipsos, qui membra nondum sunt, descendamus. Vnde intelligemus cathalogum Auicennæ, contrariorum membrorum alternatim corpus contemperantium, positum. 1. 1. doct. 3. cap. 1. inelaboratum esse, cum dicit. Frigidorum sicut cerebrum, & humidorum velut hepar. Primo, quoniam ossa diximus esse frigidiora, & adipem omnium humidissimam: quare hæc (velut extreme talia) cum alijs extremis, corde scilicet calidissimo, & osse siccissimo (quæ posuit) essent memoranda. Secundo, quoniam cerebrum est humidius hapate, & humidius quam frigidius. Ex quo etiam, Aristoteles venit reprehendendus, qui. 2. libro de partibus animalium, cap. 7. cerebrum, omnium nostri corporis partium, frigidissimũ statuit: cum tamen sanguinis, prorsus expers non sit, & ingens in ipso spirituũ copia proueniat, & sensus habeat adiacẽtes, sibiq; coniunctos, qui extremo frigore impedirentur. Sed de cerebri temperamento, dicemus mox. Interim de corde, an sit calidissimum inter membra: & de sanguine, an sit calidissimũ omnium, quæ in nostro sunt corpore, nos vocant. Si enim spiritus, est sanguine & corde calidior, quo modo hæc, calidissima dici quibũt? Bilis præterea, calidissima statuitur à Galeno, libro de inæquali intemperie. Qui etiam sanguinẽ temperatum esse voluit. 1. lib. de natura humana, com. 40. Aristoteles insuper, sanguinem frigidum esse voluit. Quin & Galenus ipse, primo libro de temperamentis, capite vltimo, sanguinem, à corde suum accipere calorem testatur. Ista tamen, quæ ad sanguinis attinẽt temperamentum, satis superq; discussa sunt à nobis, cap. 8. de humoribus, quem locum lector adire potest. Nunc vero solum admonere volumus, quod cum Galenus vltimo capite, primi de temperamẽtis, calidissimum omnium, quæ sunt in corpore nostro, sanguinem posuit, noluit ipsum à bile, nec à spiritu seiungere, sed sanguinis massam intellexit, cum spiritu coniunctam, qualis in venis & arterijs semper reperitur, vt libro cui titulus est, An solus sanguis in arterijs contineatur, satis superq; docuit Galenus. Quam cõiunctionem, eodem vltimo capite, primi de temperamentis, volẽs significare: sanguinem à corde, suum accipere calorem testatur: scilicet per spiritus ab ipso prodeuntes, qui sanguini miscentur. Spiritus enim, sanguine non modo sunt calidiores, verum & corde ipso spiritus gignente, vt scribit Auic. 1. 1. doct. 3. cap. 2. & Auerrhous. 2 coll. cap. 2. & 3. & Hippocrates, libro de carnibus, vbi spiritum ex omnibus in homine, maximè calidum esse dixit. Cuius etiam non leue argumentum est, ipsius tenuitas, & mobilitas, & calor qui per animi affectus, ad eius præsentiã, sicut frigus ad absentiam, affatim sequi solet. Nec obstat, quod agens, passo debeat esse præstantius. Item & quod propter vnumquodq; est tale, illud ipsum est magis

tale.

tale. Spiritus autem sunt calidi, propter cordis efficientis, & gignentis calorē, ergo est calidius spiritibus. Dicendum enim primo est, quod cor non gignit spiritum propter solum calorem, sed propter vim vitalem, quæ præcipuum est agens. Spiritus vero genitus, à forma sua, ad maiorem calorem assurgit, quam sit calor gignentis cordis, perinde ac aqua calens, à propria forma refrigeratur: Et exigua scintilla, in stupa, & sulphure, intensiorem ignem accendit: Et medicamentum potestate calidum, à calore nostri corporis, recipit actum quarti gradus, propter inclinationem, & naturam formæ. Dicendum secundo, quod cordis essentia, & nomen, constare non potest, sine spiritibus necessarijs, cordis functionibus obeundis. Non gignit ergo solum corpus cordis, spiritus in corpus mādandos, sed corpus ipsum cordis, cū spiritibus necessarijs, & ad id munus deputatis, huiuscemodi spirituū generationis est autor. Dicendum tertio, quod quanuis totum cor, sit minus calidum spiritibus genitis, habet tamen partes quasdam, ipsis spiritibus calidiores, quibus ceu instrumento accomodato, vtitur ad spirituū generationem. Quare quanuis spiritus sint calidiores, toto corde ipsos gignente: sunt tamen minus calidi, parte ipsius cordis calidiore. Cuius exempla plura, tradit doctissimus Thomas Rodericus à Veiga, Eborensis, vir doctissimus, & quōdam magister noster, libro artis medicinalis, cap. 28. Gelatur enim aqua à frigore continentis, cū tamen in toto aëre, non sentiatur frigiditas par aquæ gelatæ: videlicet inducitur, intensa frigiditas in aquam, à parte aëris vaporosa frigidissima. Sic cadēs pruina ad styrpiū germina, exurit ipsa: quoniā vapor plātæ acceruatus, nec dissolutus, præ densitate externa, producit calorem intensum, vrentem plantam: videlicet parte ignea, in vapore contenta, intense calēte vt deurat. Idem hoc efficit, vapor mitis in pernione contentus. Vapor etiam contentus, in aceruo tritici non ventilati, putrefacit & vrit triticum. Idem efficit calor moderatus membrorum, circundans humorem, & putrefaciens illum, febremq́ inducens: non temperie totius membri circundantis, nec continentis aëris, quem accidit frigere per hyemem: sed parte ignea vaporis occupante, & putrefaciente humorem. Exempla alia posuimus libro de elementis, capite de reactione, de antiparistasi agentes: quanuis enim, quod per antiparistasim intenditur, se ipso toto reddatur intensius, parte tamē intensiori intro recurrēte, necessario fit remissius. Et citra antiparistasim, fere semper cōtinget, vbi agens est dissimilare, effectum esse intensiorem toto agente, & remissiorem parte agentis intensissima, quæ vires suas in passum exercet, ipsumq́ sibi assimilare studet. Sed quo modo spiritus calidissimi sunt, si temperati & ad vnguem in caliditate symmetri, statuuntur à Galeno, lib. 5. simplicium, cap. 8? Dicendum, quod quanuis sint calidissimi, cutis comparatione, sunt tamen symmetri, & tēperati ad iustitiam, in ordine ad suas functiones. Quoniam naturæ opera perficiuntur, abundantia spiritus, & innati caloris, bene & ad vnguem in caliditate temperati: idest naturam, & temperiem suam, exactam seruantis. Plus enim facere ad coctionem, & omnes naturales functiones, innati caloris, & spiritus suam temperiem

riem seruantis abundantiam, quã intensio, & acritudo, eo loco docet Galenus, argumento pueritiæ, in qua melius, quam in iuuentute calidiori & acriori, eiusmodi functiones obeuntur. Quod & Hippocrates nos docuit, primo Aphor. sententia. 15. dicens. Inditio sunt ætates & athletæ. Et Galenus, in commentario, hyeme, & vere ventres esse calidissimos, non simpliciter, sed calido naturali adstruxit. Non quoniam calidum id natiuum, in ordine ad cutim, ad calorem non declinet, id enim contra sensum esset: sed quoniam huiusmodi excessus caloris, ad coctiones, & naturæ opera vtilis, nõ est attẽdẽdus penes augmentũ qualitatis, sed iuxta augmentũ substãtiæ calidæ: nam quo ad qualitatẽ attinet, calidior est venter æstatis tempore, paucissimũ tamen tũc habet de substantia calida: ob idq́ naturæ operibus, minus est accõmodus. Diuersam enim esse operationem, calidi innati, ab operatione calidi simpliciter, etiam Aristoteles agnouit libro de respiratione, de longitudine, & breuitate vitæ, & libello de morte & vita: vt eodem quinto simplicium, capite. 8 ex Aristotele citat Galenus. Quomodo autem cor est calidissimum, si nutritur sanguine crasso, & spisso, vt scribit Galenus, sexto libro de Vsu partium, cap. 17? si præterea producit aquam, quæ iuxta cor inuenitur coaceruata? Si in cibis præterea sumptum, coctu contumax est, & in melancholicum succum vertitur? Dicendum, quod crasso & spisso alitur sanguine: non tamen frigido, sed calidissimo. Proportione enim debet respondere, alimentum membro alendo: est autem cor crassum, & fibrosum, ob robur quo indiguit, ad validas & perpetuas motiones obeundas: Crasso ergo indiguit alimento, præsertim parte externa, quæ nutritur è vena coronali, quæ à caua oritur, ante ingressum cordis, ne sanguinem calore cordis tenuatum, eo ferat. Pars vero intima cordis, ex sanguine nutritur tenuiori, & elaboratiori, è cordis sinibus sibi proximis attracto, non enim eo fertur vena coronalis, sed in parte extima fuit exhausta. Crasso ergo sanguine, nutritur pars extima cordis, & minus crasso, intima: vtroq́ tamen admodum calido, vt proportio semper alimenti, ad alendam partẽ seruetur. Aqua vero circum cor gignitur, ex vapore sanguinis, & spirituũ, ad pericardion tunicam accedentem: cui aut ea vis data est, propter eius aquæ, cor ipsum rorantis vsum: aut sufficit ipsius tunicæ densitas, ac frigiditas, perinde ac ollæ operculum, aut destillatorij instrumenti caput. Cor vero mortui animalis, æthereas, spiritales, igneasq́ue partes amisit, ita vt melancholici succi esse, absonum non sit: perinde ac sanguis, à quo spiritus expirauit: & cutis, quæ quãuis viuens, esset temperata: in cibis sumpta, vitiosum succum exhibet. Calidissimũ ergo in corpore, est spiritus, vt scribit Auic. 1. 1. doct. 3. cap. 2. cuius, nõ meminit Galenus, tũ quoniã sensui occulta non memorabat, tũ quoniã cum sanguine permiscetur, de quo egit. Secundũ locũ tenet sanguis, plurimo scilicet spiritu refertus, ex Gal. 1. lib. de temper. cap. vlt. qui in cordis maxime sinibus reperitur. Tertio sequitur cor, est enim calidissimum inter membra, vt diximus. Deinceps est sanguis venarũ, & arteriarũ corporis: quanuis enim iecur, sanguinem gignens, calidius suapte natura sit, ipso sanguine genito: sanguis

guis tamen arteriarum, & cordis cōmercio, hepate ipsum gignente redditur calidior, vt notat Auicenna. Nec contrarium sentit Galenus .1. lib. de temperamentis, cap. vltimo, iecur cordi proximum ponens: natiuum enim temperamentum, non autem à corde accitum considerat. Post sanguinem ergo in arterijs & venis cum spiritu, & influxu cordis coniunctum: iecur statuendum est. Quod etiam ipsius (apud Auicennam) monstrat iecoris substantia: est enim (inquit) velut sanguis congelatus. Ge- " latur namq; sanguis, spiritu quem à corde accipit exprascente, & in substantiam iocinori valde similem transmutatur. At vide ne iecur, frigore congelatum sanguinē appelles: sic enim grumus esset, & putresceret, naturæq; viribus, non esset insignitū: quod vt significaret Auicēna, veluti congelatū esse dixit, nō enim à frigore, nec spirituū absentia cōcreuit: sed spirituū, & calidi innati beneficio, à vi formatrice, ex purissimo sanguine, illuc summo artificio effuso, atque congesto, in substantiā quā habet concernitur, & summis naturæ viribus insignitur. Post iecur vsque ad cutē, nihil est præter bilem, valde calidum in nostro corpore, sed omnia sunt caloris moderati, & velut temperati. Bilis autem calidissima est, libro de inæquali intemperie, & .2. lib. de temperamentis, cap. 4. autore Galeno. Calidior (inquam) sanguine, in ratione alimenti, excrementi, & medicamenti, vt libro de Humoribus, cap. 9. probauimus: calidior etiam iecore, à quo, bilis gignitur se ipso calidior, non secus ac spiritus calidiores, à corde gigni tradidimus: quoniam scilicet pars ignea alimenti, quæ in bilem vertitur, ob inclinationem, à propria forma incalescit amplius, & ad vlteriorem caloris gradum assurgit. Quomodo ergo, si bilis est sanguine calidior, non numeratur à Galeno, neq; ab Auicenna, in classe calidorum? Quo modo item, si bilis est calidissima in triplici dicta ratione, alimenti, medicamenti, & excrementi, non pugnabit sibi ipsi Galenus, sanguinem statuens calidissimum, omnium quæ sunt in corpore nostro? Dicendum, quod bilē nomine sanguinis, in classe calidorum, voluit comprehendere, est enim sanguinis, velut flos, aut spuma. Sanguinem etiam .1. lib. de temperamentis, cap. vlt. calidissimum esse, non simpliciter intellexit, sed naturali calore: non secus ac Hippocrates, dum ventres hyeme, & vere, natura calidissimos esse dixit. Similiter enim, de sanguine loquutum fuisse Galenum, manifestum facit locus alter, secundi libri de temperamētis, cap. 3. vbi sic scriptum reliquit. Alteri namque " ex eo, quod sanguinis humor, omnium quæ in animalis habentur corpore, calidissi- " mum natura sit, &c. Reliqua autem in corpore, quæ iecore minorē calorem sortiuntur, moderata esse, eo constat: quod sanguis iuxta suam naturam, prout iecoris est effectus (sine cordis inquā spiritu, atque calore cōsideratus) modice calet, siue de quarta sanguinis substantia, siue de sanguinea massa loquamur, vt luculenter dictum à nobis est, libro de humoribus, capite. 8. Caro etiam, quæ è sanguine fit, calorem habet, non valde excedentem, quod voluit Galenus, primo libro de temperamētis, cap. vlt. in hæc verba. Iam vero caro, humidior cute est, eadem tamen calidior. Si enim " admodum calida esset, per excessum ad membrum aliud calidum, id significasset, non

per

per excessum ad cutem temperatã. Quanuis tamen caro, valde calida non sit: immodicus fuit Auic. 1. 1. doct. 3. ca. 1. in eius tẽperie exprimẽda, sic enim eo loci reperitur
" scriptum, vbi de æquali ad pondus, mentionẽ habet. Immo oportet vt scias, quod ca-
" ro, est membrum, illæ æqualitati magis propinquum, quam cætera membra: cutis ta-
" men, carne propinquior est, quasi enim non patitur, ab aqua æqualiter temperata, cu
" ius medietas sit nix, & altera medietas sit aqua feruens. Hæc Auicẽna. At inter carnem, & cutem, multa sunt mẽbra, carne minus calida, & cute calidiora, vel ipsomet referente, cap. 2. vbi post carnem, memorat splen, & deinde renes: splen autẽ calidum esse constat, tum quia carnosum est, genere quodam carnis simplicis naturæ, quam prisci parenchima, idest affusionem vocãt (vt scribit Gal. 2. lib. de temperam. cap. 8.) quæ calida est: tum quia plurimis arterijs constat, quarum ratione, non modo carne, verum & iecore, calidius euaderet (nisi sanguinis, limum, aut fecem, melancholiã vocatã, quæ frigida est reciperet, à qua refrigeratur) paucas enim, simulq; exiguas arterias, iecur recipit, vt docte admodũ docet Gal. 4. lib de Vsu partium. Quare Auerrhous. 2. coll. male imponit Galeno, quod asserat multas arterias in eo. Sed cur lieni membro calido, & spirituoso, crassum, & frigidum alimentũ, parauit natura? Dicendũ, quod natura opus habuit, membro sanguinis limum validè repurgante, & attrahente, ad quod substantiæ similitudo, plurimũ facit: ex duobus autem similibus, quod calidius est, vehementius trahit reliquũ, vt. 3. lib. simplic. cap. 25 scribit Gal. Vt ergo splen, validè repurgaret iecur, opus habuit calore, tum propriè carnis, tum arteriarum, quarum beneficio, crassus, & fæculentus sanguis, tenuatur, verberatur, ac coquitur: ex eiusq; tenuiori, & magis elaborata parte, tenui scilicet, & nigricante, nutritur, apud Gal. 4. lib. de Vsu partium, cap. 15. craßiorem vero melancholiam, ad alios vsus, in ventriculum eructat, vt libro de Humoribus, cap. 29. dictum est à nobis. Renes, splene sunt minus calidi, calore enim indiguerũt ad tractum: mediocri autem, quoniam is non debuit esse immodicus, sed proportione potui respondens. Ob id, carne constant simplicis naturæ, renum vasis affusa. Ob id etiã, nõ plus sanguinis recipiunt, quã pro nutritione opus habeãt: nec enim ex eis, alia membra nutriuntur, vt in praxi nostra, capite de renum imbecillitate, aduersus Auic. 1g. 3. tract. 2. cap. 21. notamus. Post renes, in censu calidorum posuit Auicẽna arterias, & vltimo venas, non simpliciter, sed quatenus ipsarum corpora frigida, atque sicca, spirituum & sanguinis contactu, ad mediocritatem, cutis mediocritati finitimam veniunt, vt supra etiam ex Galeno monuimus. Venarum quoq;, & arteriarum corpora, præter sanguinem, & spiritum, carnem habẽt calidam, fibras opplẽtem, qua nonnihil contemperantur, vt. 2. lib. de temperamentis, cap. 8. Galenus scri-
" bit, in hæc verba. Cæterum non est idem fibrarum genus, sed quæ in musculis ha-
" bentur, neruorum, & ligamentorum sunt particulæ. Cordis propria quædam
" fibrarum est species, æquè scilicet, vt venarum tunicæ, atque arteriarum: Item-
" que intestinorum, ventriculi, vteri, & vesicæ vtriusque: licet enim in his quoque

instrumentis, propriam quandam videre carnem, suis ipsorum fibris circumnascentem. Atq́ hæ quidem carnes cute sunt calidiores: fibræ vero quam cutis, partim paulo magis, partim paulo minus, tum frigidæ, tum siccæ sunt: partim similes omnino cutis substantiæ. Hæc Galenus. Quibus patet, in qualibet è partibus memoratis, simplicem illam carnem reperiri, quæ calida est in omnibus. Fibræ etiam in omnibus reperiũtur, sed non eiusdem tẽperamenti, quædam enim ex ipsis, cute sunt frigidiores, aliæ calidiores, & aliæ temperatæ, similem cuti substantiam habentes. Ex quo ego loco infero, ventriculũ, & vterũ, ex innata temperie, merito partium componentiũ calere, non autem frigere, vt omnes existimant. Nam partes quæ constant fibris tẽperatis, aut paulo minus frigidis quam sit cutis, & carne calida, necessario sunt calidæ: ex omnibus autem partibus, quæ hoc loco memorãtur, nullam reperies, quæ apertè frigida nõ sit, præter ventriculũ & vterũ: hæc ergo ex Galeno calida sunt, & tũ carne, tum fibris, constãt calidis. Nec aliud chilificando, aut gignendo conueniens fuit tẽperamentum. Intestina quoq;, aut sunt temperata, aut paulo à temperamento deflectunt, vt pote fibris constantia, aut temperatis, aut paulo frigidioribus, quam sit cutis: quare chilificando, non prorsus sunt inidonea. Pulmo in classe calidorũ, male prætermissus esset, nisi ordinem humidorũ tradens Auicẽna, aduertisset sanguine nutriri calidissimo, vt pote plurimo sanguine arteriali, in corde præcalfacto, tenuato, ac velut spumescẽte, vt. 4. lib. de Vsu part. cap. 15. scribit Gal. & apertius. 6. de Vsu part. cap. 10. vbi vnumquodq́ mẽbrum, alimento sibi simili nutriri asseuerat: ob idq; cum nulla reperiatur particula, rara adeo, leuis, & spirituosa, ac pulmo: nulla etiam (inquit) reperitur, quæ sanguine ita puro, & tenui, & vaporoso nutriatur. Indiguit multo, quia viscus est adeo calidũ, crebrisq́, ac perpetuis motibus præditũ, cui paucũ nõ sufficiebat. Qua etiã de causa, vasa magna, atq; densa, sibi impertiuit natura: densa quidem, vt tenuissimum percolarent, magna vero, vt magnitudine densitatem compensarent. Fuit etiam necessum, membrum quod perpetuo, aëre refrigerãte erat verberandũ, calidũ, non autem frigidum formari: ne simili lapsu offenderetur facile, ne ve aliqualis aëri externo præparatio deesset, ante cor.

Ea quæ in nostro corpore sunt frigida, ordinatim traduntur. *CAP. VII.*



Frigidius quod est in corpore, est pituita, apud Gal. 1. lib. de temperamẽtis, cap. vlt. Quãuis enim, sanguis sit initiatus (apud Auicennam) non tamen id nomẽ obtinuit, ob vicinitatẽ temperamẽti, sed quia coctione in sanguinẽ cõmutatur. Ob idq; non parauit illi natura mẽbrũ, quod illã emũdaret, vt vesicã felleã, ad bilẽ: & lienẽ, ad melancholiã: & renes, ad serũ. Postea pili sequuntur, nam absolute minus frigidi sũt, quã pituita: quãuis inter sicca, sint frigidissimi, apud Gal.

1. lib.

1.lib. de Temp.cap.vlt. vbi pilum frigidißimum, siccißimumq́ esse scribit, & minus eo frigidum, atque siccum esse os. Quod tamen parum mihi arridet, nam materia pilorum, apud Gal.2.lib.de Temper.cap.10. vapor est fuliginosus, in cutis meatu, vnus super alium impactus, vnum huiusmodi efficiens corpus, qualis est ea, quæ foris cernitur fuligo: eo tantum differens, quod in pilo, quantum inspissatum est, tantum etiam per transitus angustiam stipatum, in angustam prorsus redactum est formam. Vbi autem tale corpus, totũ obstruxerit meatum, deinceps iam violenter ictũ, à similibus sui, quibus exitus non est excrementis, totum interim propellitur, adeo vt cute exire cogatur, iam lori formam adeptũ. Hæc Galenus. Ex quibus liquido patet, pilũ valde frigere nõ posse: siquidẽ fuligo vsta, valdeq́ stipata est. Ideo etiã calidæ naturæ, sunt hirsutæ: frigidæ vero, glabræ: vt ibidẽ scribit Galenus. Pili præterea, caput calefaciunt, & tõsura nos infrigidat: & sacculi ex pilis, aut plumis animaliũ, frigidum ventriculũ iuuant: & vestes pelliceæ, nõ modo frigus arcent, verum insigniter nos calefaciũt. Quare ex his quæ in corpore sunt, frigidißimum est pituita, deinde os. Primo quia valde terreum, & velut terra ipsa est, apud Gal.1.de elementis. Secundo, quia valde durũ, & ob duritiẽ, parum à sanguine, & spiritu calfaciẽtibus penetrabile. Sequitur cartilago, quæ quãto mollior est, minus terræ habet, & spiritui, ac sanguini, magis est peruia: ob idq́ medullam ipsi, vt oßibus non parauit natura, quoniã melius ex vicinis sibi partibus potest ali. Non enim, quia ossa medullã habent calidã, sunt calidiora cartilagine medulla carente: sed ob id cartilago, medulla caret, quia terrea, dura, et frigida est minus, & spiritui, ac sanguini alituro, peruia magis. Ligamẽtum deinceps sequitur, est enim minus frigidum cartilagine, quãuis ab osse exoriatur, cartilagine frigidiori. Plus enim potest, mollities maior ligamẽti, & natura minus terrea, spiritus, & sanguis, quibus magis fruitur, ad calorẽ præstandũ, quã os ad infrigidandũ suum exortũ: præsertim, quod ligamentũ nõ oritur ex oßis materia: sed oßi adnascitur, ex materia, & sibi peculiari substantia. Post ligamentum sequitur tendo, minus eo frigidus existens, tum quoniã à musculo oritur calidiori, tũ etiam quoniã ligamento, atq́ neruo constat. Quod autẽ constat neruo, & ligamento, minus quam solum ligamentum frigere debet: quoniam neruus minus friget, quã ligamentũ, ob spiritus quos à cerebro suscipit, ad motum, & sensum. Tẽdonem sequitur (apud Auicennam) panniculus, aut membrana, & post membranam neruus: Dixitq́ue eodem capite, quod hic est ordo, quo Galenus disposuit ea. Male tamen hac in parte, Galeni mentem, fuit assequutus: quoniã in catalogo siccorum, membranam, præposuit Galenus, non in catalogo frigidorum. Ita enim scribit, primo libro de Temperamentis, capite vltimo. Siccißimum, ac frigidißimum est pilus, minus eo, & frigidum, & siccum est os, hoc vero minus siccum, est cartilago, proxime hanc sequitur ligamentum, & quem Græci composito nomine χονδροσύνδεσμον idest, cartilagineũ ligamẽtũ vocãt. Post hũc tẽdo, deinceps mẽbrana, & arteria, & vena, ipsa scilicet corpora vasorũ, succedũt deinde nerui. &c. Quibus verbis

constat in ordine siccorum, mebranas præposuisse neruis, non in ordine frigidorum: membranarũ namq; plurimæ, venas, & arterias plures recipiunt, vt menynges, pleura, mediastinũ, & capsula cordis: quarũ ratione, calidiores debẽt esse, neruis exãguibus. De neruo enim, ibidẽ dixit Galenus, quod tantum ei deficit de calore, quantũ de sanguine. In quo etiã est dubitatio; nam si tantũ deficit neruo de calore, quãtũ de sanguine, cũ neruus omnis prorsus sit exãguis: fiet vt prorsus frigeat, primũq; locũ, in catalogo frigidorũ, tenere debeat. Dubitationẽ auget, quod ad initium eiusdẽ capitis, cutẽ temperatã fecerat, quoniã media est, inter neruum, & carnem: illũ quidẽ frigidũ, & sanguinis expertẽ, hanc verò multi sanguinis & calidã: ergo neruũ extreme frigidũ esse cẽsuit, siquidẽ cutẽ, inter ea extrema exactè mediã esse cõcludit. Dicendum vero, quod neruus, sanguinis cõspicui, prorsus est expers, nihil enim rubri in eo conspicimus: incõspicui verò sanguinis, ex quo omnia mẽbra aluntur, nõ est prorsus expers, pluri enim sanguine fruitur, quã os, & cartilago, & ligamentum. Accedit, quod spiritũ recipit à cerebro, quo incalescit: spiritum autẽ, sanguinis nomine, interdum Galenũ cõprehendisse, diximus superius. Cutim vero, ob id exactè mediam, extremi calidi & frigidi esse cẽsuit, quoniã media est inter neruũ & carnẽ: neruus enim, à summo frigido, pari interuallo distat, ac caro ab extremo calido. Nõ sunt autem omnes nerui, æque frigidi: sed duri calidiores, ob maiorẽ spirituũ copiam, motui quã sensui necessariã: natura enim, pro vsus ratione spiritũ impertit: alioqui molles, nerui melius sãgui e frui possẽt. Post neruũ, sequitur spinalis medulla, sicut post banc cerebrũ, à quo tã medulla spinalis, quã nerui exoriuntur. Cũ enim calor membrorũ, ex spiritibus metiri debeat, hi autẽ in cerebro, tãquã in origine, magis debeãt abundare, deinde in exorto origini propiori: fit vt nerui, qui ab spina oriuntur, merito frigidiores habeantur, deinde medulla, & vltimo cerebrum, in quo animaliũ spirituum fons est. Quod respiciens Gal. 2. de temp. cap. 8. ita scribit. Est tamẽ humidius, ac calidius cerebrum, quã spinalis medulla, &c. Nec cõtrariũ est, quod scribit Gal. 3. lib. de alim. fac. cap. 9. Est porrò spinalis medulla, cerebro continua, ac eiusdẽ cum eo naturæ, nisi quod ipso multo est durior, potissimum in infernis spinæ finibus. Per hoc enim, quod est eiusdem esse naturæ, vtriq; frigiditatem, ac humiditatem cõmunẽ, & naturã proinde pituitosam, voluit intelligere, quanuis cerebrũ, minus ipsa spinali frigeat medulla. Aut dicendũ, quod in lib. de alimentorũ facultatibus, agit de cerebro, & spinali medulla demortui animalis, nimirũ prout nostrũ alimẽtũ est, quo vescimur: sic autẽ nõ magis friget medulla spinalis, cerebro: euanuit enim, è cerebro spiritus, euanuerunt calidi vapores, ab imo corpore ascendentes, & refriguit sanguis, ita vt tantundẽ iam frigeat cerebrum, ac spina. Quare maximo in errore, versatur Arist. 2. lib. de part. anim. cap. 7. tum quoniam spinalem medullam, affirmat esse calidam, & à natura vt excalfaciat cerebrum, fuisse creatam: tum quoniam cerebrũ, omnium corporis partium, frigidissimam esse censet. In primum errorem lapsus est, quoniam spinalem medullã, re vera medullã esse existimauit, more aliarũ medullarum,

rum, quæ in oßibus habentur: quæ cum calidæ sint, ipsam quoq; calere existimauit. Indecẽs autẽ, atq; impoßibile fuit ratus, ex mẽbro frigidißimo, quale apud ipsum est cerebrum, partem calidam, qualis (inquit) spinalis medulla est, nasci posse. Quoniã autem ob continuitatem, quã cum cerebro habet, à cerebro nasci videbatur multis, ideo cerebro continuam extitisse affirmat, nõ quoniã è cerebro exoriatur, sed quoniã huiusmodi cõtinuitate fuit opus, vt cerebri vehemẽs frigus, ipsius spinalis medullæ calore tẽperaretur. Quæ sane sunt quã absurdißima. Primo, quoniã (vt aduertit Gal. lib. 3. de alim. facult. cap. 9.) spinalẽ medullã, perperam appellarunt medullã, cum medulla, nõ modo spinali hac, verũ et cerebro ipso, sit humidior, ac mollior, et pinguior. Quòd vero in spinæ oßibus cõtineatur, colorẽq; habeat medullæ adsimilem, ob id ipsam medullã nominarũt. Quo etiã nomine, quidã ipsum quoq; cerebrum vocitarũt. Secundo, quoniã duabus obuoluitur menyngibus, vt cerebrum ipsum, quod tñ nulli conuenit medullæ. Tertio, quoniã coctione, nõ liquescit vt medulla, sed durior vt cerebrũ (cuius ipsa naturã seruat) redditur, vt aduersus Arist. notat Auerr. 2. lib. coll. cap. 3. Accedit, quod si cerebrũ, à medulla tẽperaretur, non posset cor temperare, in quod solũ, membrorũ omnium frigidißimum, fuit à natura creatum, vt voluit Aristoteles. Quod vero cerebrũ, non modo nõ sit omniũ partium frigidißima, sed ipsa etiã spinali medulla, minus frigidum: constat primo, quia in cerebro, magni vẽtres habẽtur, spiritu animali pleni, quibus caret spinalis medulla. Secundo, quia ob situm rectũ, recipit vapores calidos, à toto ascendentes, quos recipere nõ potest medulla spinalis. Tertio, quia continetur, & intus diuiditur, à tenui menynge, venas, & arterias, & magnũ calorẽ habente. Sed an dicti vapores, spiritus, & sanguis, quibus cerebrum abundat, reddant ipsum in ordine ad cutim calidum, est dubiũ. Nam tactus est rectus iudex, calidi & frigidi, autore Gal. 2. de Temp. cap. 8. quouis autem tẽpore (vt Gal. scribit. 8. lib. de Vsu part.) cerebrũ, multo calidius aëre inuenitur, siue ruptum alicuius caput, manibus curemus, siue etiã experiẽdi gratia, animali cuiuis, craniõ exciderimus: deinde menyngibus discißis, tãgere voluerimus. Calidũ ergo est cerebrũ in ordine ad cutim. Adhæc aër æstiuus, cute nostra est calidior, & nos sudare facit: cerebrũ autẽ, est calidius aëre æstiuo, ad ipsum enim nudatũ, refrigeratur, et valde læditur. Quo enim pacto (inquit Galenus) cerebrũ aëre nõ est calidius, cui certe lethale est, si æque, ac aër refrigeretur. Cõsequẽs ergo est, vt cerebrũ sit calidius cute. Contra vero Galenus, & Auicenna, statuunt ipsum, in ordine frigidorũ, vt diximus. Cui dubitationi dicendum est, quod ex temperamento innato, & elementorum commistione, frigidum est cerebrum, & in classe frigidorum, post medullam spinalem locandum, vt diximus: est enim aqueæ & terreæ naturæ (vt docuit Aristoteles) quibus frigus est commune. Ex temperamento autem influente à corde, & ex calidis vaporibus, quos recipit à toto corpore, & ex coalternatione calidorum membrorũ, sibi vicinorũ, ad calidum inclinat, vt. 8. libro de Vsu partium concludit Galenus. Ita enim (aduersus Aristotelis sectatores, qui cerebrum ab aëre æstiuo

refrigerari, ac lædi, non propter cerebrum, sed propter refrigeratas membranas, præsertim tenuem, quæ plurimas in se ipsa, venas & arterias cõtinet, semperq; tota pulsat, id quod nequaquam, absq; feruente caliditate efficitur) eo loco scribit. Atqui ô generosissimi, tenuem menynga calidam esse confitẽtes, audetis adhuc cerebrum pronuntiare frigidũ, quod ab ea prorsum, ita contegitur, vt nulla ipsius inueniatur particula, quæ membrana hac careat? An hoc quoq; ignoratis, existimatisq;, cerebrum duntaxat ab ea contineri, non autem succingi, ac omnino intus diuidi? Quibus verbis, ob vicinitatem tenuis menyngis, quæ cerebrum obuoluit, & intersipit, cerebrum calere docet. Quod etiam reliquis partibus natura frigidis, & ipso etiã cerebro frigidioribus contingit: nullũ siquidẽ, aut os, aut cartilago, ligamẽtum, tendo, membrana, aut neruus, in corpore est: quod non actu caleat, ob sanguinem, & spiritum, quibus aluntur, & seruantur, innatæ ipsorum temperaturæ. Tantum enim abest, vt cor in suo genere temperatum, per spiritus irradiationem, & natiuum quem transmittit calorem, immutet innatas membrorum temperies, quod sine illius influxu, atque beneficio, nequeunt seruari, vt autor est Gal. 5. lib. de locis affectis. Membra enim frigida, temperamento innato, suas functiones operantur, non temperamento influente: innatum tamen temperamentum, sine influente, seruari nequit. Nam si cerebrum (verbi gratia) aut ventriculus nutriendus est, in substantiam sibi similem, & talem, qualem vnumquodque ipsorum est, debet alimentum transmutare: hoc autem per aliud, quam per natiuam commistionem, & temperiem innatam, sibi simile operantem, fieri nequit: accita enim, & aliunde fluens, dissimilis est. Exemplo sit sol, qui omnibus plantis seruandis, tam frigidis, quam calidis, pernecessarius est, ipsæ autẽ plantæ, suis temperamentis vsæ, nutriuntur & augentur: nec enim sol, nec quicquam aliud externum, ipsas enutrit. Ita cor, in nostro corpore, velut quidam est sol, contrariorum membrorum temperaturas per temperamentum aliud influens, seruans: ipsæ autem sic seruatæ temperaturæ, operantur, & munia obeunt sua: non autẽ temperamentum, quod influxit. Sic sane cerebrum, quanuis ad tactum caleat, alimẽtum, in cerebrum (sibi similem commistionem, & frigidam, ac pituitosam naturam habentem) conuertit: vapores etiam calidos, refrigerat, atque condensat: è quibus somnus nascitur, & interdum frigidæ destillationes: sanguinem etiam, & spiritus temperat, atque refrigerat, ne palpitantes, moti, & feruentes, sensationibus quietis sint impedimento: inquietas vero, & turbulentas promoueant. In cathalogo frigidorum, post cerebrum, memorat Auicenna, adipem, & pinguedinem vltimo loco. In quo dupliciter peccat. Primo, quoniam præter adipem, in homine, nullam pinguedinem agnouit Galenus. Est sane adeps, medius inter pinguedinem & seuum: animalia humidiora (vt sus) pinguedinẽ gignunt, quæ celeriter ob humiditatẽ, in ignem posita liquescit, nec facile vbi liquata fuerit, rursum concrescit, ac cogitur: sicciora vero (qualia boues & capræ, & quæcunq; id genus cornigera) ob siccitatẽ seuũ plurimũ generãt: quod sicut difficile funditur, liquescit ve, ita fusus celerrime coit

ac conglaciatur, adeoq; apparet pinguedine durior, vt frangi possit, autore Galeno, vndecimo libro simplicium, capite secũdo, & apud Plinium. 11. libro naturalis historiæ, cap. 37. Homo vero, qui medium tenet, inter humidiora, & ficciora, medium quoque substantiæ modum, in suo seruat pingui: nec enim adeo humidum est, vt suis: nec adeo habet durum, vt cornigera: id autem adipem appellat: quanuis cuiq; concedat Galenus, loco citato, vtrouis placuerit nomine, horum quoduis appellare. Quare exiguus hic error esset, ni duo pinguitudinum genera, in homine posuisset Auicenna, adipem (inquam) & pinguedinem. Nec obstat, quod diuersam consistentiam, habeat pingue omenti, à pingui: quod in renibus est: siquidẽ non est tanta humiditas, in omento humano, ac in suilla pinguedine: nec tanta siccitas, in pingui renũ, ac in seuo caprino: quare adipis nomine, significamus vtrumque. Errat secundo Auicenna, adipem frigidam statuens. Cui forte errandi ansam præstitit Galenus, qui primo libro de temperamentis, capite vltimo, ita scribit. Cerebro autem ipso adeps, cui concretio contingit, propterea quod membranis adiacet, crasso namque oleo est similis, eoque congelatur, vbi cum frigidis, & exanguibus particulis coniungitur. At neque circa iecur, coire adeps potest, neque circa arterias, venasq;, aut cor, sed nec circa aliam vllam præcalidam particulam. Quoniam autẽ cogitur per id quod valde est frigidum, idcirco calfacta liquatur, cæterorum coagulatorũ ritu. Quibus verbis (si rectè id aduertisset Auicenna) adipem post cerebrum, in ordine humidorum, non autem in ordine frigidorum, posuit Galenus. Nec obstat, quod adipem, concrescere frigore voluit, non enim statim frigida reddatur oportet: siquidem non potest in nostro corpore, tanta frigiditas esse, vt actu frigidum reddat. intra cutem namq;, omnia sunt actu calida. Secundo, quoniam tenuis sanguinis pars, calida, pinguis, & oleosa, ad locum accedens minus calidum, concrescit, etiam si non reddatur frigida: exemplo iusculi, in cuius suprema parte, pinguis tela, valde adhuc calens cogitur, & exemplo plumbi, recens post liquationem concreti, quod præcalidum est adeo, vt tangentem deurat. Sic sane omentum, ob ventriculi calfactionem, creauit natura dẽsum, leue, & calidũ, apud Gal. 4. lib. de Vsu part. densum quidem, vt intus concludat innatam caliditatem: leue autem, vt sine dolore, ac compreßione calefaciat: calidum (hoc certè ne verbis quidem indiget) quia tale oportuit esse, quod gratia calefaciẽdi factum fuerat. Quæ Galeni verba, non patiũtur calũniam, quod scilicet omentum sit calidũ, eo solũ, quod reflectit intus innatum calorẽ: calidum enim, potius quã frigidum esse cõdecuit, quod huiusmodi reflexionem facere debet, siquidẽ gratia calfaciendi fuit factum, ne quantũ reflexione, calfacit: tantum innato frigore, refrigeret. Vndecimo item libro, de simplicium medicamentorum facultatibus, cap. 2. ita scribit. Omnis igitur pinguedinis facultas, est humectatoria, & excalfactoria, humanorum corporum. Quoniam autem excalfactoriam dixit habere facultatem, non immodice, sed temperatè intelligamus. Adhunc enim modum. 2. libro de simplicium medicamentorum facultatibus, cap. 22. scripserat. Siquidem alio quodammodo calfacere

nos dicitur aër calidus, atq; alio modo qui sit moderatus. Respondet autem proportione aëri calidiori, pyrethrum, napi, piper: moderato autem pinguitudo, & oleum. Hoc moderato calore, calfactoriam quam dixit facultatẽ, in nobis exercet, attenuãdo, discutiendo, coquendo, & maturando, quæ caloris opera sunt. Accedit potissimũ argumentũ, ab adipis materia sumptum: fit enim adeps, vt. 2. lib. de temp. cap. 8. autor est Galenus, ex eo quod est in sanguine oleosum, fluxile, pingue, leue, & tenue: sanguis autem huiusmodi apprime calet, nõ ergo adeps erit frigidus. Hinc Arist 2. lib. de hist. anim. cap. 19. Adipem & seuum scribit, non fieri in his quæ sanguine carent: quoniã hæc, partem oleosam, in adipẽ vertendam, nequeunt habere. Hinc etiã est, quod. 1. lib. de Generat Anim. idem scribit Aristoteles, pinguiores paucum semẽ emittere, & minus salaces, minusq; fœcũdos esse: quoniã scilicet, ex pingui illa sanguinis parte, tam semen, quam adeps gignitur: adipe ergo supercrescente, semen deficiat opus est. Ob id castrata, reddũtur pinguiora, & salacia demacrãtur: superfluus namq; concubitus, non modo adipem, verum, & carnes exhaurit, vtraq; enim ex sanguine gignuntur. Hinc animalia, carnosiora, & pinguiora redduntur, abundãtia pabuli, & multitudine boni succi. Sed quare caro, & adeps, simul augẽtur, si ex eadẽ materia, probo scilicet sanguine oriuntur? pinguedo autem, & semen, se perimunt, ita vt alterutro deficiente, alterum exuperare necesse sit? Dicendum, quod caro, ex crassiori constat sanguine quam adeps: semen vero & adeps ex tenuiori, & magis oleoso: quare hæc inuicem, magis sunt sibi impedimento, quam illa. Dicendũ secundo, quod quodammodo, illa etiam se impediunt, non enim adeps gigni incipit, donec carne prius se impleuerint animalia, est enim de carne, magis quã de pinguedine solicita natura. Quod sanè voluit Arist. lib. 2. de hist. animalium, cap. 16. vbi scribit, quod cum pabuli copia suppetit, caro vertitur in pinguedinem. Idest, postquam animantia, carne abundanti se impleuerunt, & sanguis adhuc ex vberiori pabulo genitus, abundanter suppetit: loco carnis, natura vertitur, ad gignendam pinguedinem. Vbi vero, carnosa iam, & adiposa corpora sunt, vniuersus fere sanguis, in his enutriẽdis absumitur, exiguumq; sanguinem habẽt in venis, purum tamen, atq; imputidũ, vt Aristoteles scribit: Ob idq; pinguis habitus, à sanguine detrahendo nos dehortatur. Cur ergo adipem frigidam ponemus, si eadem materia tenuiori, & magis oleosa constat, qua caro calida, & semen calidum gignuntur? Efficiens præterea, à quo solo, adeps frigere posset, nõ sola est frigiditas coagulãs, sed calidum etiam innatũ, partium circa quæ adeps gignitur. Calidum enim, in naturæ operibus, instrumentum esse naturæ operantis, & frigidum acciduo quodã modo ad id concurrere, scriptum reliquit Arist. 4. libro metheororum, cap. 6. Quare in calido innato, ex calido constante & frigido, in adipis generatione, calor gignere, coquere, alere, augere, & naturæ omnia opera exercere potest: frigusq; sibi permistum, interea coagulat, & modũ calori imponit; quod in metallorum, & vnguium, & cornuum etiam generatione euenit. Quod autem adeps à natura fiat, & intendatur, constat ex his, quæ de omen-

to,


to è quarto libro de vsu partiũ retulimus, & quoniam libro artis medicinalis, cap. 9. adipẽ innatis facultatibus regi, asseuerat Galenus. Si enim solo frigore cõcresceret, non agente calido innato, nullas tales haberet adeps facultates: non enim eas acquireret à frigore, nec eas habebat sanguis ex se, nullatenus ergo ipsis regi poterit. Accedit quod circa cor, calidissimum membrum, adeps concrescit, secus ac visum fuerit Galeno & Aristoteli. Nec valet, quod Gaspar Lopius, in pericardio, ob eius tunicæ frigus innatum, non autem in corde, gigni arbitratur: quanuis (inquit) in corde aliorum ab homine animantium, de quibus Galenus non egit, reperiatur. Non valet (inquam) nam si in corde animantium homine calidiorum, reperitur adeps, aut in hominis saltem pericardio, in quo feruentissimus, ob cordis vicinitatem adest calor, à frigore huiusmodi adipem non gelari, necessum est: sed ab innato calido, aut cordis aut pericardij, procurari & gigni est fatẽdum. Accedit, quod Galenus, non modo in corde, adipẽ gigni negauit, sed in quauis etiam præcalida particula, qualis ob cordis viciniã pericardium est. Nec valet itẽ, quod Portius Neapolitanus, pinguedinẽ, aut adipẽ apparentẽ, qui eliquari nequeat, in corde gigni, nõ autẽ verum, qui liquationẽ sustineat asserebat: nã Pisis, experiẽtia fuit victus à realdo colũbo, qui candela appo sita, in publico theatro eã eliquauit, vt. 7. lib. de re anathomica, ipse refert Colũbus. Cum ergo à cordis calore, exiguus adeps nõ absumatur, sed toto vitæ tẽpore duret, vim habet naturalẽ qua regatur, & indeficiente nutritione reparetur. Si solo præterea frigore cõcrescit, gigneretur in omnibus ossibus, neruis, ligamẽtis, & in cerebri ac spinalis medullæ mẽbranis, quod non fit: calor ergo innatus, & natura nos gubernãs, vbi eo opus habuit, ipsum gignit. Nõ est præterea, cur ex sola cõgelatione rubicundi sanguinis, adeps cãdidus gignatur: nisi natiuus cãdidæ mẽbranæ calor, eũ sanguinẽ coquens, mẽbranæ candorẽ efficiat. Id præterea cõuincũt, adenes quidã, in medio adipe reperti, qui nisi calidi innati, & facultatum naturaliũ ope, nec gigni, nec nutriri possent. Si adeps præterea, frigore concreuisset, totus igni appositus liquaretur, nulla parte illiquata permanente: reliquuntur autẽ ex experimento, multæ partes stabiliores, quæ torrentur, & vruntur, sine liquatione: ergo calido natiuo, nõ autem frigore, ab initio constitere. Hinc pinguedinis calorẽ, apertis verbis cõfitetur
« Arist. prob. 8. sectionis. 8. & eiusdem sectionis, proble. 4. ita scripserat. Pinguedo
« autem calida est, nisi humectata fuerit. Id est, nisi aquosis recremẽtis redundauerit,
« ex otio, & valde humida, ac frigida, viuendi ratione. Et sectionẽ. 31. probl. 22. Ob
« copiosum (inquit) adnatæ mẽbranæ adipẽ, nemo vnquã persensit in oculo frigus, præ
« ter calorem enim, quem pinguedo ex sua habet natura: vt indumentum, auget reflexione sua calorẽ, & lentore suo, prohibet aëris percutientis ingressum. Sed si pinguedo calida est, & non frigida, quare supercrescit in frigidis naturis, & minuitur in calidis, vt libro artis medicinalis, capit. 52. & . 53. autor est Galenus? Dicendum, quod pingue, leue, & tenue sanguinis, in calidis naturis, aut nutritione absumitur in mẽbris, & nõ seruatur perinde ac in frigidis, quæ minus conficiunt alimenti,

vt scribit Galenus.2.lib.de Temperamentis cap.9.aut pars ea tenuis ac pinguis, superfluo calore assata, in bilem vertitur, iuxta Galeni sententiam.2. lib.de febrium differentijs, cap.12. Cur præterea, calido, & non frigido liquatur, si frigore, non autem calore, concreuit adeps? Ita enim apud Aristotelem. 4.lib. Metheororum, repe ritur scriptum. Quæcunq; calore, vel frigore, concreta soluuntur, contrarijs solui so lent. Nam quæ calore sicco concreuere, aqua soluuntur, quæ humor algidus est: quæ vero frigore, igni: qui calidus existit. Dicendum, quod adeps, non cōcreuit vera concretione, aut congelatione, de qua ibi Aristoteles agit: quare nec à calido, nec à frigido. Fit enim adipis, vt & carnis generatio, ab innato calido temperato, & facultate altrice, ex pabulo abundatiori: liquantur autem, tam caro, quam adeps, ab extraneo, & intemperato calore, ceu à contrario, quo constitere: ab igne nempe, & à febribus, quas colliquantes appellant medici. Sic etiam butyrum, ignis calore liquatur, quoniam innato vberum calido, genitum fuit: & moderato calore, aut ex ignis, aut baculi agitatione comparato, à reliquis lactis partibus separatur. Mel quoq;, igne tenuatur, & liquescit: quoniam temperato apium calore fuit genitum. De neutro nanq; horū, aut frigore concreuisse, aut propriè & absolutè concreuisse, dicere possumus: concretio enim, atq; liquatio, passiones sunt, à generatione atq; corruptione diuersæ, quæ circa mista obeuntur, eadē substantiæ forma retenta. Sed si innatus membranæ calor, adipem sibi assimilauit, frigidus erit adeps, vt & ipsa membrana. Dicendum, quod membrana non prorsus assimilat adipem: sic enim membranam faceceret, nō adipē. Cum ergo in ea actione, tenuis, & valde calidus sanguis, esset pro materia subiectus: quantū sibi defuit de assimilatione, tantū superfuit caloris in genito adipe, ita vt hac ratione prope ad temperamentum accedat adeps, vt supra, ex Galeno retulimus. Sed cur non assimilat, tenuem eam sanguinis partem, membrana: si omnis tenuis substantia, facilius alteratur, quam crassa? Dicendum, quod tenuis illa sanguinis pars, non prorsus assimilatur membranæ; ob magnam distantiam, inter sanguinem calidum, tenuem, ac pinguem, & inter membranam frigidam, densam, & terream. Cur item, in omni parte corporis, tam calida, quam frigida, non gignitur adeps, si ab innato partium calore generatur, ex tenuiori sanguinis parte? nulla siquidem pars, destituitur calido innato agente, nec parte ea sanguinis patiente. Posito autem efficiente, & materia: necessaria videtur effectus consequutio. Dicendum, quod calidissimæ partes, tenuem eam sanguinis partem absumunt: caro vero, ob sui raritatem, non detinet: ossa, ob densitatem, nō recipiunt nisi tenuissimum quodam: quod, cum ipsorum ossium alimēto percolatum, ossium medullam pinguem reddit. Membranæ vero, mediam naturam nactæ, tenuem, & pinguem eam sanguinis partem: recipiunt, detinent, & assimilant, adipem gignentes. Hinc membranis adiacet, apud Galenum, primo libro de temperamentis, capite vltimo, non solum ob ipsarum frigus (vt ipse voluit) verum ob innatum temperamētum, tenuem sanguinem percoquens, ac in talem, qualem adeps substantiam habet, cōmutans: & ob insitam

etiam

etiam densitatem, quæ partem eam sanguinis oleosam detinet, vt constat ex Aristotele. 3. libro de historia animalium, cap. 3. vbi circa omentum, pinguedinem generari, eo quod densas habet mẽbranas scribit. Quibus sane rationibus, addere oportet, insitam naturæ doctrinam, & eius conatum, ob necessitatem, & vsum adipis gignendi: in cerebri namq; menyngibus, in quibus vtilis futurus non erat, adipem non genuit, vt in omento, cuius vtilitatem recenset Galenus, quarto libro de vsu partium, & inter cutem & membranam carnosam, vbi adipem, vniuersum corpus obtegentem genuit, vt ab externis immoderantijs nos defenderet, & calorem natiuum intro reuocaret.

Gradus eorum quæ in nostro corpore sunt humida, *signantur. CAP. VIII.*



VMIDISSIMVM, quod est in corpore nostro, pituita est, apud Galenum, primo de temperamentis citato. Qui de naturali pituita, sui natura insipida, intelligendus est: non de gypsea, aut salsa, quæ siccæ sunt, & in recte valentibus non reperiuntur. De his etiam, quæ nostri corporis partes, actu, aut potentia existunt, locus is est intelligẽdus: vapor enim sanguinis, & humorum, per vniuersum vndiq; errans corpus: & aër, in pulmonibus, corde, & arterijs receptus, humidior est quam pituita, in corporis tamen substantiam, vertendus non est. Spiritus vero, non modo aërei, humidiq́ sunt, sed plurimo etiam igne, qui siccus est participant: quare minus sunt quam pituita humidi: sanguini etiam annumerantur, quia eidem permiscentur, tum in arterijs, tum in venis, ob idq; nomine sanguinis veniunt, vt supra etiam monuimus. Oculi vero humores, quanuis aquei, & valde humidi sint, minus tamen sunt, quam pituita humidi: propriam enim figuram seruant, & mutuo sibi adhærent, sine mutua confusione. Vitreus namq; humor, in medio sui concauus est, vt crystallinum excipiat: crystallinus vero, sphæricus est, sed anterius qua albugineum spectat, depressus: ita vt lentis formã referat. Albugineus quoq; anterius situs, suam attiguitatem, & figuram, semper seruans reperitur: & apud quosdã, sine interposita ipsis mẽbrana, seorsum locantur oẽs. Quod minime contingeret, si naturali pituita, non essent minus humidi. Serũ vero humorum, vrina, sudor, & lachrymæ, quãuis sint fluidiora, minusq; terreni elemẽti habere videantur, sicciora sunt & magis adusta. Quod mõstrat, in omnibus his liquoribus, eadẽ salsedo reperta. Saliua vero, ex omniũ humorũ massa, à glandulis sub lingua gignitur: quare siccior est, quã si è sola gigneretur pituita. Quod mõstrat, aperta vis discutiendi, & resoluendi, in ipsa reperta. Aqua restat in pericardio cõtenta, ad cor humectandum à natura tributa, ne ob perpetuum motum, calidissimum membrum exsiccaretur: quæ humidior merito est, quam pituita. Nec eã tamen, nec eius vsum, noue-

runt

runt antiqui anatomici: nam & nunc sunt quidam, qui in viuentibus corporibus non reperiri arbitrātur, vt Curtius, qui in demortuo animali, spiritus, à frigiditate densari, & in eiusmodi aquam verti perhibet: & alij qui à calore cordis, & vicinorum membrorum, non iam vt natiuus, sed vt calor est operāte, pingue colliquari, & in aquam verti autumant. Quibus omnibus, reluctatur experimentum, viui hominis dissecti à Vesalio: & plurium animantiū viuorum, à Realdo Columbo dissectorum: in quibus omnibus aquam, ad eum vsum à natura creatam, inspexerunt. Quare dubitandum non est, ex huius aquæ paucitate, absumptione, acrimonia, aut salsedine, febrem, atque marasmum nasci posse: sicut ex eiusdem copia, notauit Galenus, cordis palpitationem, & natiui calidi extinctionem, prouenire posse. Quinto enim libro, de locis effectis, cap. 1. ita scriptum reliquit. Est & alius affectus, palpitatio scilicet cordis, aut per se eueniens, aut cum significatione quadam, quod in humore cor ipsum moueatur. Neq; enim mirum videri debet, tantam humoris multitudinem, cumulari aliquando in ambiente cor tunica, vt ipsum ne attollatur, impedire possit. Quippe in animalibus dissectis, vidimus plerunq;, plurimū humoris vrinæ speciem referentis, in eo qui ipsum inuoluit pāniculo cōtineri. Hæc Galenus. Post pituitā, sanguinem humere, dixit Galenus: quod euidenti ratione probat Auicenna, ex conuersione scilicet pituitæ in sanguinē, in qua necesse est, plurimū humiditatis pituitæ resolui: quare reddetur sanguis ipsa pituita, minus humidus. De quo tamē dubitatio est. Nam aqua, cuius naturam refert pituita, nō est humidior aëre, cui similatur sanguis: omnia enim elementa, binas qualitates summas habere, libro de elementis probabimus: æquè ergo humida, erunt pituita & sanguis. Dicendum primo, quod sicut aër & aqua, licet extremè humida sint, non extremè humectant, sed aqua magis, vt cap. 10. lib. de elementis probabimus: ita de pituita, ac sanguine, aëri, & aquæ respondentibus, ferendum est iudicium. Dic secundo, quod pituita est magis aquea, quam sanguis sit aëreus: plus enim terræ, sanguis in sui cōpositione recepit, quam pituita, cuius certe ratione, è vena exclusus coit in grumum. Dicendum tertio, ex Auicenna, quod iuxta diuersum modum humectandi, pituita dici potest humidior, & minus humida, quam sanguis: quatenus enim magis madefacit, pituita humidior est: quatenus vero plus humidi nostris reponit corporibus, humidior est sanguis: ex eo enim abundanter nutrimur. Hoc autē perinde est, ac si dicas, qualitate humidior est pituita, quantitate sanguis. Post sanguinem, magis humet adeps, de quo antiquos probat Galenus. 2. de temperamentis citato, adipem omnium corporis partium, humidissimam esse dicentes. Ossiū medulla sequitur, quam humidiorem esse cerebro, & spinali medulla. 3. lib. de alimentorum facultatibus, cap. 9. scripsit Galenus: quod ipsius monstrat mollities, & liquatio. Nec obstat quod. 2. lib. de temperamētis, cap. 8. Galenus, cerebrum, adipi proximum, humiditatis ratione facit: ossiumq́ medullam, cerebro propinquam naturam habere, perhibet. Primo, quoniam male eo loci, Linacer vertit, Ossium medulla (vt notat Fuchsius) græce enim, simpliciter scribitur

bitur, ὁ μυελός, id est, medulla, quo nomine, spinalem medullam possumus intelligere. Secundo, quoniam etiam si de ossium medulla, is locus intelligatur, nō recte colliges, ipsam cerebro esse sicciorem: non minus enim propinqua cerebro est, si cerebro sit paulo humidior, quam si sit paulo siccior. Quod non intelligens Realdus Columbus, 8. lib. de re anathomica, cap. 4. frustra Galenū falsitatis accusat. Frustra quoq; Brachelius, varias medullæ in ossibus concoctiones inducit, & de vltima, in qua ad ossis naturam propius accedit, Galeni locum interpretatur. Post ossium medullam, est cerebrum: præsertim pars ipsius anterior, quæ posteriori tanto est humidior, quanto mollior, vt. 2. lib. de temperamentis, cap. 8. scribit Galenus. Sicut autem ex liquatione, monstrauerat Galenus, adipis humiditatem: ita ex liquationis defectu, cerebrum minus adipe humescere conclusit. 1. lib. de temperamētis, cap. vlt. in hæc verba. At cerebrum calfactum, minimè liquatur, eoq́ adipe minus est humidum. Nec tamen obstat cerebri humiditati, quod Aristoteles. 2. lib. de partibus animalium, cap. 7. cerebri naturā, aquæ, & terræ, cōmunem esse testatur: quare cum terra sicca sit, aqua vero humida: medium sicci, & humidi temperamentum, cerebrum obtinuisse putauit. Non obstat (inquam) nam aqua, terram in ea compositione superat, quod monstrat eius mollities insignis. Cuius mollitiei, ac humiditatis ratione, supra os basilare, ipsum cerebrū locauit natura: ne diffluat, neue eius partes suapte spōte abrumpantur. Quod in casu præsertim ex sublimi facto, contingere interdum solere, & vbi contingit, ingens periculū (& quod vix curationem admittat) imminere scriptum reliquit Galenus. 2. lib. de compositione medicamentorū, secundum locos, cap. 6. Hinc detegitur error Forliuiensis, qui. 2. lib. artis medicinalis, terræ plus, in cerebro esse opinatur, quam aquæ: idq́ tribuit Aristoteli. 2. de partibus animalium, citato. Quod cum Aristoteles non somniauerit, & prorsus à veritate abhorreat, friuolum est, falsum, & minime necessarium subterfugium, quo ait, quod quamuis terræ plus, habeat cerebrum, quam aquæ: in cerebro tamē humectādo, potētior est aqua, quam terra. Nam si terræ, plus quam aquæ, adest in cerebro (vt dixit) & terra non sit magis sicca, & dura, quam aqua sit humida, atq; mollis: durius ac humidus necessario, cerebrum euadat oportet: quod non fit, tenerum namq; est, molle, & humidum. Cum autem humidum, ab aqua, aut ab aëre, quos in sua compositione recepit, quidpiam reddi possit: si aëreum est, leue: si aqueum vero, graue euadit: quare cum cerebrum graue sit, merito ab aqua humere, Aristoteles voluit. Quo fit, vt valde etiam errent alij, qui ob id cerebrum humēscere dicunt, quod humentes vapores excipit, & in humorem ipsum humectantem concernit. Cerebrum enim sua natura, ex aqua, quam in sui compositione recepit, prius est humidum: quam vapores è corpore sublatos, excipiat. Per hos vero vapores, cerebri humens natura seruatur, ceu per simile, quo conuersari exoptat. Alioqui præter naturam semper haberet cerebrum, si perpetuo humore, suæ naturæ dissentaneo allueretur. Sed dubium est, quoniam. 2. lib. de temperamentis, cap. 8. ita scribit Galenus. Commodè igitur dictum veteribus est, humidissimam

esse

esse adipem. Secũdo, post eam loco carnosum genus. &c. Quo modo ergo post adipem proximè posuit cerebrum, quod in carnoso genere contineri nequit? Dicẽdum quod Galenus ibidem, quid per carnosum genus intelligat explicauit: tam scilicet carnem, quæ propriè appellatur caro, & est semper musculi pars, quam eam quæ nomine carnis appellatur, cuiusq; scilicet viscerum propria substantia, quam parenchima, id est affusionem vocarunt antiqui. Iocinoris enim, lienis, & pulmonis substantia, quan uis in colorem carnis inclinent, carnes propriæ non sunt, sed affusiones, perinde ac medullaris cerebri substantia, quæ nec caro est, nec carnem repræsentat, affusio tamen est, & sub carnoso ob id genere, à Galeno comprehenditur, perinde ac aliorum viscerum substantia. Nam in solidis etiam partibus, vena, arteria, ventriculo, vtero, & intestinis, carnosam quandam partem affussam, & intertextam à fibrosa & membranosa, diuersam, agnouit Galenus. 10. lib. methodi, ad finem, vbi eam (gratia docendi) concedit carnosam substantiam, vel huius particulæ peculiarem quandam carnem appellare, quanuis nec rubea sit, nec carnis aliquam phantasiam nobis exhibeat. Spinalis medulla sequitur, quæ nihil aliud est, quã cerebrum oblongum, per spinæ vertebras deductum. Hæc in brutis, substantiam & effigiem medullarem, ad extremam vsq; caudam seruat, quanuis quo magis ab origine distat, eo sit durior, vt constat ex Galeno. 3. lib. de alimentorũ facultatibus, cap. 9. in homine vero, vsq; ad finem thoracis, & lumborum initium, medullosa est, à quo vsq; ad eius extremum neruosa euasit, vt notat Realdus Columbus. Spinalis ergo medulla, cerebri parte posteriore, quanto est durior, tanto minus est humida, vt scribit Galenus. 2. lib. de temperamentis, cap. 8. ita vt postrema eius pars, à thoracis extremo, ad caudam, iam non medullæ, sed mollium potius neruorũ naturam, referre videatur. Vbera, & testes, post spinalem medullam, merito memorat Auicenna, quæ quanuis Galenus non nominet, sub carnoso genere (cuius plures species esse notauerat) comprehẽdit. Vbera vero, testibus sunt humidiora, cum scilicet lacte turgent, tunc enim rara & laxa sunt, & ex lactis abundantia tenerrima; cum vero lacte carent, contrahuntur, ac densantur, tantum à se ipsis differentia, quantum manibus ac vinculis pressæ spongiæ, à se ipsis præmadidis differre videmus, vt scribit Galenus, tertio libro de alimentorum facultatibus, cap. 5. Testes vero, tanto sunt vberibus lacte turgentibus, minus humidi, quãto semen, lacte crassius habetur: par enim proportio, testium ad mãmas, ac seminis ad lac seruetur, rationi valde consentaneũ est. Pulmo sequitur, qui mollis adeo est, vt Galenus. 2. lib. de temperamentis, cap. 8. simul cum cerebro, adipi proximum fecerit, in hæc verba. Quod autem ipsum cerebri, pulmonisq́; proprium corpus, proximum adipi, humiditatis ratione sit, ex mollitie eius cõiectare licet, non enim à frigido congelatum est, cum nec calore fundatur. Quæ Galeni verba, dubitationem pariunt. Nã si pulmo, & cerebrum, adipi immediata sunt, quo modo inter adipem, & cerebrum, posuimus ossium medullam, ex Galeno: & inter cerebrum, ac pulmonem, posuimus medullam spinalem, & vbera ac testes. Dicendum,

quod

quod cerebrum, ac pulmonem, proxima adipi fecit Galenus, & non hæc sola, nam vtramq; etiam medullã, cerebro & pulmoni proxima facit, quoniã nimirum ossium medulla, cerebro est humidior, & medulla spinalis, cerebro est siccior, pulmoneq; humidior, ita vt ista hoc ordine sint sibi, & adipi cohærẽtia, atq; propinqua. Quod voluit Galenus, post dicta verba subdens. Propinquam ijs (id est, cerebro, & pulmoni) naturam habet ὁ μυελός, id est, medulla. Quod verbũ, cum græce & latine, vtramq; medullam significet, pro vtraq; accipiendum est: ita vt ossium medulla, cerebro: & spinalis medulla, pulmone paulo humidior, statuatur. Quod vero de vtraq; medulla meminerit, hæc (quæ mox sequuntur) indicant verba. Non est tamen eiusdem generis, cum cerebro, & spinali medulla, ea quæ in quolibet habetur osse. Sed cerebrum & spinæ medulla, eiusdem sunt generis, quoniã scilicet non liquãtur: reliquæ omnes medullæ, alterius naturæ sunt, quoniam scilicet liquantur vt adeps. Est tamen humidius, ac calidius cerebrum, quam spinalis medulla, eoq; etiã mollius. Est quoq; siccius, ac durius, quam ossium medulla. Quod tanquam apertum (quoniam ossium medulla est ex genere eorum, quæ liquãtur) dicere prætermissit. Vbera vero, testes, ac similes carnes glandosas, non percensuit Galenus, quoniam vniuersim sub carnoso genere comprehenderat, nec plurimi erat momenti, sigillatim, omnium partium meminisse. Accedit, quod humiditatis bona pars, quarundam partium humidarum quas recenset, pendet ex glandulis humectantibus, vt in lingua, & pulmone contingit: quare ex harum consideratione, reliquæ glandulæ, quarum munus est, humiditatem partibus circumuicinis creare, possunt innotescere: humiditas enim quam creant, non tam sua est, quam aliorum, quorum gratia, ipsam gignunt. Pulmo ergo (vt de ipso agamus) cum sit cordis ventilabrum (si quod aliud in corpore mẽbrum) contrarias poposcit temperaturas: humiditatem nempe, quæ frequentes ipsius motus, & cordis etiam calorem sustineret, ne ab ipsis exsiccaretur: & siccitatem quandam, quæ cauitates apertas, pro aëris ingressu, & egressu seruaret: plurima enim humiditate laxatus, in se concideret, & meatus eius occluderentur. Hoc prudens natura ita prouidit, pulmonem in sui substantia, & prima elementorum commistione, eatenus humidum creauit, quatenus conseruare potest aperta, foramina plurima ne obstruantur, aut ab ipsa pulmonis substantia concidente, aut ab humiditate crebro defluente. Quod voluit Auicenna, verbis sequentibus. Scire tamen debes, quod pulmo in sui substantia, & natura, non est humidus, vehementi humiditate. Quibus verbis, pulmonem in ordine ad cutim, esse humidum, ex prima elementorum cõmistione voluit: non tamen valde humidum. Humiditatem enim eius, certo colligere possumus, ex suæ substantiæ mollitie, in qua non modo cutem solam, sed etiam cum sibi substrato musculo molliori coniunctam, excedit, vt tactus experimẽto constat. Est autem mollities, à membri humiditate inseparabilis, vt ex. 2. lib. de temperamentis, supra deduximus. Est insuper pulmo, apertè ad tactum mollior corde, & renibus, quæ inter humida reponit Galenus: non ergo de eius in ordine ad cutim humiditate

tate est dubitandum. Nec de alterius etiam partis veritate (quod scilicet humiditas eius non sit immodica) ambigendum est: tum ob foramina, quæ aperta debet conserua re, tum etiam ob alimentum, quod sibi parauit natura, tenuem scilicet sanguinem, in cordis vẽtriculo præcalfactum, ac tenuatum (quod voluit Galen. 6. lib. de vsu partium) & quadãtenus siccatũ, igneam ac biliosam naturã, ibi quodãmodo adeptum, vt merito addit Auicenna. Tenuis enim sanguis, amaræ bilis est materia, & à cordis feruore subactus, necessaria cõsequutione, biliosam, ac igneam naturam, eatenus adipiscatur oportet: quatenus nutriẽdo pulmoni (qui humidus quidẽ, non autẽ valde humidus est) bilescere, & exsiccari cõueniebat. Nisi tamẽ subsidiũ aliud, pulmoni parasset natura, vt eius humiditas seruaretur: à perpeti ipsius motu, simul et à vicinissimi cordis feruore, vel breuissimo spatio exsiccaretur, et tabesceret: ipsumq́ cor, rursus in tabẽ adduceret. Alterũ enim alteri, necessario, celerrimeq́ cõsentit, vt scribit Gal. 4 lib. de præsagatione ex pulsibus, ca. 2. Duplex ergo ad hoc, subsidiũ parauit natura, vnũ externũ, internũ alterum: externũ quidẽ, hoc est: quod inter bibendũ, „ è potu aliquid ad pulmonem, per guttur, & asperam arteriam fertur, non repente to „ tum, neq; per mediã instrumenti fistulã influens: sed per tunicã ipsam, sensim ipsum „ irrorans, vt scribit Galenus, ad finem 8. lib. de placitis Hippocratis, & Platonis. Cum vero animanti, semper bibere expediens non esset, altero indiguit natura subsidio, interno, & indeficienti, aduersus cordis calorẽ, & pulmonis motiones, indeficienter exsiccantes: glãdulas enim in eum vsum creauit, sub linguæ radice saliuã gignẽtes, & alias ad pharingem, græcis parithmia, et nobis agallas dictas: aliasq́ ad laringẽ, asperãq́ arteriã: quæ oẽs, vocis & loquelæ partes irrigant, atq; humectant, inq; pulmonẽ demum, humiditatẽ quam gignunt, ad dictũ vsum implendũ transmittunt. Ad quod iuuat quã maxime ipsa pulmonis natura, atq; substãtia, laxa, rara, mollis, ac spongiosa, quæ non modo, humiditatẽ è glandulis destillantẽ, verum & omnẽ substantiã humidam, facilè potest, tum ex vasis, tum ex partibus circumuicinis cõbibere, vt scribit Gal. 2. lib. crisium, cap. 10. Hoc volẽs significare Auicẽna, de pulmone agẽs, ita scribit. In ipso vero, multa humiditatis superfluitas colligitur, propter illud „ quod ad ipsum ascendit, de vapore corporis, & propter illud, quod ad ipsum descen- „ dit, ex catarrhis. Per catarrhos autem, defluxum dictarum humiditatum, à natura „ in eum vsum creatarum, intelligo: non autem catarrhos morbosos, è capite ortos, qui in prorsus sano homine non reperiuntur. Sed dubiũ est, an istarum humiditatum defluxus ad pulmonem, ipsius temperamentum reddat humidius, quam pro natiuæ cõmistionis ratione conueniebat? Dicendum, quod si dictarum humiditatum defluxus, mediocris, valdeq́ naturalis habeatur, temperamentum pulmonis, per ipsum seruatur, quale ex prima elementorum cõmistione fuit creatum. Si minus eius humiditatis defluat, pulmonis temperamentum, in siccius permutatur. Si vero intemperanter, atq; immodice, eiusmodi defluãt humiditates: mora temporis, temperamentũ pulmonis, in humidius permutabitur, vbi enim humor, diu ad membrum defluxit, illud

sibi attẽperare solet, autore Gal. 7. lib. Methodi, cap. 6. ante id vero tempus pulmonis temperamẽtum, in humidius nondũ versum est, etiã si aliquãto mollior reddatur pulmo, ex eiusmodi humiditatis cõmertio. Membri nãq; mollities, humiditatem significat temperamenti, nisi causam habeat, sparsum per membri poros humorem, vt scribit Gal. lib. artis medicinalis, cap. 59. Sic senes, & qui cachexia laborãt, mollia & inflata habent membra, cum re vera sicca sint: donec tantam iam, humiditas per poros sparsa, morã contraxit, vt temperamentum, & cõmistionem permutet, perinde ac in sarcite hydropis specie contingit, in qua totius corporis coagmentatio, ac miscella, in humidum versa, humorem vndiq; disseminat, vt scribit Aëtius, sermone 2. tertij tetrabibli, cap. 20. Hinc doctissime Auicẽna, pulmonẽ ex harum humiditatũ accessu, non dixit reddi humidũ, sed madefactũ, nisi humiditatis mora, ipsum in sui etiã substantia, molliorẽ fecerit. Quæ omnia, cum Valesius, & post eum Gaspar Lopius, ignorauerint, immerito Auicennã erroris insimulant. Iecur, lien, renes, & cor, humidiora cute sunt, tanto se inuicem humiditate excedẽtia, quanto mollitie se excedunt: iecur enim, multo mollius est cute: lien, durius est iecore, & renibus mollius: cor vero, paulo quam cutis est mollius, ac humidius: vt 1. lib. de temperamẽtis, cap. vlt. scribit Galenus. Iecoris insignem humiditatẽ, monstrat primo, humida, ac mollis substantia, qua constat: est enim velut sanguis, qui ad eum locũ concreuit. Secundo, quod est sanguinis totius corporis origo: sanguis autẽ, omniũ maxime post pituitã humet, vt diximus. Quin & humiditate nutrimẽtali, humidior statuitur quã pituita: sicut pituita, humidior est humiditate aquea, & madefactiua, vt ex Auicẽna retulimus. Qui etiã similiter cõparat, humiditatẽ iecoris, ac pulmonis, humiditati sanguinis & pituitæ: vt enim pituita absolutè humidior est, humiditate scilicet aquea & madefactiua, humiditate vero naturali, tẽperatiori, ac nutrimẽtali sanguis: ita hepar, multo magis humidũ est pulmone, humiditate naturali, et pulmo magis est madefactus, ex aquosis illis humiditatibus, in id destinatis, vt diximus. Quãuis autẽ humiditas nutrimentalis sanguinis, ac iecoris, tẽperatior sit, humiditate aquosa & madefactiua pituitæ, pulmonis, & glandularũ: in corpore tñ nostro, ad humidius alterãdo, & tẽperamẽto passiuarũ permutãdo: maiorẽ vim sortiuntur, iecur, aut sanguis, quã pulmo, aut pituita. Omnia enim nostri corporis mẽbra, ex sanguine à iecore ꝑfecto, alẽda sunt, qui si humidus, aut siccus est, humidiora, aut sicciora, ipsa reddit necessario. Vnde lib. artis medicinalis, cap. 31. & 32. Gal. vbi cor siccũ est, aut humidũ, vniuersũ corpus siccius, aut humidius, reddi affirmat: nisi hepar cõtrariè tẽperatũ obstiterit. In actiuis vero nõ sic, maior enim iecoris lapsus, in ijs requiritur ad emẽdandũ contrariũ intẽperamentũ cordis, quã in passiuis: plus enim cor potest in calfaciendo, aut refrigerãdo sanguine, ab hepate cõtrariè tẽperato trãsmisso, quã in humectãdo, aut exsiccãdo: tũ quoniã humectatio, & exsiccatio, difficilius & tardius obeũtur: tũ quoniã, vt cor est origo caloris, ita hepar humiditatis nutrimẽtalis: Vnde lib. artis medicinal. c. 29 ita scribit. " Magna vero ex parte calidi cordis tẽperatura, vniuersũ corpus calidũ reddit

nisi epar vehemētius obstiterit. Ex addito enim aduerbio illo vehementius, patet lapsum iecoris, siue calidū, siue frigidum, maiorē requiri, ad emendandū contrariū cordis intemperamentum: quam in lapsu passiuarū, in quo non dixit, nisi epar vehementius obstiterit, sed solū nisi epar obstiterit: quoniā scilicet iecur, in nostro corpore humectādo, nō solū pulmone, verū & omnibus nostri corporis partibus, est potentius. Lien, iecore minus est mollis, quamuis rarior sit, & laxior, ob multas arterias, quibus insignitur, ad sanguinis melancholici attenuationē. Renes, liene sunt apertè duriores, non tamen adeò, vt extra classem humidorum sint locādi. Nec oportet vt ex vrinæ cōmercio, sicci euadant, præterlabitur enim per meatus, non autē per carnem ipsorum: nec lapidē gignunt ob siccitatē temperaturæ, sed propter calorē, aut morā, crassam materiā assantem. Post renes, linguam statuit Auicēna, quæ renibus non est mollior, quoniam venas & arterias, & plures neruos motorios habet, quæ sicca & dura sunt: laxior tamen, & magis rara est, vt aduentitiā humiditatē excipiat, qua semper madescit, ex glādulis saliuā gignētibus, ne loquutionis motu frequēti exsiccata, obmutescat. Hæc omnia mēbra, in duo redegit Galenus, in adipē nēpe, & in genus carnosum: in genere aūt carnosō, oēs nūc memoratæ partes (quæ parēchimata potius quā carnes sunt) cōprehenduntur. Post has, est caro simplex, sic à Galeno appellata, quoniā nullū à præcipuis mēbris recipit exortū: nec venā, nec arteriam, nec neruū, nec ligamentū: sed innata solum regitur facultate, vt scribit Gal. lib. artis medicinalis. c. 9. eā enim, solū creauit natura, ad muniēda mēbra quædā: cuius generis est caro gingiuarum, & quæ in cole habetur. Minus humida quā hæc, est vera caro, quæ semper musculi est pars: quoniā ex venis, arterijs, neruis, & ligamētis, quæ recipit, exsiccatur: præcipuè ad initium, & finē musculi, nā in medio carnosior, ac humidior habetur. Cor sequitur, aperte enim est durius carne, & cute mollius: quare inter humida rectè reponitur à Gal. 1. lib. de tēperam. cap. vlt. non propter copiā sanguinis, ac spirituum, quam habet, vt visum est Auerrhoo. 2. colliget, cap. 3. sed ob iudiciū tactus, mollius enim est cute. Sāguis præterea, ac spiritus abundantes in corde, non sunt cordis pars, non sunt ergo cum corde annumerandi, ad pronunciandum de tēperamento cordis: alioqui, venæ, & arteriæ, humidæ essent. Maiori errore tenetur Auicēna, qui cor in classe posuit siccorum, existimans cute siccius esse, ac durius, cuius contrariū semper apparuit, siue viuū, siue demortuū cor contrectemus. Nec obstat, quod crasso cauæ sanguine nutritur cor, ob sui duritiē: tale enim oportuit esse, duri mēbri alimentū, vt scribit Gal. 6. lib. de vsu partium, cap. 17. non obstat (inquā) quoniam cor appellauit durum, in ordine ad pulmonē, qui nutritur sanguine in cordis sinu elaborato: cuius etiā cōparatione, mēbra alia humida, quæ à cauæ ꝓpaginibus nutriūtur, dura dici queunt. Libro etiā. 2. de temperamētis, cap. 4. cor durum appellauit Galenus, non simpliciter: sed in comparatione ad iecur, lienem, & renes, quæ corde humidiora esse diximus. Post cor, molles nerui sunt reponēdi, proximam enim cuti, facit mollium neruorū naturam. 2. lib. de temperam, cap. 4. Galenus, qui locus quamuis de

vtraq;

vtraq; oppositione mentionem facere videatur: nõ de vtraq; sed de ea solũ, quæ in humiditate, & siccitate est, venit intelligendus, vt cap. vlt. 1. lib. de temperamentis, idem Galenus scripserat, in hæc verba. Molles autẽ nerui, in humiditate, & siccitate, mediam naturã sicuti cutis obtinent. Nã in altera oppositione, quæ est calidi, & frigidi, neruus mollis in medio nõ est, sed tantum ei deficit de calore, quãtum de sanguine. Quod vero hic, molliũ neruorum naturã, mediam sicut cutis, illic vero, cuti proximam facit, contrarium non est: tum ob magnã propinquitatẽ, tum ob ipsorum mollium neruorũ inter sese distantiã: quidam enim molliores, vt optici proximã habent naturã, alij minus molles, iã nõ modo proximã, sed persimilẽ cuti nãciscuntur. Idem quoq; neruus mollis, ad exortum mollior existens, proximã naturam habet: in progressu vero exsiccatus, medium temperamentũ vt cutis assequitur. Quare Auicenna, molles neruos, in classe siccorũ memorãs, recipiẽdus nõ est: ex mollibus enim soli sensui destinatis, nullus est vel in extremis recessibus, cute siccior: ad exortũ vero, oẽs sunt aliquãto humidiores cute. Humiditas enim, atq; mollities, siccitate est opportunior, atq; paratior, impressioni sensibiliũ recipiendæ. Obstare vero videtur locus citatus, è 2. lib. de tẽperam. vbi ita scribit Galenus. Proxima cuti est molliũ nerorũ natura: duriores autẽ, in humido & sicco, secundũ cutis naturã se habent. Quibus verbis, tẽperatiores facit neruos siccos, humidis: & mediã temperiẽ, quã mollibus impertiuerat libro primo, durioribus tribuit lib. 2. Respondet Valesius, magis ingeniose, quã vere: quod cutis, sita est in medio molliũ, & durorum neruorũ, ab vtrisq; parum distans: ipsi vero molles, atq; duri nerui, à se ipsis distant non parũ. Ob id de vtrisq; dicere potuit, quod habent similẽ cuti naturã, quanuis ipsi inter sese, satis habent dissimilẽ. Contra vero est, quod quantũuis vtriq; nerui, ob exiguũ lapsum, cuti possint cõparari, duros tamẽ temperatiores esse mollibus, vere dicere nõ potuit. Molles enim, soli sensui sunt dicati, vt duri arbitrarijs motibus: sensus autẽ à sensibilium excellẽtijs exui debet, quo nõ indiget motus. Tẽperatiores ergo molles neruos, duris oportuit esse: eatenusq́, molles ipsi, à medio labũtur quatenus tantillã humiditatem, ad facilẽ sensibilium impressionem postullarunt: quæ si maior esset, sensus acrimoniã ipsorũ obtũderet. Duri vero siccitate indiguerũt, ad actionũ, & violentorũ motuũ firmitatẽ: consequens ergo est, vt plus duri, atq; motorij labãtur ad siccũ, quã molles & sensiui ad humidũ. Et ex cõsequẽti, Galeni litera mẽdo nõ vacat. Quã quidã emẽdare conãtur, loco duriorũ, molliũ legẽtes: ita vt hic, perinde ac primo libro, de mollibus semper loquatur, nulla de duris mentione facta, ad hunc modũ. Proxima cuti, est molliũ neruorũ natura, molles autẽ in humido & sicco, secundũ cutis naturã se habẽt. Sed nulla ratio est, cur sicci vtrobiq; prætermittatur. Dictio quoq; aduersatiua, de siccis in secũda oratiõe agi: quoniã đ humidis egerat in prima, mõstrat. Inutilis præterea, ridicula, & à Galeni phrasi valde aliena est, in tã breui oratione, molliũ, et iterũ molliũ, repetitio. Gaspar Lopius, cõmutatim legit, durorũ vbi mollium, & mollium vbi durorũ, ad hunc modũ. Proxima cuti, est durorum neruorum natura, mol-

les autē in humido & sicco, secundū cutis naturā se habēt. Quæ lectio vera esset, & cum altera primi libri conueniret, si neruorum durorū lapsus ad siccū, admodū esset exiguus: quod tamē cum ipsorū durorū firmitate necessaria, nescio quo modo possit cohærere. Nisi admodū præterea sicca esset, durorū neruorū natura, ipsis pūctis nō admoueremus valida exsiccātia, summa substantiæ tenuitate prædita, quæ vsq; ad ima nerui offensi, medicamentorū siccitatē prōpte faciat penetrare, vt nos facere docet Gal. 6. lib. metho. ca. 2. & lib. artis medicinalis, cap. 92. Ob id magis placet Galeni literā, negatione addita legere, cum Fuchsio, qui ex antiquo interprete admonitus, vt locus hic, cū altero primi libri conueniat, ita legit. Proxima cuti (in humiditate scilicet, & siccitate) est molliū neruorū natura, duriores autē, in humido & sicco, secundū cutis naturā, se non habent. Sed cur instrumentorū gustus & tactus (linguā nempe, neruos molles, & vltimo cutē) inter humida collocarunt, reliquorū vero triū sensuum instrumenta, prætermiserunt autores? Dicendū, quod satis putarunt de cerebri tēperamento egisse, vt humida eiusmodi instrumēta esse cōijceremus. Olfactus enim instrumentū, non in nariū meatibus sedē habet, vt pleriq; putant referēte Galeno. 3. lib. de locis affect. in fine, & 7. lib. de placitis, & lib. de instr. odoratus: sed ipsius cerebri portio est, cōstituens extremitates anteriorū cerebri sinuū, quo narium meatus pertinent. Appellanturq́ ab Auicēna. 5. 3. tract. 1. cap. 1. processus, aut carunculæ mămillares, ob quandam cum papillis similitudinē, vt vel in ipsa peculiari effigie, à cæteris partibus, quæ ad olfactū attinēt, magno interuallo distāti, organum olfactus, hos processus esse ostēderet natura. Docuit enim Gal. 4. lib. de vsu partiū, in cōpositis particulis, quibus aliqua actio cōmissa est, scrutari per anatomas eiusmodi particulā, cui nusquā in corpore alia sit similis: eamq́ propriæ totius instrumenti actionis, autorē putare, alias vero partes, esse cōmunes: vt in iecore, in quo instrumētum sanguificationis, nō est vena, aut arteria, aut neruus, aut membrana iecoris: hæc enim cōmunia sunt, & in alijs mēbris habent similiter: caro vero iecoris, sicut & cordis, & cuiusq; alterius visceris caro propria, peculiarem habet effigiē, substantiā, & naturam, quam in alio nō reperias: quare ea est, in vnoquoq; ipsorum, primariū instrumentum, cui actio commissa referri debet: vt. 2. etiam de temperamentis. cap. 8. scribit Galenus. Processus autem mammilares, peculiari hac effigie, & substantia donantur: hi ergo sunt olfactus instrumentū, non autem pars aliqua nasi, membrana scilicet, os, aut cartilago, quæ oēs, alijs partibus sunt cōmunes. Thomas vero à Veiga, Eborēsis, vir doctrina eximius, & omni laude dignissimus. 3. lib. de locis affect. carunculas mămillares, nec esse cerebri portionem, nec olfactus instrumentum affirmat: tum quoniā solidæ prorsus sunt, tum quoniā in frontē, non autē in ossa cribro similia desinunt. Præter has insuper (inquit) carūculas, pcessus alij sunt caui, in quos anteriores cerebri ventriculi desinūt, ad eam caluariæ partē vnde nasus oritur, & ossa colo similia sunt, descendentes: qui sine dubio instrumēta sunt olfactus, tum quoniam portiones sunt cerebri, aut nerui molles, si ita appellare malis, tum quoniā ca-

ui sunt. Galenus enim ob cauitatem, eos appellat foramina, lib. de instrumento odoratus, tum maximè ob situm quem habent, id os ipsum cribriforme, per quem odorus transcolatur aër. Intra caluariam namq; ad cerebrum esse, & non in naso, olfactus instrumentum, verissimum est. Quod Arist. lib. de sensu, & sensibili, cap. 2. sensisse
" videtur in hæc verba. Quocirca, & peculiare sensoriũ olfactus, in cerebro situ est.
Male ergo Auerrh. 2. coll. cap. 17. imponit Aristoteli odoratũ fieri in duobus meatibus, qui sunt in naso. In quo etiam fuit errore Gal. lib. de instru. odorat. Aristotelis loca quædam ad verbum referens, è quibus tamen eam sententiam non licet colligere: & mirum certe est, quod Aristotelis verba nuper citata, ipsorum vterq; præterierit: quæ tamẽ, verum sensorij olfactus locum declarant. Forte autẽ fuere decepti, ex Aristotelis loco, 2. lib. de anima, cap. 9. vbi neq; si procul fuerit odorabile, neq; si
" adeò prope, vt intus nares locetur, odoratũ fieri adstruit: subditq́. Atq; sensum qui
" dem nõ fieri, si in instrumentũ sensus res ipsa percipienda ponatur, cõmune omnibus
" est. Quibus verbis, noluit cum in ipsis naribus, rem olentẽ posuerimus, in instrumentum sensus posuisse, sed prope ipsum: nã quæ prope etiã sunt, nõ sentiuntur, vt Philoponus, in eius loci cõmentario aduertit. Primo etiã de Hist. Anim. per nasum odores trahi affirmat, organũ tñ olfactus esse, nullibi scripsit. Qui cepas præterea, aut allia esitarunt, cũ valde fœteant alijs, inuicẽ sibi non fœtẽt, quoniã (vt autor est Aristo. 2. probl. sectio. 13) odoratũ habent plenũ, & assimilatum prauo odori, qui per palati foramina, olfactui peruia ascendit. Nasus vero, via est ascendẽti vapori, in qua non moratur, vt ipsum assimilet: sed cursim ad cerebrum ascendit, vbi coaceruatur & sui similitudinem infert, & si vim habeat mordẽdi, qualẽ acre acetum, aut aqua vitæ appellata, sternutamentũ mouet. Accedit, validissimum Galeni argumentũ, ex neruorum qui sensorijs distribuuntur, magnitudine, & mollitie desumptũ: quæ maiora sunt, quo obiectum apprehendendũ, tenuius est, ac spiritalius: maximi, ac mollissimi, sunt optici ad vidẽdum: post hos, sunt auditorij: deinceps ij, qui linguæ pro gustatu dantur: omnium tenuissimi, & durissimi sunt, qui ad cutẽ pro tactu feruntur: quare magna ex parte, ab spinali medulla ipsos deriuauit natura, cum tamen cæteris sensorijs, nõ ab hac, sed à cerebro diremerit. Odor autẽ medius est, inter sonũ aëreũ, & saporẽ aqueum: ergo mediæ magnitudinis, ac mollitiei neruos, poposcit odoratus: tunicæ autẽ narium internæ, nõ modo minores, quã linguæ, nerui impartiuntur, verum non dãtur ipsi, nisi tenuia neruorũ capillamenta, quanta ad sensum tactus præstandum necessaria sunt, ergo ea nõ est olfactus instrumentũ. Tunicã enim eiusmodi, eãdem esse, atq; continuã, cum ea quæ totam oris circunferentiã interiorem, linguamq́ complectitur, & fauces, & asperã arteriam, atq; gulam: cui neruorũ à cerebro ortorum exiguitates tantũ dãtur, præterquã in eius parte, quæ linguã vestit, cui neruos amplioris crassitudinis dedit, quoniã acumine gustus pollere debuit, scribit Gal. lib. de instrum. odoratus. Quod idem facere deberet natura, in parte quã narium intima vestit, si odoratus instrumentum, ea tunica ibi esset futura. Huius rationis vim, se

infringere putat Valesius, quoniã exiguitas nerui, narium tunicæ distributi, facit in nobis olfactum imperfectum, non autem quod ibi non sit olfactus. At ratio maiores & molliores neruos olfactus, quam gustatus organo, impertiẽdos esse probabat: qui si ob olfactus imperfectionem, à iusta sua magnitudine decidant: æquales erunt neruis linguæ, aut saltem maiores, quam pro tactu sit opus, quod non fit. Sensorium insuper olfactus, animantium quæ respirant, eandem sedem habet in omnibus, non ergo mutabitur, ob imperfectionem olfactus hominis solius. Tertio, nam olfactum alimenti, homine perfectiorem habent bruta quædam: differẽtiarum vero odorum, suauium, & insuauium, voluptatis, & molestiæ, ex ipsis captandæ, sensum perfectiorem habet homo: non ergo minores neruos, hominis olfactus, olfactu brutorum poscebat. Quarto, nam neruorum huius tunicæ paruitas, facit vt palatus, gula, & aspera arteria, nullum sensum habeant præter tactum: eadem ergo, faciet consimiliter in naso. Quinto, nam nerui effatu digni, qui huic tunicæ impartiuntur ad linguam, præter sensum tactus, gustum præbent, qui est veluti quidam tactus: & non sufficiunt olfactum præstare, ergo tanto maiores, & molliores, ad id requiruntur, quanto odor, est sapore immaterialior. Hæc (me iudice) si diligenter aduertisset Valesius, nõ sciscitaretur à Galeno, cur in linguæ tunica, sit sensus gustus, & non in naso: nec ex responso, speraret causam reddere, cur odoratus in naso sit, & non in lingua. Aperte enim Galenus, pro obiecti maiori tenuitate, necessariam fuisse in sensorio, maiorem nerui, tum mollitiem, tum molem docuit: & iuxta hanc rationem, lingua satis magnos recepit neruos, pro gustu, nasus vero, sola recepit capillamenta neruorum pro tactu necessaria, more aliarum membranarum, quæ solo tactu insigniuntur: ob idq; tam gustu, quam olfactu caret, tum apud Galenum, tum etiam apud Aristotelem. Nam si nasum (vt id quoq; addamus) sensoriũ esse censeret Aristoteles, nõ opus esset nobis respiratione, ad odorum apprehensionem: nobis enim non respirantibus, implentur nares vapore rei olentis: quo tempore non fit odorum apprehensio, quoniam sensorium intus, ad cerebri anteriorẽ partem iacet, vt ex Aristotele retulimus. Nec valet, quod Valesius, odoratum in partibus profundioribus nasi statuens, ob id putat, nos nõ posse olfacere nisi inspirãtes, quia ad profundũ nasi, nõ potest sine suctu, & inspiratione, attrahi odorus aër: quãuis enim (inquit) nares ipso impleantur, deest impetus trahẽdi, cuius impetus ratione, cum inspiramus penetrat, & odoratũ mouet. Contra vero est. Primo, quod dũ inspiramus trahitur aër, ad thoracẽ & cerebrũ, vacui ratione, per narium canales: ad narium vero intimam substantiam, non est cur penetret. Secundo, quoniam cum quidpiam exactius volumus odorare, leui & interscissa narium vtimur attractione, non autem impetuosa, quæ penetrare faciat. Tertio, quoniã maiori impetu & penetrationi magis exposito, per fistulã, aut follem, odorus aër indi naribus potest: quo tamen casu, odorem non sentimus sine respiratu, ergo respiratio non est necessaria, quoniam ad internam narium partem, faciat odorem penetrare: sed quoniam ad cerebrum, vbi est odoratus sensorium, deducit odorem.

Quarto,

Quarto, nam per catarrhos, colatorij foramina obstruentes, odorem non sentimus, quanuis ore clauso, naribus solis respiremus: quo casu, odorus aër, vniuersum nasum inundat. Nec valet quod Christophorus Marcellus. 3. lib. de anima, cap. 78. perinde id euenire putat, ac in cæcitate, ab optici obstructione pendente, citra oculi vllum affectum: neruum enim olfactorium, qui ad nares descendit, ad originem similiter obstrui censet in huiusmodi catarrho, citra nasi affectum. Contra tamen est. Primo, quod coli foramina dicta, frequenter ex leui malo, faciliq; catarrho obstruuntur, & olfactum adimunt, quod mõstrat curatio facilis: nerui autẽ (siue optici, siue cuiusq; alterius) sensum adimentis obstructio, graue malum est, & vix reparatur. Secundo, quoniã si cottũ, naribus ad originẽ vsq; immiseris, ita vt transitũ ad colatorium obstruas, & vniuersum nasum, infra deobstructum serues, odor non sentitur: quod tamen ex nerui obstructione, pendere nequit, sed ex impedita odoris ad cerebrum penetratione, siue per meatus manifestos, & os cribriforme, vt putat Galenus, & docet anatome: siue ob mẽbranulas quasdã, quæ vias & meatus, ad olfactus sensoriũ tendentes occludũt, quasq; respiratio reserat, dicta penetratio fieri debeat: vt lib. de sensu, & sensili, & 2. lib. de anima, cap. 9. ex anatomis imperitia seductus putauit Aristoteles. Quẽ tamen, satis superq; lib. de instru. odoratus, improbat Gal. Primo, quoniam anatome, & partiũ odoratui seruientium cõpositio, nullas eiusmodi valuulas monstrat: in naso enim duo foramina satis conspicua, & septo quodã interno diuisa cernimus. Eorũ vtrũq; supra media nasi loca, in duas partes est diuisum: altera obliqua, quæ in os tendit, altera recta, sursum ad eam caluariæ partem, ex qua nasus oritur scandit: quo loco ossa, cribro, coloq; similia, ob foramina quæ habet aperta, posita sũt. Mẽbrana autẽ ea quæ crassa est, ea parte, qua oßibus modo nominatis substernitur, minutis est foraminibus traiecta: vt cerebri mucus, ac recremẽta crassa, primum per huius crassæ mẽbranæ foramina, deinde per ossa cribriformia, viã habeãt, in duo nasi quæ cernimus foramina expeditã: vtq; aër pro odoratu, & pro spirituum animalium generatione, liberè ac expeditè, ad cerebrũ respirans, trahi & emitti possit: vbi nullæ valuulæ, aut claudentes membranæ visuntur. Secundo, quoniã huiusmodi valuulis, odoratus instrumentũ occludi, minime erat expediẽs: nec enim ipsi organo erãt necessariæ, siquidẽ tutus locus sibi erat, intra nares ossuosas, et cartilaginosas recõdi: nec animãti sunt vtiles, quis enim earũ vsus, nisi vt nõ semper olfaciat animans, esse potest? At melius est, omnẽ sensum aptũ esse, vt propriũ sensibile semper dignoscat: auditũ, gustũ, tactũ, nullo velamine operuit natura, semperq; sua obiecta sentire apta fecit. Soli oculi, in ijs qui molles eos habẽt, palpebris velãtur, vt somnũ captẽt, & quoniã facilè sine ipsis lædi possent, tũ ab externo lumine internũ dißipãte, tũ à puluere, festuca, fumo, & alijs, quæ arcet nictatio: voluntaria tñ, vt pro arbitrio, ac neceßitate videre poßimus. Animalia vero, quæ duros, & offẽsioni minime expositos, oculos habẽt (qualia locustæ, gãmari, paguri, & cãcri sunt) palpebris natura nõ insigniuit, vt in ꝑpetua quoad fieri potest actione seruetur. Cur ergo odoratũ

intra valuas occludet natura, quæ nisi dum respiramus, reserari nequeant? Tertio, nam si mobilibus valuulis, ac membranis, clauditur olfactus sensorium, nõ minus reserari possent, ex vehementer flante Aquilone, aut ex fistula, vel folle, odoratum aërem violenter impellente, quam ex leui respiratione.

Sed dubia sunt. Primum, cur per narium canales, & cribriforme os, duramq́ meryngem, foraminibus ibi pertusam (ita vt cerebri mucus, & crassa recremẽta, facilè vacuentur) non potest per fistulã, aut follem, immissus odorus aër, ad organum olfactus, sine inspiratione, transmitti? Nam citra violentiã, suapte spõte leuis vapor, per nares eo vsq; ascendere deberet, quantumuis respirationem cohiberet homo. Secundum, cur si olfactus sensorium, intra craneum est: moschum, aut odoratum aliud, quo nares implentur, non percipit? ex Aristotelis enim doctrina, quæ sensibile supra sensum, nullam sensationem efficere tradit: nasum colligemus sensorium olfactus esse. Tertium, cur cum naribus occlusis, odorum aërem, aperto ore respiramus, odoratus non fit? per obliquũ siquidem narium meatũ, qui ad os aperitur, odorus aër trahitur ad os cribriforme: non minus quam per alium, qui recta ad caput tendit. Hoc argumento freti Auerrhous. 2. coll. & eius sequaces, putant se demonstrasse, organũ olfactus non esse intra caluariã, sed in naso. Quartũ, cur eadẽ via odorẽ ciborum, quos ore mandimus, & ventriculo conficimus, non sentimus? quum à ventriculo, sursum vapores perpetuo efferãtur in caput. Hac enim ratione, ante Auerrhoum vsus est Zoar. Quintũ, cerebrũ particularibus sensibus caret, vnde. 3. lib. de causis sympth. Galenus, organũ non sentiens ipsum appellat: non ergo in ipso erit olfactus. Adhæc cerebrum trahit aërem, pro spirituum animalium generatione. Ergo satius fuerit, olfactum extra caluariam, ad tempestiue explorandum de aëre conuenienti, aut incommodo, quam intro ad cerebrum ipsum constituere: ne prius læsionem incurrat, quam eandem diiudicet animans. Voluptas præterea ex suaui odore, & ex fœtore molestia, in naribus deprehenditur: ergo ibi positum est sensorium. Demũ, animalia quæ dictis processibus carent, non olfacerent: nisi nasus esset olfactus instrumentum.

Ad primum, respondet Galenus, libro de instrumento odoratus, quod cerebrũ recipere aërem nõ potest, nisi dilatetur, quantumuis violẽter impellatur: eius enim locum, præexistens occupat aër: non dilatatur autem, nisi inspirando, tunc enim vacuiratione, tantum trahitur aëris, quantum cerebri cauitas, distensione augetur. Ad secundum respõdet Phyloponus. 2. de anima, cap. 9. quod ad odoratum, oportet aërem pati ab odorabilibus, vt is in nostrũ olfactũ agat: quare moschus naribus immissus, non est obiectũ olfactus, ob idq; nõ sentitur præ sui crassitie. Aër vero, moschi odore alteratus, nactus est tenuitatẽ organo cõuenientẽ, & ob id exacte sẽtitur. Tertiũ, quo vtitur Auerrhous, nõ magis Galenũ, quã se ipsum oppugnat: nares. n. extra occlusæ, odorato aëre, per os apertũ replẽtur. Quin nõ potest ab ore, is aër, caput cõscendere, nisi per nares: cur ergo odoratus nõ fiat, vtriq; incũbit respõdere: Cui tñ ꝓ Galeno dicendũ, quod per nares, ad cerebrũ, prompta & expedita est respiratio, & quæ

recta via odorem perferat. Per os vero, sensim ægreq́ fit, tum quoniam obliqua via est, à palato in frontē, tū etiā quia aërem qui os intrat, suffuratur distētio thoracis, ita vt eo feratur. Quare paucissima eius quantitas, & quæ sensum mouere nequeat, fertur ad olfactus sensorium, tum paucitate sui, tum etiam quoniā hebetatur, ac inefficax eius fit odor, oris humiditate, ac vaporum eius permistione. Quæ vero ore cōteruntur (quod quartum erat) non mouent odoratum, tum ob dictam rationem, tum etiam, quoniam res odorata (vt diximus) non est obiectum olfactus, sed aër odore alteratus: quæ vero in ventriculo coquuntur, hebetiora fiunt coctione, ita vt odoratum minus moueant. Accedit, quod multitudine vaporum, olfactus instrumentum, velut saturatū, & iam assimilatū, odorem è vētriculo spirantē non sentit: vt voluit
" Arist. probl. 2. sect. 13. vbi ita scribit. Cur esculenta male olida, minime his olere vi-
" dentur, qui illa ederunt? An quod olfactum peruium, ad palatum habemus, idcirco
" sensus hic prope impletur: Itaq; nec interiorē, æque amplius percipere potest. Prin-
" cipio enim, omnes sentire queunt, vbi autē tetigerunt, non insuper possunt, quasi iam
" res consociata, natiuaq; reddatur. Et exterior similis illi oblatus, delitescit obtentu
" interioris. Quæ verba, per palatum, odores olfactui præsentari, ipsumq́ obtundere significant, nec id mirum, si cōceptura mulier, & quæ obstructionibus prorsus caret, aromatis desubter suffita, & bene linteis, ac panis contecta, odorem aromatum vniuersum corpus penetrantem sentit, Hippocrate autore. 5. lib. Aphor. sentent. 59. Organum præterea non sentiens, cerebrum appellat Galenus, non quoniam nō sentiat, sed quoniā exiguum tactus sensum habet, vt ex eodem Galeno, libro de plenitudine constat: quare nihil obstat, sensum etiam odoratus habere: præsertim, quod dicti processus, à cerebri substantia, quadantenus degenerare videntur, vt optici, quorum substātia, cerebro est adeo similis, vt postquam oculum penetrarunt, & in reticularem tunicam dilatantur, adhuc cerebri phantasiam seruent. 7. libro de pla-
" citis, autore Galeno, in hæc verba. Quod si totum reticularis tunicæ corpus ex-
" trahas, conerisq́ id in vnum simul confundere, ac cogere, cerebrum proculdubio vi-
" debitur. Sique alicui ostendas, qui vnde id sumptum collectumq́ sit, non viderit, par-
" tem cerebri, sine vlla cunctatione, corpus id quod ostenderis esse affirmabit: neque
" credet talem substantiam, in oculis contineri. Vt ergo in tali corpore, quale cerebrū est, vis adest videndi, apud Galenum: ita in processibus dictis vis odorandi. Cerebri præterea saluti, conuenientissimè prospexit natura, instrumentum statuens odorandi, in ipso cerebri ingressu: sic enim fœtidi odores, deuitantur ne lædant, & suaues intimè ad cerebrum trahuntur, vt ipsis fruatur. Voluptas quoq; & dolor, ex suaui, aut molesto odore, præcipuè & magis, in dictis processibus sentitur. Cuius etiam nasus prorsus expers non est: nam vt venæ meseraicæ, præludium quodam habent virtutis sanguificandi, & intestina chylum faciendi, ne vel in ipso materierum trāsitu, otietur natura: vtque caro vicina neruo, vi sentiendi non caret: & spiritus visiuus, aërem sibi propinquum (vt scribit Gal. 7. lib. de placitis) sensificum efficit: nec

ob id est organum præcipuum videndi, aër: nec tangendi, caro: nec sanguificandi, vena meseraica: nec chylificandi, intestinum. Ita nasus, ne in odoris transitu otietur, ex organi olfactus vicinitate, præludium quodam accipit virtutis odorandi: cuius ratione, ab odore commotio quædam ibi sentitur, & voluptas etiam, aut molestia ex conuenienti, aut incommodo odore: quæ tamen consummata, atque integra ibi non sunt, sed in dictis processibus, ceu in radice, & origine, ac organo præcipuo sedent. Nam & ij, quibus vniuersus nasus præscissus est, odorem sentiunt: quod est omnium euidentissimum argumentum, & experimentum demonstratorium. Nec obstat, quod non respirantia, huiusmodi cerebri processibus carentia, odores percipiāt: sua enim est cuique, incommutabilis natura: quæ respirationis beneficio caruerunt, prominentem, & extantem odoratum postularunt: quæ vero inspiratone, odorem attrahere valent, reconditum habuerunt.

Longius certè, quam par foret tractatui de Temperamentis, in olfactus instrumento vestigando, digressi sumus: ne ignoti organi naturam, frustra venari conaremur: de qua tamen, nūc non est dubitandum. Humida namq; est, ac frigida, perinde, ac cerebrum: spirituosa quoque, ac vaporosa, quia in priori cerebri parte sedet. Ob id Arist. 2. lib. de Anima, cap. 9. ex aëre, aut aqua, olfactus organum magis cōstare affirmat: quoniam vtriusque particeps est, vt scribit Arist. 3. libro de Anima, cap. 1. in hæc verba. Nam ex hisce duobus simplicibus, tantum instrumenta sunt sensus, "
ex aëre, atque aqua, etenim pupilla ex aqua, auditus ex aëre, odoratus ex vtroque "
eorum. Alij vero legunt ex altero, nam dictio Græca ἑκατέρου *vtramque interpreta-* "
tionem patitur, vt notat Philoponus. Galenus etiam. 7. lib. de placitis, vaporosum olfactus instrumentum esse affirmat. Libroq; de instrumento odoratus, aliquid esse scribit, quod inter naturam aëris, & aquæ est: tale autem est vaporosum corpus. Ab odore enim, qui in vapore consistit, nihil aptius vaporoso corpore alterari quibit. Quomodo ergo libro de sensu & sensili, cap. 2. Aristoteles, odoratum igneū fecit, in hæc verba? Quare si in hisce perinde euenit, vt dicimus, palam est, hoc modo assig- "
nare oportere, & accommodare, vnumquodque sensorium, vni elemēto. Oculi enim "
partem cui videndi facultas data est, ex aqua constare existimandum est: ex aëre, id "
quod sonos percipit: olfactum, ex igne. Sed quæ sequuntur verba, aliquam forte lucem dabunt, vt contradictionis tollatur phantasia, ita enim subdit. Nā quod olfacien- "
di vim obtinet, id potentia est, quod olfactus actu: sensile enim, sensum agere facit. "
Quare necesse est, eundem sensum potentia prius esse. Odor autem, non nisi fumida "
exhalatio existit, quæ profecto ignea est. Quo circa & peculiare sensoriū olfactus, "
in cerebro situm est: nam rei frigidæ materia, potentia calida est. Quibus verbis "
constat, quod olfactus organum, igneum esse potentia voluit, actu vero rem frigidā, aut rei frigidæ materiam. Simul etiam expressit, quo sensu dixerit, olfactus organum, potētia igneum esse, quia scilicet tale est sensorium in potētia, quale sensibile in actu: sensibile enim per suum actum, actuat, & informat sensorium. Olfactus ergo

instru

instrumentũ frigidum, atq; humidum, & vaporosum, actu existens: ab odore calido, atq; sicco, fumidáque exhalatione ignea, actuatur, & igneum fit. Aliter enim, nec odoratus, nec alterius vllius sensus instrumẽtũ, igne cõstat, vt. 3. lib. de Anima, cap. 1. scribit Arist. in hæc verba. Ignis, aut nullius est instrumenti, aut communis omnium est, quippe cũ sine caliditate, nihil sit sensitiuum. Quæ si Valesius aduertisset, 2. lib. Controuersiarum, cap. 21. non tam fuisset inurbanus, atq; iniurius Aristoteli.

Auditus quoque instrumentum, humidum est: est enim aëreum, apud Gal. 7. lib. de placitis, & libro de instrumẽto odoratus. Estque prope cerebrum, ad extremum meatus auditorij, vt scribitur. 1. lib. de causis sympt. cap. 3. tam cerebrum autẽ, quam aër humida sunt: instrumentum ergo auditorium humidum est. Nam & Arist. 2. de Anima, cap. 8. & libro de sensu, non modo aëreum, sed aërem insitum, intra pelliculam, quandam contentum, quiescentem, & animatum esse perhibet. Huiusmodi autẽ aër, aut aëreum corpus, ego animalem spiritum, ibi à natura locatum, vt ab externo aëre, sonis verberato pulsetur, esse existimo: tum quoniam spiritus animalis, omnium sensationum, est accommodatissimum instrumentum, tum quoniam ex sonis, non minus aëre verberari quibit: tum etiam, quoniam Philoponus, lucidissimus Aristoteles expositor, de eo spiritu Aristotelem interpretatur. Spiritus autem omnis valde humidus est.

Visus restat instrumentum, cuius partes si expendamus, dubio procul humidum erit. Humores enim, spiritus, optici nerui, & musculi oculos mouentes, sunt partes oculi humidæ, quæ membranarum siccitatem excedunt. Quare non sunt audiendi, qui oculum calidæ, ac siccæ temperaturæ, ob id statuunt, quod siccitas membranarũ, (apud ipsos) excedit humiditatem reliquarum partium, & calor spirituum, ac musculorum, excedit frigus, humorum, membranarum, & neruorum. Adhæc, quoniam corpori valde mobili, calor (inquiunt) ac siccitas magis conueniunt contrarijs. Tertio, quia visus, est alijs sensibus spiritalior: calore ergo, ac siccitate, qualitatibus magis à materia semotis, debet insigniri. Falluntur tamen, quoniam quanuis spiritus, oculum calefaciant, temperie influente, frigidi tamen sunt, ex complexione innata, & partium componentium commistione. Accedit, quod spiritus, & influens temperies, nõ permutant membrorum temperaturas, sed actuant & conseruant, vt supra diximus: oculus ergo membranis, & humoribus constans, frigidis vtrisque, necessario frigebit: trino quoque humore plenus, humebit. Mobilitas vero oculorum, ex musculorum oculum mouentium, multitudine pendet: non ex oculorum calore, ac siccitate vt rentur. Nec opus habuit visus, calore ac siccitate immaterialibus: luce enim, & visualibus radijs luminosis, & magis à materia semotis insignitur. Hinc Aristoteles, libro de sensu, & 5. de generatione animalium, cap. 3. oculum aqueum esse testatur. Primo, quoniam oritur, atque fouetur, à cerebro frigido, atq; humido. Secundo, quia pueris & quamplurimis animalibus, vbi primum oculi formati sunt, humore tumentes, & extantes inspiciuntur. Tertio, quoniam corruptis, ac perfra-

ctis oculis, quod inde exit videtur aqueum. Sed cur oculum non finxit natura aëreum, siquidem aër est magis pellucidus: & à coloribus alteratur, cum nitidus est, ac purus? Dicendum, ex Aristotele. 2. lib. de partibus animalium, & libro de sensu, quod aquea natura, inter omnia pellucida, maxime conseruari potest, & impressas sibi imagines retinere: nam cum aër facilius exsiccetur, & lubricus sit: nec ita conseruari, nec constare, nec impressas imagines retinere, ac aqua potest. Cur præterea lucem habent, si aquei sunt? Respondet Galenus. 7. lib. de placitis, in oculis esse copiosum lumen, ex spiritu animali plurimo, per opticos delato. Spiritum enim huiusmodi, per opticos ferri, monstrat ipsorum opticorum cauitas. Oculo vero contineri mõstrat, quod altero oculo clauso, pupilla alterius dilatatur, aperto vero, in suã magnitudinẽ reddit: spiritu scilicet, ab vno ad alterum, per commune foramen, vbi vtrorumque coitio est, transiliente. Quod vero ingens ibi sit lumen, sensu aperte deprehenditur, vbi oculus ita comprimitur, vt lumen cõfertim exire cogatur: quod etiã capite percusso, & per phrenitidas, & per validos capitis dolores, & vbi quispiam à somno, in quo spiritus copiam aceruauit, repente expergiscitur, non dissimili ratione euenire consueuit. Imminente etiam, ab obstructione optici cæcitate, splendor ab humore decumbente, per oculum extruditur. Noui enim (inquit Galenus) quen- «dam, qui cum eodem hoc malo affectus esset, narrabat nobis, se prius, quam in eam ca- «lamitatem incidisset, in somnis patefactis repente palpebris, magnam ante oculos «lucem solitum videre (quod scilicet, & mihi, & alijs multis euenit) quæ tamen lux «subinde diminuta fuerit, vt nihil penitus amplius appareret: atque ita videndi sen- «sum sibi obscuratum, simili modo penitus interijsse. Addit, quod in leonibus, & par- «dis, alijsq; animalibus, quibus lucidi admodum, splendidiq; oculi sunt, noctu videre li- «cet orbem splendoris, in pupilla apparere, vbi eam ad nares contorserint. Vt collige- «re possimus, tantum à pupilla in medio spatio auctum visorium conum, quantus pro «rata interualli portione ipsius orbis extiterit. Quiquidem conus, quibus maior na- «tura est, in ijs maior etiam splendoris orbis conspicitur, quibus minor, in ijs pro ratio- «ne paruitatis, tanto minor etiã orbis apparet. Hinc cõstat quã frustranea, sit Aristo- «telis sententia, libro de sensu, vbi lucem internam in oculo esse ob id negat, quod si ibi esset obiectum præsens potentiæ, semper sentiretur. At sciat, quod non subit rationẽ obiecti, nisi cũ multitudo spirituũ confertim pellitur, & per vim exire cogitur. Male præterea eũ splẽdorẽ, ab oculi humore emitti cẽset, quia aqua perspicua est ex sui natura, in oculo autem crassior facta, magis lucet. Fallitur tamẽ primo, quia nec aqua, nec aër, actu perspicua sunt, nisi talia reddãtur per lumẽ, vt ipse inuit Aristoteles: cũ aërẽ inquit esse materiã, ac lumẽ formã, tenebras vero priuationem. Quare nõ statim, ac oculi humor aqua est, spissiorq; reddatur, actu erit perspicua: si desit sibi spiritus illuminans. Secũdo, quia quamuis huiusmodi aqua, oculiq; humor, quadãtenus luceret, maior tamen est oculi splendor, quã vt ex aëre, aqua, aut aqueo humore, prodire queat: adeo enim splendidus est, ac si æthereus ignis, ibi micaret.

Eius

Eius namque splendoris ratione, ab Empedocle, ac Platone, igneum visus instrumentum: non autem quoniam elementum ignis, in oculi compositione exuperet, appellatum fuit: Nihil enim aliud dicti autores, lucis voce intellexerunt, quam lucidissimũ spiritum, qui oculum illustrat, & aërem alterat, sibique similem reddit, vt autor est
" *Galenus. 7. lib. de placitis, in hæc verba. Merito visus, illo desuper influente lucido*
" *spiritu indiguit, qui in aërem occurrens, eum quadam quasi percussione, sibi similem*
" *redderet. Apte igitur dicemus, visus instrumentum lucidum esse, aëreum auditus,*
" *vaporosum olfactus, gustatus humidum, terreum tactus: nullo enim alio modo po-*
" *test, cum ex similium alteratione consistant. Atque hoc est, quod Empedocles vo-*
" *lebat significare, his versibus.*
" *Conspicimus terram tellure, liquore liquorem.*
" *Aëre naturam aëream, ignem cernimus igne.*
" *Sentimus enim re vera terrestri sensu, hoc est tactu, terrestrem insitam in re-*
" *bus naturam: lucidissimo qui est visus, lucidam: non secus etiam aëreo auditus sen-*
" *su, proprias aëris affectiones dignoscimus: quemadmodum gustatu, qui humidus na*
" *tura, spongiosusque est, succorum qualitates nobis innotescunt. Superest vnius, olfa*
" *ctus nempe instrumentum, quod non in narium meatibus sedem habet, vt pleriq; pu-*
" *tant: sed in extremitatibus anteriorum cerebri sinuũ, quo narium meatus pertinẽt:*
" *qua maxime in parte, vaporosos esse cerebri ventriculos constat. Sed de hoc, qui*
" *copiosius legere voluerit, habet vnum à nobis cõscriptum librum, qui de olfactus in*
" *strumento inscribitur. Quintus quippe hic (licet non sint quinque elementa) sensus*
" *euasit: quia odorum genus, mediam inter aërem & aquam, naturam sortitum est. Id*
" *quod etiã Plato in Thimæo, inquit his verbis. Dum enim aqua in aërẽ, aërq; in aquã*
" *mutatur, medij extiterunt odores vniuersi. Loquitur idem de visus instrumento,*
" *idque ignis purissimi, esse genus affirmat, quem ipse splendorem, & lucem appellat,*
" *à pruna, & flamma longe distantem. Ait enim. Post hæc considerandum est, ignis*
" *genera multa extitisse: primum flammam, quodq; à flamma procedit, minime vrens*
" *illud quidem, sed lucem oculis exhibens: tum quod flamma extincta, in ipsis igni-*
" *tis corporibus restat. Ex his tribus generibus, quod non vrit (vt ipse in-*
" *quit) sed lucem oculis exhibet, in visus instrumento, plurimum reperitur.*
Quare Aristoteles, dum Platoni contradicere putat, ipsi nullatenus contradicit. Aqueus enim est oculus, quia humore plenus: Igneus quoque, idest lucidissimus, quia spiritus animales splendidos, per opticos neruos recipit à cerebro: qui oculi humoribus permisti, totam eorum substantiam reddunt sensiuam, vt eodem. 7. lib. de placitis Gal. scribit Frustra vero, vt eius splendoris causam reddat, ad lucem externam, in organo reseruatam, confugit Aristoteles: quamuis enim non statim euanescat, sicut nec visilium species, sed aliquandiu in organo seruetur (vt putat) exiguum tamen lumen est, quod seruari potest, nõ autẽ ingẽs splendor, qui percipitur. In tenebris quoque, quando solem, aut lumen, multo ante non conspeximus (eo scili-

cet

cet tempore, quo ex ante visa luce, nihil reseruatum esse potest) oculus compressus, eiusmodi lumen reddit. Accedit, & altera aduersus Aristotelem, minoris momenti obiectio: quod humor oculi, lucem sibi insidentem, & reseruatam, nõ posset videre, non enim à se ipso, alterari quibit, sensus autem, sine alteratione, ac passione non fit. Huic sane facile occurrunt, cum Alexandro Aphrodisiensi Perepatetici, quod ex oculi cõpressione, aut capitis percussione, oculi humor agitatur, inæqualisq; in partibus efficitur, ita vt pars vna, ab altera illuminetur, & illuminata, fulgorem comprehendat. Exemplum est, de aqua in vase contenta, in qua modicum recipiatur lumen, putà imago fascis ardentis: aquã hanc si cõmoueas, propter partium aquæ inæqualitatem ex motu acquisitã, fascis imago in aquæ ipsius superficie turbatur, variusq; efficitur splendor, parte vna, reliquas ita illuminãte, vt si aqua esset visus compos, suũ fulgorem necessario conspiceret. Quod vero plurimum fulgorem conspiciant, nisi valde lucidi sint, rationẽ tradere nequeunt. Nec obstat, quod si recipiens, debet esse denudatum, à formis recipiendis, vt sensus fiat: oportuit etiam, oculos qui lucem, & splendorem externum inspiciunt, splendidos non esse: lumen enim, & perspicuitas, naturæ communes sunt, non impedientes, immò adiuuantes, perceptionem omnium visibiliũ: ob idq; perspicuum, & lucidũ oculũ fuisse, fuit conuenientissimũ, valdéque necessarium. Nec obstat etiam, quod si oculus humidus esset, non seruaretur siccis medicamentis, quibus seruatur apud Auicennam, tertia, tertij, tractatu primo, capite de conseruatione sanitatis oculorum: similibus enim fit conseruatio, præsertim in passiuis, apud Galenum, tum alibi, tum lib. 6. de sanitate tuenda. Non obstat (inquam) quoniam medicamenta externa sicca, prosunt oculis multipliciter. Primo, quia occurrunt membranis siccis, quæ similibus seruãtur. Secundo, quia retinent spiritum visorium, ne exhalet. Tertio, quia absorbent ichores, & excrementa, à quibus fere debiles oculi non liberantur, tum ob incoctionem, tum etiam, quoniã à cerebro, in partem vicinam debilem transmittuntur.

Traditur clasis eorum, quæ in nostro corpore *sunt sicca.* *CAP. IX.*



VANVIS pro mensura mollitiei, atque duritiei, humiditatem, ac siccitatem partium, metiatur Galenus, vt diximus: euidentius tamen, huiusmodi regula, in siccis, quam in humidis deprehenditur: non quoniam dispar sit ratio, duri ad siccum in corpore nostro, ac mollis ad humidum, plane enim est eadem: sed quoniam durum, tactum premit: molle vero reprimitur, & minus quam durum tactum afficit. Ob id, in siccorum classe, nihil fere est quod dubites, Galeno perlecto, primo libro de Temperamentis, capite vltimo, vbi ita scribit. Siccissimum, ac frigidissimum est pilus. Minus eo, & frigidum, &

,, & siccum est os: hoc vero minus siccum est cartilago. Proxime hanc sequitur ligamentum, & quem Græci composito nomine χονδροσύνδεσμον, id est cartilagineum ligamentum vocant. Post hunc tendo, deinceps membrana, & arteria, & vena, ipsa scilicet corpora vasorum. Succedũt deinde nerui duri. Molles autem nerui, in humiditate, & siccitate, mediam naturam sicuti cutis obtinẽt. Hæc Galenus. Quæ solo fere ordine variant, ab his quæ postea tradit. 2. lib. de Temper. cap. 4. vt enim primo libro orditur à siccissimo, in minus siccum: sic secundo libro, à minus sicco fere, in siccissimum tendit, ita enim eo loco scriptum reliquit. Porrò omnes mẽbranæ, cute sunt sicciores, veluti cerebri, & spinalis medullæ inuolucra, quæ menynges dicuntur: sunt enim hæ quoque membranæ. Iam ligamenta omnia, quanto cute sunt duriora, tanto sunt & sicciora. Tendones quoq́, tametsi ligamentis sunt molliores, attamẽ cute luculẽter sunt duriores. Cartilago vero, post ligamentũ deinceps est. Præterea mediũ quoddã, inter ea corpus: appellant id anatomici quidã νευροχονδρώδη σύνδεσμον quasi cartilagineum ligamentum dicas. Est autẽ id, durum, cartilaginosumq́ ligamentum. Os vero, omnium quæ cutis operit, durissimum est. At eorum quæ ex cute extant, siccissimus est pilus, deinde cornu, mox vngues, & vngulæ, & calcaria, & rostra: quæque his in singulis animalium, ratione carentium similes sunt partes. Hæc Galenus. Sed si pilus, est osse siccior, cur ex regula tradita, non est ipso durior? Dicendum, quod inter ea quæ sunt eiusdem, non autem diuersi generis, eiusmodi regula est vera. Eiusdem generis appello, nostri corporis partes, quæ animatæ sunt, & ex sanguinis coctione, ac commutatione proueniunt. Diuersam rationem habet pilus, qui nec pars corporis est, nec ex sanguinis, aut humoris alterius coctione fit: sed ex fumo per vim compacto, & consistente. Non potest autem fumus, ad æqualem duritiem, ac humor assurgere, quantũuis vstione siccescat, & meatus angustia comprimatur. Nec obstat siccitati pilorum, quod in capite, humido membro nascantur, nec quod humidæ naturæ, ætates, & sexus, pueri (inquam) mulieres, & eunuchi, non caluescant. In capite enim magis nascuntur pili, non ob humiditatem, sed quia cutis capitis siccior, atq; durior est: hæretq; præter id, ossi nudo. Citius etiã magisq́ nascuntur in syncipite, quoniam siccior, & magis excarnis, ea parte cutis habetur. Eadem etiam siccitas, cum valde augetur, in naturis, ætatibus, sexibus, & partibus nostri corporis siccioribus, cutem reddit duram, occalescentem, ac veluti testaceam, & cicatricum more, à fumo, ac pilo impenetrabilem. Ob idque caput prius, & in ipso magis synciput, reliquis partibus caluescit. Prius enim accedunt, ad siccitatem impenetrabilem, & pilis continendis prorsus ineptam, vt. 2. lib. de Temperam. cap. 11. scribit Gal. Pueri vero, mulieres, & eunuchi, calui non fiunt: quoniam ad eã siccitatem, ob humiditatem temperamenti, non accedunt. Os vero, minus pilo siccescere, triplici argumento, conuincit Auicenna. Primo, quia fumus ex quo pilus gignitur, siccior est sanguine, aut semine, ex quo constat, & nutritur os. Secundo, quia ossibus nutriuntur canes, & lupi, & alia etiam animantia, ob humidum nutrimen-

tale,


tale in ipsis repertum: pilis vero non. Tertio, quia cum duplex humidum in mistis agnoscamus: unum aqueum, minus naturale, minusq; nutriens, & alterum aëreum, pinguius, nutrimentalius, viscosius, & partes ipsius misti continuans, ac cõglutinãs: vtrumq; eorum elicit (primum aquæ, secundum vero, olei forma) ars destiliandi, paucissimum ex pilo, abundantius vero ex osse, æquali pondere sumpto. Terreum quoque excrementum, ex pili destillatione relinquitur copiosius, parcius vero ex osse: ergo humidior pilo est os, quãuis minus ipso sit durum, quoniam diuersi generis materia constãt, vt diximus. Cartilago vero, eiusdem generis cum osse materia constans, quãto est mollior ipso, leuior, & magis flexilis, tanto minus sicca habetur. Post cartilaginẽ, ligamẽtum cartilagineum sequitur: quod vt siccius ac durius est, ligamẽtis alijs, ita cartilagine ipsa humẽtior, ac mollior est. Post ligamentũ tendo statuitur: quoniam præter ligamentum, neruum motiuum, qui ligamento est mollius, ac humidius, in sui recipit compositione. Membranæ sequuntur, veluti cerebri, & spinalis medullæ inuolucra, peritonæum quoque, & omnes ab ipso, in viscera natæ propagines, tum ad obuoluenda, & custodienda, tum etiam ad suspendenda membra quibus insident: quæ omnes, sunt tendonibus minus siccæ. Arteria & vena, deinceps sequuntur, apud Galenum: primo quidem arteria, deinceps vero vena, apud Auicennam: quia cor, a quo nascitur arteria, est siccior iecore, à quo procedit vena: & sanguis arterialis, est siccior venali, arteria etiã ex motu perpeti, & calore magis feruẽte, quadantenus exsiccatur. Hic autem ipsa vasorum corpora (ex sibi scilicet insita temperie) intelligenda esse, monuit Galenus, cap. vlt. primi libri de temperamentis: quoniam si alterationi, quam à sanguine, & spiritu recipiunt attendamus, contactu sanguinis calefiunt, atque ad medium temperamenti statum veniunt, vt eodem capite scripsit Galenus. In altera quoque oppositione, commutationem etiam, & alterationem temperamenti recipiunt, quamuis minus insignem. Cur enim, si sanguis magis est humidus, quam calidus: arteriæ & venæ, ex ipsius contactu, ad medium potius actiuarum, quam paßiuarum statum venient? nam humiditatis in agendo minor efficacia, id vnum efficere est potis, vt citra medium statum, in commutatione sit restitum, si ad medium vsque in actiuis est deuentum: non autem, vt commutatio non fiat prorsus. Hinc Gal. 7. lib. meth. quartã siccitatem memorat, quæ in proprijs cuiusque particulæ, exilibus venis, & arterijs consistit: quamq; ex sanguinis penuria, prouenire docuit: humiditas ergo illi siccitati contraria, ex sanguinis præsentia, & abundantia pendebat: insitumq; vasorum tẽperamentũ, naturali quadã & cõuenienti cõmutatione immutabat. Post venas, neruos duros memorat Galenus, oriũtur enim, ab humidißimo cerebro, eademq; cum ipso substãtia cõstant: venæ vero ab hepate, multo minus humido, quam sit cerebrum. Nutriuntur præterea pituitosiori, ac magis glutinoso alimento, quã venæ. Omnes insuper nerui motiui sentiunt: ad sensum vero, maior humiditas requiritur, quã venis insit. Ergo tam ortus, quam nutrimenti, quam etiam functionis ratione, humidiores venis, sunt nerui. Reponuntur

autem

autem in genere, atquè classe siccorum, quoniam ad motum voluntarium, firmitate est opus, quæ excessu siccitatis comparatur. Omnium mediocritatem tenet cutis, tam actiuarum, quam passiuarum: quanuis enim membrana, vniuersum corpus obtegens, & possit appellari, & appelletur interdū, eo tamē nomine hic non venit, sed ipsi potius contradistinguitur, cum.2.libro de Temperam.cap.8. omnes membranas, cute esse sicciores, scripsit Galenus. Cum vero.7.libro de Placitis, Hippocratis & Platonis, & libro de instrumento odoratus, tactus instrumentum terreum esse definit, non voluit huiusmodi mediocritatem, & exactum cutis temperamentum adimere: sed hunc sensum, & eius obiectum, reliquis sensibus, & obiectis comparare. Reliquorum enim sensuum magis immaterialium comparatione, crassum, atque terrenum est, tum neruus, tum etiam cutis, & quoduis aliud tactus instrumētum. Quomodo vero cutis, media substantia sit, ex neruo & carne, aut ex neruo & sanguine temperata, dictum à nobis superius est.

De calidorum, frigidorum, humidorum, *atq; siccorum contraoperantia, & temperamento, per coalternationem consurgente.*

CAP. X.



AS qui contrariorum membrorum classes expenderit, facilè æstimare poterit, nostrum corpus ita ex contrariarum partium temperamentis constare, vt in rectè, & bene temperato homine, frigida æquentur calidis, & humida siccis: non quidem indiuidua æqualitate, quam explosimus ceu inutilem, sed quæ latitudinem habeat insignem, vt diximus. Vt enim tres partes lactis, diuersorum vnaquæuis temperamentorum: medium aliud in toto lacte temperamentū cōponunt, ita ex cōcinna, & naturali contrariorū mēbrorū coaptatione, tēperamentū aliud consurgit in toto, totū hominem temperatum reddens: aut intemperatum, si membra componentia, à recta temperatura decifcant. Omnia enim nostri corporis membra, sibi inuicem, & toti, imprimunt temperaturam suam, pro suarum viriū ratione: præcipua quidem membra, insignem impressionem, & commutationem faciunt, quæ vero præcipua non sunt minorem. Cor enim calidum, aut frigidum, humidum, aut siccum, totum corpus in simile ducit temperamentum, nisi iecur contrariè temperatum valde repugnet: & iecur similiter intemperatum, totum corpus in suū trahit intemperamentum, nisi obstet contrariè temperatum cor. Cum vero in vnū conuenerint vtriusque principij temperaturæ, totum secundum illas exquisitè afficitur corpus, vt autor est Galenus libro artis medicinalis, capite quadragesimo primo. Cerebrum quoque, spiritus vitales, quos cor calidissimos, ad vitam, corporis tutelam, & impulsum in corpus genuit: temperat, & refrigerat, ad quietas

sensationes & intellectiones, & motus compositos, ac minime turbulentos, item & ad somnum conciliandum. Testes præterea, vniuersum corpus alterant, & floridum reddunt. Ventriculus quoque, insignem facit mutationem, quoniam materiã parat, quæ vniuersum corpus alterat: qui etiam à vicinis membris (ceu lebes in furno constitutus) vndique incalescit. Pulmo, suas alterationes, celerrimè cordi communicat, vt scribit Gal. 4. lib. de præsagatione ex pulsibus, cap. 2. Caro vero, os sibi cõiunctum calfacit: & quædam caro, est siccior alia, quia magis ab osse exsiccatur. Sic thus in vlcere capitis, & partis, ac naturæ siccæ, est suppuratorium, quoniam eius cõparatione humet: in parte vero musculosa, & natura molliori, carnem gignit, quoniam similem cum ea carne, naturam sortitur, vt docet Gal. 3. lib. Methodi. Sic neruus cordis valde calet: & transiens per os, exsiccatur, & durescit. Sic cerebrum natura frigidum, spirituum calore temperatur, octauo libro de Vsu partium, autore Galeno: & vasorum corpora, sanguinis & spirituum calore, in medium statum deducuntur, vt scribitur primo libro de Temperamentis, capite vltimo. Hinc eorum detegitur error, qui in membris naturam suam seruantibus, nullam fieri contraoperantiam autumant, agunt enim membra in se se, puta in suum humidum: & inter se se, puta calida in frigida, & humida in sicca: agunt præterea in tertium (puta in totum corpus) contraoperantia positiua, & priuatiua. Priuatiuam appello, in qua conantur membra, temperiem contrariam inferre, aut in se ipsa, aut in tertium, & nulla qualitas inducitur, propter æquipotentiam contrariorum: prohibent tamen se inuicem, ne vlterius labãtur. Positiuã autem, eam esse dicimus in qua qualitas aliqua, per actionẽ acquiritur, & eius contraria corrumpitur. Hæc autem quadruplici constat differentia, aut enim est minuens, aut æquans, aut in contrarium permutans, aut augens. Si namque cor calidum, de iecoris frigore, dimidium intemperantiæ adimat, ipsam minuit: si ad temperatum perducat, coæquat ipsam: si vltra temperatum calfaciat, in contrarium temperamentum permutat. Si iecur (quod iam incaluit, & in contrarium temperamentum versum est) vlterius calfaciat & intemperet, eius intemperamentum auget. Eædem contraoperantiæ fiunt, à membris contrariæ temperatis, in tertium: si enim à cerebro frigido, tantundem refrigeretur musculus, ac à corde calido incalescit, priuatio fit effectus vtriusque, propter æquipotentem actionem contrariam. Si vero magis excedat cerebri frigus, refrigeratur musculus à cerebro, magis quam incalescat à corde: ita vt si musculus (verbi gratia) intemperiem calidam habuit, per eam cerebri perfrigerationem, minui eiusmodi intemperies, aut ad exactam temperiem duci, aut in frigidam intemperiem contrariam permutari possit. Aut si frigida fortè musculus labebatur intemperie, eam necessitate quadam, eadem auget à cerebro perfrigeratio. Nam quomodo sine contrariorum membrorum contraoperantia, saluari potest temperies ex ipsorum coalternatione orta: ob quam singularum partium temperamenta, laboriosè excussit, & librauit

Galenus,

Galenus primo libro de Temperamentis, capite vltimo, & secundo eiusdem, cap. 8. Si manum praeterea thoraci, aut ventri admoueamus, ad sensum se contempe-rant: ergo multo magis se contemperabunt, iecur, cor, & cerebrum, sanguis, & spiritus ab his transmissi in corpus, carnes insuper, & ossa, quae magis dissidentia sunt. Iecur praeterea, & cor, vniuersum corpus alterant, & contemperant, per sanguinem & spiritum transmissum: ergo & se se contemperabunt, nam inuicem sibi ipsis sanguinem transmittunt, atque spiritum. Cor insuper febrientis, laedit cerebrum calore: sicut cerebrum attoniti, soporati, & congelati, laedit cor frigore: sed ante alterationem quae laedit, est alteratio manifesta non laedens, haec ergo reperiri debet, in lapsibus, & intemperantijs, intra latitudinem sanitatis contingentibus: & ex consequenti, cordi calido, reluctabitur cerebrum frigidum, ipsumque manifesta alteratione alterabit. Ante manifestam vero alterationem, est alteratio ineuidens: haec ergo respondebit membris, parum à temperato recedentibus. Temperatis vero, aut exigua quaedam alteratio positiua, aut ad minus priuatiua respondet: quoniam membra praecipua, quantumuis temperata sint in suo genere, sunt tamen intemperata, & prona in lapsum similem: in quem ne labantur, oportet vt sibi inuicem sint impedimento, ob contrarietatem quam habent: quod sine contraria inuicem actione, & alteratione, fieri nequit. Cum ergo temperata omnia membra sunt, tam praecipua, quam ignobilia, alterant se se, & corpus vniuersum, contraoperantia priuatiua, per quam inuicem sunt sibi impedimento ne labantur, aut quod expeditius dicitur, se se tuentur. Quoniam omnia membra inuicem sui sunt indiga, ob idque vniuersum corpus confluxile, & conspirabile, fabrefecit natura, vt mutuam opem, & tutellam, membra sibi possent afferre. Cor temperatum, sanguinem arterialem, spiritum, & influxum, mittit iecori, & vniuersis partibus, qualem, & quantum requirit, pro suscitanda, ac actuāda innata ipsorum temperie, quae velut qualitas est potentialis, actuatione illa cordis indigens, vt operetur. Iecur vero temperatum, remittit cordi sanguinem, & naturalem (si is datur) spiritum exacte confectum, nec crudum, nec à corde inflammari aptum, vt in cordis substantiam temperatam, ipsum commutet: vtque sanguinem arterialem, atque vitalem spiritum, temperatissimum in suo genere, ex eo gignat. Vniuersis etiam corporis partibus, talem, ac tantum mittit, qualem, ac quantum, sua poscit natura, vt in similem sibi substantiam commutari possit. Quod si membrorum quantumuis temperatorum contrarietatem, nobis rursus obtrudas, ex qua non sola tutella, aut actio priuatiua, sed qualitatum aliqua corruptio, & generatio positiua, fieri sit necesse: eam leuem, ac naturalem esse dicemus, adeoque exiguā, vt nō modo laesionē, nec sensum vllū inuehat, verum magnā etiam inferat vtilitatē, quoniā tēperamentū ex coalternatiōe, per hāc ipsorū leuē actionē cōsurgit. Nec maior isthaec est alteratio, quā quae à somno & vigilia, cibatiōe aut fame, secundū naturā inuehitur: sicutq́ per hāc, ob eius leuitatē non tollitur, quomi-

nus somnus & vigilia, cibus & fames, pro ratione administrata sint conseruantia, ita leuis actio positiua inter os temperatum, & carnem temperatam, iecur quoque atque cor temperata, non tollit conseruationem, & tutelam mutuã. E quis enim dubitare potest, aliter nostrum corpus disponi dormiens, aut vigilans, cibatum aut inanitum? Hãc sane exiguam, & pauci momenti contraoperantiam, tum in partibus optimè tẽperatis, tum in hecticis febribus, quæ æqualiter ac proportionabiliter corporis membra intemperarunt, notauit Galenus, libro de inæquali intẽperie, cap. 6. in hæc verba. Itaque etiam hecticæ febres omnes, tum sine dolore, tum nec sensu, ab ijs qui ipsis laborant perceptæ. Non enim ex eorum particulis hæc agit, hæc patitur: cum omnes inter se iam similes sunt redditæ, ac vnam habeant consentiẽtem temperiem. Quod si alia calidior est, alia frigidior: at certè eatenus est frigidior, vt vicinã nihil offendat: alioqui sic scilicet partes, quæ pro naturæ modo se habẽt mutuo se offenderent: vtpote quæ sic quidem temperamentis dissideant: caro namq; calida particula est, os frigidum, cæterum tam harum partium, quam reliquarum omnium, indolẽs inæqualitas est, modi excessus merito. Quibus verbis, non prorsus actionem mutuam carnis in os negauit, est enim ob contrarietatem necessaria: sed indolentem (exigui excessus merito) esse voluit. Cuius tamen nos indolentiæ causam, non modò exiguũ contrarietatis excessum esse putamus, sed insuper addimus, quod eiusmodi præter id contrarietas, naturalis est, vtilis, & ad temperamentum ex coalternatione gignendum, item & ad natiuam membrorum intemperaturam seruandam, propè necessaria, tanquam eius frenum, ne furiat, & in similem suæ intemperaturæ lapsum decidat. Cordis enim à respirato aëre refrigeratio, indolens est: non ob exiguũ excessum aëris frigidi, ad calidũ cor: magnus enim inter ipsa excessus est: sed quoniã naturalis est, vtilis, & necessaria, huiusmodi refrigeratio, & solius naturæ nomine est indolẽs: magnitudinis vero ratione, sensilis & voluptuosa: cor enim oblectatur, cũ aura frigida, & expetita, fruitur: frustra enim gentilis, insensibilitatem eius in corde causatur.

Si vero membra intemperata sunt, aut simili intemperie à tẽperata labuntur, ita vt omnia sint calida, aut frigida, humida, aut sicca: aut dissimili, ita vt quædã labantur ad calidum, & alia ad frigidum. Quæ simili intemperie tenentur, aut æqualiter ac proportionabiliter labũtur, aut inæqualiter. Aequaliter ac ad proportionẽ lapsa, non contraoperantur momentaneè: nam si id non efficiunt hectici mẽbra, validam qualitatem & præter naturã habentia, multo minus quæ minores qualitates, & intra naturæ limites constitutas possident. Inæqualiter vero lapsa, in id cõtraria actione contendent, vt sese contemperent, ac ad intermediam contrariorum æqualitatem veniãt. Si namq; caro & neruus, ad calidum ita labantur, vt carnis quam nerui lapsus sit maior, neruus remittet calorẽ carnis, minus quam neruus temperatus remitteret, & caro intendet calorẽ nerui, plus carne temperata: itaq; peracta actione, tam os, quam caro, ad calidum labuntur æqualiter, ac proportionabiliter: vt enim intensum, auget qualitatem remissi, contraoperantia augente, sic remissum remittit intensum,

sum, contraoperantia minuente. Quæ vero contraria intemperie tenentur, aut natiua temperie labuntur, iuxta latitudinem complexionum, quæ intra sanitatis limites consistit, aut lapsu præter naturam, & morboso. Si lapsus est præternaturam, ad medium ferè reducuntur interualli: vtrumq; enim naturam habet adiutricem, quæ morbum debellare studet. Ferè autem aduerbium, additum est, propter maiorem caloris, quam frigoris efficaciam. Si vero lapsus est naturalis, contraoperantur quidem ex vi & natura contrariorum, minus tamen actione proficiunt. Primo, quoniam naturam vniuscuiusque membri, habent reluctantem reductioni: natura enim, etiam si intemperata sit, similia poscit, & per ipsa tueri postulat, & quæ reducunt, vim ipsi inferunt: quare iubemur à reductione abstinere, nisi per otium, & integram valetudinem. Secundo, quoniam temperamentum, non in solis qualitatibus contingit, sed potissimè in elementorum substantijs, ex quibus qualitates elementorum erumpentes, rursus superbiunt. Ob id sane, cor, atque iecur, contrariè temperata intra sanitatis terminos, per contraoperantiam, non se reducunt ad temperamentum medium: sed exorbitantes ipsorum qualitates, castigantur, & mutuo sibi impedimento sunt, ne furiant, plus aut minus, pro contrariorum ratione. Quamuis autem non integrè se contemperent, actio tamen contraria vtriusque in corpus, contemperat ipsum, vt voluit Galenus, libro Artis medicinalis, de signis cordis, & hepatis, vbi totius corporis habitus temperamentum, sequi voluit temperamentum vtriuslibet horum, nisi alterutrum obsistat. Vbi enim vnum alteri repugnat, si æquis viribus certent, musculi, & cutis, medium temperamentum possidebunt. Si vero alterutrum vincat, ad vincentis qualitatem proportionabiliter inclinabit. Hinc valde extraneam & falsam esse gentilis opinionem existimo, qui libello suo de resistentijs, putat sanguinem, & spiritum, ab hepate in vniuersum corpus transmissum, nihil à sanguine, spirituque cordis calidioribus, pati, moueríque, neq; in se ipsos agere, cum ex vtrorũq; miscella, mediũ in cute consurgit temperamentũ. Sed sanguis (inquit) spiritusq́ iecoris, aut cerebri frigidiores, omni ex parte miscentur, & confunduntur, cum sanguine & spiritu cordis calidioribus, teporq́ ex ea miscella, & confusione, non gignitur, sed representatur: perinde ac medius color apparet, ex minutissimis pulueribus, albis simul & nigris, valde commistis. Contra vero est. Primo, quod album, & nigrum, non habent vim se inuicem transmutandi, vt primæ qualitates. Secundo, quod inter quæcunque duo contraria actiua, in materia communicantia, intra sphæram propriæ actiuitatis constituta, necessaria est actio reciproca. Tertio, nam sanguis, & spiritus cordis, possunt ossa, & neruos calefacere: multo ergo melius sanguinem & spiritum naturalem, à iecore prodeuntes, (qui minus quam ossa frigent) calefacere poterunt. Quarto, in cute producitur qualitas vna teporis, vnũque tẽperamentũ: non autẽ qualitatum, aut temperamentorum congeries: ergo vnum, agit in reliquum, actione reciproca, & vtrumque in

cutem non geminum, ſed vnum producit effectum, aut temperamẽtum, quod iuxta æqualitatis, aut exceſſus rationem, in ea complexione agentium reſultat. Si enim ab vnoquoque agente, ſua produceretur qualitas, ſuumque temperamentum, contrarijs motibus corpus ſimul teneretur: ipſaque contraria, vim ſuam mutuo, ab eodem ſubiecto ſe abijciendi amitterent. Quod etiam docet ſenſus, qui ex miſtura gelidæ, & feruentis aquæ, vbi iam ſe temperarunt, vnum obiectum, & temperamentum vnum apprehendit. Tactus inſuper indicat cutem temperatam eſſe, ſenſus autem circa propria ſenſibilia non decipitur, ergo ipſi credere oportet, quod ſit qualitas vna, & temperamentum vnum, verè & non ſecundum apparentiam. Ex quo etiam elicio, quam fallax eſſe poßit, iuditium tactus in tẽperamentis dignoſcendis, niſi multa alia addantur inditia: trium enim principiorum contrariæ temperaturæ, temperatam reddunt cutem (quanuis non prorſus æqualem) tantũ vero abeſt, vt temperatum ex ipſis conſtans corpus ſit, quantum morboſißima natura, à temperatißimo diſtat corpore, vt mõſtrat experimentũ, & Auicenna. 2.1.doct.3.cap.5. & ratio, quia mẽbra ab ortu intemperata, ſunt ſimpliciter inſalubria, ex principijs vero ſimpliciter inſalubribus, corpus ſalubre ſimpliciter conſtare vanum eſt.

Sed contraria quædam ſunt ſoluenda. Primum, nam ſi in membris naturam ſuam ſeruantibus, datur actio, nullum membrum in ſua naturali diſpoſitione, & temperatura, ſeruari poterit: quare nec ſalubre ſimpliciter corpus erit, nec recte natura, corporis temperiem, atque membrorum, magno labore, & artificio creaſſet, ſi nullo temporis ſpatio, tueri incolumem poſſet. Secundum, quoniam fruſtra natura induxiſſet illam qualitatem, quam vnum ex altero corrumpit. Tertium, caro toto vitæ curriculo calida perſeuerat, ſi igitur neruum ſemper calefacit, neceſſe eſt ſenis neruum calidiorem eſſe, quam fuerit in ætatibus anterioribus. Quartum, nam ſi caro (verbi gratia) calfacit os, & refrigeratur ab ipſo, non ceſſabit actio, donec ſe aßimilent, & omnis ceſſet contrarietas, quod non fit. Quintum, nam contraoperantia fieri non poſſe videtur in membris prorſus temperatis, nec vbi intemperata ſunt, erit ergo impoßibilis. Aſſumptum quoad temperata attinet, eo conſtat, quod intemperatorum actio eo tendit, vt temperent ſe ſe: ergo ſi temperata ab initio creata ſunt, non eſt cur ſe contẽperent: habitibus enim præſentibus in materia, ceſſat motus, ex communi philoſophantium proloquio. Quantum attinet vero, ad intemperata, non minus verum videtur aſſumptum; nam ſi nec inter cor calidum, & hepar frigidum, nec inter cor frigidũ & hepar calidum, nec inter cerebrum & cor mutua actio fieri poteſt, multo minus inter reliqua membra ignobiliora, viribus inferiora, & qualitatibus minus diſsidẽtia, fieri poterit. At ſi cor calidũ, contraoperatur iecori frigido, & in determinato tempore, aliquid (tertiam nẽpe partem) de ſui adimit frigore, in tempore duplo, alias duas partes corrumpet, reddeturq́ hepar neceſſariò calidum: nec ſe compati poterunt cor calidum, & hepar frigidum, quod tamen experi-

experimentis repugnat. Quod si ante id tempus, actionem intercipi dicas, manentibus adhuc corde calido, & hepate frigido, iam sub his mensuris non contraoperantur: & ex consequenti, si ab ortu sub his mensuris gignantur, deerit mutua ipsorum actio. Frigidum etiam cor, est calidius, calidissimo iecore: ergo nec cor poterit calfieri, à minus calido iecore, nec iecur frigefieri, à corde se ipso calidiori. Contraoperantiam quoque, inter cor & cerebrum, sustulisse videtur Galenus, octauo libro de Vsu partium, multis rationibus aduersus Aristotelem conuincens, cor à cerebro non posse refrigerari. Consequens ergo est, vt nulla in nostro corpore, siue temperato, siue intemperato, mutua membrorum actio contingat.

Ad horum vero primum, dicendum est, quod ex contraoperantia membrorum, non tollitur corpus salubre simpliciter semper, ea enim non prohibet, quo minus per omnes etates duret optimum temperamentum, in pueritia quidem optimum puerile, in iuuenta iuuenile, & in senecta senile. In omni siquidem ætate, huiusmodi corpus, præstat suis coæuis, quantumuis membra agant paulatim in suum humidum, & ipsa inter se se, & in totum. Ad secundam dicitur, quod non frustra genuit natura qualitatem, quam vnum membrum, ex altero membro corrumpit: sed vt ex huiusmodi actione, & mutua qualitatum attemperatione, temperamentum ex coalternatione membrorum resultaret. Ad tertium dicendum, quod neruus, tota vita incalescit à carne, & refrigerat ipsam, fitque ex huiusmodi actione, & coalternatione membrorum, temperamentum quodam, quod terminus est, ac meta caloris nerui, & frigoris carnis. Nec tamen huiusmodi nerui incalescentia tollit, quin ætatis lapsu refrigeretur, ob actionem totius calidi, in totum humidum, quoniam diuersi generis sunt huiusmodi alterationes. Ad quartum, dicendum, Primo, quod vt elementa, quæ ad mistionem veniunt, non se assimilant, propter temperamentum, & formam substantialem, quæ ipsa nectit, continet, & componit: ita membra contraria, non se conficiunt, tum propter conuenientiam temperamenti, quod ex omni contraoperantia consurgit, tum ob vnitatem animæ, quæ omnibus membris, quibus indiget insidens, facit vt sibi mutuo seruiant, & potius sint sibi adiumento, quam detrimento. Quanuis autem vnitas animæ, & temperamenti, hæc beneficia impendant, corpori tamen corruptibili, & defecturo, ipsa largiuntur: cui fuit satis, si per ætatum decursum, eiusmodi actio, & corruptio, quæ pendet ex contrarijs nos componentibus, retardetur. Dicendum secundo, quod non omne passum, integre assimilari potest agenti, sol enim aërem nubilum tota die illustrans, & eius opacitatem tandem superans, licet quantum potest, ipsum illustret, non prorsus assimilat: est enim sol ipse, aëre illustrato longe lucidior. Vt ergo nubilus aër, non potest ex sole semper agente, in maiorem lucem assurgere: sic nostri corporis membra, contraria cum sint, tota vita paulatim se alterant, nec apta sunt, integram similitudinem inuicem assumere: ita enim caro, verteretur in os, & hoc rursus in carnem, quod non fit:

*Sed caro oßi proxima, ſiccior fit, & frigidior: & os, ex carnis vicinitate mollior, ac calidior, quam ſi carne deſtitueretur. Nec obſtat, quod ſi partem caloris carnis, adimire cœpit os, ipſius actio intercipi nequit: quoniam minus renitetur vlteriori infrigidationi, caro ex parte infrigidata, quam prorſus calida. Non obſtat (in quam) nam & illuſtratus aër, minus reluctatur, vlteriori illuſtrationi, quam nubilus: non tamen ampliorem à ſole recipit lucem. Quod ſi inſtes, aërem eſſe incapacem, maioris lucis, carnem vero capacem maioris frigoris: ad temperamenti, & animæ vnitatem eſt recurrendum, item & ad perpetuam cõſeruationem, quam membra habent, ex continua nutritione, per quam reparantur, talia qualia fuerunt abſumpta: & ex perpeti cordis influxu, qui ſine intermißione impedit, ne membra à ſua natura labantur, & quæ modice iam lapſa ſunt, prompte reducit. Vt enim ſol, plantas calidas, ac frigidas, eiſdem radijs tuetur: ita cor omnium membrorum temperaturas. Hinc pendet ſolutio, cuiuſdam de cordis neruo dubitationis, cur ſcilicet lapſu calido non ægrotet, ſiquidem calidior ſemper reperitur, quacumque alia corporis parte: ſoluitur enim, quoniã neruus cordis, licet plurimũ caloris aſſumat, nõ amittit temperiẽ, ex cõmiſtione elemẽtorum, ſibi vt parti ſimilari impartitã: ſed potius eam actuat, & calore ſuo tuetur cor. Præter caloris autẽ menſurã, neruo neceſſariã huiuſmodi actuationi, vt pars ſimilaris eſt: vlteriorẽ calorem, & perfectionẽ, ex naturæ inſtituto, & ordinatione ſibi aſſumit neruus, vt partem organicam (cor nempe) conſtituit. Ex priori etenim temperie, alimentum ſibi aßimilat, & neruum facit, qui pars ſimilaris eſt: ex vlteriori vero perfectione, cordi vt pars eſt inſtrumentali, vtitur, & fit vtilis: tantum abeſt, vt laboret calida aliqua intemperie, qua laboraret, quiuis alter neruus corporis, qui vel dimidium caloris acciperet: quoniam deeſſet ſibi, naturæ inſtitutum, organi compoſitio, & vlterior perfectio, quæ cordi adſunt ſecundum naturam. Ad Quintum dicitur, quod tam inter temperata, quam inter intemperata membra, reperitur actio mutua. Inter temperata quidem reperitur actio priuatiua, qua ſe tuentur, & non permittuntur in ſimiles lapſus ferri, vt diximus. Eſt etiam inter ipſa, leuis actio poſitiua naturalis, & indolens, ex qua temperamentum per coalternationem gignitur: per quam etiam, vbi iam genitum eſt ſeruatur. Inter intemperata etiã membra, mutua eſt actio. interdum maior, aliâs minor, pro ratione contrarietatis. Minorem enim contrarietatem, interdum intercedere, inter membra intemperata, quam inter temperata conſtat: quoniam magis diſtat temperatum cor, à temperato iecore: quam frigidißimum cor, à iecore calidißimo. Magis quoque dißidentia ſunt, cor temperatum, & cerebrum temperatum: quam cor frigidißimum, & cerebrum calidißimum: quoniam (vt ſcribit Galenus, libro artis Medicinalis, capite viceßimo octauo) vtcumque extiterit cor natura frigi- »
dius, multo calidiorẽ temperaturã poßidebit calidißimo cerebro. Quod vero nõ ſe »
cõpatiãtur, nec ſimul ſtare poßint diutius, cor calidũ & iecur frigidũ, vt obijciebatur (quoniã ſi vnã partẽ frigoris, corrupit cor calidum de iecore frigido: in duplo tẽ-*

pore

pore alias duas corrūpet, fietq́ prorsus calidū) nō recte colligit. Primo, ob contrariā actionem, iecoris frigidi, in calidum cor, ex qua, id temperamentum per coalternationem vtriusq; est deueniendum. Secundo, quoniam licet qualitatum exorbitantiæ, per mutuam actionem decrescant, & castigentur: restat temperametum radicale, & substantiale, ex elementorum compositione constans, quod non permutatur qualitatum actione, sed substantiæ contrariæ diutina appositione, & conuersione. Ad id vero, quod de corde frigido, & calido iecore dubitabatur, dicendum est, quod iecur frigidum, infrigidare potest cor calidum, & ab eodem calefieri: calidum tamen iecur, non potest calfacere cor frigidum, nec ab eo infrigidari: quoniam minus, in magis tale, agere est impoßibile. Potest tamen vtrumlibet ipsorum, emendare intemperamentum totius corporis, ab alterutro pendentem. Nam ad exactum temperamentum, & integram corporis salubritatem, calor & humiditas iecoris, & cordis, certa quadam mensura, transmitti in corpus debent: ex corde plus caloris, & minus humiditatis: & ex iecore plus humiditatis, & minus caloris: quoniam cor, fons est, & origo caloris, sicut iecur, humiditatis nutrimentalis. Si ergo cor frigidum, vno fere gradu deficiat, quoniam minorem sanguinis, & spirituum quantitatem gignit, & ad corpus transmittit, quam foret ex vsu: emendari potest, à iecore plus sanguinis transmittente, ad proportionem eius, qui ex corde defecit. Nam si mensura caloris, & humiditatis, ad medium totius corporis temperamentum creandum, corpori transmittitur: siue à iecore, siue à corde, maior, aut minor portio procedat: dum tamen magis, aut minus quam opus sit, non feratur ex vtroq;: totius corporis habitus temperamentum, minime peruertetur. Potest ergo iecur calidum, corpus quod minus caloris, è corde frigido suscepit, ad temperiem deducere: & cor frigidum, caloris immoderātiam, quam iecur calidum, in corpus transmißit temperare. Potest etiam iecur calidum (tum actione sua priuatiua, tum appulsu ad cor calidi sanguinis, & apti inflāmari) impedire, ne vlterius cor ipsum ad frigus labatur: & à corde frigido iuuari, ne ita incalescat, ac incalesceret, & accenderetur, si cordi temperato, aut calido iungeretur. Cor vero, quantumuis frigidum, verè à calidißimo iecore incalescere: aut iecur, à corde infrigidari, ex ijs est quæ fieri nequeunt. Nec obstat, quod si calor iecoris (verbi gratia) sit vt sex, frigiditas vero vt duo, & calor cordis vt septem, frigiditas vero vt vnum: necessaria quibusdam videatur, cordis ab hepate calfactio, & hepatis infrigidatio: ob rationē acutā magis, quam verā, ac vtilem. Nam eo (inquiūt) casu, maior est proportio calidi hepatis, ad frigus cordis, quam calidi cordis, ad hepatis frigus: hæc enim est tripla superpartiēs septimas, putà septenarij ad binarium: illa vero est sextupla, senarij scilicet ad vnitatem: potest autem cor, ex proportione quæ minor est, frigus hepatis, sua caliditate minuere: multo igitur magis poterit iecur, ex maiori proportione, cordis frigus remittere. Huic vero dubitationi dicendum, quod nos docuimus, libro de elementis, capite de reactione, vim agendi, non resultare ex proportione numerorum, sed ex contrarietate. Simul etiam docuimus,

calorem, ac frigus, in gradibus implentibus latitudinem, aut infra, contraria nõ esse, sed amica, & cohabitantia. Quare iecur sexto gradu calidum, non erit contrarium, cordi vnum frigoris gradum habenti: hunc enim, & alterum, secum admittit, donec latitudo impleatur. Si ergo deest contrarietas, quantũuis proportio numerorum sit maior, omnis necessario deerit actio. Nec obstat etiam, quod Galenus, libro artis medicinalis, cap. 41. non minus frigidum cor, obtundere posse hepatis calorem, quam calidum, frigiditatem tradidit, in hæc verba. Nam quæ ex corde caliditas originem ,, habet, potest obtundere, eam quæ ab hepate nascitur frigiditatem: sicuti & frigiditas ,, caliditatem. Siccitatem vero, non potest humidius cor, ad contrarium habitum trans ,, ferre. Media vero inter has quæ dictæ sunt, ea quæ ab hepate humiditas oritur: ma- ,, gis enim à cordis siccitate superatur, quam siccitas ab humiditate, minus autem cali- ,, ditatẽ, adhuc vero multo minus frigiditate: hæc enim, inter omnes qualitates quæ ,, ab hepate eueniunt, facillimè vincitur. Non obstat (inquam) nam Galenus non loqui ,, tur, de actione cordis in iecur, nec iecoris in cor: sed de actione vtriusque, in corpus vniuersum. De qua (inquit) quod caliditas, aut frigiditas, quæ ex corde in corpus procedit, potest obtundere calorem, aut frigiditatem, quæ ab hepate procedit in corpus: ad modum scilicet interpretatum, nimirũ quod corpus nostrũ, ad exactam totius habitus temperiem, requirit certam mensuram caloris, & humiditatis cordis, & certam quandam caloris, & humiditatis iecoris: in qua mensura, vnus excessus obtunditur, & corrigitur per defectum alterius, aut per contrarium excessum. Sed quare si ita est, nõ potest similiter excessus siccitatis iecoris, ab excessu humiditatis cordis, perinde ac reliquæ intemperantiæ corrigi? Dicendum, quod iecur siccum, exiguum sanguinem gignit, quia destituitur humiditate, quæ maxime facit ad sanguinis generationem, & quoniam ex chilo attrahit partem siccam sibi similem, quæ inepta est, vt in sanguinẽ vertatur: quam insuper ob innatam siccitatem, magis exsiccat, & absorbet. Necesse ergo est, vt iecur siccum, sanguinis sit paucissimi. Paucum vero sanguinem gignens iecur, paucum mittit in corpus, eumq́; sicciorem. Ex pauco autem sanguine, atq; sicciori, pauca sicciorq́; caro proueniet. Non potest autem siccitas, ex sanguinis & carnis paucitate pendens, emendari, sine sanguinis vbertate, ex qua plus carnis gignatur. Cor vero, quantumlibet humidius fiat, sanguinem augere non potest, nec humectare: illud quidem, quoniam cor nullum sanguinem gignit, sed in iecore genitum alterat: hoc vero, quoniam sanguine & iecore siccius est humidũ cor, quare non humectabit ipsum. Adhæc quoniam si corpus humectandũ esset ex corde humido, per transmißionem sanguinis arterialis, in sinistro vẽtriculo efferuescentis, esset humectãdum. Huiusmodi vero sanguis (præter id quod pauca membra nutrit, & ex consequenti siccitatem ob penuriam alimenti ortam, corrigere nequit) ob excedentem quem habet calorẽ, aut exsiccat, aut vix humectare poterit: exemplo aquæ feruentis, quæ prius exsiccat, quam humectet. Hinc patet, quam frustra Forliuiensis, siccitatem hepatis, ex humiditate cordis minui posse, & rursus in temperiem

perduci, affirmet. Quod probat hoc modo. Minus exsiccatur iecur, à corde humido, quam à temperato, aliqua ergo mensura, minus exsiccatur: quantumuis autem parua ea mensura existat, potest iecur siccũ, minori interuallo à temperato distare: ergo per eam paruam mensuram, cor humidum sufficiet, iecur siccum ad mediam temperiem deducere. At nugax est hæc obloquutio, nam iecur siccum, ab omni corde exsiccatur, etiam humidissimo: est enim humidum cor, siccius iecore sicco: quanquam ergo minus à corde sicco, quam à temperato exsiccetur, ab vtroq; exsiccabitur: à neutro ergo, ad mediam temperiem reducetur, etiam si minor sit lapsus iecoris per siccum, quam mensura, qua minus à corde temperato, quam ab humido, exsiccatur iecur. Accedit, quod tam exigui lapsus, non violant mediam temperiem: quare iecur, quod siccum esse arbitratur, optimè temperatum est. Non minus errat Iacobus, dũ existimat, cor posse siccitatem totius habitus corporis, à sicco iecore pendentem, in contrarium vertere, puerili quodam argumento delusus. Cor enim (inquit) tam validè sanguinem ad se trahere potest, vt iecur exhauriat plusquam oportet: quo casu, si sanguinem attractum, per arterias ad musculos, & mẽbra, abundanter transmittat pro nutritione, ipsorum siccitatem corriget. Sed contra est primo, quod si iecur siccum est, & pauci sanguinis, non potest cor haurire multum, nec ipsum abundanter ad membra transmittere. Secundo, quia fatuum est cordi iubere, vt pro musculis irrigandis, iecur siccum, & sanguine indigum exhauriat, & iecori vt se ferat exinaniri, & in morbum ex sanguinis defectu ortum pertrahi, pro musculorum & habitus corporis salute. An existimat, vim nos regentem, suo arbitrio, & friuolis argutijs, sine nostri cõmodi prouidentia, atque salute duci?

Iam an mutua actio intercedat cordi, & cerebro, quod quinta dubitatione postremo quærebatur, est examinandum. De calfactione cerebri à corde, dubitat nemo, suscipiunt enim à corde menynges (quæ cerebrum vndiq; obuoluunt, & intersecant) arteriarum multitudinem, spiritu, & sanguine arteriali scaturientem, cuius contactu, necessario incalescere debet cerebrum. Cerebrum quoque, cordi transmittit neruum, suamq; vim, & temperamentum, ipsi cõmunicat, inæquali tamen efficacia: tum quoniam cor, multo magis est calidum, quam cerebrum sit frigidum, tum quoniam arteriæ, quæ à corde mittuntur cerebro, sunt grandiores, & capaciores: neruus vero qui à cerebro cordi distribuitur, exiguus est, & solidior: refrigerabit ergo cor, sed multo minus quam à corde calfiat. Quo autem cerebrum est frigidius, eo plus frigoris ab ipso cordi accedet, ita vt frigidissimum cerebrum, ad extremam sui temperamenti metã constitutum, euidenter cor ipsum refrigeret. Nam si aucto lapsu, frigido morbo laborat cerebrũ, à quo cor læditur (vt monstrat pulsuum mutatio, quam subit apud Galenum, quarto libro de Præsagatione ex pulsibus, capit. 8.) euidens autem alteratio, antecedit læsionem: ergo ante morbum cerebri frigidum, ad extremum latitudinis sanitatis infuit. Adhæc principiorum mutuum consensum, & alterationem, sæpe confitetur Galenus, quam sine alterna actione, mente non finges. Aliter

etiam

etiam, temperamentum ex coalternatione partium, nisi principia se alterent, nunquam gignetur. Vt quid ergo Galenus. 8. lib. de Vsu partium, multis rationibus conuincere conatur, cerebrum non posse cor refrigerare? Dicendum, quod Galenus in Aristotelem inuehitur, non quoniam cerebrum aliquantisper cor refrigerare tradiderit, sed quoniam solius refrigerij gratia, cerebrum creatum fuisse, scriptum reliquerit. 2. lib. de Partibus animalium, cap. 7. Quare Galenus cum diuinos prope cerebri vsus nouerit, vsum illum refrigerãdi cor, infringere & extenuare conatur, non quoniam non sit, sed quoniam alios vsus (in quorum gratiam cerebrum præcipuè voluit esse creatum) stabilit, vsu refrigerandi ob eius exiguitatem, reliquorum comparatione spreto. Sunt autem Galeni rationes huiusmodi. Si solius (inquit) refrigerij cordis causa, cerebrum creasset natura, non vndique vallasset ipsum, craneo, & menyngibus, impedientibus alterationem aliò peruenire, præsertim per os crassissimum, quod ad cerebri basim est: nec duobus septis, firmis adeò & densis, cor ac cerebrum diremisset, huic quidem craneum totum, illi autem thoracem circumponens: nec cerebrum tam longe à corde locasset, nec collum medium posuisset, quod in animantibus dentes serratos habentibus, & volatilibus, tanta est longitudine, vt cerebrum, pari cum pedibus interuallo, à corde faciat distare. Vnde & calcaneũ, cordis refrigerandi causa extitisse, similiter dicere posses: siquidem nihil minus frigidum cerebro reperias calcaneum: nec enim ipsius distantia à corde, multo est maior, præsertim in volatilibus: estq́ minus difficilis, à calcaneis ad cor additus, & penetratio frigoris: siquidem in solis inferioribus partibus, thorax non est osseus. Quare promptius à calcaneis, ad cor ascendere frigus poterit, quam à cerebro descendere. Vnde & Aristoteles Problemate. 5. quartæ sectionis, cur nuditas pedum, faueat castitati, requirens (inquit) quod frigus coctionẽ, sui vehementia impedit: & caloris ad intima collectionem, quæ coitum citare solet, perturbat. Nõ constaret præterea cerebrum, tam admiranda structura, & compositione: si enim solius refrigerationis causa extitisset, sufficeret velut desidem, & informem spongiam, ipsum afformasse. Nec sensus omnes è cerebro suspendisset, & prope locasset, oculos, aures, nasum, & linguã, nisi istiusmodi sensoria, aliud ab ipso, quam frigus acciperent. Quod præterea cordi refrigerando est cõparatum, id ceu fons refrigerationis, propinqua omnia magis refrigerabit: at nec sensus circumpositi, eam refrigerationem, aut patiuntur, aut requirunt: cum tamen plures, & maiores ad sensum, neruos, & cerebri portiones, quam cor, sensoria recipiant: ergo aliorum vsuum gratia, cerebrum creatum est. Superfluè præterea cerebrum, cordi tantum refrigerãdo, formasset natura, cum perpetua respiratione temperetur, qualitate scilicet frigida, per inspirationẽ ipsi suppeditata, & feruente fuligine ab ipso purgata per expirationes: promptius autem, & maiori compendio erat ipsi, asperam arteriam creare latiorem, & frigidi aëris magis capacem, si pluri frigore cordi erat opus, quam cerebri tantæ molis dispendio, & superflua procreatione vti. Accedit, quod cerebrum calidum semper est, ex spirituum in ipso contentorum

abundantia,

abundantia, & ex vicinitate tenuis menyngis obuoluentis, & interſecantis cerebrum: hæc enim venas, & arterias plures habet, abundantem ſanguinem, & ſpiritum, & pulſationem perpetuam. Quod etiam experientia tactus, in animantibus, quæ aut viua, aut recens mortua diſſecantur, videre eſt: in quibus cerebrum ipſum, valde calens depræhenditur, vt & in hoc Ariſtotelẽ (qui cerebrum tactu frigidum ſentiri ſcribit. 3. lib. de Hiſtoria animalium, cap. 3.) ſenſui contradicere iudicemus. Euentus etiam, & curatio eorum, qui perfracta caluaria curandos ſuſcipimus, cerebrum valde calere declarat: offenduntur enim ac perfrigerantur ab aëre æſtiuo, quare cito foueri, & obtegi poſtulant. Quæ ſane rationes, exactè probant, non in ſolum vſum refrigerandi cor, cerebrum fuiſſe creatum, ſed in alios vſus præſtantiores: quibus admiſſis, adyci etiã poteſt, minus præcipuus vſus refrigerãdi cor. Quanuis enim ad tactum caleat cerebrũ, cordis cõparatione friget: & quoniam præcipuũ mẽbrum eſt, omnia membra alterandi vim ſortitur, quod calcaneo neutiquam contingere poteſt. Qua ergo cor per neruum tangit, refrigerabit ipſum: qua vero ſpiritum, & ſanguinem feruentem, à corde prodeuntem excipit, ipſum etiam refrigerat, & caſtigat: ne ſenſationes fiant in ſenſorys turbulentæ. Quod notauit Auic. 1. 3. tact. 1. cap. 2. in hæc verba. Cerebri vero ſubſtantia, creata eſt frigida, & humida: frigida quidem, ne ipſum inflammaret multitudo, quæ ei aduenit, ex fortitudinibus motuum neruorum, & paſſionibus ſenſuum, & motibus ſpiritus, in alterationibus imaginatiuis, & cogitatiuis, & memorialibus, & vt eo temperetur ſpiritus à corde egrediens, & ad ipſum penetrans, in duabus venis aſcendentibus ab eo ad ipſum. &c.

An viuentia omnia ſint calida, & humida. Et an temperatus homo, magis accedat calori extremo, quam frigori extremo. CAP. XI.



DIXIMVS hominis temperati cutem, ad pondus temperatam eſſe: & reliqua eius membra, quædam calidiora, & alia frigidiora, eatenus euaſiſſe, vt calida frigidis, & humida ſiccis compenſata, corpus ex omnium compoſitione conſtans, nec calidum, nec frigidum, humidũ, aut ſiccum dici poſſit, ſed verè, exacte, ac ad pondus, quantum ſenſus aſſequi valet temperatum. In intemperato vero homine, dicta membrorum compenſatio, nõ eſt æqualis: ſed in quibuſdam vincunt calida, in alys frigida membra, humida, aut ſicca: totq́ intemperatorum corporum genera reddũtur, quot ſunt qualitatum vincentium, ac ſuperantium genera: tantuſq́ eſt intemperamenti gradus, ac intenſio, quantus eſt victoriæ numerus, aut gradus. Hinc octo intemperatorum genera conſurgunt, in quorum medio, ac veluti centro, temperatum corpus eſt, ita vt corpus, in quo frigida membra vincunt, frigidum reſpectu temperati ſit: & eiuſdem reſpectu calidum, vbi calida ſuperant

rant habeatur. Ex quo duplex conuincitur error, primus philosophorum quorundam, qui hominem, & omnia pariter viuentia, calida & humida esse volunt, vt autor est Galenus. 3. lib. de simpl. med. fac. cap. 6. sequentibus freti rationibus. Prima, quod vita consistit in calido & humido. Secunda, quod viuens omne alitur, alitio vero functio est, à calore permutante, & vincente: in omnibus ergo vincit calor. Tertia, viuimus vitali calore, hic autem humido alitur: ergo calidum atque humidum in commistione viuentium, superat frigus, atque siccitatē. Quarta, omne quod viuit, ex materia fit prius concocta: omnis autem concoctio, calore perficitur, vnde semen calidum & humidum statuitur à Galeno. 1. lib. de sanit. tuenda: è semine ergo constans homo, calidus atque humidus erit. Quinta, vita (vt scribit Aristoteles, libro de morte & vita) est permāsio calidi, sicut mors, caloris extinctio, aut marcor. Vnde libro de longitudine & breuitate vitæ, cap. 2. ita scripserat. Intelligendum enim est, animal natura humidum, calidumq́ esse, cuiusmodi quoque vita ipsa habetur: at senectus, & quod emortuum est, obarescit, algetq́. Libro etiam de motu animalium dixit, quod homo recto stat corpore, eo quod plurimo est calore, & quod erigi non posset, nisi humore redundaret. Hanc philosophorum sententiam, extendit etiam gentilis, ad mista inanimata: nam omne mistum (inquit) mistione prouenit, mistio autem non fit, nisi à calore superante, frigus enim immobilitat. Adhæc si in misto aliquo vinceret frigus, illius naturalis corruptio, magis pēderet ex corruptione frigoris, quam caloris: quod non fit, simplici enim generationi mistorum, contrarium maximè cōmune putrefactio est, vt scribit Aristoteles. 4. lib. Metheororum, cap. 1. putrefactio vero, natiui calidi, non autē frigidi, est corruptio. In eādem etiam (quoad hominis attinet tēperamentum) sententiam iuisse Galenus videtur, cum secundo libro de simpl. medicament. facult. cap. 22. animal scripsit esse calidū per exuperantiam. Et eodem libro, cap. 3. dixerat. Quin & hominem non absolutè calidum vt ignem, sed exuperātia calidum diximus. Et tertio libro, cap. 5. ita scribit. Nam totius naturæ respectu, bifariam horum vnumquodq; dicitur, partim absolutè, partim per exuperantiam. Absolutè quidem vnumquodque elementorum: homo vero equus & bos, per exuperantiam. Quod & cap. 6. repetit, in hæc verba. Simpliciter enim ignis calidus est, per exuperantiam homo.

Hæc vero cōmenta, atque sophismata (inquit Galenus, primo libro de temperamentis, cap. 5.) illi vitio succedūt, quod vtiq; non recte definitum est de calidi significationibus, sed duobus tantum modis dici id putatum: quorum altero, significetur quod syncerum, immistum, & simplex est: altero, quod in mistione cum suo contrario, id superat. Quod autem alteram temperiem, cum altera conferentes, subinde alteram earum calidam, pro eo quod est calidiorem pronunciamus, id nō meminerunt. Atqui ad eum modum, animantia veteribus, calida & humida sunt dicta, non propriæ temperaturæ gratia, & sermone absoluto: immò ad stirpes, & demortua collata. Quippe demortuis & stirpibus, animantia calidiora, humidioraq́ sunt. Quæ

Galeni

Galeni verba, antiquorum opinionem declarant, dicentium animalia calida esse & humida: nō absoluto sermone, sed collatione facta ad se ipsa demortua, debere intelligi. Viuens enim calore viuit, & suas obit functiones, tanquam idoneo naturæ instrumento, quod diuersimodè limitatur, determinatur, ac corrigitur, à frigore, sibi cōmisto, ità vt interdū superet ipsum, aliàs ab ipso superetur, pro vniuscuiusque viuentis natura. Siue tamen superās, siue superatus sit, calor semper est agens, vt scribit Auerrhous. 3. coll. cap. 21. frigus nanque naturæ opera, vix ingreditur, nisi per accidēs, ob idq́ passiuis potius, quā actiuis ipsum annumerat Aristoteles. 4. lib. Metheororū, cap. 5. Merito igitur, si solus calor, aut exiguus, aut maior, autor est tū naturæ, tum vitæ operationum: viuentia, calida atq; humida, dicuntur antiquis, comparatione ad se ipsa demortua, quoniam calore viuunt, & operantur, calor vero in humido ipso seruatur, sicut in morte, & senio morti ꝓximo, extinguitur, obarescit, & alget, vt è libro Aristotelis, de longitudine & breuitate vitæ, retulimus. Si vero vniuersæ substantiæ commistionem, & elementorū proportionem, aut effectum quod in nos exercent spectemus: multa viuentia frigida sunt, alia etiam sicca, non modo in obarescente, algidaq́ senectute, verū omni ætate, & toto suo genere. Quod Galenus (secus sentientes reprehendens) aduertit. 3. lib. de simpl. med. facul. cap. 6. vbi ita scribit. "Dicant igitur si lubet papauer, mādragoram, cicutā, salamandram, "esse calida: verum nemo id dicit, sed velut vno ore omnes esse frigida pronunciāt. "Atqui animal est salamādra, quod & nutritur, & crescit, & mouetur, quæ sanè, ca"lido in mistura vincēte, prouenire asserunt. Inter nostri etiam corporis mēbra, quæ exanguia habētur, vt os, & neruus, aperte frigida sunt atq; sicca. Accedit etiā firmissimū aliud argumentū, nam animātia homine frigidiora, aut sicciora, essent etiā ipso temperatiora, si viuens omne per calidum, atque humidum, à medio ponderali labitur: fietq́ vt apes, formicæ, canes, & scarabei, pisces etiam, & salamandra, nobiliori donentur temperamento, & ex consequenti nobiliori forma, & functione: temperatura etiā melancholica, tum reliquis omnibus, tū etiam tēperata præstaret: quæ apertè, tum falsa, tum impossibilia sunt. Huc accedunt omnia argumenta, quibus supra, temperatum corpus ad sensum, dari probabimus. Nec obstāt, quæ in contrarium afferebātur. Quoniam vita omnis, in calido & humido consistere dicitur, hoc est in partibus, in quibus tantum est calidi & humidi, quantum vitæ ratio exigit: calore nanq; viuunt, aluntur, & vniuersim operantur viuentia, quantūuis frigus in cōmistione calorē excedat, quoniā frigore nō vtitur anima, sed calore ad suas functiones: ob idq́ calor vincens dicitur, non quoniā frigus non excedat ipsum, sed quoniā eiusmodi opera nō ingreditur nisi calor. Quod concoctū insuper est, non necessariò calet, sed simile coquēti redditur: siq́ coquens ad frigidum inclinat, materia etiam concocta persimilem alterationem consequetur, exemplo lactis frigidi, à frigidis mammarum glandulis coctione geniti. Semen vero calidum est, quoniam vltra aqueam substantiam, spiritu plenum est, quo expirascente, seminaria membra fe

rè

rè omnia, frigida sunt. Mistionem vero miscibilium (vt gentili occurramus) non solus operatur calor, sed aliæ etiã qualitates, & ipsa elemẽtorum corpora. Præterea quod non est opus, vt calor frigus euincat, sed vt cõmiscere & diuidere queat: quod dum frigore est inferior, efficere promptissimè potest. Misti vero corruptio, ad corruptionem cuiusq; qualitatis sequitur, violenta quidem, ad corruptionem frigoris, vt cum caro comburitur, aut os, naturalis verò ad corruptionem, & separationem innati calidi, quæ vetustate & senio cuiusque misti contingit, vt Aristoteles docet. 4. lib. Metheororũ cap. 1. Calor enim, ætate humidũ absumit, cuius etiam defectu deficit, deficiente scilicet suo subiecto: frigus verò, se ipsum non destruit, quare suapte sponte non corrumpitur, nisi violentia accedat. Loca vero Galeni, quæ animal, aut hominem, per exuperantiam calere adstruunt, non de omni, sed de calida temperatura prædito, aut bilioso, sunt audienda: calidi enim per exuperantiã, exempla tradere studet. Loca vero Aristotelis, quibus humanam temperaturã, calidam atquè humidam statuit, aut cõparatione ad demortua, cum Galeno interpretemur, aut de potentia, & efficacia operandi (quam actiuitatem vocãt) ea intelligamus. Interdũ enim calidũ appellari, id in quo calor vincit secundũ efficaciã operis, scripsit Galenus, libro aduersus Lycum, cap. 8. Maior autem efficacia caloris, quam frigoris, pendet tum ex qualitatis natura, quæ suapte, sponte est efficacior, tum & magis, quoniam ipso, non autẽ frigore, vtitur anima ad obeundas vitæ functiones. Isacius vero, cap. 10. vniuersalium, hominẽ secundo gradu calidum statuẽs, cõmodam interpretationem recipere posse non videtur, nisi de sola influente temperie loquatur.

Aliud etiã iuniorũ erratũ, ex tradita doctrina exploditur, qui quãuis admisserũt mista plura frigida esse, & alia sicca: viuentia quoq;, animalia, & homines quidam frigere, aut siccescere respectu medij põderalis: sicut contra alios calere, aut humere eiusdem respectu statuunt: non tamẽ credunt, in harum medio, ac veluti centro, temperatam naturam sedere. Forliuiensis enim, iustitialem hominis temperaturam, magis accedere frigori ac siccitati extremæ, quam contrarijs qualitatibus autumat. Quoniam citius interimunt morbi frigidi, apoplexia, sopor, & conuulsio, quam febres: ergo propiores sumus frigori extremo, nos scilicet interimẽti, quã extremo calori. Ob idq; Auic. 4. 1. cap. 2. maius periculũ timet ex refrigeratione, quã ex calfactione: calor enim, qualitas est frigore magis familiaris, & amica, quare maiorem lapsum versus calorem, quam versus frigus tollerare quimus: & ex cõsequenti, minor est latitudo frigoris, quam caloris, propioresq; sumus extremo frigori, quã calori extremo. Intemperatum præterea frigus, innatum calorem debilitat, eiquè aduersatur, tum quà calor est, tum quà est naturalis: intẽperatus vero calor, innatum calidum, eò tantum reddit imbecilliorem, quò naturalis est, non autem quò calor est: ergo magis labi potest temperatus homo, versus calorem, quam versus frigus: & ex consequenti, vicinior est frigori extremo, quam calori extremo. Alij vero contra sentiunt, iustitiale hominis temperamentum, propius calori extremo, quam extremo

tremo frigori accedere, magisq́; & citius, temperatum hominem lædi ex lapsu calido, quàm frigido, quoniam humana (inquiunt) natura, ad calidum magis, quàm ad frigidum vergit: simile autem facilè læditur à simili, & iuuatur à contrario, ergo citius læditur ex calore, quàm ex frigore, si ad vtrumlibet æqualter labatur. Quinto præterea libro de simpl. med. fac. cap. vltimo, calidum, aut frigidum primi gradus, definit esse, quod nos alterat ineuidenter: secundi verò, quod id euidenter efficit: calor autem est efficacior, & actiuior frigore, ergo angustiores eiusmodi gradus habebit, frigus vero latiores & ampliores: minor enim caloris, quàm frigoris mensura, sufficiet tactum mouere, tum euidenti, tum ineuidenti alteratione: & ex consequēti primus caloris gradus, est primo frigoris gradu angustior, & secundus secundo: quam autem rationem habent, primus ad primum, & secundus ad secundum, eandem habeant par est, tertius ad tertium, & quartus ad quartum. Fit ergo necessarium, vt tota caloris latitudo, sit angustior, tota latitudine frigoris, & ex consequenti, magis distat temperatus homo, ab extremo frigore, per ampliorē scilicet latitudinē, quàm ab extremo calore per angustiorem.

Errant tamen vtrique, nam temperatus homo ad iustitiam (quantū sensu possumus iudicare) in medio est qualitatum elementalium, quæ verè sunt extremæ, & æqualem latitudinem sortiuntur: gradus tamen ipsarum non sunt æquales, sed primus, & secundus caloris gradus est angustior, tertius vero & quartus amplissimus: contra vero in frigore res habet, primus enim & secundus gradus, primo & secundo caloris sunt ampliores: tertius vero & quartus, angustiores suis comparibus: qualitatum vero passiuarum (quoniam parum actiuæ sunt, & difficile sensum mouent) primus atque secundus gradus sunt latissimi, angustissimi vero tertius & quartus: ita vt quidam totam humiditatis latitudinem, in duos tantum gradus partiantur, quoniam existimant humidum adeò esse agendo inefficax, vt nec lædere, nec interimere possit, quæ duo, tertio atque quarto gradui conuenire prodidit Galenus, quinto libro de simplicium medicamentorum facultatibus, capite vltimo. Hoc voluit
" Ioannes cognomento Mesue, capite de psilio, in hæc verba. Non eleuatur res frigi-
" da iuncta cum humiditate vltra secundum gradum, & dixit Galenus, humida res
" non transgreditur metam vsq; ad quam potest regimen hominis extendi, propter
" quod, non inuenimus humidū esse causam doloris, inquantum humidum, sed inquan
" tū potest esse materia, quæ quātitate sua, mouetur ad continuitatis solutionē. Hæc Mesue. Siccitas præterea, nisi iūgatur calido deurēte (ob imbecillitatē actionis) non excedit tertium gradum, vt scribit Galenus. 5. lib. de simpl. medic. facul. cap. vltimo, ergo humiditas (quæ multo debilior & tardior siccitate est, apud Galenum. 7. libro de simpl. medic. facult. capite de zinzibere) non videtur excedere posse secundum gradum: nam calore iuuari non potest, frigore autem parum, & tractu temporis iuuabitur, vna verò applicatione iuuare nequibit. Quanuis ergo omnium quatuor qualitatum latitudo sit æqualis, partitio tamen earum per gradus, inæqualis


est, quoniam in ea partitione, non quæritur portio qualitatum in se, sed in ordine ad effectum quem in nostro corpore operãtur. Quare quo qualitas est inefficacior, aut ex sui natura, aut ob sibi coniunctam qualitatem inefficaciorem, vel ob crassitudinem substãtiæ, eo in pauciores, & pluris latitudinis gradus partitur: quoniam ob dictam inefficaciam, eæ qualitates non alterant nos vltra eum gradum. Sic siccitas si iungatur calido vrenti, ad quartum accedit gradum nos alterantium: si iungatur frigori, non excedit tertium, ob minorem frigoris coniuncti efficaciam, vt in omphatio, rhu, alumine, balaustio, & galla omphacitide aduertit Galenus, quinto libro de simplicium medicamentorum facultatibus, cap. vltimo. Humiditas vero quia valdè est sua natura inefficax, nec calori, nec frigori iuncta, secundum gradum videtur excedere: nec enim aliunde, quam ex huiusmodi humiditatis inefficacia, pendere potest: quòd aqua, & aër, aliaq; humectantia, non humectent corpora nostra vltra gradum secundũ. Friuolæ etenim sunt duæ aliæ causæ, quas addit cõciliator, differẽtia 138. Prima, quoniam natura humana, declinat à temperato ad pondus per humidũ duobus gradibus, ergo humidum in quarto, nõ potest alterare nos nisi per alios duos gradus. Secunda, quod humidum medicamẽti, iunctũ humido hominis, valde obtundit calorem actuantem, ergo difficillimè actuabitur: quod autem difficilè actuatur, debilissimè operatur, ergo sat est si ad secundum gradum nos humectet. Contra vero est, quod statuimus temperatum corpus in æquilibrio esse qualitatum contrariarum, quantum sensus assequitur: non ergo est humida in secundo natura humana. Secundo, nam qui naturam humanam à medio credunt declinare, non modo humidam, verum etiam secundo gradu calidam statuunt, quod & ipse credit conciliator: quare si humida ob id duobus tantũ gradibus nos alterant, similiter facient calida: hæc vero deurunt & crustã in nobis moliũtur, quæ quarto gradui cõueniunt. Tertio, nam sicca medicamenta, alterarent nos vltra quartum gradum, per duos alios gradus, per quos nostrum corpus in humidum labitur, nullus autem vltra quartum datur gradus. Secunda quoque ratio ridicula est, humidum enim medicamenti, non potest iungi humido hominis, vt calidum obtundat, nisi prius sit actuatum, ex vtroque enim agens vnum, calidum obtundens, debet consurgere: prius ergo actuatur, quam actuationem impediat: prius etiam habet temperamentum actuale, quam actuetur, quæ secum pugnantia sunt. Omnium ergo quatuor qualitatum latitudo, tam in mistis animatis, quam in inanimatis, æqualis est: vtpotè quæ ex summis elementorum, qui ad mistionem venerunt qualitatibus inuicem refractis ortum ducunt: in qua tantum vnius contrarij gignitur, quantum demitur de alio, ita vt vtriusque contrarij, summa illa latitudo, plena sit semper. Quanuis autem æqualis sit ipsarum latitudo, inæqualis est efficacia: eam enim humiditas habet debilissimam, ita vt raro corpus nostrum alterare queat vltra secundum gradum, in vna scilicet applicatione: nam tractu temporis & nimia mora, viuentia omnia interire possunt ex cuiusque è quatuor qualitatibus excessu, vt

su, vt

ſu, vt autor eſt Galenus ad initium libri de maraſmo. Si humiditas etiam iungatur formæ nobis aduerſæ, quæ ea vtatur, vt inſtrumento nos interimendi, efficaciſſima fit, ob ſibi adiunctam formam & veneноſitatem: vt oſtenditur exemplo demorſi à ſerpente, cuius membra defluebant tabe: & in peſte quæ in cranone viguit, in qua ſtatus auſtrinus & venenoſus oſſa denudabat, vt memoriæ mandauit Hippocrates 3. lib. Epidemiarum, parte. 3. Quod vero magis ad hanc, quam ad illam qualitatem temperatus homo labi poſſit, tum ex qualitatum efficacia, tum etiam ex maiori, aut minori familiaritate qualitatum ad nos, aut contrarietate naſci videtur: ad calidum enim, minor ſufficiet nos interimere lapſus, quam ad frigidum, quoniam calor multo eſt frigore efficacior: contra vero, ob familiaritatis defectum, minus de frigore, quam de calore ſuſtinebit natura, eſt enim calor qualitas familiaris, & amica magis. Quare in huiuſmodi ambiguitate tenendum eſt, quod in lapſu naturali, & intra latitudinem ſanitatis conſiſtente, magis labi poteſt ad calorem ob dictam familiaritatem: in lapſu vero præter naturam, & extra ſanitatis limina, magis labitur ad frigus: quoniam vbi calor præternaturam iam eſt, & cœpit lædere, actiuior eſt, & minori ob id ſui portione, nos internecare valebit.

De numero complexionum intemperatarum, & vtrum intemperatura ſimplex detur.

CAP. XII.



IN omnium rerum genere (vt ſcribit Galenus. 6. lib. de ſani. tuẽda, cap. 1.) quod optimũ eſt, id vnũ eſt, vitioſa verò plurima ſunt. Sic in genere temperamentorũ, temperata natura quam pinximus, vna eſt, eaq́ optima, vitioſæ verò plures: quæ tamen ad eam (ceu ad regulam quãdam & velut Polycleti ſtatuã) referuntur. Non ſat autẽ eſt, vitioſas plures eſſe intelligere, niſi exactũ ipſarum numerum teneamus: quem ſic obtinebimus. Ex calidi, frigidi, humidi & ſicci miſtura, omnia fiunt temperamenta, è quibus temperata natura, quantum ſenſu aſſequi licet, in horum æquilibrio conſiſtit: ſicut intemperatæ ex alterutrius horum exceſſu conſurgunt. Quare tot eſſe intemperatas naturas conſtat, quot ſunt horum quatuor exceſſuũ poſſibiles exorbitantiæ & copulæ. Exorbitat autem vna quæuis è quatuor qualitatibus, aut ſola, aut cum altera copulata, ita vt intẽperatæ naturæ octo ſint, quatuor ſimplices, calida tantũ, frigida tantũ, humida tantũ, & ſicca tantum, totidemq́ compoſitæ calida & humida, calida & ſicca, frigida & humida, frigida & ſicca. Calida enim ac frigida, ſicut & humida ſimul ac ſicca, dari nequeunt in eodem ſubiecto, niſi forte iuxta diuerſa membra, aut diuerſas in vno mẽbro partes inæqualem intemperiem conſtituentes: quod in epialis & lypirijs contingit. E dictis tamen octo intemperiebus, Auerrhous. 2. coll. cap. 1. & ante eum antiquorum

quidam quos reprehendit Galenus.1.lib.de temperamentis,cap.3.quatuor simplices intemperaturas de medio tollere conãtur. Primo, quoniã Aristoteles.4.lib. Metheororũ,cap.1.ita scribit. Est autem simplex, naturalisq́ generatio, transmutatio quæ ab hisce fit potentijs, vbi ex subiecta materia, ad quanq; naturã rationem obtinent, ea autẽ sunt paßiuæ illæ potentiæ, quas diximus. E quibus verbis infert, quod actiuæ qualitates, paßiuis ita proportione respõdere debent, vt vnius excessus, sine excessu alterius cõstare nequeat. Secundo, quoniã actiuæ qualitates in ordine ad paßiuas, habẽt vicẽ formæ: & paßiuæ, vicẽ materiæ: forma autẽ & materia, inuicẽ separata esse nequeunt: ergo quantũ additur, aut demitur de actiuis, tantum addi, aut demi debet de paßiuis. Tertio, quantitas innati caloris cuiusq; misti, respondet quantitati humidi radicalis, quod ostendunt flãma & oleum in lucerna, & innatum calidũ, ac radicale humidum in animantibus: quæ simul aucta sunt in pueritia & adolescentia, simulq́ marcescunt in senecta & naturali morte: vnde impoßibile censet aduersus Galenum, dari duo corpora (vt iuuenis & pueri) caliditate paria, si alterũ sit humidius. Quarto, omnis intemperies fit superante aliquo elemento, aut humore: humor autem omnis, sicut & quoduis elementũ, duplici constat insigni qualitate: nulla ergo intemperies simplex esse quibit. Quinto, qualitates actiuæ generant paßiuas, ergo excessus actiuarũ, gignet excessum in paßiuis. Sexto, calor non potest ab exsiccando absolui, ergo eius excessus, non potest stare cum temperie paßiuarũ. Septimo, temperamenta omnia, per ætates mutantur, ergo intemperies quæ simplex esse cœpit, in quauis ætatis mutatione, variatur iuxta alteram oppositionem in qua temperamentum seruat, & ex consequenti, ex simplici fit duplex.

Galenus vero.1.lib.de temperamentis,cap.15.simplices intemperantias dari, sic demõstrat. Datur calor cũ humiditate in sanguine: & cum siccitate in bile: ergo dabitur cũ temperamẽto paßiuarũ: magis enim distat extremũ, ab extremo, quã à medio. Galeni verba ita habẽt. Si nanq; necessariũ omnino nõ est siccã esse quæ calida sit, sed licet eã & humidã esse, licebit vtiq; & mediã esse: propior nanq; siccæ tẽperaturæ, media est, quã humida. Frigidã etiã simplicẽ dari, sequẽtibus verbis confirmat. Si necesse nõ est frigidã temperiẽ esse humidã, sed licet & siccã eã fieri: manifestũ est mediã quoq; esse posse: quippe quæ vicinior humidæ est quã sicca. Simili ratione vtitur in sicca tantũ, & humida tãtũ suadẽda. Nõ minus efficax & demõstratoria ratio, ex trãsmutatiõe sãguinei, in pituitosũ cõsurgit: fit enim trãsitus in ipsa, per mediũ actiuarũ, manẽte lapsu in humiditate. Nec valet tergiuersatio barbara, qđ id mediũ in actiuis, est mediũ trãsitus, aut motus: nõ autẽ mediũ formæ. Nã quãuis forma frigoris, aut caloris, aut medij tẽperamẽti, necessario acquiratur p motũ: durare tamẽ potest forma p motũ acquisita, si motus per quã acquiritur sistatur, & causæ insuper eã formã conseruãtes applicẽtur ipsi. Tẽperatus insuper, tam in actiuis quã in paßiuis homo (quẽ Auerrhous admittit) potest à valida aliqua causa incalescere, simulq́ à causis cõseruãtibus impediri, ne in paßiuarũ oppositione mutetur.

Adhæc

Adhæc, omne quod hominum decreto fieri valet, multo perfectius gignetur à natura, nos vero simplicē intemperātiam humidam paramus, miscendo aquæ ferventi parem modum glaciei: & frigidam tantū, miscendo glebæ, tantundē aquæ frigidæ: ergo consultius has intemperaturas cōponet natura. Calidius insuper vnum altero dicitur (vt autor est Gal. 1. lib. Aphorism. com. 15. & lib. 3. de simpl. med. fac. cap. 6.) aut quia quantitate augetur, aut quia qualitate intenditur: ergo manente eadem humidi, & eadē quoq; calidi quātitate, fieri potest, vt qualitas caloris augeatur, aut minuatur: quod vel aquæ exemplo constat, quæ frigida cum sit, ignis actione primo tēperatur, deinceps feruida fit, parum aut nihil quò ad qualitatem attinet exsiccata. Quin in latere, & aqua, æqualem caloris gradum reperiri posse, est necessariū: quod etiam in iuuene, & puero, adstruit Galenus. Humida præterea temperies, non minus pendet ex humido aqueo, & pituitoso, quam ex aëreo, & sanguineo: quãuis autem cum hoc, calidum ad proportionem augeri possit, cum illo tamen calore carente, nequit augeri. His adde, quòd quanuis variato calore, necessario varietur humiditas, & contra (quod Auerrhous prætendit) non tamen necessarium est, vt quantum augetur calor supra moderatū, tantundem etiā augeatur humiditas: nec quòd quantum humiditas decrescit, tantundem minuatur calor: à pueritia enim in iuuētutem, contemperatur humiditas, non autem calor: consistentibus contemperatur calor, & creuit siccitas: quæ in senibus magis est aucta, quā calor sit imminutus. Adhæc non sufficit quælibet variatio, si exigua sit, in medici considerationem venire: dogma enim sempiternæ passionis (quanuis habeat euidentem demōstrationem) medico qui est artifex sensualis, non consideratur: id enim calidum iudicat, in quo calor euidenter percipitur, & frigidum in quo frigiditas, humidum & siccum, in quibus humiditas & siccitas: quare fieri potest, vt temperamento quis, quò ad actiuas qualitates, calidiori, aut frigidiori sit, quò ad passiuas tamē dignosci nequeat, an siccitas, an humiditas exuperet, fietq; vt medicè loquendo, tale corpus simplicem intemperaturam habere censeatur. Morbosæ prætereà intemperies simplices dantur, & ab ipso etiam Auerrhoo curantur. 7. lib. coll. cap. 23. sunt autem morbosæ efficaciores naturalibus, ergo naturales, quæ minorem vim gignendi qualitatem adiunctā sortiuntur, nulla ratione negari possunt. Vnde & ipse Auerrhous. 2. coll. cap. 1. statim ac Galenum reprehendit, Palinodiā recantat, in hæc verba. Et nos videmus, si nos exiremus ab intentione publica multitudinis medicorum, esset difficilè intelligere. Et ideo nos loquimur de hoc nimis. Et adhuc error qui accideret ex hoc in arte est multum paruus, & ideo non facimus hic nouum præceptum. Et in summa nouē ibi vult esse tēperaturas, quæ in necessariam medici considerationem veniant, quatuor simplices, & quatuor compositas, vnamq; temperatam in ipsarum medio sitam.

His verò, quæ in cōtrariū pro Auerrhoo adducebātur, respōdere oportet. Nam Aristoteles id quod eliciūt nō somniauit, eius enim sententia est, vt Aphrodisiēsis interpretatur, qđ calidū & frigidū, quoquo modo accepta, nō pmutāt ad generationē

mistorum, nisi quatenus à passiuis qualitatibus, sumunt quandam rationem agendi. Cum enim calidum & frigidum, agunt in humidum & siccum, quadātenus ab ipsis repatiuntur, & propter hanc repassionem, acquirunt ab ipsis quandā ratiōnē agendi, qua agunt generationem mistorū. Quod vero actiuas qualitates esse passiuarum formas, passiuas autem actiuarū materias scribit, multiplicē sensum habere potest. Falsum etenim est humiditatē esse subiectum caloris: substantiā quoq; humidam, calori subijci, de aliqua humida substantia (puta humido radicali) verum est: de pituita vero (quæ supercrescere, & humidam naturam sine caloris cremento efficere potest) non est verum. Humidum quoq; radicale (quod est caloris subiectum) quanuis varietatē suscipiat ex variatione caloris, non tamen quanta est vnius variatio, tanta & alterius, vt diximus. Quanuis insuper vnumquodq; elementū, duplici constet qualitate, fieri potest vt in misti cōcretione, vna qualitate vincat, & altera aut vincatur, aut ad medium temperamentum perueniat: nec opus est, vt victoria semper sit penes ambas qualitates. Actiuæ autē, non semper passiuas gignunt, sed cum plurimum creuerunt, quod voluit Auicenna his verbis. Istæ tamē quatuor non diu permanent: caliditas nanq; maior quam debet, reddit corpus siccius quam oportet: & frigiditas maior quam debet, facit corpus humidius quā oportet, humiditate extranea: & siccitas maior quā debet, citò reddit ipsum frigidius quā oportet: & humiditas maior quam debet, si valde fuerit superflua, velocius reducit ipsum ad frigiditatem, quam siccitas maior: quæ si plurima non fuerit, conseruabit ipsum prolixiori tempore, ad vltimum verò reddit ipsum frigidius quam debet. Quibus verbis patet, quod non ad omnem crementum actiuarum, sequitur euidens cremētum in passiuis, nec contra, sed ad crementum magnum: nec tunc ad proportionem actiuarum augentur passiuæ, quanuis aliquam variationem suscipiant. Quod vero simplices intemperies, diu permanere non posse, dixit: scriptum etiam reliquit Galenus. 6. lib. de sanit. tuen. in hæc verba. Sane dictum à nobis in libro de temperamentis est, fieri non posse, vt intemperies quælibet sola diu duret, quādo ipsa sibi ipsi alteram ex necessitate adsciscit, indéque factum, vt pleriq; medicorum quatuor tantum esse intemperantias, easq́ cōpositas: simplices vero ne esse quidem, nā et calidam, dum humiditates semper consumit, parere siccitatem: & frigidam, dum nihil absumit, humoris incremento quodammodo conferre. Eodē modo & siccā per eas ætates, quibus augescit animal, calidius ipsum semper efficere, quibus vero decrescit refrigerare & siccare quidem solidas corporis particulas, congerere vero abundantiam excrementorum. Quibus Galeni verbis constat, simplices intēperies, perpetuò & per omnē ætatum decursum, durare non posse. Ita enim hoc loco, diu nō durare interpretamur, ex 1. lib. de tēperamentis, cap. 3. nā ad hunc locum se refert, vbi ita scriptum reliquerat Galenus. Ratio vero horū (scilicet medicorū, qui simplices intēperantias negabāt) non illud efficit, quod nequeat aliquādo in eodē corpore, humidi plus esse quam sicci, & calidi quā frigidi: sed quod sub eiusmodi statu, durare perpetuo nō possit. Quod ergo diu

go diu non posse durare simplices intemperantias scripsit. 6. de sanit. tuen. idē dictu est, ac quod perpetuo durare non posse dixerat libro de temperamentis, siquidem locus ille, hunc refert & citat. Quod cum non fuerit assequutus Valesius, lib. 1. Controuersiarum, cap. 7. in multiplicē errorem incidit: nam Auicennā à Galeno dissentire facit, cum tamen persimiles vterq; sententias tradiderit, vt constat ex locis citatis: item & ex eodē Auic 1. 3. doct. 4. cap. 1. & 2. Cur enim diuersum sensum intellexerit in Auicēna, cum dixit. Istæ tamen quatuor non diu permanent: ac in Galeno, dum dixit. Fieri non posse vt intēperies quælibet diu duret, nō video. Auicennam de breui aliquo spatio, quo ipsum erroris insimulet interpretatur, Galenum vero, vt ab hoc errore liberet, de pmutatione quæ p ætates cōtingit, loquutū fuisse: nō autē de permutatione natiui tēperamenti scribit. Quod quā falsum sit, facilè intelliget, qui quintū & sextū lib. de sani. tuē. perlegerit: itē & caput teriū & quartū, primi libri de tēperamentis. Adde rationē, quod excedēs qualitas simplicis intēperiei, eiusmodi permutationē in altera oppositione facit, quatenus excedēs est, & à tēperata exorbitat: ergo seclusa omni ætatum successione, ratione solius intemperamenti, & excedentis qualitatis, dicta permutatio continget. Omnis præterea temperies, latitudinem habet ætatibus respōdentem, sic enim qui temperatus est, per omnes ætates est temperatus, non quoniam indiuisibili aliquo tēperamento sit temperatus, sed quoniam suis coæuis comparatus, temperatus habetur: intemperatus quoq;, siue simplici, siue duplici intemperantia, per omnes ætates similiter intemperatus dicetur, quoniam temperato suæ ætatis homini comparatus, intemperatus censetur: malè ergo simplices intemperaturas diu durare non posse, ob ætatum permutationē tradis. Frigida præterea temperies, ratione intemperamenti humefacit, permutatio autem in humidius, eadē cum ætatiua esse nequit, hæc enim in siccius semper alterat. Simplex præterea humida intemperies, ex sola mutatione ætatum, nullam necessario sibi adsciscet qualitatem sociam, nam humidus natus infans, vt quid ex ætate calidus, aut frigidus fiat non dicet, per vniuersam enim pueritiam, pubertatē & iuuentam, eundē (quo ad ætatum rationem attinet) seruari caloris gradum, autor est Galenus: de translatione ergo tēperamenti, à qualitate excedenti, quæ vim habet producendi qualitatē alterā, & non de ætatis permutatione intelligendus est Galenus, nullā siquidem temperaturā excepit dum vnamquālibet, solā diu durare non posse adstruxit. Nam intēperamenti ratione habita, citra ætatis successionē, calida intemperies exsiccat, humorem absumēdo: frigida humefacit, tum quoniā minus absumit, tum quia per incoctionem plus gignit crudi recrementi: humida frigefacit, quia calorem sopit, & obruit, ac penè suffocat: sicca interdum calefacit, quia calorē acuit, aliàs refrigerat, cum humidam substātiam (quæ caloris subiectum est) digerit. Hæc autē cito, aut tardius fiūt, pro maiori, vel minori, aut mēsura aut gradu intēperiei: si enim multum excedat breuis, sin parum tarda est commutatio dicta: at multum excedere simplex intemperies nequit, quoniam cum temperie in altera opposi-

tione coniungitur, nam si valde multum excederet, alterius etiam oppositionis intẽperiem statim efficeret, quod in calida intemperie expreßit Galenus lib. 5. de sanit. tuend. cap. vlt. in hæc verba. Sed cum triplex genere sit calidi temperamenti differentia, vna, in qua reliqua contrarietas (nempe quæ in humido siccoq́ consistit) mediam temperiẽ seruat, altera, in qua siccitas subsultat, & tertia, in qua vna cum calido, etiam humidum redundat: vtique in qua altera contrarietas medium temperamentum tenet, nunquam fuerit vltimè calor immodicus: quãdoquidem huic siccitas statim superuenit, ista vero non ponitur à nobis sicca. At in qua siccitas calori est adiuncta, in hac incidere aliquãdo plurimus (vt in intẽperie, quæ cum sanitate con sistat) præter naturã calor potest: idq́ longo tẽpore. Plurimã verò breui spacio, etiã quæ cum humiditate cõiuncta est, immoderatã caliditatem, vt in sanitatis intẽperie fieri licet. Exigua ergo, & tarda est permutatio, quæ ad simplices sequitur intẽperaturas, quoniam valde intẽperatæ, eiusmodi intemperaturæ esse nequeunt. Quare cũ eas temperaturas Galenus gubernat, solius qualitatis excedentis rationẽ habet, in administratione contrarij: alteram enim oppositionem, per ea quæ mediã temperaturam sortiuntur regit, donec eius iam fiat conspicua permutatio: tunc enim primũ, duplicis intemperiei correctionem molitur. Ita enim. 6. lib. de sanit. tuen. dum frigida temperamenta percenset scriptum reliquit. At qui frigidi natura sunt, cæterum in sicci, humidiq́ temperatura, modicè se habent: minusq́ij, vel ad sanitatẽ, vel ad corporis robur, sunt inepti. Horũ igitur excitare, firmareq́ calorẽ expediet: in humiditatis vero siccitatisq́ specie, tota victus ratio, media est exhibenda. Qua sententia constat, nullã indicationẽ sumpsisse Galenũ, de exsiccãdo id, quod à simplici frigore humescit: quoniã simplex intẽperantia, nec magna esse potest, nec plurimũ alterare valet: quãuis enim sola, perpetuò durare nequeat, debilis tamen est, ac tarda nimis, & ferè insensilis, quæ ab ipsa prouenit permutatio. Medicus autem insensiles permutationes, & dogma sempiternæ paßionis, nõ considerat: id enim solũ calidum iudicat, in quo calor euidenter percipitur, & frigidũ, in quo frigiditas, humidũ & siccũ, in quibus humiditas & siccitas. Cum vero euidẽter non excedunt, media temperies indicatur: intra quam leuis exsiccatio, à calido, aut humectatio à frigido recipitur.

De temperamento sexus. CAP. XIII.



OEMINAM frigidiorem esse masculo, tradit Galenus. 2. lib. de temperamentis, cap. 9. in hominum vero genere, non modo frigidiorem esse mulierem viro, sed multo etiam frigidiorem, quam in aliorum animantium genere, scribit idem Galenus. 3. lib. de causis pulsuum, cap. 1. Quoniã mulier in otio viuit, & domi se continet, contra ac vir in multis laboribus, & rusticationes in

in brutis verò vterque sexus, consimilem ferè vitæ, & exercitationium rationem seruat. Mulier ergo viro est frigidior, si cætera quæ à sexu sunt, consimilia habeat vterque: temperaturam (inquam) victum, ac regionem. Pituitosa enim, pituitoso frigidior est: & biliosa, bilioso: si eãdem regionem incolant, & persimili viuendi ratione vtantur. Quoniam verò ex peculiari vtriusque vitæ instituto, mulieri accedit otium, mollites, ac vita sedentaria, viro verò labor, & exercitamentum: fit vt non modo mulier sit frigidior viro, sed multo etiam ipso frigidior. Nisi fortè virũ fingas pituitosum, qui ponthum incolat, & molliter viuat, eumque conferas mulieri biliosæ, Aegyptiæ, sobriæ, & ruralibus exercitamentis assuetæ: tunc enim calidior fœmina viro habebitur. Quin huiusmodi mulier, nisi frigido viro iungatur, ac temperetur, conceptura non est, vt Hippocrates pariter, ac Galenus aduertunt. 5. lib. Aphorismorum, sent. 62. Dubium tamen est, cur in biliosa muliere, quæ pituitoso viro est calidior, pudenda intus delitescant, & in viro pituitoso, qui biliosa muliere est frigidior, extra erumpant? Siquidẽ calor exuperans, facit pudenda erumpere, & deficiens, intus delitescere: vt scribit Gal. 14. lib. de Vsu partium, & 2. libro de Semine. Dicendum ex Galeno est, quòd genitalia in omni viri generatione sunt calidiora, quam in generatione mulieris: potentior enim calor, ipsa facit in viro erumpere, & in muliere præ impotentia delitescere. Quare quantum ad sexum attinet, semper vir est muliere calidior, quoniam ob genitalium calorem, tẽperatura ex omnium membrorum coalternatione consurgens, in maiorem calorem assurgit: sunt enim testes post cor, altera insiti caloris origo, vt scribit Gal. 1. lib. de Semine. Si cætera tamen quæ à sexu sunt, in viro ad frigus, & in muliere ad calorem inclinent, sexus præpollere non potest. Sed huic etiam obstare videtur, quòd multæ mulieres reperiuntur calidissimo natura vtero, & genitalibus: & viri præ testium frigore, aut impotentes, aut infœcundi: in quibus dicere ridiculum esset, viros mulieribus, quò ad partes generationi attinentes calore præstare. Erroneum præterea esset, ad genitalium perfrigerationem, postquam semel creatæ sunt, ob errorem victus, aut affectum aliquẽ morbosum (quod Valesius facit, primo libro cõtrouersiarũ, cap. 9.) confugere. Viros enim frigidos, & impotentes, sicut & fœminas, vtero, & genitalibus ardentiores: ab ortu frequenter prodire, experimentum ostendit. Nec minus errat, cum viros huiusmodi, copia materiæ illis partibus respondenti, & fœminas eiusdem inopia, creari tradit. Primo, quoniam non plus materiæ poscunt virilia, muliebribus: sed minus fortè, vt dicemus. Secundo, quoniam si sola positione differunt, à virilibus muliebria, æqualis materia responderet vtrisq;. Tertio, nã quo materia fuerit copiosior, eo difficilius actione caloris foras erumpet. Quare verius fortè dicendum est (si à Galeni hac in parte sententia, recedere non vereamur) fictitiam esse illam, virilium ex maiori calore eruptionem: & muliebrium ex minori calore delitescentiam. Falsum enim est quòd putat, virilia prius intro formari, quam extrudantur. Falsum quoque, quòd si in hac postrema functione languerit, non vir,

sed fœmina fit: nihil enim conuincit ex simili quod affert, de posteriori dentium eruptione: nec de catellis, qui recens nati non vident, vident autem postea: nec de talpis, quæ oculorum tantum præludium habuerunt. Non conuincit (inquã) nam dentes qui septimo mense erumpunt, ab ortu infantis creati non sunt, sed septimo mẽse, cum vtiles esse cæperunt, & creantur, & foras erumpunt. Catelli autem, quoniam oculos habent ad initiũ imbecillimos, nõ aperiri donec firmitatẽ habeant maiorẽ, sategit natura. Talpa verò, quoniã terræ erat excæcãda, visu caruit. Ex his Galenus colligit, virilia intus creari primo, deincepsq; caloris & spiritus vi extra pelli. Quã verò rectè colligat, lector apud semetipsum æstimet. Adde, quòd multa alia mẽbra, sunt in corpore extãtia, & foras prodeũtia, manus, pedes, nares, aures, vmbilicus, quorum nullum intus formatũ est: ergo nec genitale viri intus formari fuit necessarium. Sola quoq; positione (quòd putat) virilia & muliebria, inuicem distare, falsum est: penis enim solidior est, per eiusque cauitatem, vix calculus pelli potest: vteri autem ceruix, insignem habet cauitatem, per quam fœtus nascitur: vterus multò est amplior scroto, præputium mulieri carnosius, & maius datum est: vasa seminaria non ad ceruicem vesicæ vt in maribus, verum ne ad ceruicem vuluæ, quæ ipsi vicinior est, sed ad vteri cornua inseruntur, vt aduersus Herophylum, idem notat Gal. 2. lib. de Semine, non longè ab initio. Membra quoq; adiacentia, diuersam formationem, & craßitudinem receperunt, vt iam inde de fœmina fingenda, solicitam tunc fuisse naturam constet. Peritonæum enim parte inferna, mulieribus craßius, ob fœtum sustinendum habetur. Iliorum ossa, ampliora & craßiora sunt ipsis, vt locus amplus in ventre, & oßium robur gestationi sufficiens, fœtui concedatur. Cauda extrorsum magis in muliere reflectitur, & ossa pubis laxius, quàm in viris hærent, vt facilis in enixu concedatur exitus infanti. Hinc mulier ferè omnis, parte inferiori est craßior, & laticlunia. Ex brutorum præterea inspectione, non sola positione, vtriusque sexus genitalia inuicem distare, quàm apertißimum est: fœminis enim, retrorsum iacent ad caudam, maribus verò antrorsum ad ventrem, & inter crura pendent: quòd huius in illam insultus, hac positione facilis esset futurus, peneq; impoßibilis, si eadẽ parte crearentur. Toto præterea corpore, mas à fœmina distat, secundo libro de Semine, autore Galeno. Nam sicut leonem à leena, gallum à gallina, capram ab hirco, ouem ad ariete, ita virum à muliere facilè discernimus: neque opus est vt prius vestes exuamus, quò differentiam membrorum speculemur, sed indutos & opertos satis agnoscimus: cum & toto corpore inter se discrepent; & partes quæ post genitæ nuncupantur, aliæ nullæ sint fœminis, aliæ diuersæ conspiciantur. Barbæ enim, cristæ, calcaria, dentes exerti, marium animalium partes sunt. Cerui etiam longa cornua habent, vt in his quoque à maribus, fœminæ superentur. Discrepant item fœminæ à maribus, in eo quòd læuiores hæ, illi hirsutiores sunt: hæ mollioribus pilis, illi durioribus integũtur: hæ latiores clunes, illi latiora habẽt pectora: alijsq; multis differẽtijs distant.

Deus

Deus ergo, vel nos pangens natura, animalia cuncta creans, masculum & fœminam creauit ea: quoniam vtroque sexu fuit opus, masculeo vt in altero generet, fœmineo vero vt in se ipso. Vtrique autem, peculiarem qua indiget perfectionem indidit, tũ organorum, tum temperamenti, ad sua munia obeunda necessariam. Semper enim facultatibus sua organa concedit, alas volaturo, & processuro pedes. Sic mari penem prominentem, vt in altero generet, & fœminæ vterum intro reclusum, vt penem excipiat, & generet in seipso. Non quoniam extra proferre nequiuit pudenda, ideo fœmina facta est, sed quoniam intus habere condecuit, ideo creauit intus. In viris etiã ab initio, penẽ & scrotũ, vt & manus, ac pedes, extra delineat, quoniam extantia esse debuerunt. Temperamentum etiam diuersum, vtrique sexui imperti uit; nam absolute mas est fœmina calidior: temperatus, temperata: biliosus, biliosa: & pituitosus, pituitosa: quoniam mas, debuit esse fœmina efficacior, & fœmina plus de materia tribuere, tum pro alendo fœtu, tum pro lactando. Calor autem, quò maior est, eò est efficacior, & plus materiæ absumit, minusque sanguinis relinquit, quò fœtus in vtero alatur, & exclusus ab vtero, lactetur. Vir ergo, qui fœmina nõ esset calidior, parum esset efficax gignendo, & mulier, quæ viro non esset frigidior, nec vtero gestare, nec infantem lactare, sine graui sui iactura posset. Quod in biliosis, & præcalidis quibusdam mulieribus experimur, quæ valde emaciantur, maleq́ habent ex conceptu, & infantem lactare non sustinent. Quò autem artificio sit vsa natura, in serendo mare atque fœmina, vt frigidiorem hanc, illum verò calidiorem produceret, notat Hippocrates. 5. lib. Aphorism. sententia. 48. in hæc verba.
" *Fœtus mares quidem in dextris, fœminæ verò in sinistris magis. Primo, quoniam dextra vteri pars, sinistra est calidior, propter hepatis vicinitatem, & rectitudinẽ. Secundo, quoniam semen ex dextro fœminæ teste profluens in dextrum sinum, calidius est, ac defæcatius, quam profluens ex sinistro teste: sinister enim sanguine nutritur serosiori, ac frigidiori, antequàm à renibus repurgetur. Tertio, quoniam dexter viri testis, dicta ratione est calidior, & masculorum sator. Vnde Hippocrates 6. lib: Epidem: sect. 4. sent. 26. in permutatione pueritiæ in adolescentiam (quando scilicet vox ex acuta rauca, maribus reddi solet, & puellis virginibus mammæ extuberant, atque menses ferri incipiunt, & vtrisque pili, in locis genitalibus incipiunt erumpere) ex dextri, aut sinistri testis intumescentia, docet dignoscere, filios ne, an filias, cum in ætatem perfectam, ac virilem peruenerint, sint genituri. Si enim dexter prius testis intumescat, filij: si sinister, fœminæ gigni solent. Et Aristoteles 4. lib. de generatione animalium, in tauris vt vacas gignant, dextrum testem ligare præcipit. Quàm sentẽtiam in viris sectatus Galenus, libro de facile parabilibus,*
" *ita scribit. Vt mas gignatur, vir sinistro teste ligato venere vtatur, vt fœmina dextro. Vnde quidam pro magno secreto consulunt, vt in accessu vir eo iaceat situ, vt dextrum crus leuet, sic enim ex dextro teste, in dextrũ vteri sinum, semen expeditius iaculatur: tunc vero fœmina ab accessu, supra dextrum latus est vertenda,*

vt semẽ ad dextrum sinum colligatur. Dixit enim Rasius.6.lib. Aphor. sent. 101. quod mulier, quæ in dextrum latus solita est decumbere, rarissimè gignit fœminas. Hinc in conceptu maris, maior tumor dextrorum vasorum adest, & sinistrorum in conceptu fœminæ: quod in vasis qui sub lingua sunt, valde conspicuum apparet, ad eam enim partem, magis accurrit sanguis pro fœtu alendo. Vnde & eius partis pulsus vehementior est, maior, velocior, & durior. Quod inditium, esse certissimum, & minimè fallax, masculeæ prægnationis: legitur apud Aëtium.4. lib. tetrab.4.cap.9. vehementior nanque fit pulsus, quoniam vires augentur, sanguinis & spirituũ vitaliũ copia: maior etiã fit & velocior, ob vsum adauctũ, ex sanguinis & spirituum calore: sicut durior ob tensionem, quæ tum à fœtu extendente, tum à sanguine implente vasa contingit: quare rectius tensum dixeris, aut plenum, cum Auicẽna.22.3. tract.1.cap.13. Eiusdem etiam partis, quàm contrariæ mãma, prius lactescit, & magis turget, præsertim papilla, vt notat Aëtius. Sic & eius mammæ repentina detumescentia, abortum portendit, siquidem mamma dextra magis gracilis fiat, maris: si verò sinistra, fœmina est quæ abortitur, vt scriptum reliquit Hippocrates.5. libro Aphor. sent.38. Initium etiam motus infantis, in vtero iã animati, in dextro incipit sentiri, vt notat Auicenna. Qui alia etiam minus certa, quanuis non prorsus improbabilia, ex alijs autoribus inditia in gestatione maris colligit, cum ita scribit. Et dixerunt quidam, quod quando mouetur à statione, mouet prius pedem dextrum, & est expertum. Et cum erigitur, sustentatur super manum dextram, & est oculus eius dexter, leuioris, & velocioris motus. Hæc tamen communia inditia esse cẽseo, vtero gerẽtibus, & ijs quæ nihil gestãt: nã vt autor est Aristoteles, libro de progressu animalium, dextrum est motus principium: quare ipsa natura docti, dextra ceu validiora, & calidiora prius mouemus. Nec obstat huic sententiæ de gestatione maris in dextro, & fœminæ in sinistro, quòd ipsam reprehenderit Arist.4.lib. de generatione animalium, cap.1. in Empedocle & Anaxagora, quoniam experimento obseruatum esse tradit, in dextra vteri parte fœminam, & in sinistra masculum, immò in vna & eadem parte simul masculum & fœminam generari. Non obstat (inquam) nam Hippocrates, hanc causam non censuit esse perpetuam, & necessariam vt illi, sed frequentem: ob idque aduerbium ferè, aut magis, apposuit: fieri enim potest, vt maris semen plus excedat calore, quam sinister vteri, sinus deficiat: fieri etiam potest (quanuis raro contingat) vt mulier sit sinistra, id est quòd dextra habeat infirmiora sinistris: quo casu, mas sinistra vteri parte gignetur, & ex contrarijs causis, fœmina in parte dextra: si præsertim causæ addantur aliæ, calfacientes, aut infrigidantes, quas colligit Auicenna.21.3.tract.1. cap.12. Ratio etiam demonstrat, mulierem dari posse, in qua sinistra, dextris sint æque valida: quoniam datur in qua sint validiora, & in qua sint debiliora, ergo dabitur etiam medius status. Adeo tamen rarus est huiusmodi euentus, vt Hippocrates, mulierem ambidexteram non fieri, scripserit.7. lib. Aphorismorum, sent. 43. qua

sen-

sententia, frequentiam, non autem perpetuitatem intellexit Hippocrates: mulierē enim ambidexteram, vidit conciliator, problemate duodecimo, sectionis tricesimæ primæ. Nec opus est ad solam consuetudinem, cum ipso recurrere, cogit enim ratio dicta, medium statum per naturam concedere. Nec obstat etiam, quòd ex cordis rectitudine, sinister latus deberet esse calidius, atque validius. Respondet enim Galenus.6.lib.Epidem.sect.2.com.44. quòd dextrum latus est calidius ob hepar, cor nanque in medio iacet, quanuis ob sinistrum eius ventrem in sinistro latere pulsantem, ad id latus magis videatur accedere. Sed cur (quòd ibi quærit Galenus) si dexter oculus, aut auris, non plus videt, aut audit sinistris, dexter vterus, aut testis, dextra quoque manus, validior est, atque calidior, sinistris suis comparibus? In vtero dextro, & teste dextro, respondet Galenus, causam esse, quòd calidiori, & magis defæcato nutriuntur sanguine, quàm sinistri. In brachio verò, respondet Aristoteles, problemate.12. & .13. sect.31. quod robur dextri, est maioris, & euidentioris vsus, in actione & motu brachij, quam in paßione, per quam fit sensus omnis: ideóque aut nihil, aut parum plus, videt, atque audit, oculus, & auris dextra, quàm sinistra: quoniam non minus patiuntur à sensibilibus, sensoria sinistra, dextris.

Hinc si alijs inditijs attendamus, calidiores semper masculos, suis comparibus fœminis reperiemus, citius enim formantur, & celerius, ac frequentius mouētur in vtero, quæ opera caloris sunt. Quæ insuper mares gestāt, citius, pluribus, validioribusq́ motibus agitantur, & melius coloratæ visuntur, vt scribit Galenus.6. libro Epid. sect.2.com.45. Lac etiam craßius habent, nam aquæ instillatum (inquit Aëtius) si fœtus fœmella sit, diuellitur, ac distrahitur: si vero masculus in superficie persistit. Et apud Auicennam, speculo instillatum, remanet quasi ipsum sit frustrum argenti viui, aut granum margaritæ non currens, neque protensum. Maculæ etiam quæ papillas circunstant, & ipsarum papillarum color, rubeus est in maris gestatione, nigrior verò velut ex sanguine magis refrigerato, vbi gestatur fœmina, vt aduertit Auicenna. Viuidus etiam calor, est qui in maris conceptu facit papillas sursum reflecti: & eius defectus, vbi fœmina gestatur deorsum nutare, vt notat Aëtius. Ipse etiā masculus, colore est nigrior, maior, solidior, robustior, hirsutior, quæ calorē ostendunt: fœmina verò candidior, breuior, laxior, imbecillior, & depilis, quæ frigore comparantur.

Videtur tamen obstare, Primo, quòd mulier citius adolescit, vt scribit Hippocrates.6.lib.Epidem.sect.2.sent.45. Secundo, quòd pluri sanguine redundat, qui singulis lunationibus vacuatur. Tertio, quòd Hippocrates.1.libro de morbis, ad principium, ita scribit. Habet enim mulier sanguinem calidiorem, & propterea calidior est quam vir. Quarto, quoniam in genere auium rapacium, fœminæ sunt validiores, & celeriores masculis, aucupum experimento. Leena quoque leone, & vrsa vrso, ferocior esse perhibetur: equam quoque, equo esse velociorem statuunt.

Dicendum tamen ex Galeno, in eiusce sententiæ commentario, quòd mulier citius

tius augetur, ob humiditatem temperaturæ, quæ membra reddit extensioni opportunissima: citò tamen desinit augeri, ob defectum innati calidi extendentis ipsa. Sanguis verò qui singulis lunationibus purgatur, non tantum refertur abūdantiæ, quā nutritionis membrorum defectui. Liber verò de morbis, aut spurius est, aut intersertas habet sententias Hippocrate indignas, quòd alijs etiam eius libris videre est. In genere verò auium rapacium, mares quoniam calidissimi sunt, imbecilliores fœminis minus calidis habentur: quoniam omnis intemperies, si valde augeatur, deijcit actum propriæ operationis, vt autor est Gal. 2. lib. Aphorism. com. 20. Leena quoque leone, & vrsa vrso, ferocior & morosior est, ob inditum instinctum seruandæ prolis, quòd in gallina etiam, & cane fœmina videmus, non tamen propterea est calidior. Velocitas vero maior equarum, non est inditium necessarium caloris maioris, lepori enim, & ceruo datur, quoniam meticulosis, fugam velocitate parauit natura. Erit ergo equa velocior, quoniam equo est meticulosior, nō quoniam calidior, citius enim lassatur & deficit: equus vero velox est, atque firmus in labore, & cursu pertinax, & feritate, ac victoriæ spe magis quam metu ducitur.

De ætatum numero, & distinctione. CAP. XIIII.



ITA quæ (apud Aristotelem) animæ in corpore mora est, per ætates, id est per insignes quasdam mutationes in ipsa contingentes diuiditur. Per quandam etiam quasi abusionem, & similitudinem, vita carentia ætatibus metimur, idest mutationibus quibusdam euidentibus, à quibus non sunt immunia: quāuis ineuidētiores, eas habeant quàm viuentia. Non enim statim à prima generatione, summam sunt consequuta perfectionem, sed temporis tractu, tum perficiuntur, tum ad corruptionem properant, & veterascunt. Lapides nanque, & metalla initio sui friabilia, imperfectáque sunt, donec firmitatem, & vltimam perfectionem acquirant, antiquitate etiam corroduntur, & puluerascunt. In theriaca quoque, & compositis medicamentis, ætates agnoscunt Galenus & Auicenna, iuniorem, vigentem & senescentem: in iuniori præualet papaueris succus, in vigenti perfecta est forma, virtute compositionis præter vires simplicium tributa: in senescente verò, vtraq; virtus exoluitur, & veterascit. Quoniam verò animata, euidētiores habent huiusmodi mutationes, homines præsertim, de quibus nostrum est institutum agere (ortus, dentitionis, loquellæ, intelligentiæ, redentitionis, pubis, venereorum, mensium, incrementi & decrementi, roboris & remissionis, canorum, & demum interitus) ipsorum progressum, atque vitam, per ætates, velut per terminos quosdam in quibus frequentius contingunt metimur: latitudinem enim quæ contrarijs respondeat temperamentis, in omni ætate subaudiendam esse monemus, magna quippè

quippè est inter melãcholicũ, & sanguineũ (siue puerum, siue iuuenẽ, siue senẽ) differẽtia, tã in totius vitæ duratione, quã in eius partitione, quæ per ætates fit. Quòd Gal.3.lib. Aphorism.com.27. & lib.6.de sanit.tuen. cap.2. ita docuit. Nec tamẽ (inquit) est has ætates annorum numero circunscribere, quenadmodum nonnulli fecerunt, nisi fortè in latitudine quadam. Ergo pubescere quidem incipiunt aliqui, vbi quartumdecimum annum expleuerunt: quidam vno post anno, aut etiam amplius. Initium præterea remißionis nonnulli habent, statim à trigesimo anno, nonnulli post quintum & trigesimum. Id quod tertio etiam prognosticorum, com.28. Galenus notauit inquiẽs. Primus terminus cõuersionis ad habitum frigidiorem, annus trigesimus est, nouißimus verò, trigesimus quintus. Ex quibus locis nolim quispiam intelligat, ætates distingui debere certo aliquo, atque præfixo temperamento, quod quædam naturæ citius, & aliæ tardius nanciscuntur. Melancholicus enim, nõ ingreditur pueritiam, nec vllam aliam ætatem, cum eodem temperamento quo sanguineus: sic enim non distarent inuicem tẽperamenta. Nec indicatio ab ætate, esset alia, ab indicatione natiui temperamenti. Nec sanguineus in ætate inclinante, ad extremum vsq; senium salubrius degeret, cæteris qui parem ætatem agunt: contra ac docet Galenus. 6. lib. de sanit. tuenda. Aetates ergo distinguntur intraneis quibusdam mutationibus, euidenter in vita contingentibus, quæ nec certo annorũ numero, nec certo item temperamento circunscribi possunt, sed sub ampla quadam latitudine, diuersis temperamentis respondente: sanguineus enim inclinans, vbi iã ad frigidiorem naturam cœpit commutari, calidior est atque humidior, melancholico iuuene. Per intraneas autẽ mutationes ætates metimur, non vt iuris prudẽtiæ periti, per extraneas, quæ ipsis à iure conferũtur, ad delicta perpetranda, ad impetrandam veniam, ad emancipationes, ad beneficia & dignitates consequendas, ad ordines, profeßiones, & nuptias contrahendas. Prætereo astrologos, cum Pholomeo, vltimo libro quaternarÿ, qui quãuis intraneas mutationes memorẽt: septenario eas numero claudunt, quò errantibus stellis, singulas mutationes largiantur, & maiori quàm stellæ ipsæ detineãtur errore. In intraneis autem mutationibus percensendis, non vsquequaquè conueniunt autores: quidam enim plures, alÿ pauciores percensent: atque idem autor, pro diuerso tractandi instituto, aut ordine, hic plures alibi vero pauciores describit. Cum enim in pauciores ætates diuidit, illas rursus in alias mutationes minus insignes, diuidendas relinquit. Aristoteles libro de morte & vita, ita scribit. Est igitur ortus quidem prima vegetatricis animæ cum calore participatio, vita vero mora eius, iuuenta primæ refrigerabilis particulæ auctio, senecta eiusdem decretio, status siue ætas adulta, quod horũ medium est. Quibus verbis, triplicem tantum ætatem statuere videtur, tribus calidi, atque humidi mutationibus respondentẽ: cum scilicet augescit, aut in vigore est, vel inclinat. Quæ augescit in sui initio pueritia est, quæ terminatur anno ferè decimo quarto, autore Galeno. 3. lib. Aphorism. com.27. & .28. In progressu verò est adolescentia, quæ terminatur

minatur anno ferè vicesimo quinto: hic enim annus vltimus est crescendi: quoniam ab hoc in tricesimum (qui primus terminus est conuersionis in habitum frigidiorem, aut in trigesimum quintum, qui vltimus statuitur à Galeno.3. prognostic. com.28.) iuuentus extenditur. Iuuenes autem, & omnes siccæ ætates, à ratione crescendi excluduntur, libro de victu priuatorum, com.7. vbi incrementum, in nullum aliud, quàm humidum temperamentum incidere posse, scribit Galenus. Quod etiam voluit Hippocrates, lib.1. de diæta, non lõge à fine, in hæc verba. Vir cum steterit iam corpus, siccus est, & frigidus, quia caliditatis impetus, non amplius dominatur, sed ἑστήκε id est, stetit corpus, ab augmento quiescens ac perfrigeratum. Male enim cornarius vertit, stat, præsentis temporis pro præterito stetit: deditque occasionem errandi Valesio, cap.8. primi libri controuersiarum, qui ex eo loco consistentes existimat, tunc primum stare quiescentes ab augmento, quasi iuuenes creuissent. Quod vt caueret Hippocrates, præterito est vsus, dicens: viros stetisse ab augmento quiescentes: per totam scilicet iuuentutem antecedentem. Male ergo dixit Valesius, quòd solida membra corporis, plerisque vsque ad trigesimum annum, aut etiam trigesimum quintum, fiunt corporatiora. Nam verum augmẽtum solidorum, quod trina dimensione aucta constat, iuuenibus non fit. quòd verò corpulentiores, & craßiores fiant, non autem longi, ex carne est, non ex solidis, & vlterioribus etiam ætatibus contingit. Iuuentutem sequitur vergens ætas, aut inclinans, aut subsistens, ita enim rectius, quàm consistentem appellari, docet Christophorus a Vega, 1. libro. prognost. com.29. & 1. Aphor. com.13. qui enim iàm declinare incipiunt, non rectè consistentes dicuntur, sed subsistentes, ac declinantes: habent enim ætatem mediam vigoris & senectutis, ita vt ab ætate quidem vigente recedant, nondum tamen sensum habẽt senectæ manifestum, vt scribit Gal.1. lib. Aphor. com.13. Durat hæc ætas, à tricesimo, aut tricesimo quinto anno, in quadragesimum nonum, autore Gal.3. Aphor. com.30. quæ vitæ humanæ medietas est, ex septem annorum septimanis constans. In quo dominum exorans psalmista inquit, Domine ne in dimidio dierum meorum reuoces me. Quanuis enim calor, hac ætate iam deferuere cœperit, non prorsus sedatus est, nec animi perturbationes pacatæ, vt Deo tota mente vacemus: donec senectus accedat, per alias septem annorum septimanas, in naturalem interitum protensa. Vnde hac computatione ducti legislatores, post centum annos neminem viuere præsumunt. l.2. de sacrosʃ. eccles. Sunt ergo omnes ætates quinque, pueritia, adolescentia, iuuentus, subsistens, & senectus: quæ tribus illis innati calidi atque humidi mutationibus, tribusque Aristotelis ætatibus dictis cõprehenduntur. Iuuenta enim ab ortu, ad augmenti finem protensa, pueritiã & adolescentiam claudit. Senecta verò, ab imminutionis initio, vsq; in mortem prorrogatur, & ætatẽ inclinantem, ac senium comprehendit. Aetas verò adulta, in ambarũ medio sita, vigẽs, florens, atq; consistens, & iuuentus, à iuuãdo dicitur, sicut & adulta, quoniã in ipsa corpus adolescere finiuit. Quare immerito à Valesio reprehẽditur

Fuchsius,

Fuchsius, quòd in cōpendio dixerit, iuuenes & vigētes ætate, & consistentes eandē ætatē agere: nam verè quæ in suo robore constat, non alia est quā vigens, & quæ iuuentus à iuuando, quoniam maximè sit apta ad tolerandum laborē dicitur. Quod ergo lib. de victu priuat. sent. 7. Hippocrates diuiserit ætates in duas, inelaboratus est locus: vt aduertit Galenus, in cōmentario eiusdem sententiæ. Primo autem libro Aphor. sent. 13. iuuentutem, adolescentiæ & subsistentiæ interiacentem, prætermisit Hippocrates, quoniā breuitatem affectans, eam ceu mediā, medio modo interdiam tolerare, vnusquisq; ex ætatibus quas dixit, intelligere poterat, vt aduertit Galenus in eius sententiæ commentario. Quòd nō aduertens Valesius cap. 8. primi libri cont. nomine adolescentiæ, iuuentutem in ea sententia Hippocratem intellexisse scribit. Primo itē libro de diæta in fine, Hippocrates quatuor ponit ætates, pueritiā, adolescentiā, virilitatē & senium. Ibi autem per pueritiā omnem ætatem augmentationis intellexit, cū scilicet mēbra eatenus sunt humida, vt vndiq; extēdi poßint, quoniā vt autor est Gal. lib. de victu priuat. com. 7. id tēperamentū augmēto est opportunissimū. Nam eos qui vltra quatuordecimū annū sunt cōstituti, pueros interdum vocasse Galenū, constat ex libro eiusdē de sanguinis mißione, cap. 12. vbi si post quartū decimū annum pueri natura fuerit bene sanguinea, sanguinem ipsi mittere iubet. Quin lib. de victu priuat. com. 7. hac ratione ætates reduxit Galenus ad quatuor, totidem tēperamentis respondentes: è quibus pueritiam calidā & humidam ponit, iuuentutem calidā & siccam, vergentē frigidam & siccam, senectutem frigidā & humidam: vbi pueritiæ nomine, omnē ætatem quæ est vsq; ad iuuentutem intellexit: quoniā in omni ea ætate, calorē atq; humiditatē corporis extēsioni, & augmentationi necessariā, corpus habet. Primo ergo libro de diæta, adolescentiam in pueritia cōprehendit: & adolescentiæ nomine iuuentutē intelligit, calidam enim & siccā esse, & in qua ignis impetus dn̄etur describit. Siue ergo in tres, siue in quatuor seces, siue in plures, aut pauciores, nihil obstat: omnes enim, aut diuisione pauciorū, aut collectione pluriū, ad quinq; dictas ætates reducūtur. Quas iterum in alias resecant autores, per mutationes alias minus insignes. Pueritiā enim in quatuor secant Hippocrates, atq; Gal. 3. Aphor. libro à sent. 24. in 28. ante loquelā infantia, à non fando dicitur, duratq; menses septem, donec dentes pullulare incipiunt. A quo vsq; ad redentitionē, quæ septimo anno magna ex parte cōtingit, ætas durat dētitionis. Postrema pueritiæ pars, appellatur pubertati proxima, quæ duodecimū, decimū tertiū, & decimū quartū annū cōprehēdit, vt scribit Gal. 3. Aphor. com. 27. inter quā & septimū annū, quo ætatē dentitionis diximus expleri, mediā ætatē ponūt Aphorismo vicesimo octauo sequēti. Pueritiæ autē p has ætates partitio vtilis est, quoniā diuersis morbis ipsarū singulæ sūt obnoxiæ, vt notat Hippocrates, sentētijs citatis: atq; hæc ætas cū calida sit, & valde humida, plurimis mutationibus est obnoxia, ob idq; in breui quatuordecim annorū spatio, tot quas diximus subit mutationes, & alias adhuc minutiores, quas Auicēna memorat. Secunda adoles-

centium ætas, quā ab anno decimo quarto, in vicesimū quintū, diximus prorrogari, appellatur etiam pubertas, vt constat ex Galeno. 5. libro Aphorismorum, coment. 7. vbi scribit: Quod tempus pubertatis post quartum decimum annum exorditur, & vsque ad vicesimum quintum prorrogatur: diuiturq; speciatim in ephebiam, in qua pubes innascitur, à decimo quarto anno, in annum decimum octauum: & in adolescentiam, a decimo octauo in vicesimum quintum: vt quinto Aphorismorum, commentario nono scribit Galenus. Tertia ætas iuuentus, florens, et vigens appellata, firmum et siccum corpus habet, quod iam extendi et augeri nequit: ob idque appellatur ab Auicena ætas perfectionis et complementi. Hæc mutationibus ob eius siccitatem, & robur, minus est obnoxia: ob idque in alias ætates non resecatur, vbi enim mutari cœpit, iam in quartam ætatem quæ firma non est, & ad mortem vsque perdurat degenerat. Hanc παρακμαστικὴν hoc est, inclinantem, aut vergentem, appellat Galenus. 5. libro de sanitate tuenda, vbi postquam superioribus libris, artem tuendæ valetudinis, vsque ad iuuentutem peractam tradidisset, ita scribit. Id quod ipsi hactenus fecimus: qui de ea per singulas ætates præter inclinantem, (παρακμαστικὴν Græci vocant) egimus. Cuius extrema pars senium propriè dicitur. Quibus verbis, omnem ætatem quæ est à iuuentute, in vitæ finem, inclinantem appellauit: eiusque vltimam partem, senij nomen propriè sortiri affirmat. Prior verò nō propriè, sed ὠμογέροντας hoc est, eorum est, qui cruda, viridique senecta, præditi sunt: quæ interdum senectutis nomine, aliâs vero nomine inclinantis, aut subsistentis intelligenda venit. Primo siquidem libro Aphor. com. 13. Subsistentes dixit esse medios, inter iuuenes, ac senes. Et tertio libro Aphor. com. vlt. primos senes dixit esse medios, inter iuuenes & seniores. Aetas ergò, quæ post iuuētutē ad obitum vsq; sequitur, generali vocabulo inclinans appellatur: cuius postrema pars propriè senium, prior verò interdum subsistens, aliâs cruda & viridis senecta, aut primum senium, aut prima senij pars appellatur. Nam & in hac ad frigidiorem habitum cœpit corpus permutari, vt scribit Hippocrates, ad finem primi libri de diæta: & ortus tunc canorum visitur: & quamuis omnia vitæ munia, æque atq; illi qui in vigenti ætate consistunt conentur peragere, non tamen eodem modo ad labores sufficiunt: ex adustione namq; & algoribus & humi cubatu, vigilijs, atq; repletione, pulsquam illi offenduntur, autore Galeno. 3. lib. Aphor. comment. 30. Postrema verò inclinantis pars, quàm propriè seniū appellari dixit Galenus, vltima ætas est, quam seniorum ætatem appellat tertio libro Aphorismorum, commentario vltimo: atque hæc duplici constat differentia, prima est eorum qui ciuilia negocia, adire non sustiuent, propriè tamen saluti consulere possunt. Ob idque de ijs rectè dicitur.


Vt lauit, sumpsitq; cibum, det membra sopori
Namq; hæc iusta seni.

Secunda verò seniorum differentia, eorum est qui non modò à ciuilibus negocijs abstinere coguntur, verum nec propter virium imbecillitatem assiduum

balnei

balnei vsum sustinent: nec propter habitus frigiditatem, mordacia excrementa per balneum euaporanda congerunt. Durat illa à quinquagesimo in sexagesimum annum, aut quòd longius prorrogatur in sexagesimum quintum: vocaturq́ media senectus, quoniam viridi, & vltimæ interiacet. Vltima verò, quæ & decrepita appellatur, ad septuaginta, & in potentatibus octuaginta protenditur: quod amplius, labor, & dolor est, (vt docuit psalmista): ad quatuordecimq́ extenditur annorum septimanas, quibus vitam hominis, cum morte ineuitabili commutari diximus.

An senium & mors, arte vlla posint deuitari. CAP. XV.



MNES quas memorauimus ætates, dirimit Gal. 2. libro de temp. cap. 2. humiditate & ariditate. Senes enim siccissimi sunt & durissimi, pueri verò humididissimi, mediæ ætates, medio modo se habent: pro vt magis ortui accedunt humidiores, & quanto magis recedunt sicciores sunt. Exsiccatio enim nostri corporis ab ortu in interitum, perpes & necessaria est. Primo, ob experimentum irrefragabile, quo nullus vsq; in hodiernũ diem, quantũuis exacta viuẽdi ratione tractetur, desiit consenescere. Vnde libro de Marasmo Gal. cuiusdam philosophi sententiã reprehendit, qui senescere & mori animal inscitia, non autem necessitate existimans, librum cum quadragenarius esset conscripsit, quòd citra senium superesse liceat: postea verò octoagenarius factus, tanta erat consumptione, & senio confectus, vt omnibus risui esset: nec tunc amplius audebat ipse, quò pacto senium omnes vitent, alios docere: sed naturam idoneã requiri, & suæ artis fundamenta, à primis alimentis iactãda esse prædicabat: pollicebaturq́ si statim à natali die pueris assisteret, eorũ corpora immortalia reddere: quoniam quos tunc susciperet natos, viros ante eius obitũ visurus ipse nõ erat. Secũdo, ob rationes suasorias, demonstratio enim euidens, quæ scientificam et firmam vllam ex principijs euidentibus sequellã habeat, aut senij: aut mortis animãtibus necessario venturæ: aut eius proloquij quòd in vniuersum genita omnia sint interitura: nulla præter experimentum est, autore Galeno, libro de marasmo. Est autẽ experimẽtũ tãtæ fidei, vt nõ modo in demõstrationis defectu, verũ etiã si rationes deessent suasoriæ, quãuis etiam valida ratio contrariũ suaderet, ipsi soli esset fidendũ. Ratio enim quæ cõtrariũ experimẽto concludit, fallax est cẽsẽda, quãuis fallacia ignoretur. Nã orta nõ esse interitura, deceptoria procli ratio probat, in hũc modũ. Deus qui cũcta creauit, aut bene, aut malè ea constituit: nõ malè, quoniã creator esset non optimus, quòd perabsurdum est: si autem rectè nunquam dissoluet, pulchrè enim constitutum dissoluere vele, maligni est artificis. Huic tamen rationi respondet Phyloponus, lib. 6. aduersus viginti

duas procli propositiones, de mundi æternitate, in hæc verba. Si vniuersum mundum bene compositum dissoluere voluisset Deus, non propter hoc & bonũ fieri malum necesse est. Qua enim bonitate ab initio mundum composuit, non alia quidẽ omnino ipsum dissolui velet. Quoniam & lyram cõmodè beneq́ compositam, postquã vsui in quam composita est fuit componenti, hanc rursus qui bene composuit dissoluet. Neq; vllus (modo mente præditus sit) diceret, vele dissoluere lyram bene compositam praui esse, & musicus cum prius prauus factus sit, ita concentum bene cõpositum dissoluet. Sed omnino perspicuum esse puto, & prius bene composuisse, & compositum iterum bene dissoluisse. Multo igitur magis verè bonus, & à principio per bonitatem mundum constituit, & ipsum iterũ si voluerit dissoluet. Causam itẽ dissolutionis habebit bonitatem, quanuis ratio nobis sit dissolutionis occulta. Non enim quorum causas nescimus, plurimorum enim, fortè vero omnium rationes nos latent, hæc omnino, aut frustra, aut in prauo fieri putandum. Puerorum enim existimo esse, & eis quæ sensum mouent inhiantium, si inspectum dissoluatur pulchrũ, iam propter hoc eum qui dissoluit prauũ putare. Hoc enim vtiq; fortè dixerit, & ille qui amore pulchritudinis lunæ victus, & optimam stupidus admirans partium ipsius moderationem, nec non colorem bonum: nec vnã quæ in eius animo è disciplinis est philosophice contemplatus, nec quæ insunt in ea prouidentiæ rationes attigerit, qualia pati puto, & eos qui in solam apparentem vniuersi pulchritudinem animum dirigentes, in optimas prouidentiæ rationes prospicere nequeunt. Quas pro salute & perfectione substãtiarum (quæ in vniuerso reperiuntur) ratione fungentiũ Deus excogitauit. Hæc Phyloponus. Sed quæ sunt suasoriæ rationes, quæ corpora nostra perpetuo exsiccari docent? Dicendũ, quòd Galenus .1. lib. de sanit. tuen. causas duas internas agnoscit, necessariæ animantium exsiccationis: quarum prima est ignis elementum, quod in prima seminum, & menstrui sanguinis cõmistione, abũdãtius recepimus, vt huiusmodi exsiccationem, & coagulationem operaretur. Hoc semẽ exsiccat, vt venæ, arteriæ, & reliquæ partes, ex ipso gigni possint: ipsasq́ partes genitas, vniuersumq́ corpus ex eis formatũ, non desinit exsiccare, donec ad summum incrementum sit peruentum. Tum verò & incrementũ omne sistitur, ossibus nimirum ipsis per siccitatem nõ vltra sequacibus: & sanguinis spiritusq́ vasa, spiritus ipsius flatu in latum aguntur: cuncta deniq́ mẽbra non solum robusta fiunt, sed etiam vires suas summas obtinent. In eo verò quod sequitur tẽpore, omnibus iam partibus supra iustum siccescentibus, nõ solum cuiusque officium minus probè administratur, sed etiam corpus ipsum macilẽtius, graciliusq́ quam ante redditur. Ergo vltra siccatũ, nõ macilentius modo, verũ etiam rugosum efficitur: artus quoq́ ipsi inualidi, atq; ad motus suos incerti, incõstantesq́ probãtur. Affectio hæc in animalibus seniũ appellatur, ei quæ in styrpibus αὔανσις Græcæ dicitur, proportione respõdẽs: est enim & illa styrpis seniũ, siccitatis excessu proueniens. Vna igitur hæc est omni genito corpori, corruptelæ interitusq́ cõnata necessitas. Altera est quæ etiã in

anima-

animalibus præcipuè cernitur totius substantiæ fluor, quem insitus calor excitat, in proprium humidum agēs, ipsum temporis tractu deuastans. Vt enim flamma ellychnij humidum absumit, & in fumum ac fauillam citißimè vertit, ni suppetat oleum irrigans, & conseruās ipsum: sic natiuum calidum intra triduum, aut citius, propriū humidum absumit, ni alimentitium humidum accedat: eo enim appetēte, exsiccatio fit tardior, totaq; vitæ periodo durare potest. Nam vt oleum non impedit, sed retardat ellychnij vstionem, sic nec succus alimētitius innatum humidum reficiens, ipsius innati humidi exsiccationem quæ per ætates fit, impedire est potis: sed tantum retardare, idque in centum annos, aut propè. Sic olla, aut sartago, liquore aliquo plena, plures annos durant incombusta, & in charta papyracea oleo plena, oua friguntur: Quæ tamen, si vacua igni apponantur, citißimè comburi videmus. Primo, quoniam externus liquor, internum humidum ab vstione defendit, ipsum humectando. Secundo, quoniam calor internus, ad externum humidum conuersus, minus agit in internū: præsertim in animantiū corpore, quorū humidū denfenditur ab anima, eiusque potentijs, item & ab ipso calido, humidum innatum per nutritionem resarciente. Sed dubium est, quomodo calor noster innatus, contraria poßit: formare nempe, nutrire, augere, & conseruare corpus nostrum: simulque corrumpere, exsiccare, & humidum nostrum perpetuo fluore consumere. Cui dicendum, quòd calor noster, & calor est, & natiuus calor: vt natiuus nos format, nutrit, & auget, non tamen calidi simpliciter naturam exuit: cuius ratione à paulatina exsiccatione, quæ per ætates fit, non potuit absolui. Quare libro de Marasmo Galenus, medicos, ac philosophos omnes redarguens, quoniam dixerunt corpora nostra senescere, eo quòd innatum calidum, perinde ac flamma ignis humidū nostrū absumit: hanc quàm diximus) paulatinam exsiccationem non tollit, sed similitudinem improbat. Flammæ enim ignis generatio, ex subiectæ materiæ corruptione constat, contra ac generatio caloris natiui, quæ non fit humidi natiui corruptione, sed refectione & restauratione, quàm idem calor natiuus operatur: quòd vel ipsius Galeni verba monstrant: ita enim eò loci scriptum reliquit. " Quòd enim innato calido corpora senescunt, & senio confecta, corrumpuntur verum est: at quo fieri exemplo monstrant, non est verum: " non enim ac flammæ ligna, sic calor viuentium, corpora corrumpit. Horum " nanque exemplum, magis proprium fortè his sit, qui consumuntur febribus, quàm " rem repetitis antea verbis Hippocrates insinuauit. Quòd autem naturæ pro- " gressu corpora siccentur, quodque innatum id calidum efficiat, vt primo de " tuenda valetudine demonstrauimus, & necessario nunc repetemus, est vn- " dequaque verum. Quæ verba, si Valesius aduertisset, controuersia prima, sexti libri, non diceret calorem naturalem, nisi in non naturalem migret, non consumere, nec desiccare sibi subiectum corpus. Vnde calor innatus (inquit) per inediam consumit, quoniam igneus fit. In senio etiā, si corpus absumitur, nō est (inquit)

quoniam calor natiuus absumat ipsum, sed quoniam substantiam restituat semper minus humidam loco dissolutæ. Contra vero est, quòd Galenus verbis citatis dixit, calido innato corpora senescere, & senio confecta corrumpi, esse quàm verissimum: sermone etiam febrium (in quibus calor innatus igneus redditur) repudiato. Septimo etiam libro Aphorismorum, com.59. in vapores corpus exolui, duplici causa voluit Galenus: extrinsecus quidem ab aëre ambiente, intus verò à calore natiuo. Et.1. Aphorism.com.15.&.17. insensilis difflatio, & alimentorum exhibendorum quantitas, innati caloris multitudini, semper ex proportione respondent. Secundo, quoniam per inediam, ob id in igneam naturā mutatur calor, quoniam humidū radicale absumitur, & corpus desiccatur: prius ergo est absumi, & desiccari, quā in igneam naturam verti: male ergo per inediam tradit desiccari corpus, quoniam igneus tunc fit calor: posterius enim non est prioris causa, sed quòd prius est posterioris. Tertio, quòd in senio, ob id restituitur siccior substantia, quoniam corpus nutriendum, cui alimētum aßimilatur, est siccius: prius ergo est corpus à calore absumi, atq; exsiccari, quàm sicco alimento refici: & ex cōsequenti, male ob id tantum siccari corpus tradit, quoniam minus humida substantia restituitur loco dissolutæ.

Sed cur si natiuus calor, humidum radicale nutritione reparat, additione succi alimentitij, & conuersione eius in tale quale est ipsum: non æque, aut plus proficit hac reparatione, quàm obsit & cōsumat exsiccatione? De melle enim, aut sacharo, aqua bullientibus, nihil consumitur, si aqua aut liquor permistus non desit: multò ergo minus de radicali humido absumi debet, si alimentitius succus non desit: iuuante, ac appetente anima, & eius potentijs, humidi innati conseruationem. Nihil præterea vetat, humidum æque perfectum, aut perfectius dissoluto, ex selectis alimentis reparari; quò casu corpus non exsiccabitur, nec consumetur lapsu ætatis. Humidum præterea radicale, similare corpus est, quomodo ergo ex vnius caloris efficientia, pars eius statim euanescet & consumetur, pars verò alia, ad senectutem vsque durare potest? si enim similare est, aut totum simul absumetur, aut omnes eius partes, perinde ac vna ipsarum conseruari quibunt. Sicca insuper temperatura, potest in humidam commutari, ergo multo facilius potest in humore conseruari, & siccitas impediri, per humefacientem victum. Medica præterea præsidia, possunt arcere, & infringere vim venenorum, ne innatum humidum absumant: multò ergo facilius impedire poterunt, ne à natiuo calore absumatur, & desiccetur. Multa prætera medicamenta memorant autores, vitam protrahentia; ergo ex repetito vsu ipsorū, perenne corpus, & minimè siccatum, facere quibunt. Hæ sanè obiectiones, quamuis cōmodam habeant solutionē, Galeni dictū libro de Marasmo confirmant, quòd senij, & mortis naturalis, nulla est ratio euidēs, præter solum experimentum: hoc enim solum est, quòd refragari nequit. Quamuis rationes suasoriæ, eæq; validæ, non desint: inter quas vna est, quā modo de ignis elemento in semine, magis quā elemēta reliqua abūdante: & altera de humidi, à natiuo

calido

calido exſiccatione tractamus. Falſum vero eſt vt obiectis reſpondeamus, quòd de melle, oleo, aut ſacharo, aqua miſtis, nihil ab igne abſumatur: quanuis minus multò, quàm de alijs liquoribus, de ipſis abſumi ſit verum: de humido autẽ radicali, multò adhuc minus, ob dictam reparationem ex nutritione, & alijs animæ functionibus prouenientem, exoluitur: ſiquidem in centum annos, eius ætatiua exſiccatio prorrogatur. Quantunuis etiam humidum copioſius, & perfectius diſſoluto reſumatur, corpus tamen ſemper exſiccatur à natiuo calido, ab ortu in iuuentutem, & à iuuentute in obitum. Ab ortu quidem in iuuentutem duplici ratione, à calido ſcilicet quatenus calidum eſt, & quatenus naturale eſt. Qua calidum quidem eſt, quoniam calidum à ſiccando, & vapore eliciendo, nulla ratione abſolui poteſt: quatenus verò innatum, ab ortu in iuuentutem, ſiccat, firmat, atq; perficit, debile atque tenerum puerorum corpus. Perfectum enim apud Galenum, libro de Maraſmo, id eſt, cui nulla propriarum actionum deeſt, ad quas tamen obeundas, firmioribus eſt inſtrumentis opus. Vnde reperiantur viuentibus duriores multæ partes, eſt operepretium, quas pueri habere nequeunt, quoniam ex ſemine molli, & fluido, recens fuere formati, ac ſummè humidi editi, velut maris alga (autore Galeno, ſecundo libro de temperamentis, capite ſecundo) idque non vaſis modo, & viſceribus, ac carne, ſed etiam ipſis oßibus, quæ ſcilicet ſiccißima ſunt omnium quæ in nobis ſunt partium. Verum tum hæc, tum reliqua tota vnà cum his membra, quaſi cerea ſint, infantium nutrices fingunt, formantque, tanta eſt in toto puellorum corpore humiditas. Quin ſi recens editum porcellum vel eſſe, vel diſſectum inſpicere velis, carnem quidem eius mucoſam, præhumidamque inuenies: oſſeum vero genus vniuerſum, caſeo qui modo ſit coagulatus adſimile: adeo vt nuper nati animalis corpus, propter redundantem in eo humorem, libens non comedas: quod maximè, tum ſuilli, tum ouilli fœtus corporibus accidit, propterea quòd ea maximè ſunt humida. Caprinum quòd ſiccius ſit, & melius eſui vſui eſt, & iucundius. Contra verò quàm in nouellis porcellis, quæcumque iam ſenuerunt, hæc oſſa quidem omnia, & ligamenta vniuerſa præſicca, ſine ſucco, & inſipida poßident: carnem vero neruoſam & duram, arterias quoque, & venas, & neruos, ætatis culpa lori vice inſuaues, & ſine ſucco. Quæ medio ſtatu horum, ac nuper natorum ſunt, quæ vtique iam ætate proceſſerunt, quantum à ſenio abſunt, tantum & ab extrema ſiccitate ſunt remota. Hæc Galenus. Ex quibus liquido conſtat, puerorum corpora præhumida, imbecilla, & imperfecta eſſe. Si ea ergo ætatis lapſu non ſiccaret, firmaret, & ſolida redderet natura, imperfecta, & obeundis functionibus inepta relinqueret. Calidum ergo natiuum, quod in noſtro corpore eſt, non ſolum qua calidum eſt, ſed qua natiuum calidum, & natura eſt: primis ætatibus perficit, & ſiccat corpora noſtra. Quòd Auicenna, tertia primi, doctrina prima, capite vnico docuit, in hæc verba. Veruntamen perfectio, & integritas noſtra, & potentia perficiendi operationem, non eſt niſi propter multam ſiccitatem, quæ nobis accidit:

deinde siccitas incessanter procedit, donec compleatur. Hæc igitur siccitas quæ nobis accidit, res est nobis necessaria: nos siquidem à principio rei, in vltima consistimus humiditate: vnde procul dubio oportet, vt calor eam superet: quoniam si non in ipsa suffocaretur. Procedit igitur procul dubio, in ipsam assiduè agendo, & ipsam semper exsiccando incedit. Post iuuentutem verò, corpora nostra ab eodem natiuo calido siccantur, qua calidum est, non autem qua natiuum calidum: vt enim siccitate, infantilia corpora perficiebantur, ita iuuenilia quoniam vlterius siccantur, à perfectione vergunt, & subsistunt. Hæc ergo vlteriorum ætatum siccitas, cum corpori sit incongrua, à natiuo calido, qua natiuum est, non prætenditur: qua tale enim, dissolutioni proprij humidi maximè resistit. Ab eo ergo, quatenus calidi naturam exuere nequiuit, etiam præter naturæ intentum, necessaria consequutione gignitur: tantumq; ætatis lapsu augetur, vt aridissimum, summeq; rugatum, in postrema senecta corpus sit redditum, morsq; tunc accedat, naturalis appellata: non quoniam eiusmodi exsiccationem, aut mortem natura prætendat, sed quoniam necessaria consequutione dicta, ad naturæ opera sequitur, vt docet Galenus, libro de Marasmo. Sed quomodo innatum calidum, se ipsum consumit? Si enim quidpiam in se ipsum agere posset, idem esset, actu & potentia, agit enim quatenus actu est, & patitur quatenus est potentia ad eundem actum: simul ergo esset, & non esset. Adhæc, si natiuum calidum in se ipsum ageret, se ipso esset calidius, quòd enim calefacit, calidius est calefacto: & quod calefit, si maiorem, vel æqualem calorem nactum esset, non calefieret. Dicendum primo, quòd simplicia corpora, ob partium similitudinem intrinsecus alterari nequeunt: secus verò mista, in quibus elementa quæ inuicem contraria manent, per formam misti, non ita coërcentur vt nihil agant, sed ita parum, vt se festinè non interimant. Dicendum secundo, quòd calor natiuus non calefacit se ipsum, sed suum calorem seruando ob id exsiccat, quòd humidam substantiam effluere, ac vaporare facit: perinde ac feruens aqua, quæ ab igne separata, ex calore in se concepto, tam diu euaporat, quam diu calorem seruat. Est autem hæc à natiuo calido exsiccatio tam necessaria, vt quãuis perfectius, & copiosius humidũ exoluto repararetur, necessario corpus magis, ac magis siccesceret, ob terream partem alimenti, quæ ex quauis nutritione in membris relinquitur: hæc enim sola exolui nequit. Quare necessaria consequutione fit, vt membra tandem reddantur terrea. Fieri etiam nequit, vt humidum substantificum quòd reparatur, perfectius sit, atque humidius exoluto: Corpori enim nutriendo debet assimilari, quod cũ indies sit siccius, siccius quoque suffici debet, quàm fuerit resolutum, in cuius locum succedit. Pars etiam alimenti, indies à membris siccior trahitur in corpus ob similitudinẽ. Parcius etiã, & minori semper quantitate, de huiusmodi humido alimentitio, in corpus trahitur, & commutatur: tum ob innatum calidum nutritionis autorem, quòd frigere, & inclinare cœpit: tum etiam ob membrorum siccitatem minus penetrabilem ab alimento,

mento, & magis ab ipso distantẽ: succus enim alimentitius, facilius in humida, quam sicca mẽbra cõmutatur ob symbolũ. Nec obstat aliud, quod scilicet humidũ radicale similare sit: non enim quæ talia sunt, partes habent prorsus similes, magis enim similaris est aqua, eius tamen partes simul ab igne non euaporantur, sed quædam citius, tardißimè vero aliæ. Humidum vero radicale, intra triduum exolueretur, nulla eius parte fortè seruata, nisi succo reficeretur alimentitio, vt Auicenna docet. 3.1. doct.1.cap.vnico, in hæc verba. Corpus autem non permanet tempore quo perdurat: propterea quod ipsius innata humiditas prima, resolutioni resistit caloris mundani, & caloris sui corporis in natura sui, & eius quod ex motibus accidit suis, hac tam longa resistentia, quoniã ipsa est resistens debilius, quã sit illa: immò ipsum stare non facit nisi illud, quod restaurat illud, quod ex ea resoluitur: & est nutriens. Sicca vero tẽperatura (vt ad aliud de cõmutatione siccæ in humidã temperaturã dubium accedamus) quæ per totã (verbi gratia) adolescentiã, in humidã arte medici permutatur, vere non humectatur, quoniã indies fit siccior ex ætate labente, sed minus, ac tardius exsiccatur, quàm pro ratione siccæ naturæ foret exsiccãda: ita vt ad finẽ cõmutationis sit humidior, quàm foret sine cõmutatione iuuentus, siccior tamen quàm fuerit tota vita anteacta. Quare sicca temperatura, potest in humidam commutari, & quæ aut ab initio fuit humida, aut ex sicca in humidam commutata est, potest in humore, suo temperamento & ætati respondente conseruari: ita vt illa omnes ætates ab ortu, hæc vero à tempore quo cõmutationem subijt humidas habeant. Nec tamen sanguineum arte factum, post cõmutationem æquè longæuum esse, cum sanguineo ab ortu arbitratur hali.2.lib. Artis medicinalis, idq́ recte. Primo, quoniã morbis ex putredine magis exponitur. Secundo, quoniam in permutatione ad sanguineum, licet humidior substantia fuerit comparata, quo ad qualitatem: non tamen reparatur quantitas humidi substantifici maior præexistente. Maior autem caloris atque humiditatis qualitas, in huiusmodi permutatione inducta, licet naturalẽ mortem remoret, non tantum protrahere potest, ac substantia humidi radicalis auctior: morbis vero ex putredine magis exponitur. Nec obstat thurisanus monachus, hali reprehendens.2.lib. Artis medicæ, com.64. quoniam complexio (inquit) humida omnis, quantũlibet sit naturalis, putredini obnoxia est. Nec enim id, aut negat, aut ignorat hali, sed magis exponi putredini, minusq́ superesse aduentitiam naturali, vtiliter decernit. Alexipharmaca vero, ob id nos à veneno defendunt, quoniam superant & corrumpunt vim veneni nos interimentis: ab innati vero caloris exsiccatione, non possunt ita nos defendere: quoniam si innatum calorem corrumpant & superent, mortem pro exsiccationis carentia accersent. Nullã autem esse artem, quæ naturalem vitæ terminum protrahat, scripsit Auicenna.3.1.cap.1. Nam conseruatoria medicinæ pars de duabus (inquit) rebus, securitatem præbet, putrefactionis penitus prohibitione, & in defensione humiditatis ne cito resoluatur: & in ipsius quidem fortitudine consistat, vt ipsum vsque ad debitum tempus, secundum suam

primam complexionem permanere faciat. Prima, quæ putrefactionem arcet, non fit per humectantia, sed ne humiditas calori dominetur prospicit, & recremẽtorum totius corporis vacuationi præsidet. Secunda vero, victum reficientem, & restaurantem instituit: sine victu enim intra triduum ferè, radicale humidum depopulare tur: cum victu parco, ad annos fortè sexaginta durabit: cum mediocri, ad octoaginta: cum refectorio, vltimam vitæ periodum anni centeßimi, aut propè assequetur. Neutrius autem horũ repetitio vltra id quod ex arte est, vitam protrabit: si enim vt putrefactionem arceas, aut plus sicces, aut recrementorum vacuationi magis insistas, corpus citius exsiccabis, & vtilem substantiã colliques est necessum: si vero vt maiori refectione vtaris, plus alimenti tribuas, calor non vincet ipsum, sed superabitur & opprimetur multitudine oblati. Si in neutro autem sit erratum, nec quod exhaustum est restituendo, nec excrementis expellendis: & sanitate interim corpus fruetur, & vigoris tenorem quam longißimè animal seruabit, vt scribit Galenus. 1. lib. de sanit. tuen. Perpetuæ ergo exsiccationis à cõceptu in obitũ, seni quoq; & mortis naturalis causa vna, ignis internus est: altera, natiuus calor vsq; ad iuuentutem exsiccans, vt calor, & vt naturalis, post iuuentutem verò vt calor est, à ratione enim exsiccandi absolui nequiuit. Tertia est, pars terrea membrorum & alimenti, quæ nunquam effluit, sed semper permanens, mẽbra tandem reddit terrea. Quarta, parcior est post iuuentutem nutritio, tum ex parte caloris cõmutantis, qui declinare cœpit, simul cum humidi radicalis exsiccatione: tum ex parte corporis nutriendi, quod ob siccitatem difficilius admittit alimentum, ipsumq́ ob familiaritatem, siccius ad membra quam antea, è vẽtriculo semper allicit: tum ex parte conuersionis succi alimentitij in mẽbra, quæ tanto difficilior est, quanto symbolus inter ipsa est minor. Accedũt & causæ externæ exsiccãtes, motus corporei, labores, & exercitamenta, iræ, & excandescentiæ, metus, tristitiæ, timores, & aliæ animæ perturbationes exsiccãtes, vigiliæ, vacuationes, venerea præsertim, quæ in exsiccãdo, & humidũ nostrũ hauriendo, ingẽtes vires poßident: alimẽta insuper, & quæ interim ex ipsis aceruantur recrementa, quæ cum facilè putredine corripiantur, febres accendunt nos exsiccantes. Hæc verò deuitare, aut fortè moderare arte tuendæ sanitatis instructus quispiã posset, vt nec saluti, nec vitæ protractioni obessent. Altera vero, quæ ab aëre nos ambiente alteratio pendet, deuitari nequit: aër enim (vt scribit Auerhous. 6. coll. cap. 4.) semper exsiccat: & Auicẽna. 2. 1. doct. 2. cap. 3. In omni dispositione nos resoluit, & exsiccat, propter illud quod in eo existit de virtute solis & stellarũ. Vnde (inquit) efficitur, vt humiditas in corporibus discoopertis aëri, aut in ipso aëre non permaneat, nisi propter emanationem succeßiuã. Humectũ nanq; linteum aëri expositum, nisi continua humectatione madescat exsiccatur: itidem & lacus, ac alia humida, quæ aquam aliunde manantem non excipiunt. Huius etiam in nostro corpore ab aëre exsiccationis, causam aliam, tradunt alij, ex aëris natiua temperie desumptam, cum enim calidus natura sit, partes membrorum calidiores ma-

res maximeq́ aëreas calefacit, calfactas vero ad se trahit, ob symbolum enim facilè euocãtur, quo fit vt partes quæ relinquũtur, frigidiores restẽt & sicciores. Sed quo modo semper nos exsiccat aër, si interdum nos humefacit, & humiditate lædit? primo enim libro de sanitate tuenda, ita scribit Galenus. Ille nẽpe qui circunfunditur aër, nos lædit, vel quod calidos immodicè, vel quod frigidos, vel quod siccos, vel quod humidos efficit. Et primo libro Epidemiarum, parte prima, com. 8. ita habet. Quare si verum est, cum aëre simul alterari animalium corpora, per imbres fient humidiora, per squalores sicciora. Eodem etiã libro, parte secunda, com. 7. ad hunc modum. Etenim frigidæ causæ cutem constipantes, humores prohibent digestione: tum autem humiditas aëris, non modo remouet à corpore quicquam, sed adijcit. Tertio etiam libro Aphorismorum, com. 7. ita scribit. Nam aëris ambientis humiditas, pituitosos aceruat humores, & non paucas generat aquosas superfluitates. E quibus locis, aërem interdum humescere, pituitam & aquosa recrementa aceruare, & plenitudini adijcere constat. Non ergo in omni dispositione nos exsiccat, vt Auerrhoi & Auicennæ fuit visum: nec ideo aër senij, & mortis naturalis, concausa esse potest, quia siccat, vt eidem placuit Auicennæ. 1. 1. doct. 4. cap. 3. Huic dubitationi dicendum est, quod aër in omni dispositione nos exsiccat, vi solis & stellarum, ac sibi ingeniti caloris: cum hoc tamẽ stat, humiditatem inductam ab aëre, cum pluuius est, esse maiorẽ, siccitate inducta ab sole & stellis. Aër etenim pluuius humefacit nos, & humiditates adauget quadrifariã. Primo, condisponendo & attẽperando sibi corpora nostra (intemperiem scilicet humidam quam habet creando) humidior enim est nobis, cum ergo nos extra ambiat, & intus per inspiratum & perspiratum peruadat, necessario humefaciet: & tanto magis quanto crassior, obstruentior, & magis quietus redditur, sic enim operatur vehementius. Secundo, humores fundendo, concreti enim minus, fusi autem atque fluentes, magis humefaciunt. Tertio, pituitam & aquosa recrementa gignendo, augetur enim per hyemem pituita, corpore ex aëris contactu refrigerato ac humectato, perinde ac æstate bilis, calfacto pariter & siccato, vt autor est Gal. lib. 2. Crisiũ, cap. 3. Quarto, ab dissolutione prohibẽdo, quãuis enim semper à corpore nostro emanet vapor aliquis, in siccis statibus plurimus est, in humidis vero parcissimus, vt scribit Galenus. 1. lib. Epidemiarum, parte prima, com. 8. Quare in humido statu, congeritur plus quam vacuetur, indigetq́ corpus abundantiore exercitio, & purgatione, vt scribit Galenus. 3. lib. Aphorismorum, com. 15. & in sicco vacuatur, plus quam congeratur. Hæ autem omnes humefaciendi rationes, maiores inessent aëri, si calore & lumine solis, ac stellarum destitueretur: quoniam verò nunquam destituitur, semper nos desiccare voluit Auicenna: quia aut siccitatem inducit, aut humefaciendi vim imminuit, quam vdus aër, in nos exerceret validius. Perinde etiam aërem, in nos contraria interdum operari, ac compositum ex opio congellante, & castoreo discutiente: ex repellente item & resoluente: ex laxante & adstringente: absonum non est.

An

An vero si humidum radicale, nec ab internis, nec externis causis exsiccaretur, homo mortem effugere posset, est dubium. Galenus enim 1. lib. de sani. tuen. ita scribit. Nam si quale erat ipsum quod effluxit, tale prorsus adiungere agglutinareq́ ei per totum liceret, optimum id saluberrimumq́ plane esset. Et libro de marasmo, ad hunc modum. Si naturæ igitur, vbi ad summum vigorem animal plantam ve proue xit, totidem rursus æquis viribus elementa inserere pariter liceret, scitum modera torem nacta, opificium suum citra senium & incorruptibile fecisset. Hac fortuna fælicissima in paradiso voluptatis frueremur, vbi lignũ vitæ scitus ille moderator totius mundi dominus, esui nostro præparauerat: de quo manducantes præseruati fuissemus ab omni senio, infirmitate & corruptione mortis: hoc sanè, radicale humi dum integrum seruaret, internum ignem præpediret, ne post iuuentutem corpus nostrum vel minimum siccaret, & ne membra terrea redderentur præcaueret, donec ad superna gaudia cœli, summæ iucũditatis, vigoris, & incorruptionis, vitam agentes, dominus in locum collapsorum dæmonum nos transtulisset. Sed heu sortem nostram miserandam: nullum tunc peccati fomitem, nullamq́ ad malum inclinationem habentes, peccauimus: præceptum neutiquam graue nobis futurum, ad nostram tantum probationem datum, transigentes. Eius enim præuaricatores effecti, rectitudine, & originali iustitia, priuati fuimus: & de nostra cœpimus erubescere nuditate, latibula, & arborum quibus operiremur folia quærẽtes. Sed ô rursus miserandam ac deflendam fortunam nostram: quod cum nos iam lapsos visitauerit, ac vocauerit dominus, vt interuentu pœnitentiæ ad gratiam restitueret, attamen prauiores effecti, pro agnitione peccati, confessione, atq; pœnitentia: excusationem ipsi dedimus, culpam à nobis ipsis in coniugem, & à coniuge in serpentem quæ nos seduxit depellentes. Hinc doloris, ac mortis, iusta sententia in nos prolata est, vt aut morbis, aut senio confectus, reddeat homo in puluerem de quo formatus est, & quemadmodum sanctus scribit Apostolus, ad Hæbreos. 9. Statutum est omnibus hominibus semel mori: post hoc autem iudicium. Vt nimirũ qui aliàs probati, præuaricauimus in lumbis Adæ, nunc rursus à peccati labe, baptismo expiati, per nos metipsos probemur, & iuxta facta nostra iudicemur. Mortem ergo peccatum nobis inuexit, quod per vnum hominem in mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, vt scribit Apostolus ad Romanos. 5. Vt enim originalem iustitiam patri nostro Adæ, non pro se ipso tantum, sed pro vniuersa posteritate sua, dederat dominus: ita eam in ipso omnes amißimus, & originalem maculam, ac humanæ naturæ corruptelam & mortem, velut hæreditarium opprobriũ, & latam ignominiæ sentẽtiam, ab ipso iustè traximus. Ab hac autem perpetienda, ceu à supremo & altißimo iudice prolata, nemo arte vlla effugere potest. Verbum nanq; Dei permanet in æternum, Psalmo. 118. Ipse est qui naturam condidit, & talia generationis nostræ iecit fundamenta, qualia pro sua sententia obseruanda conuenire fuit ratus. Hanc euertere medici, ac philosophi plurimi tentarunt, viam inquirentes, qua senium,

senium & mortem euitarent: eā vero inuenire desperās Galenus, libro de marasmo, ita scribit. Qui enim quæ primordia generationis animalium necessario sequuntur, fieri vetet quis? aut facta infecta reddat? Quasi dicat nulla est ars, neque potentia, quæ hoc facere possit. Et Auicenna. 1. 1. doct. 3. cap. 3. postquā mortis naturalis & accidētariæ meminit, subdit. Totū tamen diuino prouenit præcepto. Quod vtinam Christiani intelligamus. Erant ante inobedientiam, ac peccatum, sensuales animæ facultates, rationi ac voluntati parētes, & subiectæ. Contraria elemēta, quibus con stamus, nihil magis quam nostri compositionem affectabant: propriorum locorum, ac simplicis suæ naturæ veluti oblita, ab actione mutua contrariorū, amicitia quadam cessabant. Ignis innatus, innatum quoque calidum, nihil quod ex vsu non esset animanti siccabāt: aër, cœlestesq́; afflatus, erant saluberrimi, & nos seruātes. Alimenta supraquā par est conuenientia: lignum vitæ talem dotem habebat, vt mortalis caro, ex eius esu redderetur immortalis. Post peccatū vero ac inobedientiā Deo exhibitā, omnia in nos rebellarunt. Caro (vt scribit Apostolus ad Galatas. 5.) concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem: hæc enim duo sibi inuicem aduersantur, vt non quæcunque vultis, illa faciatis. Elemēta quibus constamus, à forma misti vnita stare coërcentur potius, quam amicitia exacta detineantur: hunc enim elementorum appetitum redeundi ad propria loca, causam esse dissolutionis mistorum agnouit Auerrhous. 2. lib. cœli, com. 37. Cum præterea in singulo quoq; composito, vnicum saltem elementum cætera vincat, paulatim à cohabitationis initio cætera vincet, si ipsorum inimicitia prorsus non est sedata. Innatus calor ex continua repassione, quam ab alimentis non prorsus similibus accipit, imbecillior fit nutriendo: & ipsa iterum alimentorum excrementa vires deijciunt. Aër quoq; quantumuis similis, & locati conseruatiuus sumatur, diuersum à nobis temperamentum sortitur: quare nos semper alterat & conficit. Tot ergo iam cōtrarijs agitamur, vt quamuis nulla resolutio interueniret, mortem oppetere esset necessum: virtus enim finita, finito tantum tempore, cōtrarijs semper occursantibus resistat est opus. Quod præterea potest imbecillius fieri, potest interire, eadem enim causa quæ virium partem adimit, si longè validior fiat, ex toto corrumpet: homo autem etsi nihil resoluatur, animi perturbationibus, & corporis motibus, gladio, æstu, vel ciborum culpa, febrire, aut aliter ægrotare potest: ergo iisdem causis, tam internis, quam externis interiret: suumq́; opificium incorruptibile non fecisset natura, vt Galenus dicere visus est: qui tamen verbo incorruptibilis, non prorsus incorruptibile, sed vix corruptibile intellexit, velut aurum, aut adamas, quæ in annorum millia durant.

Aetates ergo (vt quo huc processimus redeamus) merito distinguit Galenus. 2. libro de temperamentis, humiditate ac siccitate: nam ab ortu in interitum semper ac ineuitabiliter exsiccamur. In actiuis vero qualitatibus non adeò per omnes ætates immutamur: nam quantum sensus iudicare potest, idem caloris gradus seruatur ab ortu, per vniuersam pueritiam, adolescentiam, & iuuentutem, vt Galenus scribit.

2. lib.

2.lib.de temperamentis, cap.6.& 7. Quod quo modo contingat, & speciatim quod sit cuiusque ætatis temperamentum, sequens caput decernet.

De singularum ætatum temperamentis.
CAPVT XVI.



VERITIAM. calidam, atque humidam esse constat. Primo, quoniam ex semine & sanguine menstruo, calidis atque humidis, recens pueri fuere formati. Secundo, quoniam naturæ opera, nutritionis & augmentationis, quæ calido atq; humido obeuntur, in pueris sunt perfectiora. Nã quæ augẽtur corpora (vt docet Hippocrates.1.lib. Aphorismorũ, sententia.14.) plurimum habent calidi innati, idest natiui caloris extendẽtis, & humidæ materiæ, quæ extensionem tolleret. Ob id, eò augemur magis, quò ortui propiores sumus: quoniam hæc duo principia, tunc auctiora habemus. Tertio, ex experimẽto tactus, quo pueros recens natos, multum, blandum tamen, ac placidum calorẽ habere iudicamus: multum quidem, quoniam verè copiosus est, blandum vero ac placidum, ob humiditatem coniunctam, quæ calorem sopit, sicut siccitas acuit & mordentiorẽ ipsum reddit. Quarto, ex experimẽto gustus, nam recẽs nata animalia, esui sunt tenera, ob humiditatẽ: & ea nisi ex natura siccis sint animalibus orta, libẽter præ mucore, ac humiditate, non comedas: vt Galenus scribit.2.lib.de temperamẽtis, cap.2. Hinc pueri somnolenti sunt, & parum intellectu valentes, ob humiditatis excessum: senes contra, vigiles, & intellectu præstantes, ob siccitatem. Qui vero ex pueris sunt præcocis ingenij, ij siccißimi sua natura sunt cerebri: quare adultiores effecti, ob superfluam siccitatem, quæ actum propriæ virtutis deijcit, non sunt admodum sapientes. Hinc etiam lac, fructus, & humida alimẽta appetunt pueri, admodumq́ bibuli sunt: ob similitudinem, quæ sui similis est appetitiua. Sed dubia sunt. Primum, quòd si pueritia est calida & humida, nullus puer erit temperatus, aut temperatum corpus, intemperatã habebit aliquam ætatem. Secundũ, quod.8.lib.de Placitis, post medium, ita scribit Galenus. Hac oratione Hippocrates quanuis de temporum diuersitate tantum egerit, facultate tamen de ætatibus etiam, & regionibus videtur docuisse. Nam semper ipse, in omnibus quæ qualibet in oratione præcipit, tẽpus anni & regionem, & ætatem inspectandam monet: & quodcunque de vno ex his audiueris, ad reliqua duo transferre te id vult per similitudinem: eandem siquidem rationem in ætatibus puer, quam in quatuor temporibus ver habet, eandem iuuenis quam æstas, eandem senex quam autũnus, eandem postremo decrepitus quã hyems: pari modo & ex regionibus, temperata veri, calida æstati: quæ in caliditate & frigiditate inæqualis, frigiditate tamen & siccitate exuperat, autumno: frigida & humida, hyemi correspondet. Quibus verbis patet, pueros similiter ac ver temperatos statuisse.

tuisse. Tertiũ, quod pueri bene se habẽt vere, vt scribit Hippocrates. 3. lib. Aphorismorum, sententia. 18. ergo temperati sunt, iuxta doctrinam traditam eodem libro, com. 3. vbi ita scribit Galenus. Nam calidiores ad frigidiores, frigidiores vero ad calidiores, & ficciores quidem ad humidiores, humidiores vero ad ficciores bene se habent. Et vt simpliciter dixerim, contrarij quidem ad contraria bene, similes autem ad similia male, præterquam si ætas temperata & victui & regioni, & loco temperato cõparetur: hoc enim solo modo, similes à similibus bene afficientur. Quartũ, si pueri sunt calidissimi ac humidissimi, quo modo facillimè corripiuntur morbis frigidis, & conuulsione sicca? Quintũ, si tanta abundãt copia calidi innati, à quo omnes functiones eduntur, cur ad animales functiones parum, & ad vitales minus iuuenibus sunt apti? pulsus enim nec maximos, nec vehentissimos habent vt iuuenes, autore Galeno. 3. lib. de causis pulsuum, cap. 5. Sed primum nõ obstat, quoniam omnis complexio, tam temperata quam intemperata, ingentem habet latitudinem ætatibus respondentem: intra quam puer, calidissimus est ac humidissimus, senex vero, frigidissimus & siccissimus, vt scribit Hippocrates. 2. lib. de natura humana, à sententia. 12. in. 15. Quod vero lib. 8. de placitis, pueros statuit temperatos Galenus, idem est ac si dixisset plurimum calidi innati habentes: calidum enim innatum temperatum esse existimat, eodem libro infra, in hæc verba. Nam si ab igne ciborũ concoctio, digestio, sanguificatio, & nutritio fieret, melius & citius etiam in febrientibus omnia hæc conspicerentur absolui: sed insitus calor temperatus cum sit, substantia quidem in sanguine & spiritu subsistit, qualitate est congruè ex caliditate & frigiditate contemperatus. Sanguinem autem atque spiritum, bene temperata esse, & congruè ex caliditate, ac frigiditate contemperari: in ordine ad operationes intelligere debemus. Primo, quoniam id sonant aduerbia illa bene, & congruè. Secundo, quoniam cutis comparatione valde calent, vt supra diximus: quare cum hanc temperiem veri cõparat, aliter puero ac veri, temperati nomen conuenire intelligamus. Nam ver (vt constat ex Galeno. 1. lib. de temperamentis, cap. 9.) simpliciter temperatum est, in ordine scilicet ad cutim, quia nec calescit, nec frigescit cutis, ex aëre verno suam naturam seruãte, puer verò temperatus est, & similiter innatum calidum, non simpliciter, sed in ordine ad operationes naturales, quibus pueri & quæ augentur corpora præstant reliquis. Sanguis enim calidissimus est in ordine ad cutim, vt scribit Galenus. 1. lib. de temperamentis, cap. vltimo, & spiritus sunt calidiores sanguine, qui tamen ad vnguem temperati statuuntur à Gal. 5. lib. simplicium, cap. 8. si ergo temperati sunt, non aliter quam in ordine ad operationes sunt temperati. Quod ipsa Galeni verba significant. 5. lib. simplicium citato, in hunc modũ. Verum expedit halituosum & calidum spiritum contineri quam plurimum, & ad vnguem caliditate symmetrũ: quippe cum hic in pueris copiosissimus, omnes actiones naturales adaugeat. Quibus verbis patet, tẽperatum esse spiritũ ob id censuisse, quoniã naturales adauget actiones. Primo etiam lib. Aphorism. postquam commentario. 14.

bene temperatam esse dixit caloris natiui substantiam: cõmentario sequenti, ita scribit Galenus. Pueri quia calidum plurimum habent, iccirco & pluribus indigent, & plura concoquũt. Et paulo infra. Hic igitur cum sit omniũ operum naturaliũ causa, quia plurimus est hyberno tempore, idcirco cibi appetentiam intẽdit, coctiones auget, & plus sanguinis accumulat, & crassius corpus efficit, & vt superfluitates excernantur prouidentiam habet. Quibus verbis patet, in ordine ad opera naturalia, maximam vim, & temperiem iustitialẽ, calidum innatum habere: quod cum in pueris sit copiosius, hac ratione temperatiores quam qui alias ætates agunt possunt appellari. Tũc vero dicimus pueros naturalibus operationibus reliquis præstare, quãdo coctio, nutritio, & auctio, in quas reliquæ ministrantes ordinantur, melius fiunt: quanuis ex ipsis ministrãtibus aliquæ sint inferiores, attractio nempe, & expulsio, quæ in adolescentia & iuuentute ob instrumentorum firmitatem maiorem melius obeuntur: sicut enim omni motui à fine inditur nomen, ita in actionum congerie, ab actione in quam cæteræ ordinantur, ipsarum præstantia & dignitas est æstimanda. Nec oportet, vt vitales ac animales functiones (quod obijciebatur) habeant pueri perfectiores, quantũuis calidum innatum sit instrumẽtum ipsarum: facultates enim vitalis & animalis, imbecilliores sunt, & pluri humido mersæ, quam sua natura poscat. Ex qua etiã imbecillitate, & partiũ pueri mollitie, & teneritudine, pẽdet quod frigidis morbis & conuulsione sicca corripiantur facile: perinde ac conualescens qui licet calidæ sit temperaturæ, prõptius offenditur à frigore, quam pituitosus, sanus & robustus: nam imbecillæ facultates (inquit Galenus. 2. lib. de præsagatione ex pulsibus, cap. 4.) à paruis sæpe occasionibus offendũtur: validæ autem (vt scribitur 2. de causis sympthomatũ, cap. 5.) offendentia spernũt. Libro vero. 3. Aphorismorum, sententia. 18. ita scribit Hippocrates. Per tempora anni, vere quidem, & prima æstate, pueri, & qui hos sequuntur ætate, optimè degunt & sani sunt maximè. Qua sentẽtia nõ accõmodat ambas ætates, binis tẽporibus, sed singulas singulis: adolescẽtes nempe veri, & pueros æstatis initio, in quo humiditas illorũ immodica quadantenus cõpescatur. Ob idq; Galenus in cõmentario magis exquisitus (inquit) sermo fuisset si ita scripsisset, adolescentes vere, pueri æstatis principio optimè degunt.

Post pueritiam, adolescentia sequitur, quæ veri optimè temperato comparatur: ob idq; omnium ætatum optima, statuitur à Galeno. 3. lib. Aphorismorum, com. 18. de qua etiam. 6. lib. de sanitate tuenda, cap. 2. ita scribit. Optimam temperiem in adolescentia corpus obtinet, reliquæ omnes ætates, deteriores hac sunt. Nam cum pueri plus habeant humiditatis, quam salubris habitus postulat (vt scribit Galenus, libro de salubri dieta, com. 7.) ita in adolescentia natiui caloris actione, & exsiccatione profecit: vt nec humiditate, puerorũ officiat actionibus, nec siccitate calorem acuat & mordentem reddat, vt iuuenibus. Ob id adolescentia ætas est omnium temperatissima ad iustitiã: quia quanuis animalia opera, aliquanto deterius faciat quam iuuentus: & naturalia quam pueritia: vtraq; tamẽ efficit sine culpa. Temperatum

enim corpus, singulis corporibus aliqua in re inferius est, ante omnia tamen potissimum deligendum, vt Galenus scribit, libro de optima nostri corporis constitutione. Sed dubium est, quoniam vsque ad iuuentutem corpus perficitur & adolescit, ergo in iuuentate, quæ finis est motus, & ætas adulta appellatur (quoniam omnem perfectionem quam adolendo corpus acquisiuit, factam habet, & in termino constitutam) perfectior est homo: quare perfectius temperamentum habet. Adhæc crementum quod per totam fit adolescentiam, in nullum aliud quam humidum temperamentum potest incidere, vt Galenus scribit libro de salubri diæta, com. 7. ergo adolescentia non est temperatissima, sed iuuentus, in qua iam corpus augeri desijt, & vires omnes robustas habet, quoniam tunc primum ad humidum labi desiuit homo. Quod primo libro de sanitate tuenda adstruere videtur Galenus, in hæc verba.
" Iam vero in lucem editum, & magnitudine proficit, & tum siccius, tum valentius semper efficitur: donec ad summum incrementum (ἀκμὴν Græci vocant) sit peruentum. Tum vero & incrementum omne sistitur, oßibus nimirum ipsis per siccitatem nō vltra sequacibus: & sanguinis spiritusq; vasa, spiritus ipsius flatu in latum aguntur: cuncta denique membra, non solum robusta fiunt, sed etiam vires
" suas summas obtinent. Et libro de marasmo, ita scribit. Si naturæ igitur vbi ad sum
" mum vigorem animal plantam ve prouexit, totidem rursus æquis viribus elemen-
" ta inserere pariter liceret, scitum moderatorem nacta: opificium suum citra senium & incorruptibile fecisset. Quibus verbis patet, hanc ætatem eam esse, in qua humiditas anteriorum ætatum, ad temperamentum, ac robur, & summā perfectionem ve
" nit. Quod tamen apertius. 2. lib. de temperamentis, cap. 2. scripsit in hæc verba. Flo
" rescens vero ætas, omnium animalium maximè in medio extremorum est, neq; sicut
" senium ad summam perducta siccitatē, neq; velut infantiū ætas in humore & mul-
" to vuido mersa. Quibus verbis Galenus, iuuentutem omnium ætatum temperatissimam esse adstruere videtur: ob idq; florens & vigens quoniam in vigore est, hæc ætas appellatur: in qua etiam corpus diutißimè seruare per tuendæ sanitatis artem studet Galenus. Libro enim primo de sanitate tuēda, vbi duos scopos præcipuos seruandæ sanitatis memorauit: effluentis scilicet è nobis substantiæ (cibo, potu, respiratu, & arteriarum pulsu) restitutionem: & excrementorum quæ inde gignuntur eua
" cuationem: tertium scopum addit inquiens. Tertius qui huc spectat, ne animal
" præpropere senescat, duos iam dictos necessario commitatur. Si enim in neutro sit
" erratum, nec quod exhaustum est restituendo, nec excrementis expellendis: & sa-
" nitate interim corpus fruetur, & vigoris tenorem quàm longißimè seruabit. Si diu ergo ætatem vigoris, aut iuuentutis, potius quàm aliam seruare studet, ea est vtique temperatissima, & omnium optima. Huic dubitationi dicendum est, quòd ætas temperatißima, plus humiditatis, quàm siccitatis debet habere: caloris nanque suauitas & placiditas, sine humiditate abundantiori seruari nequit, acris enim &

Q mordax

mordax redditur, vbi siccitas aut excedit, aut humiditati æquatur. Quare in ætate adolescentiæ, non dum corpus medium punctuale, sicci atque humidi attigit, sed citra restitit: tum quia calorem habet non mordacem, tum quia crementum in nullum præter humidum temperamentum potest incidere. Iuuentus vero, aut florens ætas, maxime in medio extremorum est, nec sicut senium ad summam perducta siccitatem, nec velut infantium ætas in humore & multo vuido mersa, vt secundo libro de tẽperamentis, cap. 2. scripsit Gal. Dixit autẽ iuuentutẽ esse in medio extremorum, pueritiæ scilicet & senectutis, tum quoniam huic interiacet vergens ætas, illi vero pubertas: tum quoniam à ratione crescendi, iuuenes non ob aliud absoluuntur, quàm quod humidum temperamentum anteriorum ætatum, siccitas ipsorum coæquauit. Nec enim audiendus est Gaspar Lopius in eius sententiæ enarratione, qui vtramque ætatem (adolescentiam nempe & iuuentutem) in medio extremorum sitas esse perhibet: quoniam inter quæcunque extrema (inquit) sunt plura media, exactum tamen & punctuale medium vnum est: idque in adolescentia (vt putat) quæ temperatissima est, non autem in iuuentute corpus assequitur. Contra tamen est, quòd non modo dixit Galenus, florentem ætatem esse in medio, sed maximè in medio extremorũ esse. Adolescentes præterea non crescerent nisi essent humidi. Sed dubiũ est, nam si iuuentus maxime est in medio extremorum, quomodo poterit adolescentia dici ætas temperatissima? Dicendum, quod Galenus non dixit iuuentam esse in medio omnium extremorum, sed in medio sicci, atque humidi: actiuarum nanque mediocritas, non seruatur cum ea mediocritate passiuarum, sed plus humiditatis, quàm siccitatis exquirit: aliter enim calor mordentior, & bilis creator redditur. Ob idque plus intemperat iuuentutis siccitas calorem acuendo, quàm temperet humiditatem adolescentiæ sibi coæquando. Adolescens enim modo non sit incontinens (vt scribit Galenus tertio libro Prognosticorum, cõment. 30.) solo sanguine abundat, cum in pueritia crudus humor vigeat, in iuuenta autem bilis: cuius ratione iuuenes biliosis morbis sunt obnoxij, & pueri pituitosis: à quibus omnibus adolescentes plus absunt, licet à sanguineis mitioribus non sint prorsus immunes. Quod tamen non obstat temperatissimæ ætati, sicut enim honestum virum appellamus eum qui nulla ex parte valde est culpabilis, ita ætatem temperatissimam, quæ nulla actione valde deficit, nulliq; morbo valde obnoxia est: adolescentia autem licet in animalibus actionibus excedatur à iuuenta, & in naturalibus à pueritia, vtrasque tamen sufficienter & sine culpa efficit: qua tamen non vacat pueritia in functionibus animalibus, nec iuuenta in naturalibus, siquidem hæc plus bilis gignit, illa vero motuum firmitate & mentis exacta actione caret: vt autor est Galenus, sexto libro de sanitate tuenda, capite secundo, in hæc verba: Optimam nanq; temperiem in adolescentia corpus obtinet: reliquæ omnes ætates deteriores hac sunt, vt prius est ostensum: atque hoc etiam meminisse conueniet, vnum id quoque

ex ijs

" ex ijs quæ dicta sunt, cum enim duplices actiones in animalibus sint, certè corpora-
" les, pueri præcipuas obtinent: quæ animi sunt, ea quæ à pueris ad remissionem vsq;
" succedit ætas. Quibus verbis patet, temperatissimam ætatem ab ætatibus alijs exce-
" di, à pueritia in actionibus naturalibus, quas corporales appellat: & à iuuentute in animalibus & vitalibus. Ob quas duas, & ob corporis augmentum, ac robur anterioribus omnibus ætatibus inuectum, perfectior ætas est iuuentus, quàm adolescentia: adolescentia verò est temperatior quàm iuuenta: illud quidem, quoniam præter animi opera quibus præstat, nutritione, & augmento corporali ex alijs ætatibus accepto, tantum profecit iuuenis, vt quanuis naturales seu corporales suæ ætatis actiones vitio non careant, perfectior tamen, vegetior, ac vigorosior, quàm alia omni ætate sit: hoc verò, quia adolescens vtrasque actiones exercet sine culpa, qua non vacat iuuenis in naturalibus, dum bilem abundantiorem creat, & biliosis morbis redditur obnoxius. Auicenna verò confundens ætatem perfectam, cum ætate temperata, dum prima primi, iuuentutem dixit habere complexionem magis æqualem, recipiendus nõ est. Ex quo errore pendet alter, dum tertia primi, doctrina pri-
" ma, capite secundo, in deligenda ætate nutricis ita scribit. Dicemus itaque quòd me-
" lius est quòd sit ætatis, quæ est inter viginti quinque, & triginta quinque annos,
" quoniam hæc ætas, est iuuentutis & sanitatis, & complementi. Hæc Auicenna. At quis nõ videt, lac biliosum, ex bilioso huius ætatis sanguine, minus probandum esse infantibus, quàm temperatum quod in adolescentia prouenit? Nec vigoris præterea ætatem (vt alteræ obiectioni occurramus) protrahere studet Galenus, quoniam sit temperatior: sed quoniam vigorosior, & quoniam statim ac ab hac decidit animans, vergit, & in senium obitui quam finitimum labitur. Nam & reliquas eius etiam ætates protrahere etiam studemus. Ob idq; pueros (quanuis ad humidum sua natura lapsos) exsiccare non permittit Galenus, libro de salubri diæta, com. 7. in
" hæc verba. Veruntamen corpus puerorum, quanquam habeat plus humiditatis,
" quam salubris habitus postulat, nihilo magis est siccandum: alioqui incremento pro-
" hibeas illos. Adolescentes etiam Galenus, quo diutius seruet, temperatis gubernandos esse, sæpe sæpius docet. Senes quoque victu reficit restaurante, quo incolumius degant, & diutius ipsorum vita protrahatur.

Iuuenum ætas in se calida est ac sicca. 2. lib. Aphorismorum, cõment. 45. & 6. lib. de sanitate tuenda, & pluribus alijs locis apud Galenum, omnesq; alios citra controuersiã autores. Num autem pueritiæ cõparata, calidior sit, an minus calida, disquisitio est, quæ tam antiquos quàm iuniores exercuit: Hippocratem. 6. Epidemiarum, parte. 3. sententia. 15. ambiguum tenuit: & nostrorum etiam ingenia, plus forte quàm par est torsit dialectica quæstio: sufficiet enim medico, ætatis temperiem seorsum consideratam, sine collatione ad aliam statuisse, vt ab ea conuenientes sumat indicationes. Iuuenum ætas (inquit Galenus libro de salubri diæta, com. 7.) plus iusto calida ac sicca est, ob quod contrariæ diætæ vsus vtilis ipsi habetur, hyemisque

ob id iuuenibus maxime confert, hæc enim contraria est illi, quæ in his fit ex bilis multitudine intemperaturæ, vt scribit Galenus 3. lib. Aphorismorum, côment. 18. in sanitatis scilicet tutela: nam in curatione morborum, à natura, & ætate, quantumuis intemperatis, sumitur indicatio ad similia, autore Galeno 8. lib. methodi in fine. Ob hanc etiam ad calorem ac siccitatem cõmutationem, hæc ætas maximum affert auxilium, ijs qui morbo comitiali laborant, autore Galeno 2. lib. Aphorismorum, cõment. 45. & 5. Aphorismorum, cõment. 7. Ob id etiam respirationes & pulsus maximos, habent iuuenes, vt scribit Galenus 3 lib. de causis pulsuum. Ob id etiam plurimam bilem gignit hæc ætas, vt scribit Galenus. 3. lib. Prognosticorũ, com. 30. ex qua rursus magis incalescit & exsiccatur: nam membra similantur humoribus, tum quia nutriuntur illis, tum quia ex vicinia & contactu continuo, ipsis attemperantur. Ob id etiam iuuenes dura conficiunt alimenta, & tenuia adurunt, pili quoque nigri redduntur ex calore magis vrente, vt scribit Galenus. 2. lib. de temperamentis, cap. 11. & Paulus, lib. 1. cap. 60. Hinc Galenus 1. lib. Aphorismorum, comment. 14. similem proportionẽ calorem iuuenum, ad calorem puerorum dixit habere, ac calor febrientium ad calorem sanorum: febris autem calore sanorum est intensior. Sexto insuper libro Epidemiarum, parte prima, cõment. 4. ita de comitiali tractans scribit. Finitur autem quo tempore pubescunt, si & in alijs ægrotus, vt decet „ se gesserit, quia totius corporis temperamentum ad siccius calidiusq́ conuertitur. „ Quo enim pacto iuuenis puero calidior sit, in libris de temperamentis didicisti, vbi „ etiam quomodo puer iuuene sit calidior declarauimus: iuuenis quidem absolutè ca- „ lidior, puer vero non absolutè, sed eo quod plus innati calidi possideat. Et eodem li- „ bro, parte tertia, cõment. 15. scribit ad hunc modum. Aut igitur adhuc dubitans „ hæc scripsit, temporis autem spatio, aliqua demonstratione comperta, de crescen- „ tium temperatura affirmauit: aut quod & melius est, & à nobis in commentarijs „ de temperamentis, & in Aphorismis disputatum, non absolutè puer adulto cali- „ dior est, sed insito calore calidior. Calidum autem non ingenitum, eo absolutè cali- „ dius monstratum est, quo adulti plus abundant. Libro etiam de salubri diæta, commentario. 7. ita scribit. Neque enim pueri simpliciter sunt, vt adulti calidi: sed na- „ tiuo calore qui temperatus est, qui in bono sanguine consistit. Tertio præterea libro de simplicium medicament. facult. cap. 2. ita scribit. Sed & eorum quæ actu di- „ cuntur, aliud quidem absolutè est calidum, frigidum siccum, aut humidum, velut ele- „ menta: aliud excessu, vt homo, equus, bos, canis & vniuersa animalia: aliud ad sym- „ metrum, seu generis sui, seu speciei, vt (verbi gratia) leo cum homine compara- „ tus, homo autem ætate florens cum puero. Quibus verbis patet iuuenem absolutè & simpliciter calidum esse, puerum vero non: quoniam nimirum omnia quæ recensuimus, fortiorem, vehementiorem, magis calfacientem, & vrentem esse iuuenum calorem conuincunt: quòd scire valde, medico conducit & sufficit. An vero hæc maior vehementia, actiuitas & fortitudo, sit intensio maior,

an vero

an vero idem gradus caloris puerorum, fortior fiat ex ſiccitate adiuncta, quæſtio eſt dialectica, quæ vtramq́ partem habet probabilem. In qua tamen iuxta Galeni doctrinam dicendum eſt, quod corpus temperatum, eodem gradu caloris (quantum ſenſus aſſequi valet) tenetur in pueritia & iuuentute: ſecus vero intemperatum. Nã frigidum & humidum, ſecundum calorem aperte augetur: quoniã huius calor exiguus, humiditate obruptus in pueritia, exurgit & vires aſſumit in iuuenta: humidum vero tantũ, vt mediocrẽ calorem obruit minus, ita in iuuẽtute, minus eius effloreſcit calor, effloreſcit tamen: ſicut & in frigido tantum corpore, in quo mediocris humiditas, minus obruit calorem, obruit tamen, quoniam mediocri eſt minor. Quod voluit Galenus, primo libro de ſanitate tuenda, in hæc verba. Quandoquidem omne animans ab ipſo ſtatim ortu ſiccius indies efficitur: minime tamen per omnes ætates aut calidius, aut frigidius euadit. Sed quorum optimè ſe habent corpora, ijs calor ſimilis quodãmodo, vſq; ad ſummum incrementum manet: quorum vero frigida humidaq́ ſupra optimæ conditionis corpus ſunt, horum calor augetur. Hæc Galenus. Sicca vero corpora, in vigore perinde ac humida, calidiora fiunt: diuerſa tamen ratione, quoniam ſicca ſcilicet iſtorum corporum intemperantia, aucta per iuuẽtutem, calorem ſibi acciſcit, & ſola eſſe nequit, vt ſcribit Galenus. 6. lib. de ſanitate tuẽda, in hæc verba. Nam & calidam dum humiditates ſemper conſumit, parere ſiccitatem: & frigidam dum nihil abſumit, humoris incremẽto quodammodo conferre: eodem modo & ſiccam per eas ætates quibus augeſcit animal, calidius ipſum ſemper efficere. Calida etiam, apud Galenum intemperamenta, ad iuuentã calidiora redduntur: de calido enim tantũ ſcribit. 6. lib. de tuenda valetudine, quod poſtea quam adoleſcentiæ annos compleuerit, exinde ad remiſsionem vſque, manifeſtè calidior apparebit; ſic vt tum morbis, tum ſymptomatis, quæ à bile oriuntur, facilè ſit obnoxia. Calidum quoque & ſiccum, calidius reddetur: ſi enim vnumquodq; intemperamentum ſimplex calidius fit, vtrumque copulatum, calidiſsimum ac bilioſiſsimum euadet neceſſario. Temperatum vero corpus, quoniam humiditatẽ habet calori proportione & æqualitate reſpondentem, ætatis proceſſu non redditur ad iuuentutem calidius: ſed calor eius ſimilis quodammodo, vſq; ad ſummum incremẽtum manet, vt è ſexto de ſanitate tuenda retulimus: quodammodo (inquam) id eſt, ſine mutatione, quæ ſenſu tactus iudicari poſsit. Conſimilem ac in corpore temperato rationem, in calido atque humido audire oportet: vt enim calor & humiditas tẽperata coæquantur, ita vbi ambo æqualiter à tẽperato recedũt, coæquẽtur par eſt. Ob id ſane ſanguineus vbi ad iuuẽtutem peruenit, ſalubrius degit alijs qui parẽ ætatẽ agũt, vt ſcribit Galenus. 6. lib. de ſanit. tuen. quoniam nimirum humiditas, ætatis lapſu contemperatur, & calor quantũ ſenſus iudicare poteſt, nõ redditur intemperatior: quare ſuam deinceps humiditatẽ melius regit, & ſine putrefactione gubernat. Hinc millia quæ apud Galenum contraditionis phantaſiã loca exhibent, ſunt cõcilianda. Quod enim 9. lib. Methodi in fine, pueritiam dixit nulla ætate eſſe frigidiorem: & quod primo

de temperamentis, cap. 7. dixit puerum multitudine eius, quod difflatur, & florentem acrimonia calidiorē videri, neutrū autem simpliciter esse calidiorē altero, non aduersatur, com. 7. lib. de salubri dixta, nec. 6. Epid. par. 1. com. 4. & par. 3. com. 15. nec. 3. de simpl. med. facul. cap. 2. quibus locis, iuuenem simpliciter, & absolute, puero calidiorem statuit: nō aduersatur (inquam.) Primo, quoniam locus secundi de temperamentis, intelligendus est in natura temperata, aut calida pariter atq; humida: alia vero loca in reliquis intemperamentis, & præcipuè in frigido atq; humido. Secundo, quoniam aduerbium simpliciter, aut absolutè, multiplex est, & aliter vsurpatur libro de temperamentis, ac locis alijs: secundo enim de temperamentis, neutrum esse calidiùs simpliciter, idest ex omni parte (quod veteres affirmabant) intellexit: alijs vero locis, iuuenem esse calidiorem absolutè, idest sine addito pronunciat, quoniam verè in maiorem calorem assurgit in naturis intemperatis, vt diximus: satius enim est, sic Galenum ex Galeno interpretari, quam lubricum latibulum cum Valesio quærere, cum dixit, quod par portio calidi adscititij quo abundat iuuenis, absolutè calidior dicitur, non propter intensionem quæ par est, sed propter caloris modum, quoniam scilicet est acrior. Mihi tamen quod absolutè calidius dicitur, non propter aliud quam propter calorem additum, calidius dici debere videtur. Quod si propter aliud, iam non absolutè, sed per extraneum quid, & quādam veluti abusionem tale dicitur: modus autem caloris à calore est diuersus, sicut & substantiæ modus à substantia. Quod ergo in gradu caloris augetur, absolutè calidius appellatur, quod vero propter acrimoniam, non absolutè calidius, si parem intensionem seruet, dici meretur: quod etiam Galenus ipse notasse videtur, aduersus Lycum scribens, in hæc verba. Quam ob rem planum hoc in loco apertè factum esse arbitror, mordacem caliditatem, non quod magis excalfaciat, verum alia quadā re differre. Quod præterea secundo libro de temperamentis, cap. 7. Galenus non dubitat, tactui in varia materia valde exercitato, calorem puerorum, florentium calori, vel parem, vel ampliorem visum iri: interpretandum est, quod si initium pueritiæ comparetur initio iuuentutis, medium medio, & vltimum vltimo, calor est par in natura temperata: si vero initium pueritiæ, in quo innatum calidum multo est amplius, comparetur vltimæ iuuentutis parti, quæ in confinio est vergentium, puerorum calor non nihil videri potest amplior. Aut dicendū ex animi contentione, & impetu cōtradicendi, immodicè prorrupisse Galenū. Quāuis enim vtriq; opinioni antiquorū ibi cōtradicat, illi magis de calore iuuenū, quæ vulgatior erat, & in Hippocratē ferebatur cōtradicere fuit animo. Qua certe ratione libro aduersus Lycū, ex tribus calidioris significatis quæ posuit Lycus, nullū inesse iuuenibus, sed omnia tria pueris inesse voluit Galenus: plus enim substātiæ calidæ, & qualitatis maioris, aut intensioris, & efficaciæ ad actiones, plus habere cēsuit: eiusmodi nanq; erāt tria calidi significata quæ proposuerat Lycus. At Galenus, per maiorē qualitatē, nō intellexit gradū auctū vt Lycus, sed ipsius qualitatis formā, aut formæ multitudinē auctā, nā ad exuperātiā

pluris

pluris substãtiæ, necessaria consequutione censet maiorem qualitatẽ, ac efficaciã maiorem sequi. Maior ergo caloris qualitas qua iuuenes à pueris excedi ibi voluit Galenus, non est intensio maior, sed forma caloris aucta, quæ maior est in multo fumo, quam in pauco: in dolio vini, quam in cratera eiusdem: & in tetrapharmaco quod duplam picem, aut in vsitatissimo altero medicamẽto, quod triplicatã aristolochiam recipit: in quibus omnibus qualitatum formæ augentur, non autem intensionis simplicium gradus, de quo in secundo calidioris significato egerat Lycus, vt manifesto constat è Lyci verbis, quæ Galenus refert ad hunc modum. Itaq; in comparatione alterius calidi cum altero, tria sunt quæ in disquisitionẽ veniant, plurimumq́; inter se distãtia: primũ, quid sit plus aliud alio calidum esse: alterũ quid aliud alio calidius: tertium quid aliud alio calidũ validius. Si quis igitur à nobis quærat, cuiusmodi sit quod plus aliud alio calidum est, quod tale proportione sit respondere debemus: quo modo etiam interroganti, quale nam sit quod alterũ altero plus humidum est, respondebimus: nam quemadmodũ hic interrogatio, primũ in id quod dictum est tendit, par est vt nihil respondeamus aliud, quam hoc vnũ, nempe id quod substantia superet, si quidem plus humoris amphorã dimidio continere dicimus: ad eundem etiam in calido modum, si quis hac eadem interrogatione perquirat, quale nã sit quod plus altero calidum est, nihil sane aliud respondere conueniet, quam quod substantia plus sit, nimirum eo quod plus in eo substantiæ sit, & maiorem capiat locum: ac nihil sane prohibet, vt in eodem & plus insit calidi, & minus tamẽ caloris, æquè ac humidũ quod plus substantia est, minus tamen esse fusum potest: ergo ad interrogationem hanc recte hoc pacto respondebimus. Rursus cum hoc quæritur, cuiusmodi sit quod alterum altero calidius est, recte dicemus; quod intensiore caliditate est: etiã si in minore substantia reperiatur. Quemadmodum enim cum quis interrogat, quale nam sit quod alterum altero candidius est, nõ sane perperã respondemus, cum quod qualitate candida intensiore sit dicimus: quo sane modo niuem, etiam si exigua eius sit quantitas, quocunq; alio albo candidiorẽ esse affirmamus: sicuti quoq; ad interrogantem quale nam sit quod altero humidius est, recte respondemus, quod fusum magis sit, vti aqua melle & pice humidior, etiam si exigua admodum aquæ substãtia sit, mel autem & pix longe vincant: sic etiam de calido interroganti, quale sit quod alterum altero calidius sit, recte respondemus quod caliditate intensiore sit, cuiusmodi ignis habetur, licet in exigua id substãtia consideretur: alterum autem quod cum hoc comparatum tepidius calidum est, maiorem quam hoc sortitum substantiam sit, & hoc quidem pacto adhæc respondebimus. Et cætera quæ scribit Lycus referente Galeno. E quibus constat hoc significatum calidioris intensiuè, præter Lyci mentem detorsisse Galenum (vt ipsum omnifariam errasse ostenderet) ad formæ caloris multitudinem. Nec obstat quod in simplicibus diuersa est multitudo substantiæ ab intensione, in compositis verò in quibus intensio pendet ex victoria vnius contrarij in alterũ, maior aut minor intensio, ex multitudine quantitatiua vnius cõtrarij supra reliquum est pen-

sanda: quod enim plures partes calidas recipit quam frigidas, calidius est, & contra contrariũ: sic ex niue & aqua feruenti pari portione cõmistis, temperatum fit: 1. lib. de tempera. autore Gal. addita vero aliquanta niue, facies frigidũ primi, & amplio ri frigidum secundi ordinis. In medicamẽto etiam quod triplicatã recipit picem, aut aristolochiam, reliquis simplicibus inuariatis, intẽsior est picis, aut aristolochiæ qualitas, quàm id in quo simplex portio recipitur: quoniam ab æqualibus contrarijs minus retunditur, aut picis, aut aristolochiæ, aut cuiusuis alterius quantitas maior minori. Non obstat (inquã) nam & ex hoc noluit Galenus conuincere, puerũ esse iuuene calidiorem intensiuè, nec enim id vnquam somniauit, nec præfatum argumẽtum vlla ratione conuincit: quoniã quamuis plus de innata caloris substantia, sanguinis nempe ac seminis, in proportione ad membra post genita, puer habeat quàm iuuenis: non tamen redditur ipso calidior, quoniã tam sanguis ac semen, quod in comparatione ad membra iuuenibus est minus, quàm membra ipsa post genita, valde in iuuene sunt calidiora: ita vt absolutè ex vtrorumq; coalternatione, naturæ tẽperatæ, sint in vtraq; ætate æquè calidæ, intemperatæ vero in iuuentute calidiores. Quod vero lib. 2. de tẽpe. cap. 6. experimentũ tactus sumendũ esse in omnibus naturis decernit, comparando quadratos quadratis, crassos crassis, & graciles gracilibus, non eo facit vt experimentũ æqualitatis caloris, in omnibus naturis debeat respondere: sed ne in quibus contingit dignoscendis fallamur ob naturarũ diuersitatẽ. Quod vero 1. lib. Aphoris. com. 14. hominis compositionem reducens ad elementa Galenus, in vtroq; (iuuene inquam & puero) parem ponit ignis quantitatẽ: reliquorum vero elementorum imparem, in puero scilicet plus aëris & aquæ, & in iuuene plus terræ, non conuincit pueros esse calidiores, quamuis aër statuatur calidus: quonam licet par ignis vtriq; insit, in sicco iuuene fit fortior: nec facile comprehendere est ignis in vtroq; paritatem, si iuuenis est biliosior, bilis autem sit ignea nimis: terra insuper qua abundãt iuuenes frigida nõ est: sed vsta & plurimum passa ab igne, fumeaq́ reddita, quæ calorẽ adscititium fumidum & febrili proportionalem plurimum seruat. Temperatum ergo corpus (vt iam receptui canamus) & ex intemperatis sanguineũ, æqualem ad tactum calorem habet in iuuentute, & pueritia: intẽperatum verò intensiorẽ habet in iuuẽtute: vtrumq; autẽ ipsorũ fortiorẽ vehementiorẽ, magis vrentẽ & bili creãdæ aptiorẽ in iuuẽtute habet: intẽperatum quidẽ ob siccitatẽ adiunctã calori, & ob gradũ auctum: temperatũ vero ob solam siccitatem, quæ sine vlteriori gradu augere potest robur actionis, perinde ac multitudo formæ, & quãtitas aucta, & substãtiæ densitas, quæ vim actionis cum gradu æquali, citra controuersiam adaugẽt. Sed dubium est, in intẽperatis naturis, in quibus calorem ad iuuentutẽ augeri diximus, à quo augeatur: à se ipso enim augeri nequit, neq; à siccitate, quæ sibi similis siccitatis tantum effectiua esse potest, caloris vero nequaquam, valde enim vtriusq; natura distat: sine effectrice autẽ causa quicquam fieri repugnat. Secundo, si calor augetur à pueritia calida, in iuuentutẽ: adolescentia quæ vtriq; ætati interiacet, non erit

tempera-

temperatißima ætas. Ad primum dicendum est, quòd calor idẽ qui in pueritia erat remißior, processu ætatis fit intensior; tum à se ipso propter siccitatem quæ disponit subiectum ad ulterior em gradum, sibi naturalem in elemento ignis ex quo constamus (si enim aqua semoto impedimento, reducit se ad pristinam frigiditatem, multo melius ignis, sublata humiditate obruente, reducet se ad calorem) tum etiam à spiritibus, qui à corde in corpus feruntur, à quibus (etiam si in vtraq; ætate essent æquæ calidi) amplius debet incalescere ulterior ætas, vsq; ad iuuentutem, propter siccitatem disponentem. Ad secundum vero dicendum, quòd adolescentia est temperatißima ætas ad iustitiam, quoniam omnes operationes efficit sine culpa, & nec bilem gignit propter siccitatem & acrimoniam, nec pituitam ob humiditatem. Estq; omnium ætatum, quæ magis accedit medio ponderali, vtraq; oppositione inspecta: quãuis nonnihil calidior sit quã pueritia. Paulo enim intensiorẽ tẽperato calorẽ sortitur pueritia, & sola ferè humiditate est infensa. Nam parum nobis arridet Valesius, qui controuersia octaua primi libri, calorem à pueritiæ initio, censet vsq; ad medium adolescentiæ remitti, quoniam plus calidi ingeniti absumitur, quam adsciti tij succrescat, ob humitatem quæ adscititium non sinit efflorescere: à medio vero adolescentiæ, vsque ad medium iuuentutis intendi, quoniam plus augetur adsc ititij, quam ingeniti consumatur, ob siccitatem quæ adscititiũ præcipuè facit efflorescere. Contra tamen est, Primo, quòd adolescentia calida ætas est, tum apud Gal. 1. lib. Epidemiarum, parte. 1. com. 11. tum quoniam humiditate puerorum absumpta, calor qui obruebatur, debet necessario efflorescere. Ob idq; adolescentia, non statuitur media caloris ac frigoris, sed inter multum calidum puerorum, & acrem calorem iuuenum: frustra ergo in calore & frigore temperatam facere conatur. Secundo, quoniam iuuentus maximè media est inter humiditatem puerorum, & siccitatem senum, autore Galeno, secundo libro de temperamentis. Ergo adolescentia tota, humida ætas est: & ex consequenti, si siccitas est quæ adscititium calorẽ facit efflorescere, non succrescet à medio adolescentiæ vt dicit. Adolescentiã etiam humidam esse, augmentum quod per totam eam fit, facit manifestum: non enim in aliud quã humidum tẽperamentum incidere potest, vt scribit Gal. lib. de salubri diæta, com. 7. Tertio, nam mutationem caloris à pueritia in iuuẽtutem, esse vniformem, & æqualem, docet Methodus à Galeno tradita. 2. lib. de temperam. cap. 6. vbi eundem puerum tangere, & nunc, & post biennium, aut triennium iubet, & ex mutatione in eo reperta, futuram in reliquos annos vsque ad iuuentutem dignoscere. Quæ ratio prorsus esset falsa, si mutationibus contrarijs corpus esset agitandum: quo modo enim ex tactu vnius ipsarum, mutationem contrariam futuram diuinaremus? Galeni
" verba ita habent. Erit autem optimum iudicium, in vno eodemq; vnius infantis cor
" pore: potest enim, & qualis calor illi ante biennium fuerit, in memoria reponi,
" & qualis nunc sit, post duos ferè, vel tres interpositos annos. Si nanque mutatio
" omnino vlla, ad calidum frigidum ve, infanti facta videbitur, nullum præterea ne-

gocium erit, qui vsq; ad florẽtem ætatem, futurus excessus sit colligere. Quarto, nã apud Galenum idem caloris gradus ad tactum, non modo seruatur in pueris & iuuenibus, verum etiã in adolescentibus. Quòd monstrant Galeni verba. 2. lib. de temperamentis, cap. 7. adhunc modum scripta. Complura enim deinceps corpora, non puerorum modo, verum etiam infantium, adolescentium, & ætate florentium, curiose tangens, neutros vera loquutos inueni: nec eos qui absoluto sermone calidiorem, nec eos qui frigidiorem esse florẽtem ætatem, quam puerilem dixerũt. Quibus verbis patet, non modo pueros & iuuenes, sed etiam adolescentes, ad æqualitatem caloris explorandam tetigisse. Et apertius primo libro de sanitate tuenda, vbi ita habet. Quorum optimè se habent corpora, ijs calor similis quodammodo, vsq; ad summum incrementum manet.

Per summum autem incrementum (quòd ἀκμὴν appellat) iuuentutem intelligit, ad quam vsque corpus augetur: in ipsa vero propter siccitatem, quæ vlteriorem extensionem non tolerat, primum augeri desinit; & veluti in statu, ac vigore perseuerat, donec vergere, ac inclinare ob caloris lãguorem, ex auctiori siccitate prodeuntem, ad annum tricesimum, aut tricesimum quintũ corpus incipiat: tũc enim (vt scribit Hippocrates, lib. 1. de diæta ad finem) corpus stetit, per totam scilicet iuuentutẽ ab alimento quiescens: & ad frigidiorem naturam cœpit commutari. Tres nanque ætates (si eorum quæ supra tradidimus, non sumus obliti) ad quas omnes aliæ reducuntur: tribus calidi, atq; humidi, mutationibus respondentes, ex Aristotele, libro de morte & vita attulimus. Iuuẽtã (inquã) quæ est tẽpus augmẽti, in quo plus humidi substantifici reparatur: senectam, imminutionis & decrementi, in qua minus reficitur quam dissoluitur: & statum, quæ istis interiacet, in quo par est exolutioni refectio. Si enim prius reparabat magis, postea vero minus, rationi videtur consonũ, vt medius interiaceat status, in quo reparetur æquale. Quod etiam ex ratione motuum cõtrariorum, inter quos necessario interiacet media quies, apud Arist. 8. lib. physicorum, cap. 4. euenire condecuit. Non enim potest natura (vt Galenus scribit. 1. lib. de differ. pulsuum, cap. 3.) motum aliquem exordiri, nisi contrarium prius sedet: augmentatio autem atq; diminutio motus sunt contrarij, ergo ætas media status, aut quietis, intercedat ipsis par est. Nolim tamen quispiam intelligat, in tota hac ætate constante, atq; vigenti, aliter quam ad sensum, æqualem forè restaurationem resolutioni: vt enim temperatum cum quadam latitudine vocamus, quòd ad sensum nec calet nec friget: & neutræ dispositioni latitudinem exhibemus, verentes ne dogma sempiternæ passionis, medicis inutile incidamus: ita in statu, aut ætatum, aut morborum, sensum sequimur, latitudinem ipsis statuentes, cum tamen re vera momentanei tantum sint status eiusmodi. Vbi enim materiam morbi prorsus natura coxit, ac superauit, morbus re vera inclinare incipit: & vbi summũ robur animal est assequutum, ab illo incipit diuertere. Primo, ex parte humoris reparandi: quoniam scilicet humidum radicale semper magis, ac magis siccescit, ergo intra status,

tus, aut consistentiæ latitudinem varietas est, ita vt aliquando siccius, interdum vero humidius corpus habeatur. Humidius autem & siccius, non pari facilitate nutriuntur ac reparantur, sed quod humidius est facilius ob symbolum: difficilius vero quòd est siccius, alimentum etenim humet: ergo reparatio per totam eam ætatem, non potest exolutioni esse par, sed solum in puncto. Secundo, ex parte caloris reparantis, calor enim variatur ad humidi variationem. Tertio, ex parte proportionis calidi ad humidum, hæc enim nec per temporis momentum potest in ordine ad humidum similis seruari, ob perpetem, & nũquam interscissam humidi à calido exsiccationem. Hæc verò tam exacta, & intellectualis tractatio, medico qui artifex est sensualis nihil conducit: indicationes enim, atq; remedia, ad partibile tempus sumit & adhibet, non ad indiuisibile, atq; instantiale punctũ: quare sensibus innixus latitudinem his omnibus exhibet, vltimam & ferè insensilem augmenti, & primam decrementi partem, tam in ætatibus, quam in morbis, statui annumerans. Quàm doctrinam, conceptis verbis videtur Galenus docuisse, libro de totius morbi temporibus, vbi ita de morborum pariter, ac ætatum vigore scribit. " Quare si ex natura tẽpore careant, ne vlla quidem vtilitate inde fruemur: nam cum primum sensui manifesta declinatio fiat, tunc conuenientibus ei præsidijs vtimur, quousq; ab æqualibus numeris febris magnitudo constiterit, eousq; vigoris magnitudini propria agere conuenit. Simili modo in oculorum vitijs, pleuritide, omni inflammatione, & in alijs morbis singulis, generalia tempora sensu æstimata, diuersorum auxiliorum vsum significant. Logica igitur fit contemplatio de vigoris latitudine, siue de particularibus accessionibus, siue de toto morbo consideres. At nunc huiusmodi distinguere propositũ mihi nõ est, vt ij qui omnia in omnibus adducũt factitare solẽt: quorũ vnus est, & archigenes: immiscet enim hic vir, cõmentarijs maximè medicis, interim de nominibus inquisitionẽ, interim de ipsis rebus, sed logicã. Nos sicut hoc cauimus perpetuo, ita nũc quoq; faciemus, relicta de vigore quæstione alijs, tẽporis ne expers sit, an cũ tẽpore quodã, & vsum quendã metiamur. naturã eius, & in ætatibus eam quæ viget, temporis latitudine manifesto dissolui conspicientes: itidem & in morbis, interdum longiore, frequenter minore tempore, omnino autem sensibili. Verum hanc ipsam temporis differentiam, clarius videre licet in animantium ætate vigente: etenim canes venatorios, & equos pugnaces, proprium aliquod opus, augmenti tempore facientes iam videmus: post hæc etiam adultos ipsos euasisse dicimus; & manifesto conspicamur fortiores quam antea: quin & pari robore non anno vno, sed duobus quoq; interim tribus permanentes: sicut homines pugiles, non tribus annis modo, sed quatuor etiam & quinq; frequenter æquali fortitudine, quãtum sensu deprehendimus perdurare. Hæc Galenus. Sed dubium est si scientia & ars sunt habitus veri, quomodo ex falso supposito elicit ars medica vtiles indicationes? Dicendum primo, quòd ars medica non supponit falsum, dum corpus temperatum, aut neutrum, aut vigorem morborum, vel ætatum, statuit cum latitudine.

Quoniam

quoniam ea media non ponit inter extrema absoluta, sed inter extrema sensibilia: illa quidem latitudine carent, hæc vero amplam eam possident. Dicendum secundo, quòd quāuis falsum, intellectui nō possit adæquari, potest tamē adæquari vtilitati operis, & curationi: in qua indiuisibilia considerari nequeunt, sed sensibilia sunt quæ considerātur, & in sensibili tempore adhibentur.

Quæ iuuentutem insequitur ætas, ad duas sequentes hebdomadas protenditur: in qua ætate omnia vitæ munia perinde atq; illi, qui in vigenti ætate sunt perficere adnituntur, non tamen pariter atq; illi ad labores sufficiunt, vt scribit Gal. 3. lib. Aphor. com. 30. Ob id vergentē, inclinantem, aut subsistentem eā appellamus, non vt interpretes fecerunt. 1. Aphor. sent. 13. ætatem consistentem. Licet enim vtramq; interpretationem, recipere posset dictio Græca καθεστηκὸς, iuuenes non sunt qui secundo loco post senes ferunt ieiunium, sed vergentes: de quibus. 3. lib. Aphorism. com. 30. ita scribit Galenus. Nam omnium ferè ætatum, quæ iam declinat, paucis indiget ad corporis resumptionem, siquidē & id quod ex ipsis resoluitur paucissimum est, neq; enim corpus similiter calidum est vt prius: neq; amplius in augmentū quicquam absumitur: sed neq; quòd virtus contentiua, multū imbecillis sit vt senibus plus aliquid ex corpore defluit. Hæc Galenus. Nec nisi ineptire velis, vergentes constantes esse appellandos dices: siquidem virium robur in ipsis apertè in imbecillum inclinat, ob frigidum ac siccum quo insigniuntur temperamentum, vt eodem tricesimo commentario, tertij libri Aphorismorum, scribit Galenus: constare autem, atq; aperte inclinare, cōtraria sunt: cōtrarijs igitur vocabulis sunt significāda. Nec enim similiter ac Valesius, ob id cōstare vergētes dicemus, quoniā tunc primum corpus quiescit ab augmento: id nanq; quam falsissimum est, per iuuētutem enim non augetur corpus: & in vergente nō modo non augetur, verum iam decrescit. Sed dubium est, quomodo vergens ætas sit frigida, si iuuentus ipsi proxima est impense calida. Pars præterea terrea alimenti & membrorum, per anteriores omnes ætates vsta, & velut fumosa reddita, plurimum calorem adscititium, & mordacem recepit, cuius ratione iuuenes sunt impense calidi, calore scilicet adscititio in sicca substantia posito: per iuuentutem ergo calidiorem vlterius calfacta, vergentes frigidi esse nequibunt. Accedit quòd Hippocrates. 3. lib. Aphor. sent. 30. morbos familiares huic ætati biliosos memorat, morbos scilicet laterales, pulmonis inflammationes, phrenitides, choleras, ardores & difficultates intestinorum: non est ergo frigida hæc ætas. Quomodo præterea ætas vigens, in qua corpus non decrescit finiatur, & vergens in qua corpus incipit decrescere initium sumat, intelligere nequeunt quidā. Aut enim vigor (inquiūt) desinit per vltimū sui esse, aut per primū non esse: nō primū, nam cū in vltimo instanti non decrescat corpus, necessum est vt in eo ipso, resistat decremēto aliqua proportione, & partibili excessu: hic autē excessus partibiliter debet deperdi, ergo definito aliquo ad id opus est tempore, & ex consequenti, instans datum non est vltimum iuuentutis. Nec secundū dicere possis,

quòd

quòd scilicet iuuentus desinat, per primum non esse; quod scilicet vergentis primum initium sit: toto enim tempore antecedente hoc instans, resistebat corpus imminutioni, ergo ex partibili aliquo facultatis excessu, hanc resistentiam prouenire fateamur oportet: quo fit vt partibili quoq; debeat deperdi tempore. Non ergo hoc erit primum instans in quo iuuentus non sit, sed vltra protrahi debet. In hoc præterea instanti, quod primũ initium est vergentis, corpus decrescit ob frigus temperaturæ: subito autem ante non decrescebat: ergo in hoc instanti, latitudo aliqua frigoris de cremento necessaria, conquisita est, quæ toto tempore ante hoc instans non præfuit: Et ex consequenti, in id absurdum incidimus, vt latitudinem aliquam in instanti comparari posse cogamur, quod impoßibile est: cum non nisi per motum poßit acquiri, motus autem omnis succeßiuus est. Ad hæc dicendum, quòd licet iuuentus sit calida, non tamen suum temperamentum exactum seruat, nisi in medio sui: extrema nanq; ætatibus sibi finitimis habet similia: vltimum enim iuuentutis parum calidum est, perinde ac vltimum æstatis: vt enim hæc autumno, ita iuuentus vergenti est finitima: à medio enim iuuentutis, ob superfluam siccitatem, seruando calori minus idoneam, corpus insensiliter cœpit refrigerari, & membra quæ supra modum incaluerant remitti, ita vt ad initium vergentis, iam corpus manifesto frigidius appareat. Non eatenus tamen, vt calorem aliquem non seruet, anteriorum ætatum: & bilem, tum flauam, tum attram ab eis excipiat. Huius enim ratione, morbis ab vtroq; humore natis corripitur hæc ætas: biliosis ab incipiente aduri, & melancholicis ab iam adusta. Licet autem magis familiares sint morbi attrabiliarij ex adusta huic ætati, quam biliosi, vt scribit Gal. 3. lib. prognost. com. 28. biliosi tamen non sunt huic ætati quam iuuẽtuti minus frequentes. Primo, quoniam quãuis plus bilis iuuentus habeat quam vergens: minus est in iuuentute morbosa, quoniam ipsi est magis naturalis: vergens vero licet minus bilis habeat, habet tamen eius non parum, & minus iam resistit causæ morbosæ, quoniam iuuentute est imbecillior. Secundo, quoniam ijsdem immoderantijs, se committũt, quibus iuuenes, adustioni scilicet, curis, ac vigilijs: quibus tamen tolerandis non sufficiunt vt illi. Ob idq; Gal. 3. lib. Aphor. com. 30. ita scribit. Et omnino eos quos prætermißit, in ætatibus vigore consistentium morbos nominare, eos nunc omnes enumerat. Nam & phrenitides, & ardores, & choleræ, & difficultates intestinorum, nihilominus iuuenibus quàm declinantibus accidunt, occasionem sui ortus, ex flaua bile capientes. Vltimum verò, quòd proponebatur, argutulum est sophisma, quòd vel mediocriter in physicis eruditus, soluet facile: vel medicus qui grauioribus studijs vacare, & à tricis, ac nenijs, abstinere decreuit, spernet. Nam resistentiam datam partibili tempore amitti debere verum est: quòd tamen amitti non poßit ante primum instans, quo iuuentus non est, à veritate abhorret. quia à quolibet tempore ante hoc instãs, quantuncumq; ipsi proximo, necessario intercedit partibile tempus, vsq; ad ipsummet instans: in hoc autem partibili tempore, partibilis potest amitti excessus calo-

ris,

ris, aut facultatis quæ supererat iuuentutis, & conquiri exiguus alter frigoris excessus, vergenti necessarius vt decretio fiat in ipsa.

Senectus (vt autor est Gal. 5. lib. de sanitate tuenda) non aliud est quam siccum & frigidum corporis temperamentum, annorum multitudinis ratione proueniens. Inde igitur ordietur senectus, vnde huiusmodi temperamentum, corpus nancisci solet. Solet autem ab ætate vergente, id temperamentum nostrum corpus habere: hæc enim ætas frigida est & sicca, vt scribitur lib. de salubri diæta, com. 7. De eius namq; siccitate dubitandum non est, siquidē siccitati iuuenum, addita est vlterior siccitas, per humidi radicalis vlteriorem exsiccationē: quod cū sit caloris subiectum, necessario sibi annectit frigidam intemperiem. Vnde. 5. lib. de sanit. tuenda, in fine, ita scribit. Ac mediæ quidem naturæ, mediocre profecto dandum est vinum, sicuti ipsa quoq; mediocris est: Atq; hactenus sanè mediocre, quòd ipsa mediocris est temperamenti: quando hanc quoque necesse est, non solum in senectute, sed etiam in remissionis tempore, media temperatura frigidiorem euadere. E quibus omnibus apertè constat vergentem frigidam esse, atq; siccam: & ex consequenti senectuti annumerandam, vtpotè quæ prima senectus sit ὠμογερόντων hoc est, eorum qui cruda adhuc, viridiq; senecta sunt, vt eodem. 5. de sanit. tuenda, in fine, idem Gal. scribit. Et 3. lib. Aphor. com. vlt. primos senes medios statuit, inter iuuenes ac seniores, Gal. ergo primi senes, ipsi sunt vergentes, & seniores sunt qui mediam & vltimam senectutis partē agunt. Quoniam vero vergentes non admodum frigent, sed crudi atq; virides sunt, & ijsdem se exponunt periculis ac iuuenes, ob id senum nomen duabus tantum vltimis partibus tradidit. 1. Aphor. comment. 13. cum dixit, vergentes medios esse inter iuuenes ac senes: & cum senes (nomine senum, pro senioribus sumpto) rursus diuisit, in eos qui in principio sunt senilis ætatis, & in eos qui ad extremam ætatem peruenerunt: in principio enim senioris ætatis, medij senes iacent, in extremo vero decrepiti. Senectus ergo vndecunq; eius initium sumas, frigidum ac siccū est corporis temperamentū, annorum multitudinis ratione proueniens: & tanto frigidius ac siccius redditur, quanto obitui naturali, in quem terminatur magis accedit. Nec obstat, quòd Hip. lib. de salubri diæta, sentent. 7. senectutem frigidam & humidam statuit: ob idq; senes sicco victu plerunq; regendos esse perhibet. Et lib. 8. de placitis Hippocratis & Platonis, post medium, decrepitum frigidum atq; humidum, & temperamento hyemi respondentem esse asseuerat. Non obstat (inquam) quoniam satisfacit Galenus, in cōmentario ad Hippocratis sententiā, eo quòd hic, natiuam temperiem senum, quæ in solidorum substantia spectatur, siccam esse dicimus: illic vero, de accidua ex pituita, & incoctione genita, quæ in vacuitatibus membrorum continetur, nos admonet Hippocrates: est enim senum tēperatura, ex his duabus composita, frigida ac sicca naturali, & frigida atq; humida accidentaria. Pituita etenim redundant senes, & sputo, mucoq;, os, ac nares habent oppletas: si autem humor omnis, vbi diu ad membrum defluxit, illud sibi

attem-

attemperat (vt scribit Gal. 7. lib. Methodi, cap. 6.) Cur non credemus senum membra sua natura sicca, ex cõtinuo pituitæ adhæsu, acciduam humiditatẽ habere? His duobus contrarijs in senectute intemperamentis, duplici ratione ars tuendæ sanitatis prospicere iubet: vtitur enim victu calfaciente & humectante, per cibum & potum, & reliqua necessario nos alterantia, quo solidorum senum substantiam humectet, ac reparet: & pituitosorum recrementorum vacuationi studet, quo acciduam humiditatem detrahat: omnis etenim excrementi vacuatio, vt autor est Gal. 6. lib. de sanit. tuen. contrariam intemperiem corpori imprimit.

De temperamento assuetudinario, deque omni assuetudine. CAP. XVII.



ONSVETVDINIS cum natura tanta consensio est, vt in ipsam facilè transeat, plus aut minus, pro diuturnioris, aut minus diuturnæ, ipsius consuetudinis ratione. Ob id naturam acquisititiam, adscititiam, aut vsu comparatam, consuetudinem esse definit Galenus. 2. lib. de motu musculorum & sæpe alibi. Frequens enim vsus in naturam transit, aut naturam facit perinde familiarem, ac si ingenita esset, & non ab externo pẽderet principio: aut quòd vniuersalius est, naturam ipsam suapte sponte indeterminatam, limitat et determinat vsus ad certam operationem. Hæc in naturam commutatio, aut naturæ ipsius limitatio, facit vt in id cui assueuimus, facilè atq; innoxiè, etiam si prauum, venenosum, intemperatissimum, & laboriosum sit, feramur ac perferamus, perinde ac si natura congenitum, et conueniens nobis esset. Contra vero consuetudinis violatio nõ aliud est, quam naturæ illata violentia quædam, quæ nos valde lædit, interdumque interimit: quoniã naturã in quam consuetudo migrauerat corrumpit. Anum enim refert Galenus. 3. libro de simpli. med. fac. capit. 18. innoxiè ob assuetudinem nutritam cicuta. Hominemq́ue refet Arnaldus in suo speculo, capit. 82. ob stultitiam à pueritia venantem & edentem araneas: in quibus sola assuetudo, naturaq́ per eam producta, necem, ac læsionem venenorum, impedire est potis. Indus quoq; in india viuit saluberrimè, & sclauus in sclauonia, qui vbi patriam vicissim commutant, itq; indus ad sclauum, aut sclauus ad indum, aut moriuntur, aut valida ægritudine premuntur, vt scribit Auicenna. 1. 1. doct. 3. cap. 1. vnde redditum ad aërem patrium, in longis morbis sanandis cõmendant autores: quòd forte potius quàm contrarium, voluit Hippocrates consulere 6. lib. Epid. parte. 5. sent. 20. Regem etiam Mythridatem vsu antidoti Mythridatij, vim alexipharmacam, ita comparasse adstruit Galenus, initio primi libri de Antidotis, vt poculo venenato se interimere nequiuerit: tanta est in assuetudine vis creandi, & permutandi nostram naturam. Sic ad consimilia medicamenta mutari, consulit Galenus. 5. lib. de sanit. tuenda, quia vni medicamento,

dicamento natura assuescit & consentit, sicq; eius vim, ac contrarietatem contemnit. Qui contrariis etiam consuetudinibus assueuit, vtriq; contrario reluctantem naturam asciuit. Ob idq; quo eiusmodi naturam homo compararet, lib.1.cap.1.ita scribit Celsus: Sanus homo qui & bene valet, & suæ spontis est, nullis obligare se legibus debet, ac neq; medico, neq; iatralipta egere. Hunc oportet varium habere vitæ genus, modo ruri esse, modo in vrbe, sæpiusq; in agro, nauigare, venari, quiescere interdum, sed frequentius se excercere. Siquidem ignauia corpus habetat, labor firmat: illa maturam senectutem, hic longam adolescentiam reddit. Prodest etiam interdũ balneo, interdũ aquis frigidis vti, modo vngi, modo id ipsum negligere. Nullum cibi genus fugere quo populus vtatur. Interdum in conuiuio esse, interdum ab eo se retrahere, modo plus iusto, modo non amplius assumere. Bis die potius quàm semel cibum capere, & semper quamplurimum, dum modo hunc cõcoquat. Id quòd vnico verbo perstrinxerat compendiosissimus senes Hippocrates. 2. lib. Aphor. sent.50. qui vbi dixerat, cõsueta & si deteriora sint, minus molestare insuetis subdit. Oportet igitur ad insueta permutari. Quanuis enim quòd optimum est ad sanitatem, vnicuiq; naturæ vnum sit, temperato temperatum, & intemperato contrariũ, 9.lib.artis medicinalis, & lib.6.de sanit. tuenda, autore Galeno: quod tamen ad securitatem sanitatis optimum est, non est vnum, sed varium ob conditionis humanæ incertas vicissitudines & casus, quibus omnes homines subijciuntur, vt adstruit Gal.2.lib.Aphor.com.50. Ideoq; præstat securam sanitatem, cum aliquali defectu per contraria tentamenta obtinere: quàm parum tutam in optimo victu, ceu in puncto constitutam, frequentibus sortibus, aut euentibus subijcere. Tanta enim est consuetudinis vis, præsertim cum iam in naturam migrauit, vt intemperatus homo, omnibus intemperamentis, & excessibus assuetus, possit interdum plus resistere, omnibus causis morbificis, quàm temperatus qui molliter, & in puncto semper vixerit. Nec obstat Gal.lib.de optima corporis constitutione, contrarium adstruens: intelligendus etenim est, vbi tam consuetudo, quàm omnia alia præter temperamẽtum, in vtroq; sunt æqualia. Hoc ceu euidens de ingenti consuetudinis vi, & valde in arte medica necessarium proloquium, pluries diuinus Hippocrates euulgauit. Secundo nanq; libro Aphorismorum, sent.49. ita scribit. Qui soliti, solitos labores ferre, etsi fuerint imbecilles & senes, non consuetis fortibus, atq; iuuenibus facilius ferũt. Et sententia sequenti. Quæ ex longo tempore consueta sunt, etsi deteriora sint, insuetis minus molestare solent. Et .2. libro de ratione victus in morbis acutis, sent. 21. consuetam (inquit) victus rationem, quæ nunquam variat, & si vitiosa sit, longè tutius est obseruare, quam subitò vel ad meliorem transire. Vnde cum praua permutanda consuetudo est, perinde ac intẽperata natura, & maiori si fieri potest cautione est permutanda: paulatina nimirum transmutatione facta, iuxta sententiam quinquagesimam primam, secundi libri Aphorismorum, Plurimum atq; repẽte euacuare, vel implere, vel calefacere, vel refrigerare, vel vtcunque aliter corpus mouere

" uere, periculosum: & omne nimium naturæ inimicum, quòd vero paulatim fit tu-
" tum est, præsertim si quis ex alio in aliud progrediatur. Tunc autem paulatim transmutare, & minorem vt decet violentiam inferre dicemur, dum à remissiori incipimus contrario, & præterea interquiescimus: id est, interponimus tempus aliquod, quo ad pristinam consuetudinem redeuntes, natura reficiatur, vt sexto libro Epidemiarum, parte secunda, sentent. 26. scriptum reliquit Hippocrates. Ob id in morbis, nec in meliorem eam transferre licet, sed seruare, quantumuis praua sit: natura enim est quæ morbum debet euincere, quem nunquam superabit, si contrarijs ad meliorem consuetudinem reducentibus solicitetur. Quin & in ipsa curatione morborum, præstat certam victus rationem aliquāto deteriorem seruare, quàm vbi bene gubernari cœperis, ad ipsam deteriorem victus rationem commutari. Quòd Hip. 2. lib. de ratione victus in acutis, sent. 51. vlceris exemplo, his quæ
" sequuntur verbis perstrinxit. Nam si quis vlcus non admodum insigne, neq; valde
" vile in tibia acceperit, fueritq́ homo cui neq; admodum difficulter, neq; valde prō-
" pte vlcera sanentur, & prima protinus die ita iacens curetur, vt nequaquam crus
" tollat: hoc sanè pacto sine inflammatione manebit, citiusq́ sanitati restituetur, quā
" si delinquens curetur. Quòd si vel quinto, vel sexto, vel superiore adhuc die surre-
" xerit, atq; ambulare voluerit, magis laborabit quàm si statim ab intitio errans cu-
" ratus fuisset. Porrò si & multum & repentè se fatigauerit, multò magis labora-
" bit, quàm si ita curatus, in diebus huiusmodi se se lassum, & defatigatū reddiderit.
Hæc Hippocrates. E quibus tam euidens, vtile, atq; necessarium, in arte medica, axioma colligitur, de consuetudinis tutela: & deuitatione violationis eiusdem, vt non modo medici, verum & omnes qui prudentia, & consilio agūtur homines, id norint. Sed & alios ferè omnes (vt scribit Gal. lib. de assuetudinibus, cap. 1.) qui saltē
" asinos suesq́ non imitantur, sed ea à quibus læduntur, & à quibus iuuantur animad-
" uertunt, audies dicentes: se ideo cibum aliquem, aut potum omittere nō posse, quòd
" iam assueti illi sint: statim enim se lædi affirmant, si ad alium pertrāsierint. Id quod
" de alijs quoq; rebus confirmant: quo genere balnea, equitationes, venationes, cursus,
" luctæ, vigiliæ, aprico in loco versari, refrigeratio, curæ, ac cætera huiusmodi conti-
" nentur. Hæc Galenus. Non ergo in dubium vertere oportet, vim assuetudinis magnam esse, tum ad salutem, tū ad morbos: sed hac vi agnita, & semper obseruata, in philosophiæ cāpo, causam inquirēdo, licebit spatiari. Quæ si minus cuipiā arriserit, aut meliorem quærat, aut suā ferat ignorantiam, assuetudini nihil detrahendo. Vt enim ridiculum esset visum tollere, refutatis rationibus vtrisq́, quibus nos res aspicimus, siue admissione, siue emissione, ipsum fieri dicamus: sic si consuetudinem validam vim habere non credamus, quoniā in eius causis vestigandis, minus quàm oporteret sumus perspicaces, non minus erimus deridendi, vt ad initium libri de assuetudinibus, autor est Galenus.

Causas autem eo libro diuersarum assuetudinum, doctissima perquisitione in-

ſiuit Galenus, diuerſas tamen pro diuerſa materia, circa quam cõſuetudo verſatur, non vnam & eandem in omni aſſuetudine, cuiusq́ materiæ ſit. Materiam autem appellat, cibum & potum, quæ intro in corpus ſumuntur, calorem & frigus ambientis, inſolationẽ, apricationem, cubile durum, & vitam mollem ac ſedentariam, quæ extra nos immutant: exercitamenta tũ corporis, tum animi: & demum euacuationes, quibus certis temporibus vti ſolent. In cibo (inquit) & potu plurimũ poteſt cõſuetudo, tanquam ſignum, & tanquam cauſa. Tanquam ſignũ quidem, Primo, ob ſuauitatem, quæ argumentum eſt familiaritatis: appetimus enim ſimilia ſeruantia nos, & quæ ori valde ſunt ingrata fugimus, quoniam diſsimilia ſunt, & confici à nobis nequeunt. Secundo, quia illa conſuetudo diuturna, ſignificat hominem non fuiſſe læſum ab illis, multo tempore, quare conueniũt cum natura illius, planè enim ſi læſus fuiſſet deſtitiſſet ab illis vt ſcribit Galenus. 5. libro de ſanitate tuenda, in hæc verba. Qui cuilibet rei inſueſcunt, magna ex parte naturæ ſuæ conuenientem conſuetudinem deligunt, propterea quòd ab his quæ non conueniunt ſubinde læſi ipſa repudiant. Tanquam cauſa vero, quia non modo vnumquodq́ eorum, quòd edimus, aut bibimus, à ventriculo, cæterisq́ membris immutatur, verum etiam ipſum ventriculum, ac membra, quodammodo immutat & afficit. Ob idq́ nonnullarum rerum vſus ingratus eſt, & noxam ad initium affert, ob magnam ac violentam inter diſsimilia alterationem, qui tamen poſtea non nocet, quoniam ventriculus ex diutino vſu ſimilior factus, parum ab illis rebus immutatur, vt libro de aſſuetudinibus ſcribit Galenus. Cuius tamen contrarium ſcripſiſſe videtur Auicenna. 3. 1. doct. 2. cap. 7. in hæc verba. Ille verò in quo mala digeruntur nutrientia, ob hoc non decipiatur, quoniam poſt dies in ipſo, mali generabuntur humores, ægritudines facientes, & pernecantes. Et capite ſequenti, de potu in quo aliquid niuis liquatur, ita ſcribit. Quod ſi non illico nocumentum alicui fecerit, ſecundum longitudinem dierum faciet: & cum in annis proceſſerit. Apertius vero Galenus, ſecundo libro de alimentorum facultatibus, capite de cucumeribus, in hæc verba. Cæterum illud perpetuo memoria teneto, quod etiam ſiquis eorum quiduis, quæ alijs concoctu ſunt difficilia, coxerit: ſuccus tamen qui ex eo in corpus diſtribuitur, eandem retinet naturam. Nam fieri non poteſt, vt ſuccus qui ex pepone diſtribuitur, craſſus ac terreus fiat, etiamſi is coctus pulcherrimè fuerit: quemadmodum nec qui ex lente, aut bubula diſtribuitur, euadet vnquam aquoſus, ac humidus: quem ſanè & conſiſtentia tenuem appellant. Id autem plurimum habet momenti, non modo ad ſanitatis cuſtodiam, ſed etiam ad morbi declinationem, vt alibi demonſtratum nobis eſt: & nunc rurſus ſumatim procedente ſermone repetemus. Ergo qui cucumeres belle concoquunt, cum eo ipſo fiſi, affatim ijs ſe impleuerint, ijs tandem longo temporis tractu accidit, vt ſuccus frigidus, ac mediocriter craſſus, in venis coaceruetur: qui in ea coctione quæ fit in venis, haud facile mutationem in probum ſanguinem recipiat. Ob eam igitur cauſam, omnibus praui ſucci edulijs cenſeo abſtinendum, etiam ſi

" ea quibusdam concoctu sint facilia. Nobis enim non aduertentibus, prauus suc-
" cus ex ipsis, post longum tempus in venis colligitur: qui postea exiguum ad putren
" dum occasionem nactus, febres malignas accendit. Et libro de cibis boni & ma-
" li succi in fine, ita scribit. Qui minimè exercentur, summa æstate cum vehemen-
" ti calore vrgentur, fontis aquam bibant, niuisque vsum vitent. Hæc enim quan-
" uis protinus, nullam iuuenum corporibus sensibilem læsionem inferat, sensim
" tamen, occultéque crescente vitio, cum iam ætas progressu temporis inclinarit,
" articulos, neruosque & viscera ijs morbis vexat, qui vel difficulter admodum,
" vel omnino tolli non possunt. Quibus verbis, consuetos tum cibos, tum potus, magis in posterum lædere, quàm ante assuetudinem Galenus atq; Auicenna affirmare videntur. Cui tamen difficultati dicendum est, quòd vna quæuis cibatio praui alimenti consueta, minus lædit, quàm alia dissueta: læsio tamen ex dissuetis prauis, plurima est aceruata, quæ tandem detegitur quibusdam ad senectutem, alijs vero ante id tempus. Quantitati etiam ciborum, ac potuum maiori, aut minori assuescimus, ita vt si ab ea excedamus, aut deficiamus lædamur. Primo, quia quanuis quantitas non sit actiua, nec ventriculum aßimilet, est tamen ad actiones necessaria: scintilla enim ignis ob defectum quantitatis non vrit, vt scribit Galenus. 3. lib. de simplicium medicamentorum facultatibus, cap. 23. Maior ergo cibi, aut potus quantitas, magis alterat minori, & consuetudo vtrobiq; contracta si violetur, damnum parit: quia præter solitum ventriculus alteratur. Secundo, quia facultates omnes, vsu, & exercitatione, intra certam mensuram fiunt validiores, otio verò imbecilliores. Ob idque ventriculus qui pluri refectione vti consueuit, plus etiam conficere potest, quoniam validior est redditus. Tertio, quoniam vis sentiens ventriculi, à maiori quàm consueuit cibi quantitate degrauatur, minorem propè non sentit, æqualem verò & consuetam voluptuosè amplectitur & conficit. Quanuis vero cibi, atq; potus consueti mutatio sit noxia, quæ in potu fit deterior habetur: dixit enim Celsus, cap. 3. primi libri, quòd si quæ noxa subest, maior est in potu quàm in esca. Cuius rationem Aristoteles, problemate. 14. primæ sectionis, in maiorem potus quantitatem reiecit, in hæc ver-
" ba. Cur ciborum mutatio, minus quam aquæ grauis occurrat? An quia pluri-
" mum aquæ consumimus. Nam & in pane & obsonijs, & in potu, aquæ vsus
" plurimus est. Sed ratio hæc non semper in aqua locum habet, in vino vero nunquam. Cuius tamen mutatio ex antiquo ad nouum, ex tenui ad crassum, & ex vino ad aquam, acrium excrementorum redundantiam vniuersalem, & in toto corpore laßitudinem vlcerosam gignit, autore Galeno. 4. libro de sanitate tuenda: quia quanuis fiat mutatio ad frigidiora, in prauos ac acres succos conuersio fit, ob corruptionem quam subeunt, tum ex permutatione consuetudinis, tum quia permutatio fit ad deteriora. Dicendum ergo præter causam ab Aristotele traditam, deteriorem esse consuetudinis in potu, quàm in cibo permutationem, quia potus ob

tenuitatem citissimè, & antequàm alteretur ventriculi substantiam peruadit, ac penetrat, eiq; imprimit insolitam qualitatem. Cibus verò, ob crassitudinem non penetrat, antequā in chylum conuertatur, quo tempore id tunicis suis apponit ventriculus: ob idq; minus obesse solet, aut si permutatio ingens non est, magis interdum prodest, ob tædium assueti, quàm obsit ob nouitatem.

Ea vero, quæ nos extra contingunt, vt immoderantiæ continentis, & durum cubile, ac percutientia: ob id reddunt homines tolerantiores earum occasionum, quoniam nostrum corpus indurant. Frigus enim ambientis corpori nudo occurrens, cutem, ac carnem substratam, frigefacit atque densat, duramque & refractariam reddit. Calor verò, & insolatio, quamuis ad initium frigori contrarium faciant, dum nos calefaciunt, humores fundunt, cutim leniunt, & carnem molliorem faciunt: postea tamen indurant siccando, vt in ijs qui sub sole æstiuo nudi multos dies degunt, videre est. Sic terra & durum cubile, humidum è cute premit & densat, tum duritie, tum frigore nos afficiens. Quare hic quoq; consuetudo naturam facit, aut qualitatem naturæ quàm maximè affinem, cutis nempe densitatem, cuius ratione externas iniurias facile tolerat: tum eas quæ ab vtroque contrario, tum etiam magis, quæ à contrario assueto procedunt. Dum enim semel ex insolatione cutis obduruit, huiusmodi durities contracta, non modo insolationi perferendæ est vtilis, verum & frigori etiam perferendo, aliquanto minus fit idonea. Quantumuis autem cutis & carnis densitas, & durities contracta, vtriq; reluctetur contrario, temperiei tamen continentis mutatio nocua est, nō modo si ex salubri in insalubrem, verum etiam si ex insalubri, in salubrem commutatio fiat, vt scribit Celsus, cap. 3. primi libri: quoniam aër insalubris assuetus, familiaris & naturalis ob assuetudinem factus est nobis.

Consuetudo præterea ad exercitia id facit, vt quæ corporis partes exercentur, fortiores simul & solidiores fiant: & proprios motus ob id alijs melius ferre possint. Contra vero propter otium molliores sunt, & imbecilliores, vt libro de assuetudinibus scribit Galenus. Quòd & Hippocrates aduertit sexto libro Epidemiarum, parte quinta, sententia decima, in hæc verba. Labor articulis & « carnibus, cibus somnus visceribus. Vt enim per vigiliam dum exercemur, na- « tiuus calor augetur, & exercetur in articulis, & carnibus, eo vergens: ita facultates viscerum naturales, & innatus calor, per somnum, in ciborum coctionibus exercentur, nutriuntur, & augentur, vt scribit in commentario Galenus. Consuetudo ergo ad exercitia naturam facit, id est, robur & soliditatem membrorum, ex bona nutritione contractam: otium verò imbecillitatem, & partium mollitiem: manet enim calor per otium, in humido excrementitio mersus, quòd per exercitia absumi, & purgari debebat. Sic partes paralyticæ, & diutius etiam ligatæ marcescunt, vt libris de fracturis, & de articulis sæpe docet Hippocrates. Sic sinistræ partes imbecilliores sunt, & minus vegetæ. Sic etiam

fœminæ

fœminæ viris sunt minus musculosæ & imbecilliores, vt scribit Galenus septimo « libro Aphorismorum, coment. 43. Sic etiam qui soliti sunt solitos labores ferre, « & si fuerint imbecilles & senes, non consuetis fortibus, atq; iuuenibus facilius « ferunt, vt. 2. lib. Aphorismorum, sentent. 49. scribit Hippocrates. In qua sententia si dictum esset consuetos facilius ferrè labores, se ipsis, aut alijs parem ætatem agentibus, nihil ambigui relinqueretur: quoniā quod partes exercitatæ fiant robustiores, atq; iccirco labores consuetos facilius ferant, omnibus commune existere, scribit Galenus in commentario. Quòd vero non tantum ad se ipsos, nec ad alios æque validos, & parem ætatem agentes: sed ad validos ac iuuenes, senes & imbecilles compararit, difficile est. Quomodo enim robur maius per consuetudinem comparatum, causa facilioris laborum tolerantiæ esse potest; dum imbecillis senex laboribus assuetus, comparatur iuueni valido, dissueto ysdem? si huiusmodi senex imbecillis (qui verbi gratia messor est aut fossor) iuuene vrbano validior reddi nequit? Dicendum, quòd per consuetudinem non modo augetur robur, sed partis etiam soliditas, & neruorum ac musculorum eas actiones operantium, varia extensio, & flexibilitas, quæ corrigijs etiam externis, vsu, plicatione, extensione, & attritu comparatur: ea enim parte facilè plicantur, aut extenduntur, qua plicari, rugari, aut extendi consueuerunt. De qua consuetudinis ratione « Gal. 2. lib. de motu musculorum, ita scripsit. Maiori autem ex parte, ne dedu« cere omnino ad extremam flexionem eius possumus, nisi manibus cooperati fueri« mus, sed veluti claudum præ insuetudine ad hanc operationem habemus, solisq; & « saltatoribus, & luctatoribus facile flectitur, quibus vel solis perfectè flecti soli« tum est. Tantum igitur mediæ figuræ ad extensionem progressum est, quod perfe« ctè caret dolore, quantum à diuturna consuetudine membrorum flexum est. Hæc « igitur duo considerans in omnibus articulis, naturam videlicet, & consuetudinem, « sic ad inueniens medium ac dolore carens. Quibus verbis aperte Galenus docet, ab extensione, ac contractione musculorum per consuetudinem facta, nasci facilem tollerantiam similium flexionum, ac extensionem, ita vt sine dolore fiant. Accedit etiam industria, quæ doctrina quædam est arandi, fodiendi, citharam tangendi, aut compositè psaltandi, aut quiduis aliud agendi. Hæc autem simul iuncta, plus possunt in ijs actionibus expediendis, & tolerandis in assueto sene, quàm maius robur in dissueto iuuene: fossor enim, aut arator iuuenis, nō tāget citharā, aut cōpositè psaltabit: nec psaltator, aut citharœdus quantumuis validi sint, plurimum fodiendi, aut arādi laborem sustinebunt. Quoniam præter robur, & soliditatem, accedere debuit vtrisq; industria ad opus: & neruorum, ac musculorum extensio, & plicatio commoda, quas vterq; ad proprium opus, non autem alteruter ad alterum comparauit.

Eadem (inquit Galenus libro de assuetudinibus) est animi, id est, partis intellectiuæ, ac memoratiuæ exercitationum ratio: harum enim ea natura est, vt exercitatione perinde, ac corpus roborentur & augeantur, otio verò contabescant, vt

ex Platonis allata longiuscula quadam sententia ibi confirmat. Quod tamen difficile est. Corpus enim ideo roboratur, quia uberiori alimẽto fruitur, & quia per exercitium magis defæcatur, & purgatur à recremẽtis: quorũ neutrũ animæ nec quò ad scientias, nec quo ad virtutes, conuenire potest. Dicendum tamen, quòd perinde ac corpus assueto exercitio roboratur, solidescit, neruorumque ac musculorum extensionem, plicationem, & industriam comparat: ita crebra meditatione intellectus, licet in sui substantia roborari nequeat, habitum scientiæ, aut doctrinæ comparat, qui ut ex actibus frequentibus fuit genitus, ita similium actionum fit productiuus. Hic intellectum perficit, roborat, ac doctum facit, & in scientiæ actus tam promptum, ut nullo negocio discurrat, conuenientiam & repugnantiam rerum interstinguat, & consequentia ex antecedentibus eruat.

Consuetudinem vero ad euacuationes, concedit Galenus tanquam signum, non tanquam causam euacuationum futurarum. Quoniam semper repletio antecedit vacuationes, tam artis, quam naturæ opere factas: semel, si semel obeuntur, & pluries, cum obeuntur pluries. Qui ergo pluries vacuari consueuit, inditium ex assuetudine præbet, frequentis repletionis, in quam solet incidere. Hæc vero vacuationem frequentem, non aliter post plures vacuationes poscit, quam post primam poscere cœpit. Repletio etenim est, quæ ad primas vacuationes ante consuetudinem, & ad postremas post consuetudinem inuitabat. Consuetudo verò vacuandi, non est causa vacuationum, nec ex se, & sui ratione ad eiusmodi euacuationes nos vocat, quoniam nunquam est causa repletionis. Ob id enim pluries vacuamur, quoniam pluries replemur, non autem replemur pluries, quoniam pluries fuimus vacuati: sed qua ratione & victu prius replebamur ante euacuationes, eadem & post plures vacuationes replemur. Vnde librum de assuetudinibus, sequentibus verbis claudit Galenus. Qui quidem si victus rationem commutarent, deque cibi « copia aliquid detraherent, exercitationesque augerent, à morbo vacui seruarentur. « Præterea verò ex mutata consuetudine, non modo ut illi priores, non læderentur, « sed etiam fructum aliquem ferrent. Causa est, quia euacuationes eis non « proderant, quòd ita euacuari consuessent: sed quia ex vitiosa viuendi ratione ma- « gnam prauorum humorum vim, in corpore colligebant: hæc Galenus. « At quoniam libro nostro de vacuandi ratione, capite. 21. hanc Galeni sententiam reiecimus, & non modo consuetudinem ad euacuationes signum, sed causam etiam esse euacuationum docuimus, ad eum locum lectorem remittere, quàm bis eadem docere malumus.

Vniuersale etenim, atq; scientificum proloquium est, quod consuetudo in omni actione, aut passione, cuiusuis è nostri corporis, aut animæ facultatibus, promptitudinem ad operandum, tolerantiam eiusce operationis, & indigentiam eiusdem, ut consuetudo seruetur infert: nisi asinos aut sues, inaduertẽtia ad ea quibus lædimur, « & iuuamur (ut Galenus dixit) imitemur. In animali parte, ut ab ea sigillatim om-

nes

nes percenseamus facultates ita contingit. Quæ enim motoria est, assuescit certis motionibus; vt apparet in citharœdis, & psaltatoribus, & omnibus mechanicis. Quæ sensiua vero, tam secundum externos, quàm internos sensus, non minus assuescit. Odoratus consuetum odorem, non ita percipit, nec ita ex eo læditur: vndè qui moschum, ambram, & alia odorabilia portant, minus ea sentiunt, quàm extranei. Gustus ex consueto sapore prauo non afficitur molestia, nec auditus ex assueto sono, vt constat ex nili cataracte ad stadisim contingente, vbi nilus præcipitans se, fragoris sui auditum, acolis ob assuetudinem aufert, referente Plinio, sexto libro naturalis historiæ, cap. 29. Frigus etiam atq; calor regionis, acolarum tactum assuetum non lædit. Si ad hyemem præterea, ac æstatem, pedetentim gradimur, & velut assuescimus, æstum ac frigus leuiter toleramus: si vero repentè ingruant, ægrotamus, & vnguium radices dolemus, eo se recipiente frigore. Lux etiam paulatim post tenebras accedens, facile fertur: repentina vero visum adimit, vt ex hystoria Dionysij Siciliæ tyranni, à Galeno recensita. 10. libro de Vsu partium constat. Hunc enim refert domum super carcerem construxisse, clarissimam ac longè splendidissimam, calce illitam: in quam vinctos qui diutissimè in carcere fuerant conclusi, sursum educebat: qui statim ac ex profunda caligine lucem cupidi intuebantur, occæcabantur: lucis splendidæ repentinum occursum non ferentes: exiguus enim in ipsorum oculis, ob tenebras contentus spiritus, à lumine magno prorsus dissipabatur. Primum etiam sensorium, cuius sunt affectiones somnus atq; vigilia, ita assuescit somno diurno, vt quamuis suapte sponte lædere deberet, ex diutino vsu non lædat. Id quòd scriptum reliquit Galenus, 2. libro prognosticorum, comment. 11. in hæc verba. At vero temporibus Hippocratis non aliud fuit ex natura, aliud in consuetudine: nunc vero diuites è contrario agunt, tum in quibusdam alijs, tum etiam somno, interdiu dormientes, noctu vigilantes. In his igitur, vt qui soliti sint viuere præternaturam, doctrina ab Hippocrate dicta, nequaquam vera est: etenim hoc tempore magis rata consuetudo est quàm natura: non in mulieribus solum ditioribus, sed etiam in non paucis viris. Phantasia etiam per somnum, & per deliria, circa ea versatur spectra, quibus in vigilia plurimum assueuit. Memoriam quoq; nullo alio quam frequenti apprehensione magis colimus. Pars etiam intellectiua facile disputat, atq; discurrit, ex consuetudine disputandi atq; discurrendi. In appetitu etiam sensitiuo, & parte animi quæ perturbationibus agitur, ex assuetudine fit homo, vel honestus, vel vitiosus. Nam quis nescit socratem natura flagitiosum, assuetudine, & doctrina, in optimum, laudatissimumque virum euasisse? Facultates etiam naturales, consuetudine duci est quàm apertissimum. Ter enim die cibari assuetus, ter appetit cibum, & læditur ni ter cibetur: insuetus verò non appetit, & si ita cibetur læditur. Cuius certè nulla ratio alia esse potest, nisi quòd tractrix membrorum, quæ per assuetudinem à ventriculo ter trahere alimentum didicit, ter attrahit: quæ semel vero

semel.

semel. Sic qui sitim ferre didicerunt, parum sitiunt: & feræ quæ è Lybia aduehuntur, æstate non bibunt, quoniam aquarum per id tempus defectu, tractrix ventriculi assueuit, rorem ex vicinis membris attrahere: vt constat ex Alexandro Aphrodisiensi, tertio problemate libri tertij, vbi ita scribit. Cur Lybicæ feræ in æstate non bibunt, vbi præcipuè gignitur sitis, hyeme autem bibunt, cum minus sitire oportuerit? Nempe quoniam aquæ in Lybia per æstatem nullæ existunt, & perinde eis non bibere in consuetudine est: in hyeme autem, quoniam scatent aquæ bibunt. Quòd igitur illic eis consuetũ est, cum in alia loca transferuntur, id ex consuetudine obseruãt. Coctrix etiã quæ plurimũ alimentũ, aut bis cõficere cõsueuit plurimũ, aut bis cõficit sine noxa, & læditur si minus sumat: quæ semel tantũ, grauatur ex bina cibatione, quoniam non assueuit bis coquere, vt scribit Hippocrates, 2. libro de ratione victus, sentent. 22. in hæc verba. Nempe tum in ijs qui bis die comedunt, tum ijs qui semel, noxam imbecillitatemque pariunt repentinæ mutationes: quiq; prandere non consueuerunt, & prandent, statim ægre habent, toto item corpore graues redduntur, & parum valentes & desides. Quod si supercenauerint, alios alui læuitas exercet: nempe ventriculus præter consuetudinem grauatur, supersiccescere consuetus, non bis tumescere, neq; bis cibos coquere. Quibus verbis, non modo coctricem, verum & contentricem lædi affirmat, tum ob grauitatem sensatam, tum ob alui læuitatem, quæ insolitam cibationem sequuntur: grauata enim velut à pondere contentrice, & alimentum diutius continere nequeunte, alui leuitas sequitur. In expultrice quoque, manifestißimæ sunt consuetudinis impreßiones: Ob id Hippocrates, ad optimam deiectionem, requirit horam dijcienciendi assuetam, 2. libro prognosticorum, sentent. 13. Sic somnus diurnus (licet vniuersaliter sit damnandus, innumerasque læsiones afferat, quarum meminit Auicenna. 3. I. tract. 2. cap. 9.) si assuetus sit non perinde lædit, vt scribit Galenus, 2. libro prognosticorum, comment. 11. lædit autem eius omißio, quia caput ea hora grauatur, quoniam expultrix membrorum ob consuetudinem expellit vaporosa ad caput. Et non modo ad caput, verum ad certam capitis partem, vt constat ex Galeno, 6. libro Epidemiarum, parte prima, comment. 2. vbi in vteri affectionibus, synciput magis, quàm partem aliam capitis dolere, ob id scribit, quoniam assueuit natura capitis recrementa per synciput expurgare: quã postea cõsuetudinem obseruans, ad synciput magis quàm ad occiput, aut verticem, per huiusmodi affectiones transmittit recrementa vaporosa. Tertio item libro Aphorismorum, commentario. 15. ex crebra purgantis pharmaci administratione, in malam consuetudinem corpus duci, scribit Galenus. Nec per malam consuetudinem, opus noxium corpori intelligere eo loco poßumus: vtrumq; enim timet, læsionem nimirum ex pharmaco, & consuetudinis prauæ inductionem: vt ipsius Galeni verba monstrant, quæ ita habent. Si vero quispiam voluerit bis in mense, aut semel saltem, purgantis pharmaci operatione vti, veritus ne superfluitatum multitudo aggregetur: præter id quod

nocebit

nocebit, corpora etiam in malam trahet consuetudinem. Fluxio etiam antiqua difficillimè sanatur. Primo, quia membrum recipiens, intemperiem factam contraxit. Secundo, quia viæ ex diuturnitate fluxionis valde distentæ sunt. Tertio, quia membrum mandans, assueuit secernere excrementa praua, & ea pellere. Nisi enim hæc causa, duabus prioribus accederet, quantumuis difficile sanaretur vlcus, aut hæmorrhois, ad quam natura fluxionem mandabat: non essent inde spectandi morbi vniuersales praui, qui tamen negari nequeunt, ex experimento & Hippocrate sexto libro Aphorismorum, sententia.12. & sexto libro Epidemiarum, parte.3. à sententia.27. in quadragesimam. Sed cur prauiores morbi sequuntur ex hæmorrhoidibus antiquis curatis, & ex diutina fluxione ad vlcus cohibita: quàm ex assueta sanguinis detractione, aut purgatione omissa? Dicendum quod ante sanguinis detractionem, aut purgationem, quæ ars molitur, non separat natura prauum humorem, vt ante fluxionem, quam ipsa sibi parat. Si vtraque ergo cohibeatur, deteriora mala à secreto humore prauo detento, quàm à non secreto prodibunt: quantumuis ab vtraque assuetudinis cohibitione, morbi pendeant vniuersales. Huc adde ea quæ de assuetis balneo, & clysteriis, ac aliis excretionibus, dicta à nobis sunt libro de vacuandi ratione: postulant enim ita in posterum adhiberi. Huc pertinet quod assueti curari, si non curentur, ex leuiori morbo periclitantur: insueti vero & rustici, pauca aut nulla adhibita diligentia sanantur: quoniam natura in illis pigrescit, solita expectans auxilia: in his vero impigra, crises molitur.

Sed dubium est, quomodo naturales facultates assuescere possint, si natura non assuescit, vt scribit Aristoteles secundo libro Ethicorum, capite primo? nec lapis enim post millesimum iactum, nec post millesimam vstionem ignis, celerius aut moueri, aut vrere discet. Dicendum, quòd vt intellectiuum non datur in homine, sine sensitiuo: nec sensitiuum sine intellectiuo: illud enim supra, hoc infra hominem est: ita vegetatiuum in homine, sine sensitiuo esse nequit, & intellectiuo: minimeque syncerum inuenitur. Quin & ipsum vegetatiuum in plantis, in quibus cum sensu atque intellectu, nullum iniuit cõmertium, inter sensitiuum, & anima carentia, medium gradum obtinuit: ita vt nec tantum in eo possit vsus, ac in sensitiuo, & intellectiuo: nec tam parum, vt in vita carentibus. Quæ ergo natura constant: vt inanimata, non aliter assuescunt: quia infimum naturæ gradum consequuta, infimam etiam perfectionem omnis latitudinis expertem nanciscuntur. Quæ vero vlteriorem gradum naturæ consequuntur, latiori perfectione constant: intra cuius latitudinem frequens determinat vsus: ita vt in vegetatiuo, temperantem aut intemperantem facere queat: in sensitiuo, honestum & procacem: in intellectiuo, prudentem & imprudentem, memoriosum & labilem, doctum & ignorantem. An autem habitus ex actibus frequentibus, & dispositiones minus obfirmatæ, ex minori frequentia necessario gignantur

 in omnibus:

in omnibus: an vero solus vsus has facultates indeterminatas, citra habitus aut alterius qualitatis generationem, ad certam partem suæ latitudinis, firmare & limitare sufficiat, non anxiè curo. Id vnum tanquam certum statuo, limitationem ac determinationem hanc facultatum ex frequenti vsu, causam esse vniuersalem, omni cuiusque facultatis assuetudini conuenientem. Effectus autem vniuersalis, causa vniuersalis debet signari. Præter hanc verò, in materijs particularibus, particulares alias causas signare, vt hucusque fecimus vtile est: siue ex habitu, aut dispositione producta ex actibus, siue ex robore aut imbecillitate, temperamento aut intemperamento contracto signentur. Cum omnibus enim particularibus causis, vniuersalē alterā (quæ veræ sit consuetudinis causa, qua consuetudo est) statuendam esse censemus. Limitatio scilicet facultatum, quæ vltimum naturæ gradum non consequutæ, ita à natura destinantur ad certa opera, quod ex vsu limitari possint, intra terminos suæ potentiæ, ad quanlibet partem latitudinis, in quam ipsas inclinauerit vsus. Quare assuetudo qua assuetudo est, nihil est aliud quàm ipsa natura ex actibus ad sua opera inclinata, & limitata ex vsu: quæ contrarijs actibus dissuescere, & in aliā suæ latitudinis partem limitari potest. Huic si aliæ causæ accedant, aut ex parte temperamenti mutati, aut roboris acquisiti, aut habitus obfirmati, maiores sibi vires inerūt, pro vi, atq; potentia causæ quæ adiungitur. Sic vbi duos homines fingunt, ex contrarijs assuetudinibus in idem temperamentum venire, alterum nempe calidum vno gradu, cuius temperamentum assuetudine calidorum, ad secundum caloris gradum sit commutatus: & alterum calidum tertio, cuius temperamentum vsu frigidorum, ad secundum etiam caloris gradum peruenerit: si in frigidū morbū ambo incidant, calidiora debentur ei qui vsu calidorū, quàm ei qui frigidorum vsu, in id temperamentum peruenit. Primo, quoniam facultas in vno ad calida, in altero ad frigida, ob frequentem vsum est limitata: hanc autem limitationem transcendere, naturam ipsam transcendere est: quoniam natura ipsa intra suos limites, est huiusmodi limitationem perpessa. Secundo, quoniam quanuis in idem venerint temperamentum, qualitas tamen in vno per frequentem vsum denuo acquisita, calor est: frigus vero in altero: fiet ergo si idem contrarium applicetur vtrique, vt insignem ac repentinam in alterutrum horum alterationem inferat id contrarium, paulatinam verò in alterum. Vnde Galenus, in vlcere suapte sponte præhumido, & in humido propter medicamentorum humefacientium frequentem vsum, diuersa curatione vtitur libro quinto Methodi: illud enim exsiccat per æquatum contrarium, hoc vero paulatim exsiccare docet, ob assuetudinē in parte vlcerata contractam, ex curatione errata. Ita enim eo loci, scriptum reliquit Galenus. Ergo quantum (inquam) ad ipsarum partium habitum spe- «
ctat, quæ ea quæ ad summum siccent desiderant, tametsi nunc curatione tua sint «
veluti effœminatæ, iam tali medicamento vterer: nunc quoniam plures iam dies «
male ipsas assuefecisti, transferre eas ad contrarium, vno impetu, & semel non «
licet.

licet. Ex qua Galeni oratione similiter inferre licet, quòd qui vsu calidorum ad secundum caloris gradum peruenit, minus frigidis curandus est, ob assuetudinem contractam, quàm qui aut suapte natura eum gradum habuit, aut qui vsu frigidorum, ex calidiori natura ad eum gradum fuit commutatus: in istis enim nulla fiet vt in illo, ex æquato contrario repentina mutatio. Ex quibus item infero, quod consuetudo verè ac propriè, non est temperamentum, nec habitus, nec dispositio, nec similitudo cum rebus consuetis: quanuis temperamentum, habitum, dispositionem, & similitudinem ad cõsueta interdum gignat, ac habeat annexa: quæ cum iunguntur, consuetudo ipsa potẽtior fit, atq; validior, ex causis adiũctis. Quid ergo est consuetudo? facultas, aut natura, nõ simpliciter sed ex actibus inclinata ad opus: si enim tẽperamentũ, aut dispositionẽ, aut similitudinẽ cum rebus consuetis, consuetudinẽ esse statuamus, nunquam fieri posset, vt contrarijs assuescere poßimus, contra ac experimur, & Hippocrates præcipit, secundo libro Aphorismorum, sent. 50. Nam fac vt esu & occursu calidorum, ac frigidorum, quispiam assuescat vtrisque: tunc ex frequenti horum contrariorum vsu, facultas & natura intra suam latitudinem, ad calida pariter ac frigida inclinatur, ita vt vtraque amet, in ipsa feratur, minimeque ab vtrisque lædatur: si vero consuetudo esset temperamentum inductum, contrariæ consuetudines essent contraria temperamenta: si dispositio, contrariæ dispositiones: & si similitudo cum rebus consuetis, contrariæ similitudines ad res contrarias consuetas: quæ simul aut induci, aut stare nequeunt: quoniam qui contrarijs assueuit, non habet in vtraque qualitate repugnante progressum, cum tamen habere poßit propensiones, & inclinationes naturæ ad contraria, quæ facillimè per frequentem contrariorum vsum comparantur. Nec enim valet responsio quorundam, quod qui calidis & frigidis assuescit, contrarijs pariter vtrinque trahentibus in medio temperamento constituitur: quo fit vt corpus ab vtrisque minus patiãtur. Non valet (inquam) nam qui temperatis vtitur, nunquam ab ipsis deflectens, in medio temperamento multo certius constituitur: & tamen ab vtrisque contrarijs læditur: causa ergo princeps, quare qui vtrique contrario assueuit, à neutro ipsorum læditur, non est medium temperamentum, ad quod ex vsu contrariorum permutatur, sed facultatum & naturæ quam diximus limitatio ab operibus comparata. Nec ex alio magis, quàm ex hac limitatione pendet dispathia & contemptus contrariorum, ad quas Valesius refugit. Ob id enim qui vinum interdum, alias vero frigidam abundanter bibere est assuetus, ab ipsorum neutro facilè læditur, ac vtriusque læsionem, ob id contemnit, quoniã facultates naturales, ex frequenti vsu inclinatæ, & propensæ sunt redditæ, ad frigus & calorem familiariter tractandos. Quod in consuetudine fortè ad euacuationes, dilucidius innotescet: ex crebris nanq; vacuationibus, corpus in malam trahitur consuetudinẽ, tertio libro Aphorismorum cõment. 15. autore Galeno: ad crebram autem vacuationem, nulla inducitur similitudo, nec dispositio, nec temperamentum: ergo quod verè & propriè per assuetudinem

nem

nem inducitur, nihil est aliud quam propensio, & inclinatio ad actiones, quam ex frequenti vsu, natura, & facultates naturales sibi comparant. Hæmorrhoides item recentes sine iactura sanare possumus, ex antiquis verò nisi vna relinquatur, morbi sequuntur melancholici, ob consuetudinem eum humorem excernendi: id est vt nos cēsemus, ob inclinationem facultatis expultricis ad eum humorem expellēdum, qui aliorsum verget, & morbum creabit melancholicum, si exitus per locum solitum negetur. Si autem aliud aliquid consuetudinem esse censeas, nunquam rectam eius euentus consuetudinarij causam reddes: ex diuturnitate enim hæmorhoidum, hominis temperamentum non fit magis melancholicum: nec dispositio, similitudo, aut qualitas aliqua melancholiæ affinis, progigni potest. Quin potius temperamentum, & habitus melancholicus, ex ea diuturna vacuatione sanatum iri est verisimile.

Sed age quomodo consuetudo, dispositio sit, ex Valesio controuersia quinta, libri octaui, audiamus. Duplex (inquit) temperamentum est, siue de accito, siue de natiuo loquamur: alterum substantiale, in quo elementorum substantiæ, alterum accidentale, in quo elementorum qualitates contemperantur. Illud fixum & difficulter mobile, natura est, & habitus, non nisi longo tempore creandus & amouendus, vt ex permutatione vnius naturæ, in alteram constat, quæ vix multo tempore contingit. Hoc vero fluxum est, & quod facilè commutatur, dispositio nempe quæ facilè & ex paucioribus actibus creatur, & facilè etiam ex contrarijs actibus remouetur: quare habitus, aut natura, aut substantiale temperamentum non est, sed via ac progressus in ipsum, eiusque ceu similitudo quædam. Ante quam enim natura, in aliam naturam commutetur, in via est ac dispositione, per quam toto tempore commutationis, ei habitui aut naturæ in quam commutatio fit similis redditur. Statim vero ac natura, aut habitus genitus est, non amplius est dispositio, & accidentarium temperamentum: sed habitus, natura, & temperamentum substantiale, in quod migrauit. Ex his duobus, cōsuetudo vnum necessario est, non est autem primum, temperamentum scilicet substantiale, aut natura, aut habitus adscititius: quoniam consuetudo facilè acquiritur, & promptè per contrarios actus dissuescit: natura verò difficulter mutatur, vt Aristoteles scribit. 7. lib. Ethicorum, cap. 10. Erit ergo secundum, nempe dispositio ad naturam, siue accidentarium temperamentum accitum, quod longo vsu, & consuetudinis ipsius insigni duratione, in naturam & substantiale temperamentum transit, vt dispositio in habitum. Quo tempore (inquit) iam non est consuetudo sed natura, quoniam iam non est separatu facilior quàm natura, cum sit ipsamet natura in quam transijt. Substantiale insuper aut radicale temperamentum, difficilè, & longa commutatione acquiritur, & amouetur: consuetudo autem & dispositio ad id temperamentum, citius & facilius acquiruntur, & dissuescunt: consequens ergo est, vt consuetudo & eiusmodi dispositio non sint diuersa.

Multiplicem tamen (me iudice) & calumniam, & reprehensionem hæc do-

ctrina

ctrina patitur. Primo, quoniam neutrum horum temperamentorum consuetudinem esse probabimus: consuetudo enim non modo contrahitur in qualitatibus primis, penes quas temperamentum attenditur: sed in omnibus cuiusque generis nostri corporis actionibus, & paßionibus, à qualitatibus primis, & temperamenti ratione valde alienis. Secundo, quoniam hæc dispositio quam consuetudinem appellat, nihil est aliud quàm temperamentum qualitatum accitum, ipse verò consuetudinem ab accito temperamento diuersam esse, & profitetur & probat. Tertio, nam qualitas non vertitur in substantiam, dispositio ergo ea, quam consuetudinem esse definit, nunquam vertetur in naturam (vt existimat) quæ in ipsa substantiarum elementorum commistione consistit. Quarto, in prima temperati aut intemperati corporis creatione, duplex temperamentum consurgit, vtrumque natiuum & fixum, vnum substantiarum elementorum, alterum vero qualitatum sibi respondentium: non autem vnum ex ambobus conflatum. Ergo cum naturæ, ad temperatam, aut intemperatas permutantur, duplex etiam consurget temperamentum, alterum substantiale, & alterum accidentale, quorum neutrum in alterum vertetur, sed suum genus seruabit vtrumq́. Quinto, nam dum naturæ permutantur, ab initio permutationis fit commutatio in substantiam, & in qualitates substantiæ congruentes: natura enim non permutatur repentè, sed ab initio vsus permutantium, incipit permutari, & longo vsu mediam commutationem accipit, tandemq́ integrè permutatur, fitq́ pituitosa verbi gratia: si enim ab initio non cœpit fieri pituitosa, nunquam reddi poterit pituitosa, parem nanque rationem habet secunda dies, ac prima. Ipsa ergo natura primum permutari incœpit, deinceps aucta, & tandẽ perfecta est permutatio: nec enim aliud incœpit, & in aliud facta est cõmutatio atq; perfectio, sed primũ fuit incipiens natura, aut cõsuetudo: hæc creuit, & tandem perfecta est. Cum exigua erat non fuit fixa, sed veluti dispositio & cementum ad perfectiorem, siue in qualitate siue in substantia commutatio fiat, exigua enim commutatio substantiæ, fundamentum est ad perfectiorem commutationem in substantia: & incipiens commutatio in qualitate, fundamentum est vlterioris in suo genere commutationis. Cum ergo naturæ permutantur, substantia & qualitates substantiæ respondentes, mutationem simul accipiunt: fit enim pituitosa natura cum versus pituitæ substantiam, & qualitates mẽbra mutantur. Sexto, nam corpora quæ per cõtrarias alterationes, in calidum secundi gradus temperamentum venerunt, contrarias habent consuetudines, & temperamentum idem, eandemq́ dispositionem, calorem scilicet secundi gradus: nihil enim est aliud, eiusmodi dispositio, quàm caloris ipsius qualitas: quæ cum secundi gradus statuatur in vtroque, non est cur dispositiones contrarias statuamus in ipsis. Nam si citius (quod statuunt estque sui erroris veluti fundamentum) gignitur qualitas, quàm substantia consequens est, quòd si per huiusmodi alterationes contrarias, in idem radicale temperamentum ambo venerunt, citius & facilius in idem qualitatum siue temperamen-

peramentum, siue dispositionem, siue similitudinem cum rebus consuetis appellare mauis, ipsa peruenisse sit necessarium. Qui enim ex calidiori temperamento, per infrigidantia ad calorem secundi gradus peruenit, non aliam habet cum assuetis quæ ipsum perfrigerarunt similitudinem, quàm frigiditatem ex ipsorum actione comparatam: sicut & qui ex temperamento frigidiori, per calfacientia ad idem secundi ordinis calidum temperamentum peruenit, non aliam habet similitudinem cum calfacientibus assuetis, quàm calorem ex ipsorum actione comparatum. Calor autem atque frigiditas, quam vterque actione calfacientium, atque infrigidantium comparauit, æqualis est in vtroque: siquidem in secundum caloris gradum incidit vterque: ergo nec contraria sunt in istis temperamenta, nec dispositiones, nec similitudines cum rebus consuetis. Et ex consequenti, cum contrarias habeat vterque consuetudines, fit necessario vt nec temperamẽtum, nec dispositio, nec similitudo aliqua cum rebus consuetis, sit consuetudo. Quæro insuper, an fieri aliqua via poßit, vt illa duo corpora in idem temperamentum radicale, & qualitatiuum veniant, ita vt neutrum in calorem, aut frigus, progrediatur magis? hoc enim dato, adhuc quod frigidis assueuit, poscit frigidiora, & quod calidis calidiora. Octauo, vbi quis permutetur in pituitosam naturam, per esum alimentorum frigidorum potestate, actu vero calidorum, aut tepidorum, iam cessabit ea qualitatum celerior permutatio quam imaginantur: aqua enim tepida, & lactucæ coctæ, & pisces actu calidi sumti, non prius refrigerabunt, quàm in pituitosam substantiam commutentur: in eam enim vel à primo die commutari oportet. Nono, nam si consuetudo consistit in sola similitudine qualitatis, bene erit consultum consuetudini, si qualitatem similem adhibeamus, quamuis substantia alimenti sit contraria: quod tamen aduersatur manifesto experimento, læditur enim qui vino est assuetus, si in aquam quantumuis calidam: & qui aquæ assueuit, si in vinum uine etiam perfrigeratum permutetur.

Decimo, nam corpus quod contrarijs assueuit, non habet in vtraque qualitate progressum: ergo consuetudo non est progressus ille in qualitate, per quem, cum vtroq; contrariorum similitudinem aliquam comparet homo. Cuius argumenti vim effugere studens, in dispathiam & contemptum, consuetudini annexa, aufugit Valesius: quæ tamen hac argumentatione ab illo non petuntur, sed quo modo progressum in vtraq; qualitate contraria facere poßit? & contrarias dispositiones, aut similitudines ad contraria consueta, huiusmodi corpus quod contrarijs assueuit, comparare queat? Dicti præterea duo homines, qui per cõtrarias alterationes, in secundum calidi temperamẽti gradũ inciderunt, postquã dispositio quam ponit, trãsijt in habitũ, & nõ est amplius dispositio: nõ habebũt consuetudines cõtrarias, siquidẽ postquã dispositio, aut consuetudo transijt in habitũ, iam nõ est amplius consuetudo vt dicit: quod tamẽ falsum est, nã eorũ vnus lædetur frigidis, & alter calidis ob assuetudinẽ. Vnde Gal. 1. lib. de sani. tuẽ. ita scribit. Pari modo consuetudini (vtpote quæ adsciti »
tiã acquisititiãq; naturã, in corporibus gignit) cõtraria dedisse in primis est noxiũ. »

Quibus

Quibus verbis patet, quòd etiam post naturam genitam, consuetudo manet, & sui custodiam postulat. Quomodo præterea consuetudo longa quæ in habitum transijt, iam non est consuetudo, si eam habens est consuetus, & nullo alio quàm consuetudine, consuetus esse potest? & quomodo cum iam transijt in naturam consuetudo, non est quàm natura separatu facilior (vt dicit) si incontinens per assuetudinem, facilius curari potest quàm incontinens ab ortu, & natura ingenita? vt ex Aristotele. 7. libro Ethicorum, cap. 10. refert.

De indicatione verò quam consuetudo exhibet, & quomodo etiam quæ praua est sit seruāda in morbo, & in negotio: & in quo negotio, & morbo: dictū à nobis est libro de morbis epidemialibus, iam iā si Deus fauerit edēdo. Nunc autē ad pensum nostrū de temperamentis redeūtes, temporū anni temperamenta, tum ad eū librum, tum ad pleraq; alia in arte medica scitu perquā necessaria, expendenda cōuertamur.

De anno constanti, & maxime salubri, qui semper est optandus, & quantam habeat vim temporum constantia, & naturale temperamentum.

CAP. XVIII.



SINE aëre vitam nostram, nè per breuissimum spatium seruari posse, cuiuis è media plebe constat. Quòd vero tres vsus exhibeat nobis aër, scilicet attemperandi calorem, expurgandi fuligines, quæ sibi in corpore permiscentur, & nutriendi spiritus, tum vitales, tum animales, dictū à nobis est libro pulsuū. Hinc quàm expediens sit vt aër bene temperatus, ac purus respiretur, notant omnes qui artem medicam doctiusculè profitentur, siue enim immoderatius calefiat frigescat, humescat, vel siccescat aër, siue stagnorū, aut palustrium locorū euaporatione turbetur, siue cadauerum inhumatorū, aut barathri halitu, vel aura venenata in terræ abditis cauitatibus putrescente conspurcetur, morbi & mortes contingunt. Hinc fit vt post terræmotus, per quos terra quatitur, huiusmodi aura spirante, pestiferi morbi vagētur. Hinc etiā dū horrea tritici diutius asseruati, aut putea quæ multo tēpore fuerunt obstructa recludūtur, illuc intrātes mori sæpe cōtingit. Hinc paratiores censent quidā ad pestē esse vrbes, quæ plures puteos habēt, quoniam eiusmodi euaporationē à terræ latebris etiā sine terræmotu accipiunt. Aër ergo cū assiduè intus & extra nostrū corpus peruadat, calorem attemperet, fuligines emūdet, & spiritus enutriat: purus sit ab omni putredine, & venenata euaporatione oportet: primarū etiā qualitatū si debitā temperationē non seruet, morbos creat. Est autē in aëre tēperies cōueniens ea, quā annus constans exhibet. Annū constantē (ex Hippocrate libro de aqua, aëre, locis, & regionibus. Et. 3. Aphor. sentētia. 9.) appello, cum omnia tempora ordinatim, ac sensim, suam recipiunt temperaturam: ita vt à nemine

eiusmodi

eiusmodi mutatio sentiatur, ex Galeno.1. Epidemiarum, com.1. Hyems enim frigida atque humida, sensim trãsit in æstatem calidam atque siccam, per medium veris, redditq́ estas in hyemem sensim per autumnum, excedentibus semper qualitatibus paulatim se inuicem remittentibus. Quo autẽ magis paulatina fieret huiusmodi mutatio, vnumquodq; tempus, tribus constat differentijs, vt notat Aëtius, sermone.3. tertij tetrab. cap.162. media, prima, & vltima, è quibus media synceriſsimum temporis temperamentũ habet, prima vero, & vltima, à vicino tẽpore imminuũtur. Tempora ergo constantia suam seruant temperiem, & paulatim in se abeũt. Quare quæ sit vniuscuiusque temporis natiua temperies, & quot dies vnicuique tẽpori tribuantur, medicus in promptu debet habere: aliter enim quòd à natura deflectit, dignoscere ipsi non datur. Astrologi sane, qui magis motũ cæli, quàm effectus cõsiderant, quatuor dicta tempora faciunt æqualia, eaq́ diuidũt per quatuor puncta, in motu solis reperta: duo nempe solstitia, & totidẽ æquinoctia. Medici vero cum considerent alterationem corporis ortã ex motu solis, & insignium astrorũ, rectius constituunt inæqualia, vt sint duo minora temperata, ver & autumnus: maiora vero hyems, & æstas, intemperata: ita vt æstas sit totum tempus calidũ, & hyems totum tempus insigniter frigidũ, ex Auicenna.2.1.doct.2.suma.1.cap.3. Veri ergo initium dat æquinoctium vernale, incidẽs nobis in diem Martij vndecimam, finem ipsi imponit pleyadum ortus, qui ad vicesimam quartam Aprilis diem fit: constatq́ totum ver, diebus quadraginta quinque. Nam ante Martium plus iusto frigemus, sicut post Aprilem calemus, vere verò nihil horum sentimus: est enim hoc tempus exactè temperatum, & medium tenens inter calorem & frigus, humiditatemq́ ac siccitatem. Primo, quoniam est medium per quod hyems frigida atque humida, transit in æstatem calidam ac siccam: in quo necessario vtræq; qualitates debent attemperari. Secundo, quoniam sol ex cuius recessu & obliquitate pẽdet frigus hyemis, sicut ex accessu & directione calor æstatis, in medio est accessus & recessus. Tertio, ex æqualitate noctium atque dierum, æqualem ad calorem & frigus alterationem colligimus. Quarto, ex effectibus, est enim ver vt temperatiſsimum, ita saluberrimum anni tempus, vt docet Galenus.1. lib. de temperamentis, cap.7. & .8. essetque morbis ex putredine plus alijs obnoxium, si calidum atque humidũ foret, vt voluerunt Galeno antiquiores. Quos tamen excusat & amicè interpretatur idem Galenus.1.lib. de natura humana, com.34. eos enim ver calidum & humidum statuisse (inquit) in comparatione ad reliqua anni tempora, perinde atque animalia collatione ad plãtas: seorsum verò, & in sui natura, ver temperatiſsimum est: & animalia etiã quædam temperata, & alia frigida reperiuntur. Nec aliud concludit Hippocratis argumentum, lib.1. de natura humana, sententia.34. citata, qua probat ver calidum esse & humidum, quoniam sanguis eo tempore magis augetur: nam sangis tẽperatus statuitur à Galeno, eodem libro de natura humana, com.40. Quòd ita esse monstrauimus libro nostro de humoribus, cap.8. quo lectorem remittimus. Qui vero ver tempera-

tum

tum esse non assequitur demonstratione philosophica, saltem id credere debet ex " Auicennæ consilio capite citato, vbi ita scribit. Et dicemus quòd veris complexio " est temperata, neque est sicut quidam existimant calida & humida: certificare verò " illud multa inuestigatione, est in parte naturalis philosophiæ. Credere autem debe- " mus quòd ver est temperatum. Constans ergo ver, & à sua natura non deuians, in vtraq; oppositione est temperatum, & calidi ac frigidi, humidi etiam ac sicci æquilibriū tenet: atq; nulla in illis, nec diu, nec noctu, fit magna mutatio, aut exuperantia, vt Galenus scribit. 1. lib. Epide. com. 1. Sunt autem ad hanc moderantiam in vere, aliquantæ pluuiæ necessariæ. 3. Aphorismo. com, 8. & libro de aqua, aëre, & locis, apud Hippocratem, cuius etiam meminit inter Arabes Hali abbas. 5. lib. theo " ricæ, cap. 4. Ver (inquiens) suam naturam seruans, temperatus sit circa calorem & " frigus, & in eo alternatim fiant pluuiæ. Hic vero menti mandandū est, quòd quanuis ver excedat autumnū æqualitate, eius tamen initium quodāmodo inæquale est, ob temporum contrariorum permutationem, quæ prorsus æqualis esse nequit, nam vt refert Alexander Aphrodisiensis. 2. lib. Metheororum, com. 24. ex Theophrasto, tractatu de ventis, quæ in permutatione temporum sunt, omnia nata sunt, vt indeterminationem semper accipiant. Et quanuis hæc inæqualitas exigua sit, eam tamen Hippocrates non præteriuit: nam sexto libro Epide. parte. 6. sentētia. 15. re " ferente Hieronymo Gabucino, ita scribit. Autūnus tabidis malus, malum & ver, " quando fici folia cornicis pedibus similia fuerint. Vbi non vniuersam veris constitutionem, tabidis malam esse scribit Hippocrates, sed eius tantum initium, quod fermè cum autumno conuenit, inæqualeq́ existit ob dictam temporum indeterminationem, ob quam modò calidius, modò frigidius persentitur. Hunc Hippocratis locum quanuis in nostris codicibus non legatur, legisse videtur Hali abbas. 5. lib. theori- " cæ, cap. 4. vbi ita scribit. Ait autem sexto in Epidemiarum sermone, quoniam ve- " ris principium pthisicis malum, eo quòd hoc tempore liquefiant humores & dissol- " uantur, & in pulmonem pectusq́ influant. Quibus verbis, non ob inæqualitatem veris, sed ob fusionem tabidos lædi affirmat, & sic Hippocratis locum interpretatur. At sola fusionis ratione inspecta, totum ver infestum esse statueret: principium ergo veris tantum damnans, ad inæqualitatem potius dictam, quanuis exiguam, respexisse est magis consonum.

Post ver æstas sequitur, calidum atq; siccum tempus. Primo ob accessum & directionem solis ad nos. Secundo ob moram, quæ diem longissimum, & breuissimam noctem reddit. Tertio ob sydera, quæ soli tum temporis iungūtur, aërem non parum calfacientia. Cum enim incipit æstas pleyades oriuntur, nempe die Aprilis vicesima quinta. Sydus præterea aliud προκύων *id est ante canis, aut canis minor, oritur octaua die Iulij: in hoc vero sydere, potissima quædam stella habetur, appellata algomea, quæ oritur decima quinta Iulij. Oritur præterea decima octaua Iulij, canis maior in cuius facie aut mandibula sedet illustrissima stella* σείριος *id est canicula appellata,*

S quæ

quæ oritur die vicesima prima Iulij, à cuius ortu dies caniculares appellati sunt cõputandi, qui sunt totius æstatis grauißimi, & æstuosißimi: ad quos gradatim peruenitur, paulatim aucto calore per ortũ pleyadum, & canis minoris. Si enim hæc duo sydera, pedetentim calorem non inuexissent, subita & molesta in dies caniculares fieret transmigratio. Priores sanè causæ quæ æstatẽ calidam ac siccam reddũt, ex solis accessu, directione, & mora desumptæ, perpetuæ sunt: hæc vero quæ ex astris pendet, non perpetua. A Ptholomæi enim tempore constat, octauã sedem stellarum fixarum non esse immobilem: & ortum caniculæ, delapsu temporis in hyemem posse incidere, quo tempore temperatiora cum hyems, tum etiam æstas reddentur. Exigui nanq; momenti est ratio musæ. 4. Aphorismorum, in com. ad quintam sententiam contẽdentis probare, quod canicula cõgrediens cum sole, vi propria nõ auget æstum: nam oporteret (inquit) eo tempore, vigere æstum australibus regionibus, quo tempore apud illos hyems est. Audiat vero quod sicut nos vicinos nunc magis calefacit, sic illos remotißimos minus infrigidat: quæ fortuna temporis lapsu, vt diximus est cõmutanda. Durat æstas vsq; in ortum arcturi fulgentißimæ stellæ, post caudam minoris vrsæ sitæ, quæ nobis oritur decima septima die Septembris: tribus nempe diebus post æquinoctium autumnale: quo fit vt contineat æstas nostra menses quatuor, dies viginti tres. Constans ergo æstas, calida atq; sicca debet esse, augeturq; per eam æstus pedetentim, ita vt transmigratio in caniculam non sit admodum sensibilis. Ante caniculam autem dies octo, prodromi, idest præcurrẽtes, aut præcursores venti flabunt. Ab ortu vero caniculæ, ethesiæ (idest annales, aut anniuersarij venti sic dicti, quia perpetuò obseruãt hanc legem, tunc flandi) interdiu spirabunt, vt autor est Galenus. 3. lib. Epidemiarum, parte. 3. cõment. 6. Sunt autem ethesiæ (apud Aristotelem. 2. lib. Metheororũ, cap. 5.) venti ab Aquilone flantes post solstitium, & canis ortum: quoniam sol ad polum proximè accedens, niuem & aquas frigore concretas liquefacit, è quibus ventum frigidum eruit. Id autem facere nequiuit sol in ipso solstitio existens, vndecima die Iunij, duplici causa. Prima, quoniam niues, & aquæ glaciatæ, nisi prius præcalfactæ, & quodammodo ad solutionem præparatæ, in ventum transire nequeunt: quare tunc præparantur liquefactioni, vt postea cum canis oritur, licet sol iam cœperit recedere liquescãt: qua certe ratione, sol vehementius tũc operatur, perinde ac hora secunda pomeridiana magis calefacit, quàm meridie. Secunda ratio est, quoniam in solstitio, dum proximè ad polum accedit sol, si quidpiam liquatur, & in ventum vertitur, exiguum id est, facileq; absumitur, tum ob sui paucitatem, tum ob solis propinquitatem. Non perflant autem noctu, sed interdiu tantum ethesiæ, quoniam quæ gelata sunt, deficiente sole neq; liquantur neq; euaporant, quin noctis frigiditate rursus gelantur: qua certe ratione noctes caniculares molestiores sunt quam dies, vt problemate. 15. libri. 25. tradit Aristoteles. Prodromi autem venti, qui octo ferme diebus ethesias anticipant, quosq; dirimit canis ortus, ex Galeno. 3. Epidemiarum citato, aquilones etiam sunt, vt cen-

set Collumela libro. 11. ob id enim anticipant, vt notat sanctus Thomas. 2. lib. Metheororum, capite. 5. quoniam aliqua materia velocius præparatur, vt perflet. Thomas vero Rodericus à Veiga Lusitanus, doctus admodum, & quondam magister noster, prodromos ventos, australes esse censebat: nam si ab Aquilone perflant, non erūt ab ethesijs diuersi: nec enim sola magnitudine distare (ita vt prodromi exigui sint & incipiētes: sequātur vero ethesiæ validiores, ampliore iam niue liquata) verum videtur. Primo, quoniā ethesias paruas, spirasse refert Hippocrates, in statu quē pinxit. 3. lib. Epid. par. 3. Secundo, quoniā hos duos vētos ab inuicē canis ortum dirimere, voluit Galenus in cōmentario: qui si ydē essent, nō dirēptos, sed auctos statuisset. Magis tamen placet diui Thomæ sentētia, quoniā causa quæ aucta ethesias gignit, incipiēs minores prodromos genuisse est verisimile. Neq; oportet vt semper ethesiæ sint magnæ, nisi annus sit constans: in inconstanti enim (de quo agitur. 3. lib. Epide.) & paruæ, & nullæ contingunt, quas tamen semper dirimit canis ortus à prodromis: præcursores enim non sunt, nisi qui diebus octo canem antecedunt: siue parui, vt in anno constanti, siue magni vt in non admodum legitimo contingant: sicut neq; ethesiæ dicuntur, nisi quæ canis ortui succedunt. Quæ omnia apertius Plinius tradidisse videtur. 2. lib. naturalis historiæ, cap. 48. in hæc verba. " Caniculæ " exortum diebus octo fermè aquilones antecedunt, quos prodromos appellant: post " biduum autem exortus, ijdem aquilones constantius perflant diebus quadraginta, " quos ethesias vocant. Ante ethesias verò, & prodromos, in prima æstatis parte, vtilissimè spirat Fauonius, apud Celsum libro. 2. cap. 1. qui quidem ab occasu æquinoctiali perflans, temperatè frigidus atq; humidus est: per ipsum verò ad prodromos frigidiores: & post hos, ad ethesias magis frigidos in secunda æstatis parte spirantes graditur. Nam vis per æstatem exoluta nō tolerat repentinā mutationem ad Aquilonem: quare Fauonio, & prodromis præcurrentibus, opus habent ethesiæ: Ethesijs autem, valde indiguit æstuosissima æstatis pars. Auicenna æstatem non absq; pluuia desiderat. Et Hali. 5. theoricæ, cap. 4. æstatem constantem pluuias paucas poscere, non vt ver multas scribit. Ex Hippocrate autem libro de aëre & aqua, & Galeno. 3. Aphorismorum, com. 11. sumenda est interpretatio. Quòd nimirum in prima parte æstatis, vsq; ad canis ortū, non pluat: in secūda vero post canē, vtilis est aqua & hiberna tempestas. Et. 1. lib. Epidemiarū, com. 1. in ipso canis ortu, ante ethesias, austros aliquantisper regnantes, & tantas pluuias succedentes (requirit Galenus, 1. lib. Epidemiarum, com. 1.) quantæ spirant ethesiæ ad ortum vsq; arcturi. Et Plinius libro. 2. naturalis historiæ, cap. 48. post ethesias, vsq; ad arcturi exortum, qui autumnum inchoat, frequentes austri spirant.

Aestatem & arcturi ortum, sequitur autumnus, à die Septembris. 18. in occasum pleyadum, qui nobis septima die Nouembris contingit: quo fit, vt contineat autumnus noster, dies quinquaginta. Quod sane tempus temperatum esset vt ver, tū ob nōctiū atq; dierum æqualitatē: tum etiā ob solis situm mediū, in quo nec accedit, nec re

cedit ad nos: nisi obstaret aëris dispositio relicta ab æstate, cuius ratione in transitu ad hyemem, non redditur temperatus in autumno: sed frigidus, & siccus, ac inæqualis. Hanc autem dispositionem in aëre relictam, duplicem recenset Auicenna, vna est maxima raritas, atq; tenuitas, quæ aërem exponit veloci calfactioni, & infrigidationi: omnis enim tenuis substantia, facilius alteratur quàm crassa: & aqua pariter ac aër, quo sunt tenuiora & rariora, eo promptius incalescunt, ac infrigidantur. Hinc ergo fit, vt aër per noctes autumni, mane quoq; & vesperi cum nō viget sol, plurimū infrigidetur: meridie vero cū noctis frigus sol abstulit, ingētem æstū accipiat. Et ex consequenti, quantum attinet ad differētiā caloris & frigiditatis, inæquale tēpus est autūnus, & vincit in eo frigus. Quòd verò in altera differētia humiditatis & siccitatis, intēperatus sit; ex altera dispositione, ab æstate aëri impressa pēdet: ex summa nempe siccitate, & omnis succulenti vaporis absumptione, quæ augetur autumno ob æstum meridianum, & non minuitur ob frigus noctium. Illud enim frigus, humidos vapores à terræ superficie nō elicit, quæ deberet esse ratio humectādi. In permutatione verò hyemis ad æstatē, secus cōtingit: nam aër crassus, & vaporibus plenus, paulatim & æqualiter calescit, & ab aqueis vaporibus exsiccatur, in mediumq́ veris tēpore temperamentū meat. Adde causam aliam inæqualitatis autumni (ex Alexandro Aphrodisiensi proble. 67. libri. 5.) esse, aut ventorū varietatem, aut quòd terra autumno reducitur ad natiuam frigiditatē, & communicat aëri adhuc calenti auram frigidam: nec opus est recurrere ad vim solis occultam, quam etiam admittit. Causam aliā inæqualitatis autumni agnouit Aristoteles. 2. lib. Metheo. ortum nempe & occasum orionis. Oritur enim hoc astrū initio autumni, & occidit ad autūni finem: constatq́ ex plurimis stellis, & magnā occupat cœli partem: quapropter non totus simul oritur, vel occumbit: sed in pluribus quidē diebus: ita vt totus autūnus, sit turbatione plenus. Prætereo causam aliā inæqualitatis autumni, veri etiam cōmunem, conflictū scilicet & concursum contrariorum temporū: æstas enim & hyems, dùm in se transeunt, in autumno & vere concurrunt, in quo conflictu indeterminationem ipsorum necessariā fore voluit Theophrastus. Causam autem nunc quærimus, quare totus autumnus sit inæqualis: non autē quare eius initio aliqualis cōtingat inæqualitas. Constās ergo, atq; legitimus autumnus, frigidus, siccus, & inæqualis in vna oppositione est: ita tamen vt eius initio pluat, & vēti frigidi spirēt, eoq́ discurrēte paulatina ad frigus cōmutatio fiat: vt autor est Gal. 1. lib. Epid. com. 1. vbi ita scribit. Igitur oriente arcturo pluit ferè, simulq́ spirant venti „ frigidi: quod tum autumni est principium, tum finis æstatis: deinde tempore sequente, „ paulatim (ita vt nō percipiatur) fit mutatio in frigidum: quam vicißitudinem, fa „ cit pleyadum occasus sensibilē. Hippocrates præterea libro de aëre, aquis, & locis, „ autumnum probat, in quo aquæ descendunt. Et Auicenna loco citato, capite. 4. autumnum pluuiosum, salubrius esse existimat.

Autumnum hyems sequitur, frigida & humida: incipitq́ ab octaua die Nouembris.

bris, occasus enim pleyadum tum contingens, frigiditatem facit sensibilem, vt ex Galeno nuper retulimus. Protenditur autem vsq; in æquinoctium vernum vndecima die Martij contingens: quare continet hyems nostra, menses quatuor, & dies quatuor. Hybernæ autem frigiditatis causa, solis est distātia, radiorum obliquitas, & pauca mora, qua nobiscum conuersatur: breuissimos enim dies, & longissimas noctes facit. Hyemis vero humiditas, ex solis imbecillitate pendet: qui vapores potest elicere, non autē dissipare. Calor quoq; qui ad terræ viscera, antiparistasi fuit actus, vapores aqueos ex intimis terræ humiditatibus transmittit: qui aërem nostrū vdum reddunt. Cōstans ergo & legitima hyems, frigida atq; humida est: quæ tamen in his qualidatibus modum seruet, neq; fit valde serena, neq; frigore excedens, & procellosa, ex. 3. Aphor. com. 8. immoderantia enim ventorū hyemis suspecta est: ob idq́ Celsus lib. 2. cap. 1. ex diebus hyemalibus, præfert eos, in quibus venti omnino silent: quod tamen recipiendum non est. Nam hyems magnum aquilonem, & lōgo tempore « habeat oportet, vt constat ex Galeno. 1. Epid. par. 1. com. 3. vbi ita scribit. Paruos « (inquit) ventos fuisse hyeme, quòd si in natura sua hyems constitisset, omnino fuis- « sent magni. Atq; ijs hoc duplici nomine accidat, vti & nunc parui videantur fuis- « se: cum sua ipsorum magnitudine, tum temporis prolixitate. Spirarunt enim diebus « paucis aquilonij, atq; hi non vehementes: cum habere hyems magnum aquilonē, & « longo soleat tempore. Hæc Galenus. Quibus constat, hyemi constanti, naturales fore aquilones qui diu durent. Nam quamuis loca circa septētrionem sita, per hyemem sint tranquilla, nec vllum flatum sentiant, eo quod propter excellens frigus, talis ibi exhalatio prohibeatur, vt constat ex Aristotele, & Alexandro Aphrodisiensi. 2. lib. Metheo. com. 21. nobis qui quartū clima incolimus secus contingit: nam (vt ibidem subdit Aristoteles) quod paulatim circa septentrionem expirat, nullum ibi sensibilem ventum cōmouens, propter sui paruitatem: procedēs ad nos, iam spiritus fiet illustris: nam semper dum à suo principio progrediuntur venti, multas continuè secum colligunt exhalationes: sicq; hyeme magnus nobis, diuq; durās, aquilo redditur, vt ex Galeno retulimus. Ante ver, cum hyemis iam rigor cœpit euanescere, leuconothus ventus, ab altero polo, intercissus tamen, & non continuus perflat: etthesijs enim alterius poli, ob niues quæ tunc liquefiunt, respondet hic ventus: qui solet aues adferre, ob idq; eundem ventum, ornithiam ab auium aduentu appellat Aristoteles, 2. lib. Metheorarum. Apparēt enim, & volant hirundines (apud Aëtium sermone tertio, primi tetrab. cap. 164.) die Ianuarij vicesima sexta: nobis autem magna ex parte visuntur, eiusdem mensis die decima septima, quando festum sancti Antonij celebrat ecclesia: interdumq́ eas vidimus, postremis diebus decembris.

Huiusmodi sane legitimi anni constitutio, omniū est saluberrima. Nec enim annus salubrior erit, si autumnus omnem inæqualitatem amittat, reddaturq́ aut frigidus aut calidus æqualiter: nec si fiat temperatus: nec mihi placet Hieremias, qui omnia tempora, temperata, & huiusmodi optat: ea enim partiū anni diuersitas, &

paulatina naturalisq; vicißitudo, animantibus, & vniuerso, est magis conueniens: per eam enim omnes corporis qualitates exercentur, solicitantur, & suorum veluti operum potius admonentur, quàm vim aliquã perpetiantur: magni nanq; momenti semper est naturæ nomen. Vnde Auicenna, hyemem frigiditate carentem, apertè reprobat. Quare legitimi anni qualis descripta est constitutio, plus alijs probatur: vt quæ cuncta suo tẽpore reddat, fruges, & animantia, salubris insuper est, & paucos morbos, eosq; legitimos, & constantes parit, boniq; iudicij. Ij sanè sunt, qui sui tẽporis naturam seruant, & dispersi sunt: vt autor est Hippocrates. 3. lib. Aphoris. sententia. 8. Experimentis enim, & ratione didicit Galenus. 1. Epid. com. 1: quòd vbi in dictum modũ tempora procedunt, & in se mutuo conuertũtur, neq; existit pestis vlla, neq; quisquã alius morbus vulgaris: sed soli morbi dispersi, qui victus comites sunt. Dispersorum autẽ formæ, immutantur pro anni tẽpore, ætate, & natura. 3. Aphorism. sentẽt. 19. vnde aphorismo. 20. 21. 22. & 23. morbos diuersos memorat familiares, alios quidem veri, alios æstati, alios autumno, & alios hyemi: qui omnes sunt dispersi, ex praua viuendi ratione orti, & ab aëris diuersa tẽperie in varias formas pro temporis ratione immutati, vt eodẽ cõmentario primi libri Epidemiarũ notat Galenus. Quia ex sola aëris immoderãtia, in anno constãti, & moderato, morbus dispersus multis exoritur: ijs nimirũ, qui excessibus quos constans annus admittit, æstiuis nempe solibus, ventis, & hyemali pruinæ, se intẽperanter cõmiserint. Ex quo patet intellectus, difficilis loci Hippocratis, libro de flatibus, vbi postquã duo febriũ genera posuit: vnum cõmune, & alterũ dispersum ex prauo victu cõtingens, subdit hæc verba. Vtriusq; autem generis, autor & causa aër existit. Quibus verbis Hippocrates, morbos dispersos pro aëris, & tẽporis ratione, diuersam formã suscipere, vt monuimus, voluit. Nec est cur locus hic Hippocratis, tantum angat Valeriolam, & Donatum Antonium, si ad hunc modum intelligatur. Annus ergo constans salubris dicitur, quoniam morbis caret vulgaribus: non quoniã morbi prorsus in eo non fiant, sed quoniã qui fiunt dispersi sunt, & ex diuerso cuiusq; victu, ætate, temperatura, anni tempore, & regione pendent. Salubres quoq; & boni iuditij, hic annus morbos afferre dicitur: non quoniã non intereant in ipso, sed quoniã pauciores quàm alijs temporibus intereant. De autumno etiã constanti verũ est, quòd morbi autumnales sunt exitiosi, vt scribit Hippocrates. 3. Aphorism. sent. 9. & quòd sunt boni iudicij, vt nuper diximus: nulla enim in his dictis pugnãtia clauditur, quoniam inter anni tempora, exitiosiores morbos profert autumnus: qui tamen vbi constans est, adeo bene decernit, vt multo plures in eo ipso sanentur, quã intereant. Tantam enim vim in temporũ anni constãtia agnouit Hippocrates, quòd etiã morbi contracti ex veris humiditate, dum sequentis æstatis calore putrere cœperũt, iuuantur pluuia post canẽ: quia est secundũ naturã temporis, vt constat ex Hippocrate, libro de aëre, & aqua, cuius verba citat Gal. 3. lib. Aphorism. com. 11. Fiunt etiã in vnoquoq; mense, cõstantes quędã alterationes: luna enim secundũ mensem quatuor dif-

ferentias

ferētias in aëre operatur, ex Aëtio, serm. 3.1. tetrab. cap. 162. Primus enim septenarius, à nouilunio vsq; ad septimā diem, similis est veri. Secūdus vsq; ad pleniluniū, similis æstati. Tertius decrescente luna, autumno. Quartus & vltimus, hyemi. Sed & singulis diebus differentiæ aëris fiunt. Matutinum enim tempus, veri respondet: quapropter etiam corpora, tum sanorum, tum ægrorum, remittuntur: vt etiam febriētibus, hoc tempus facillimè toleretur. At meridies, æstati assimilatur: vespera, autumno: nox, hyemi. Salubre autem est, quòd septimanæ dies, & diei partes, in sua constent temperie: non æque bonum, si ab ea diuertant.

Quod anni constantia dicta, sit audienda in regione temperata, & in maritima. Quidq; regionibus intemperatis, addendum aut detrahendum sit, de temporis inconstantia. Quod clima sit temperatissimū. Et de temperamento regionum sub æquatore, & tropicis iacentium.

CAP. XIX.



I anni tempora, legitima & constantia nō fuerint, insalubre corpus reddetur, magis, aut minus pro ratione lapsus temporis. Permutatio enim portionis temporis, si ad suam naturam citò redeat parum officit. Quod enim 3. Aphoris. senten. 4. inquit Hippocrates. " In temporibus quādo eadem die, modò calor, modò frigus " fit, autumnales morbos spectare oportet: de pluribus diebus inæqualibus, non autem de vna audire oportet. Si vero vnum tempus totum, non valde permutetur: morbos aliquos parit, nō tamē magnos. Ex vnius autē temporis magna alteratione, magni morbi sequuntur: sicut & maximi, ac pestilentes, cùm omnia aut plura anni tempora, valde à suis temperamentis deflectunt, vt. 3. lib. Aphoris. com. 1. & in Epidemijs sæpe autor est Galenus. Quæ sane in locis temperatis, & in regione temperata, audienda sunt, ex Galeno. 3. Aphorismo. cōment. 14. nam in intemperatis, aliquādo grauiores, aliquādo leuiores, interim nullos morbos inducūt inconstantia tempora: sed potius regionis intemperiem corrigunt: calida nanq; & sicca regio, sæpe frigida & humida æstate tēperatur. Vt ergo sententia prorsus vera sit, in omni loco atq; regione, tantum de inconstantia temporis adijcere, aut detrahere conuenit: quantum ipsa regionis proportio, ad temperatam comparata requirit. Nisi fortè eiusmodi intemperatæ regiones sint maritimæ, in quibus ratione maris regionem ipsam contemperantis, nihil est quod detrahas, aut adijcias. Scribitur enim Aphorismo. 14. nuper citato, loca maritima si meridionalia, & calida sunt, minus calere: si septentrionalia, minus frigere. Cuius rationem tradit Auicenna. 2. 1. doct. 2. cap. 10. quoniam aër ex vaporibus maris nonnihil incrassatus, tardiùs calfit in æstate, & infrigidatur in hyeme: crassa enim substantia, difficilius alteratur quā tenuis.

Videtur autem obstare, quod aër crassus postquam calfit, aut infrigidatur, vehementius vrit, aut infrigidat. Vnde. 25. problemate libri primi, apud Aristotelem in pontho hyems est frigida, & æstas calidissima, ob aëris crassitiem. Cui tamen dubitationi dicendum est, quòd vbi magna est crassities aeris, vt in pontho, ita contingit: quoniam nox emendare non potest calorem diei æstiui, nec sol calefacere frigiditatem noctis hyemalis. Loca vero maritima magna ex parte aërem adeò crassum non habent, nec si haberent par esset vtrobique ratio: quoniam in maritimis idem aër non perseuerat, sed nouus semper accedit, ob ventos frequentes, quibus verberantur: quare nec multum calescit, aut frigescit. Quo ad passiuas tamen qualitates, humidus semper est aër maritimus, ex Auicenna loco citato: nam quanuis aërem sua salsedine quadantenus mare exsiccet, solo contactu superficierum id valet efficere: non enim vapor qui eleuatur è mari, salsus est, sed dulcis, & humidus. Quod experimẽto deprehendet, qui aquam marinam cucurbita destillatoria destillauerit, dulcissimam enim aquam, & copiosam eliciet: quam vtilissimè, bibere possent nauigãtes: quoniã sol vt notat Hippocrates libro de aëre & aqua, non effert ex mari nisi dulcissimũ, & leuissimum. Quæ sententia verior est, quàm Aristotelis. 2. Metheororum, cap. 4. salsum vaporem cum aqueo permistum, in nubem concrescere: & aquam item pluuiam quanuis potabilis sit, salsedinem aliquam habebere, existimantis. Dulcissima etenim est, & nihil in ea subsidet: quantũuis terreũ & salsum in ea subsidere scribat. Reliquas etiam aquas potabiles corrigit, quas vitiaret si esset salsa. Adhæc ventrem adstringit, & roborat: solueret autem, atque irritaret salsedine. Maritima ergo loca temperatiora sunt maris ratione vt diximus: cum latitudine tamen quadam, pro ratione situs terræ, & pro ratione situs maris. Nam maritima loca Traciæ & Ponthi, quoniã humilia sunt calidiores habent temperaturas, vt refert Galenus tertio libro Aphorismorum, cõment. 14. quæ verò editiora sunt, frigidiora etiam habeantur par est. Maris etiã situs plurimum facit, loca enim maritima, si mare habent à Septentrione, frigidiora sunt: si ab Austro, calidiora: vt notat Hali abbas, quinto libro theoricæ, cap. 9. Ventum nanq; ex mari frequentissimum, accipiunt maritima: Aquilonem si mare habeant à Septentrione, & Austrum si ad meridiem. Hocq; Galenus fortè sensit, cum Aphorismo citato, maritima scripsit in calidis regionibus sita, quales Aegyptus & Lybia sunt, minus calida esse, quoniam æstate refrigerantur ventis à Septentrione flantibus: ob mare videlicet ea parte situm, quo huiusmodi regiones alluuntur. Quo ad passiuas vero qualitates sunt humida, cuius ratione cutes lenes, & facies decoras, in maritimis inuenies: ob idq; non nimis arridet nobis Galeni consilium, quinto libro Methodi, vbi aërem siccum tabidis parare docens: locum non longe à mari situm requirit. Non tamen adeò humida sunt, vt ob id morbosiora mediterraneis reddantur: nam ex maris salsugine siccitatem etiam aliquam aër contrahit: vapores etiam dulces qui è mari euehuntur, minus humidi sunt, quàm qui attolluntur ab aqua dulci,

quadantenus nimirum aßiccati, ob contactum salis. Hinc est quòd aqua pluuia minus putrescat, ex Gal. 7. lib. de cōpositione medicamentorū secundū locos, cap. 10. Hinc etiam ea vtimur ad aluum cohibendā. Hinc etiam aloë, & medicamenta alia ventri roborādo idonea, aqua pluuia lauamus: ob siccitatem enim est adstringētior. Hinc etiam salubriora censemus esse maritima mediterraneis, cū Auerrhoo. 2. lib. Metheor. cap. 2. nā in calore & frigore, tēperantur æstas, & hyems, vt diximus: humiditas vero emēdatur siccitate, & salsedine maris. Tantū vero abest vt humiditas ita castigata, putredini sit opportuna: quod ad lōgæuitatē prodest plurimū. Accedit quòd à mari spirant vēti, aërē à quibusuis morbidis excretionibus purgantes. Cum ergo medicus tēpora inconstantia perspexerit, quantū à naturalibus deflectāt librabit, quod in regione tēperata facile cōsequetur: in intēperatis autē, addet aut minuet de inconstantia tēporis, pro ratione intēperiei regionis corrigēdæ, vt diximus. Quæ autē sint tēperatæ, aut intemperatæ regiones dubitarūt autores: diuidūtq; vniuersam terrā habitabilē, quæ versus nostrum polū est: in eā quæ sub æquatore iacet, & in septē præterea climata. Quorū vnū ab altero semihora distat: ita vt sub æquatore noctes diebus ꝑpetuo sint æquales: initio vero primi climatis (quod διαμερόης id est per meroëm trāsit) lōgißima dies, cōtineat duodecim horas cū dimidia. (Est autē meroë insula Africæ Nilo circūfusa) in fine vero qui idē est, cū initio secundi climatis (quod per sienem Aegypti vrbem fertur) tredecim horas habeat. Tertiū per Alexandriā vrbem in ora Aphricæ sitā, tredecim horas habet cū dimidia. Quartum per Rhodum transit, & Cos insulam, quæ Hippocratis est patria, habet quatuordecim. Quintum, quod per Romam, vel Helespontū fertur, quatuordecim habet cū dimidia. Sextū per Pōtū, habet quindecim. Septimo verò, quod per Boristhenis ostia ducitur, semihorā addere oportet. Hic vero fuit finis climatum antiquioribus, quippe quibus regiones vlterius ignotæ erant. Addunt nostri octauū, per Riphees, vel meotidis paludes. Nonum per Daniam & cætera. Totidemq; ab æquatore, versus alterum polum: quanuis innominati sint, numerare contingit. De quorum tamen temperamento, magnæ inter autores discordiæ ortæ sunt: in qua contentione, non parum obfuit vestigādæ veritati, dulcis amor patriæ, & natiuum solum, quod cuiuis magis placet, quàm extraneum. Hippocrates præfert patriam suam, idest quartum clima, per Rhodum trāsiens, & Coum, libro de aëre & aqua: quem sequitur Galenus, nam pergamus natiuum ipsius solum, eodem iacet climate, vbi multa corpora temperata reperiri tradit. 2. lib. de sanit. tuen. cap. 13. Et lib. 3. Aphor. comment. 14. Zona (inquit) exquisitam habens temperiem, ac media orbis terrarum, est quæ per gnidū & com, & quæcunq; loca non multū ab his recesserunt, vel ad aquilonē, vel ad austrum. Oportet autē vt tēperatam zonā nominatam, ab ijs qui talium habent peritiā perfectè intelligas, excogitare quandā lineā rectā ab oriente ad occidentem extensam per ea quæ dixi loca. Hucvsq; Galenus. Neq; obstat, quòd libro de aëre & aqua, scripserit Hippocrates, Asiā (scilicet minorem) esse mā

ſuetiorem & temperatiorem, nã in eodem climate iacent: in quo maior aut minor tẽperies, ex ſitu pendet regionis. Auerrhous vero. 2. colliget, cap. vlt. præfert patriã ſuam (ideſt quintũ clima) quoniã ver habet longũ, & autumnum breuẽ. Non tñ ea ratione tẽperata regio metiẽda eſt: ſed quoniã nõ magnopere in ea excedit calor, aut frigus. Tantũ autẽ patriæ amor deluſit autores, vt Manardus vir doctiſſimus, ſextum clima ſibi natale, prætulerit reliquis, epiſtola prima libri ſeptimi. Addita ratione, quòd æquidiſtat à polo, & æquinoctiali: cũ enim vniuerſa hæc latitudo ſit nonaginta graduum: ſextum clima incipit à quadrageſimo tertio, cum dimidio, & deſinit in quadrageſimum ſeptimum. Sed longè deceptus eſt. Primo, quoniam ab omnibus diſſentit. Secundo, quoniam Galenus, experientiæ fide, quartũ clima tẽperatiſſimum ſtatuit: & multa corpora temperata ibi reperit, quod tamen nõ æque diſtat. Tertio, quoniam plurima loca ſexti climatis, immodice frigida ſunt. Quarto, quoniam non pendet regionis tẽperies, ex æquidiſtantia ab æquatore, & polo: ſiquidem vt ipſe probat, ſub æquatore temperata regio reperitur. Quanuis enim Ariſtoteles, & antiquiſſimi autores, æſtu inhabitabilẽ eſſe, quoniã inter duos tropicos eſt interclaſa cenſuerint: noſtra tñ ætate, tum rationibus, tum etiam experientiæ fide, non ſolum eſſe habitabilem, ſed omnium regionũ temperatiſſimam ſcimus. In ea enim, (vt ex noſtrorum Hiſpanorum nauigationibus conſtat) ingentes vrbes, inſulæ maximæ, atq; ditiſſimæ habentur: quæ magna ſalubritate cæli, & aëris dulci tẽperie fruũtur, vt taprobane (quã hodiereferẽte Valeriola ſamotrã vocãt) in qua hominũ vita cẽtum annis eſt modica, vt Plin. refert lib. 6. nat. hiſt. cap. 22. Seyla itẽ, ſiue vt nunc dicunt Zaylon, ſub æquatore ſita eſt, apud Ludouicum Romanũ, lib. 6. nauigat. cap. 4. in quã incolæ, nec frigus nec æſtum vnquã ſentiunt, & cuncta ibi perpetuo vernare videntur. Aurea præterea Cherſoneſus (quam hodie Malacam vocant celebre Indiæ emporium) quatuor tantum gradibus ab æquatore verſus alterum polũ diſtat, & tẽperatiſſima eſt. De Reame quoq; fœlicis Arabiæ vrbe ad oriẽtem paulo ſupra æquatorẽ ſita, idẽ Ludouicus Romanus, lib. 2. nauigat. cap. 9. ſcribit, eſſe tẽperatiſſimi cæli, & aëris, vberrimæ glebbæ, & in quæ homines ſupra centum & quadraginta annos vitam fœliciter ducant. Nam ſub æquatore, hyems nõ eſt admodum frigida, quoniam ſol parum recedit: nec æſtas admodum calida, quoniã parum moratur citò declinãs. Nec duplex æſtas calidam admodum regionem reddit: quoniam ſex menſium interſtitio vna ab altera diſtat: ſicut nec duplex hyems, eam valde facit frigere: quin ob temporum viciſſitudinem, & mutuum contemperamentum, omnia ferè ſemper vernare videntur. Diei quoque & noctis, accedit æqualitas: quæ mutuo ſe contemperant, & aërem in neutram immoderantiam alterant. Nec quibuſcunque autorum rationibus eſt fidendum, quanuis eas demonſtrationis vim habere, credat Auerrohus, ſecundo libro Metheororum, capite quinto. Nam non modo ſub æquatore habitatio fit, eaq; temperata, & ſalubris: verum quòd magis eſt mirum, ſub ipſis tropicis, vbi feruentior æſtus, vel ipſis

ſis autoribus eſſe deberet) temperatæ regiones reperiuntur. Cãtietes enim aurifera regio, ab Alfonſo Petro inuenta, & terra dicta parias auri feraciſſima, ſub capricorni circulo iacent: ſuntq́ temperatiſſimæ, fidosq́ homines, ſynceros, manſuetos, & ſpectatæ probitatis gignunt: quiq́ annos centũ ſupra quinquaginta fœliciter viuũt, vt affirmant Americus Veſputius, lib. 1. nauigationum, & Chriſtophorus Columbus, cap. 110. De madera quoq́ inſula, propè cancri circulum ſita, temperatiſſimam eſſe cõſtat: vt hinc etiam pateat, quàm parũ rationi Manardi, de æquidiſtantia ſexti climatis à polo & æquatore, & rationibus antiquorũ de exuſtione ſub tropicis, & æquatore ſit tribuendũ: ipſis enim experientiæ fides reluctatur. Nã temperiem regionis multa alia efficiunt, vtpotè ſydera, & benigniores cæli afflatus, ſoli bonitas, ſitus, & venti quibus perflantur: quæ vbi antiqui Philoſophi noluerunt, voluit totius orbis dñs impartiri. Hæc verò præterquã quòd tractatui de tẽperamentis, ſunt conuenientiſſima, eò hic protulimus, vt anni conſtantis, & valde ſalubris conditio, non nos effugiat: variationem enim ſuſcipit pro regionum lapſu à temperata. Quin nec in ipſamet regione temperata, anni legitimi ſalubritate fruetur, qui eius intẽperanter ſe cõmiſerit iniurijs: æſtiuis ſolibus, ventis, & hyemalibus pruinis, aut more etiam puellarum, apricum ſemper oderit campum, & continue in vmbra degat, vt ſcribit Gal. lib. artis medicinalis, cap. 50.

De ventorum in vniuerſum natura, & numero: deq́ ſingulorum temperie, ac ſalubritate.

CAP. XX.



X duplici materia, terra nempe, & aqua, neceſſariũ eſſe, colligit Ariſtoteles, vt ſolis actione duo efferantur in ſublime tenuia corpora, alterum è ſicco exhalatio dictum, alterum ab humido, quod appellamus vaporẽ. Hic ſurſũ ſublatus, inſpiſſatur in nubem, & demum in aquam coit. " Qui ſanè ſermo (inquit Gal. 1. " lib. Epidem. par. 1. com. 8.) videbitur forſitã ſibi minus conſtã" re, eleuari in altũ dicẽs humorẽ, & cõſpiſſari. Suſtolli enim caloris opus eſt, frigoris " conſpiſſari: nõ poteſt porrò idem ſimul eſſe & calidũ & frigidũ. Sed ſi ipſum animad" uertas, qui ſupera petit, vaporẽ eſſe calidũ, atq; eius gratia in ſublime ſubuehi: frigi" dũ autẽ eſſe aërẽ qui vaporẽ excipit, deſines dubitare qui fiat vt ſimul & ſurſum fe" ratur & cõſtipetur: nã vt ſuſtollatur ſua ſpõte habet, vt cogatur, ac cõſtringatur per " excipientẽ aërẽ, qui quò erit frigidior, hòc aſcẽdentẽ nebulã cõſpiſſabit magis. Illud verò, qđ exhalationẽ appellamus, ad locũ aliquẽ ſublimẽ ſe recipit, ac colligitur: & cũ locus ille amplius capere nõ poteſt, exprimitur præ multitudine, & à frigore etiã mediæ regionis reprimitur, eoq́ fertur, quò liberior exitus, et amplior locus inuitat: ſicq́ circa terrã diſcurrit, & antequã huc perueniat, ſuæ motionis in ſublimi ſigna dedit.

dedit. Nec enim in aëre, vt vẽtus fiat, naturalẽ aliquã vim aëri insitã, mouẽdi et agitãdi se se, se dẽfãdi, aut expãdendi, agnoscimus (vt fingit Valeriola lib. 2. loc. comu. cap. 4.) animatus nãq; ea ratione esset aër, nec enim aliud quidpiã, insitũ in se mouẽdi principiũ habet, nisi quòd anima participat. Adhæc si aëri eiusmodi principiũ se ipsum mouendi inesset, semper totus aër moueretur, & eius insuper partes in perpetuo essent motu, nunquãq; esset trãquilus: nesciunt enim naturales facultates otiari. Nec obstat, quòd Gal. 3. Epid. par. 1. com. 1. Non alius (inquit) status, videtur esse aëris, ac maris. Nam vt illic semper est fluctus in alto, vel maior, vel minor, qui interim ob paruitatem non animaduertitur, ni strictum eum excipiat locus, quod in chalcide Euboëæ, & Mesina Siciliæ cernas: sic aër quoq; immotus, & quietus, haud videtur vnquã esse: tñ interdum nos, quia motus est paruus fugit. Non obstat (inquã) nam de aëre aprico, & sub diuo iacẽte, in quo nubes cõcernuntur, loquitur: in quo semper citra innatũ motus principiũ, motus aliquis reperitur, tũ ob ventos, tum ob cælorũ circũuolutiones: non autẽ de aëre subtectis coërcito, qui planè trãquilus est, innato enim motionis caret principio: quod si haberet moueretur necessario. Sed cur si cuiusq; vẽti materia, est exhalatio sicca, à sole calfacta, & tenuata: nõ omnis vẽtus calfacit, atq; siccat? Dicendũ, quòd eiusmodi exhalatio, quæ terrea est, partim reducitur ad pristinã frigiditatẽ, partim eã acquirit à frigore mediæ regionis. Vlterius etiã infrigidat vẽtus, quia tollit vaporẽ calidũ ꝓximũ corpori: ob id enim magis siccat quã sol, vt autor est Arist. prob. 28. lib. 26. Locorũ etiã ꝑ quæ trãsit vaporibus, & qualitatibus immutatur: qua certè ratione, aquilones frigidi sũt ac sicci, austri vero calidi atq; humidi, ac proinde varias in corporibus alterationes, caloris, frigoris, humiditatis, ac siccitatis inducit: annũ à sua natura labentẽ interdũ corrigit, aliâs vero infirmat, & morborũ populariũ fit causa. Hinc ventorũ cognitionẽ, medico necessariã esse testatur Hipp. lib. de aëre & aqua. De quorũ deinceps numero lis est. Aristoteles enim decẽ, alij duodecim, alij vero sedecim, insignes ventos esse statuũt, quorũ sẽtẽtiæ ego magis inhæreo, nã nautæ duplos ad hos agnoscũt. Quatuor in primis cardinales, à quatuor mũdi plagis sumuntur: ortu, occasu, septẽtrione, et meridie. E quibus ortus, & occasus, nũquã eodẽ modo se habẽt, ob obliquũ solis in signifero motũ: reddũturq; vẽtorũ potissimæ differẽtiæ tres: prima ab ortu æquinoctiali, secũda ab ortu æstiuo, & tertia ab ortu hyemali: totidẽq; ab occasu, ita vt orientales, & occidui vẽti, sint sex: duo præcipui ab æquinoctijs, & quatuor reliliqui, à punctis æquinoctialibus vtrinq; sitis. Quãuis autẽ meridies, & septẽtrio, immobiles sẽper perstẽt: collateralibus tñ nõ vacant (etiã si reluctetur Aëtius) præsertim septentrio: nã austrũ collateralibus carere, voluit Aristoteles, quoniã dissipantur à torrida zona: quibus tamen non caret ex experimento, quare alij sex consurgunt, tres septentrionales, & tres meridionales, vt sint relati omnes duodecim. Alij vero quatuor inter relatos medij sunt: qui à quatuor cardinalibus æquidistantes cũ sint, ab angulis mũdi excitãtur, apud Aëtiũ, serm. 3. 1 tetrab. cap. 163: qui nautarũ

experimento

experimento validissimi sunt. Venti ergo insignes sunt sedecim. Quatuor cardinales. Octo collaterales: binis enim collateralibus, singuli interiacent cardinales. Et quatuor præterea angulares. In quorum nominibus percensendis, autores non usq; quaq; conueniunt. Nos tamen sic distinguimus.

Ab ortu æquinoctiali flat, qui subsolanus latinis, apeliotes Græcis, nobis Leuante, (aut Leste.
Ab ortu æstiuo, cæcias, nobis Nordeste.
Ab ortu hyemali, vulturnus latinis, eurus Græcis, nobis Lees Sueste.

Ab occasu æquinoctiali, Fauonius latinis, Zephyrus Græcis, nobis Poniente, aut (Oeste.
Ab occasu æstiuo, Chorus, nobis, Oës norueste.
Ab occasu hyemali, Libs Græcis, Aphricus latinis, nobis Oes sudueste.

A septẽtrione, Boreas Græcis, Aquilo latinis, frustra enim separat hæc nomina Plinius, nobis Norte.
Collateralis versus Oriens, messes, nobis Nor nordeste.
Collateralis versus occasũ, Trachias, aut Circius, nobis Cierço, aut Nor norueste.

A meridie, Auster, aut Nothus, nobis Vendaual, aut Sul.
Collateralis ad oriens, phœnitias, Euroauster, Euronothus, nobis Sul sueste.
Collateralis ad occasum, Lybanothus, aut Austroaphricus, nobis Sul sudueste.

Ab angulo qđ est in medio quartæ oriẽtis ad septẽtirionẽ, Aquilo, nobis Nordeste.
Ab angulo quod est in medio quartæ oriẽtis ad meridiẽ, Euroauster, nobis Sueste.
Ab ãgulo qđ est in medio q̃rtæ occasus ad meridiẽ, Aphricoauster, nobis Subdueste.
Ab angulo quod est in medio quartæ ab occasu in septẽtronẽ, Argestes, siue circius, nobis Norueste.

Horũ quatuor angulariũ nomina, magna ex parte cõfunduntur cũ collateralibus adiacẽtibus: habent verò naturam prorsus mediã inter cardinales quibus interiacent. Collaterales verò, à natura cardinalium tanto minus recedũt: quãto ipsis cardinalibus sunt magis proximi. Tota ergo vẽtorũ ratio, ex quatuor pẽdet vẽtis cardinalibus, austro, aquilone, subsolano, & fauonio: quorum tẽperiem & alterationes, quibus aërẽ, nostrumq; corpus immutant, diligẽter attẽdere oportet: atq; memoria semper seruare, à quibus vẽtis annus alteretur, vt aut ipsius anni salutẽ, aut populares ægritudines præuidere, ac præcauere antequã fiãt possimus. Nõ enim parũ momẽti ad annũ constantẽ, aut inconstantẽ reddendũ, venti præstãt, vt diximus.

Inter ventos sanè omnes, aquilo, & auster, frequentius spirare solet, vt autor est Arist. 2. lib. Metheor. cap. 4. ijdemq; sunt omnium ventorum fortissimi, vt scribit Hippocrates, libro de sacro morbo. Auster autem (vt ab eo incipiamus) à meridie, idest, à parte subiecta tropico cancri, non autẽ ab austro, altero nẽpe polo procedit.

Fallitur

Fallitur enim Valeriola contrarium docens, enarratione prima primi libri, vt ex Aristotelis verbis manifesto constat, qui .2. lib. Metheor. cap. 5. ita scribit. Auster autem ab æstiuo solstitio, & non ab altera vrsa spirat. Et infra rationem inuit, quòd propter magnam distantiam, ventus qui ab altero polo est, necessario euanescit, & ad nos peruenire nequit: nam & aquilo qui nobis proximus est, progredi longè non potest, vix enim ad mare australe, quod vltra Aphricam iacet, peruenit. Minus ergo qui ab altero polo spirat, ad nos perueniet: sicq; hanc opinionem (quæ antiquorum quorundam fuit) conuellit Aristoteles. Si ergo à meridie & tropico cancri, semper venit auster, calidus semper erit: ob loci enim in quo generatur naturam æstuosissimus est, & ex calidissima & valde sicca exhalatione prouenit, vt Aristoteles memorat. Quanuis etiam ab altero polo spiraret, vt quibusdam ante Aristotelē, & post Valeriolæ est visum, frigidus esse nequiret, ob transitū eius per loca calidissima. Sed cur nobis non est siccus, perinde ac calidus? Respondet Auicenna .2. 1. doct. 2. cap. 8. causam esse mare plurimum meridionale, quod interiacet, cuius vapores secum permistos defert ad nos. Addit Phyloteus, 3. Aphor. com. 5. austrum calidum esse, quia torridam transit zonam: humidum verò, quia calore suo plurimum in itinere humorem sugit, attrahit, atque combibit. Nec ob id oportet omnem ventum calidum, humidum etiam esse: vt male infert Cardanus lib. 2. contradictionum, tract. 1. cap. 16. nam siue loca humida non pertranseat, siue minori calore participet quàm auster, humorem non combibet ventus. Vnde auster quanuis semper sit calidus, non tamen semper est humidus, sed aliquando siccus ex Gal. 3. lib. Epidem. parte .3. com. 3. quando nimirum aut calor non est tantus vt humorem sugat, aut aër multis caret vaporibus, quos vehat secum. Siccum autem austrū appellasse constat, non absolutè: sed in comparatione ad se ipsum cum pluuias afferre solet. Nam tunc cum siccus est, & pluuias non adfert, calore atq; humiditate est infensus, vt scribit Aristoteles, prima sectione problematum, problemate .23. vbi ita scriptum reliquit. Cur austri sicci, nihil humentes, febres creare soleant? An quia calorem humoremq; excitant alienum: sunt enim suapte natura humidi, calidique: qua quidem re febris committitur: quippe quæ non nisi per excessum ambarum qualitatum illarum oriri soleat. Cum igitur imbre austri vacant, corpora nostra ita afficiantur necesse est: at cum flatibus imber adest, nos aqua refrigerat: austros tamen quos mare misit, prodesse styrpibus certum est. Refrigerati nanque beneficio maris deueniunt contra æruginem: quæ humore caloreque alieno consistit. Hinc Auicenna .1. 4. tract. 4. cap. 3. ex austrino statu non pluuio, temperaturæ hyemis corruptionem, & ex ea febres pestilentes prædicit: quæ humiditatis potius offensione, quàm siccitatis excessu proueniunt. Austro prorsus contrarius est aquilo, tum statione, tum viribus: vt scribit Hippocrates libro de sacro morbo. Frigidus enim est, quia à polo ducitur, & siccus quia sui vehementia, & impetu, nubes ad meridiem propellit: vbi iam aquosas redditur, sicut & auster siccus in meridie

ridie existens nobis est pluuius, quia nubes quas in sui ortu propellit, defert ad nos: vt. 2. lib. Metheororum, scribit Aristoteles.

Orientales venti, calidi sunt & sicci, ex Aristotele, sicut & occidentales, frigidi & humidi. Id quod primo lib. canticorum, sent. 13. voluit Auicēna inquiens, quòd " calor & subtilitas insunt orientali, frigiditas vero & grossities occidentali. Subtilitatem autem & grossitiem, interpretatus est Auerrohus, siccitatem & humiditatem: quàm interpretationem condemnans Cardanus, loco citato, apertè fallitur: nam secunda primi, hæc eadem temperamenta tribuit Auicenna orientalibus, & occidentalibus ventis. Nec oportet (vt nuper diximus) si orientalis ventus est calidus, humorem trahat atque combibat: nec enim valde calidus est vt auster, nec plurimum mare pertransit. Causa autem quare orientales venti sint calidiores occidentalibus, cum tamen vtrique illustrentur à sole: traditur ab Aristotele, secundo libro Metheororum, capite quinto, in hæc verba. " Ab ortu autem " flantes calidiores sunt, ab occasu flantibus: quia sol diutius supra illos fertur, hos " verò citius deserit, tardiusque eum ad locum accedit. Alexander verò Aphrodisiensis hunc locum enarrans, aliam de suo causam profert, in hæc verba. At qui " & illud etiam erit in causa, quoniam orientales quidem spiritus, statim à princi- " pio sol ipse, cum iuxta illos existit, intensius calefacit, non sic autem occidentales: " quamuis enim ipsos illustret cum longè existat, non similiter calefacit. Præcalefa- " cti igitur orientales spiritus, propter solis præsentiam calorem ipsum conseruant, " cū ad hoc sibi opē præstet sol, qui progrediēs quasi tutelam eorum gerit, donec occū- " bat: quapropter cum à principio caliditatem consequuti fuerint, eam quodammo- " do vsq; ad occasum conseruant. Nam quod propter paruitatem, & sufficiens qui- " dem est ad hoc quod calefaciat, sufficit tamen ad caliditatem à principio acqui- " sitam conseruandam. Occidentales autem spiritus, nec à principio taliter cale- " fiunt: cum & postmodum iuxta illos existens sol, maximè ipsos calefecerit: hu- " iusmodi tamen caliditatem non conseruabunt, quoniam confestim à sole derelin- " quuntur, vt ne quidem ab ipso aspiciantur. Et hoc quidem acciderit, etiam si per- " æquale tempus supponatur, & orientales spiritus, & occidentales apricari: sem- " per enim calidiores erunt orientales, propterea quia à principio confestim cale- facti, per totum vsq; diem caliditatem hanc conseruabunt. Huc vsque Alexander. Ex quo etiam patet, quare venti ab occasu flantes frigidi sunt. Nam de humiditate ipsorum minus dubitare oportet, ob mare occiduum, quod magnam vaporum redundantiam, in nos disseminat. Quanuis autem orientales, seorsum & in sua natura considerati, sint calidi atque sicci: & occidentales, frigidi atque humidi: collati tamen ad australes, & aquilonios, temperati sunt: vt perhibet Auicenna, 2. 1. cap. citato. Nam facta ventorum per solis ambitum distributione, ventos calidos, cū Hippocrate libro de aëre, aquis, & locis, dicimus, omnes qui inter hyemalē solis exortū, itidēq; occasum hyemalē perflāt. Frigidos verò qui inter occasum solis æstiuum,

æstiuum, & orientem æstiuum iacent. Ex quo inferre commode possumus, quòd qui ab ortu & occasu verno perflant, omnium sunt temperatissimi, in medioque veluti extremorum siti: ea scilicet latitudine temperamenti, vt occidui declinent ad frigus, & orientales ad calorem, ob causas quas ex Aristotele & Alexandro supra retulimus.

Quis verò horum quatuor ventorum sit salubrior, dubium est. De qua re Aëtius, ventos frigido temperamento insignitos, salubriores esse censet loco citato, vbi ita scriptum reliquit. Bareales frigido sunt temperamento, & ideo omnium ventorum saluberrimi, & præsertim in calidioribus, ac carnosis corporibus. Et Galenus 3. lib. Aphor. com. 17. Aquilone (inquit) flante omnia meliora fiunt, & secundum naturæ, & animæ operationes. Vnde Arist. 7. lib. politicorum, ciuitates ad boream positas, salubriores hyemes habere dixit, ob saluberrimum aquilonem quo perflantur. Quo Aristotelis loco, si hyemum vice, æstates scriberentur, mendum abesset, & minus laboris in eius interpretatione subiret Valeriola. 2. libro locorum communium, cap. 5. tum quoniam æstates redderentur temperatissimæ, tum quoniam cum non minor morborum pars, à putredine ortum ducat, & aquilo præter alia quæ habet commoda, prorsus putredini obsistat: fit merito vt salubriorem æstatem reddat. Quomodo verò ciuitates ad aquilonem sitæ, cum aquilone perflante reddantur intemperatissimæ, hyemes salubriores poßint habere dubium est: multiplici salubris significato soluendũ. Nã si salubris nomẽ cõtraopponatur pestilenti (vt apud Ciceronẽ, qui lib. 1. de fato, ita scribit. Inter locorũ naturas quantum intersit, videamus alios esse salubres, alios pestilẽtes) salubrior tã hyems, quàm reliqua anni tẽpora, ex aquilone reddetur: quoniã ad pestẽ quouis anni tempore arcendam, ac præcauendã, hic vẽtus est appositissimus. Si vero salubre contraopponatur morboso, æstas quàm aquilones, ac ethesiæ perflãt salubrior est: in vniuersum autẽ, omniq; anni tẽpore salubriorem esse aquilonem pernego: quæ enim ad temperantiam accedunt, ea absolutæ salubriora sunt: nam temperatas naturas seruant, & intemperatas corrigunt, atque reducunt. Orientales ergo atq; occidentales venti, hac sunt ratione borealibus salubriores absolutè: quanuis boreas putredinem magis arceat ipsis. Hinc Rasius. 3. lib. ad Almansorem, cap. 26. laudat ciuitates magis expositas orienti, potius quã boreæ, quoniã boreas nimis acer est. Et Gal. 5. lib. Methodi, aërem tabidis parare docens, cauet ne locus ad septentrionem sit versus: ita enim (inquit) esset auersus à sole. Nam sole ad salubritatem maximè indiget aër, cuius vi quòd vitiosum in ipso est, promptè dißipatur ac euanescit. Et Aristoteles. 7. libro politicorum citato, ita scribit. Quæ in auroram inclinant vrbes, & ad eos ventos qui ab oriente spectant, salubriores sunt. Proximæ vero ab his salubriores habendæ, quæ in aquilonem vergunt: hæ nanq; ad hyemem salubriter degendam meliores. Qui fortè omnes ab Hippocrate hauserunt, qui libro de aëre, & aqua, ac locis, ita scribit. Quæ ad orientem solem ciuitates sitæ sunt, eas esse salubriores, his quæ ad septentrionem

con-

cõuersæ sunt, & his quæ ad calidos vẽtos, hoc est ad meridiẽ positæ sunt. Quod ex calore nimio morbosæ, & æstuosæ, illæ frigore immodico intẽperatæ incolẽtibus, & sint & habeantur. Quare Aetiũ de orientalibus ventis, nimis sinistre sentientẽ, non prorsus probamus: ita enim loco citato scribit. At venti orientales, vehemẽtissimi sunt, & morbos à siccitate contingentes efficiunt. Hoc enim in vniuersum falsum esse constat, licet in aliquo cæli tractu, ita contingere posse non negemus.

Occidẽtales vero vẽti, oriẽtalibus præstãt (quãuis Auic. 2. 1. doc. 2. cap. 10. cõceptis verbis cõtrariũ affirmet) quoniã sunt tẽperatiores ipsis, vt constat ex Arist. prob. 33. lib. 26. vbi ita scribit. Fauonius neq; calidus est, vt qui è meridie, ortuq; spirant: neq; frigidus, vt qui de septentrionibus eueniunt: sed medium frigidorũ & calidorũ flatuum tenet: ideoq; serenus & iucundissimus ventorũ omniũ est. Magis præterea inclinant orientales ad calidum, quã occidentales ad frigidum. Ob id enim Arist. 2. lib. Metheor. citato, non dixit occidentales ventos frigere: sed minus calere orientalibus. Neq; de passiuis qualitatibus loquutus Auic. 2. 1. cap. 8. absolutè humidos facit, sed parum plus humidos orientalibus: quoniã super maria trãseunt, & quoniã sol non tantum calfacit, & resoluit eos. Quare omnium temperatissimi sunt occidẽtales, tam in actiuis, quàm in passiuis. Adde, quòd salubrior est, ventorum exigua inclinato ad frigidum, quàm ad calidũ: ob refrigerationẽ, & flauellationem innati calidi, quæ frigido aëre perfici debet. Vnde Aëtius loco citato, de occidentalibus vẽtis, ita scribit. Occidẽtales autem humidi sunt, ac lenes, & corporibus nostris magis familiares. Et Celsus lib. 1. cap. 1. Aestatem eam præfert, in qua fauonij perflant, post quam laudat eam, in qua septentrionales venti sunt. Damnat vero eas æstates, in quibus subsolani, aut austri spirant. Accedit etiam quòd annus constans, ventos debet habere agriculturæ valde idoneos, si tempestiuè cũcta, fruges (inquam) & animantia, debet exhibere: cuiusmodi fauonius est, ab occasu spirãs. Præ alijs enim vẽtis hunc agriculturæ cõmodum esse, tradit Florentinus. 1. collect. rei rusticæ: & maritat, atq; fœcundat aues fœminas, vt Plutharcus scribit. 8. symposij. Quod in perdicibus Aristotelẽ tradidisse cõstat. 5. lib. de gen. anim. si enim aduersæ maribus steterint, fauoniusq; inde afflet vbi mares stant, ipsas concipere & maritari credit: vt omittamus quod à Plinio scriptum est, equas in Lusitania, fauonio concipere. Quæ quanuis ex parte sint falsa, plurimũ est quod vero relinquitur: quòd scilicet hic vẽtus, sata, & animantia fœcundat, atq; hybernum mollit cælũ ex Plinio, & feruorem æstatis contemperat ex Celso: quare salubris est, & ad annum constantem reddendũ sæpè necessarius. Sed si fauonius est subsolano salubrior, cur Aristoteles, Hippocrates, Razes, & alij, ad ortũ ciuitates ædificant, & non ad occasum? Dicendum id fieri, non solius venti habita ratione, sed simul etiã & solis. Domus enim & vrbes quæ ad ortum æquinoctialem ædificantur, æstate vmbrã, & hyeme solẽ habent, qui aërem illustrat & corrigit. Si quid enim in aëre vitiosum inest, solis vi promptè dissipatur, & euanescit: vt Varro est autor. 1. lib. de re rustica. cap. 15. Hic autẽ

notare oportet, quod ea quæ dicta sunt, de orientali, & occiduo vento, tam quo ad temperiem, quàm quo ad salubritatem, intelligenda sunt de ventis suam naturam seruantibus, & in medio climatis. Orientales namq; venti sunt salubriores in principio diei, & occidẽtales in fine diei: sic enim ab aëre proueniẽt, qui iam à sole elaboratus est. Contra vero orientales qui spirãt ad finẽ diei, aut occidẽtales qui principio diei mouentur, ab aëre veniunt in quo sol non fuit operatus, vt autor est Auic. 2. 1 citato. Quod verò horum ventorũ temperies, statuatur collatione ad medium climatis habita, autor est Auerrh. 1. cant. tract. 1. com. 108. vbi addit in alijs terræ tractibus variari:ponitq; exemplũ in Hispaniæ parte Betica, quam Andaiusiam appellat: in cuius medietate orientali, pluit ex vento orientali, & serenat ex occidentali: in alia verò medietate quæ magis occidua est, contra contingit: pluit enim ex vento qui ab occasu perflat, & serenus redditur aër ex subsolano.

Quanta sit sanitatis latitudo, iuxta diuersitatem corporum variè temperatorum. Et à quibus fontibus temperamentorum indicia sumantur. Et de indicio à causis, ab essentia, & à casibus seu effectibus necessario consequentibus. CAP. XXI.



Parum referret, temperamẽtorum essentiam, ac numerũ nouisse, ætatum quoq; vicissitudinem, consuetudinis vim, temporũ quoq;, regionum, & ventorum, natiuam tẽperiem descripsisse: ni temperati corporis, & intemperatorũ quæ ab eo deflectũt dignotionẽ, per indicia quædam cõparare possemus. Quomodo enim sine tẽperamenti dignotione, aut simile, aut contrarium homini aptare quiremus? Ingens siquidem est humani temperamenti varietas ac latitudo, ita vt quod vni est naturale, & valde simile, alterum ingenti contrarietate perimat: quoddam in supremo salubritatis gradu iacet, aliud verò adeo est sua natura insalubre, & præ intemperamenti exorbitantia inualidum, vt propè ad actu ægrotantem accedat. Quæ proximiora sunt optimæ cõstitutioni salubria, quæ verò ab hac longius distant, atq; ad ea quæ iam ægrotant magis accedunt insalubria: quæ autem intermedia, atq; æqualiter ab vtrisq; distare videntur, neutra sunt, & intra sanitatis, ac humani temperamenti latitudinem vtraq; comprehenduntur, vt autor est Gal. lib. artis medicinalis, cap. 8. Hæc porrò latitudo, quoniam in infinitum secari potest, innumeras corporum stationes comprehendit: medicus verò non innumeras, sed certũ ipsarum numerum ideo præfinit: quoniam ea tantum memorat, quæ sensibilibus notis, & inter se se, & ab extremis distinguntur. Temperatissimum namq; corpus, optimo habitu, & integra absolutissimaq; sanitate præditum, perquam rarissimum est, longissimoq; tẽporis interuallo gigni solet, vt scribit Gal. lib. de optima corporis consti-

constitutione: neq; hoc tamen sine latitudine potest intelligi: exacta etenim, optima, absoluta, & summa sanitas, quæ insectilis est, cogitatione potius in animantium corpore vsurpatur, quā solidè subsistat. Tēperatissimū ergo corpus, quod salubre simpliciter semper, Galenus appellat: latitudinē habet insignem, & summā quā sensus assequi potest perfectionē. Paulo ab hoc distat, corpus quod salubre simpliciter vt multum appellat, vt scribit Gal. lib. artis medicæ, cap. 4. in hæc verba. Ipsius verò salubris simpliciter corporis, tale quidē est semper, id quod est optima temperatura præditū, ac maximè est cōmensuratum. Vt multum autē, quòd à constitutione optima nō valde admodum deficit. Quibus verbis, duo nobis tēperata corpora innotescunt, vnū temperatissimum, & alterum temperatū: quorum neutrū culpatum est, licet primum sit secundo perfectius, & absolutius. Verbū enim simpliciter quo insigniuit vtrumq; optimū & inculpatum, in quouis genere importat, vt scribit Gal. lib. 2. de sanit. tuen. cap. 1. in hæc verba. Quod simplex inculpatumq; est, cæteris omnibus præponi postulat, simplex autē inculpataq; sanitas, est in corporibus optimi habitus. Quo loco non seiunxit, sicut nec in thrasibulo Galenus, optimum habitum, à bono habitu: quoniā quanuis salubria vt multū, quæ ab optima corporis constitutione breue aliquid deficiūt, in aliquo sunt offensa, nō tamen id sensu cōprehēditur, vt scribit Gal. lib. artis medicæ, cap. 8. quare nomine etiā optimi habitus venire possunt. Nā & apud Hippocratem, habitus athletarū, qui re vera boni non sunt, sed apparenter summè boni appellātur. 3. Aphor. sent. 3. quoniam sensuum iudicio sunt optimi, & verè essent tales, si abesset periculū: quanto ergo magis salubre vt multum, quod verè bonum habitum possidet, in optimis est censendum? nisi cum res ad exactum ducitur examen, & scientificā partitionem, vt in arte medicinali ob artem definiendi, quæ definitionis capita diuidit. Capite enim quarto eius libri, salubre vt multum definit: quod à constitutione optima nō valde admodum deficit: mēsuram autem excessus interpretatur capite octauo eiusdem libri, insensibilē esse, id est quæ vix sensu iudicari possit: quod autem vix sensile est, merito prætermitti potest, & sub optimo habitu intelligi. Sic lib. de differ. morb. cap. 2. omnes recessus ab optimo, tam naturales, quàm præternaturam memorans Galenus, ita scribit. Corpora itaq; animalium, quòd dici solet, magis ac minus admittunt, tantaq; in ipsis varietas est, vt alia quidem optimi sint habitus: alia simpliciter boni, non tamen optimi: alia quæ & si sana dicantur, non tamē boni sint habitus: quædam vero minus valeant: quædam autē iam ægrotēt. Quibus verbis, per ea quæ optimi habitus sunt, salubria simpliciter, tam vt semper, quàm vt multum, intellexit: per ea verò quæ boni, sed non optimi, salubria vt nunc: quæ ita definiuerat capite quarto artis medicinalis Gal. Salubre verò nūc, est corpus quod in præsenti est sanū: est verò & hoc, eo tempore quo sanum existit, bonam habens temperaturam, & commensurationē, non tamē optimam, at sibi propriā. Ex quo loco, & alijs, doctè deducit donatus Antonius, libello de latitudine sanitatis, salubre vt nunc, ab ortu salubre esse: aut saliē

ipsi non repugnare, esse ab vtero & ortu naturæ salubre. Distat enim à simpliciter salubri, per manifestum lapsum, & imperfectionem sanitatis: ita tamen vt sanitatem habeat in bono habitu, quamuis non in optimo. Ex quo etiam patet, quòd neutra, aut insalubria ab ortu corpora, nunquam possunt esse salubria vt nunc; quoniam licet sanitatem actualem, interdum habere possint, boni tamen habitus non sunt, sed aut neutri, aut insalubris: quæ tanto inferiora sunt, quanto ad actu ægrotantem magis accedunt: meritóque in thrasibulo Galenus, huiusmodi corpora, comparat infirmis ædibus, ac propediem ruituris: quæ vt bene cõpositæ esse nequeunt, ita neutra, aut insalubria corpora, bonũ habitũ nequeunt habere, sed aut neutrũ, aut insalubrẽ, ac sui natura ruinosum. Quare loco citato de differentijs morborũ, per ea quæ sana dicuntur, nõ tamen boni sunt habitus, neutra ab ortu corpora intelligo: sicut per ea quæ minus valẽt, insalubria: quæ intẽperatiora, & ruinosa sunt, ac ijs quæ iam ægrotãt quã finitima. Extremæ autẽ intemperãtiæ naturales, quæ in hoc insalubriũ genere continentur, vt doctè aduertit Gẽtilis. 1. 1. cap. 1. de cõplexionibus, nõ minus quàm mediũ, ac summũ temperamentũ sunt mirãdæ: vt enim hoc saluberrimum, ita illud admodum est insalubre: mente aptissimos, & propè angelicos, hoc temperamentum reddit: illud verò cum ad frigus vergit, brutos, asinorum, aut boum more: cum verò ad calorem, furiosos facit, osores, ac serpentinos. Tota ergo sanitatis, quæ eadem est ac humani temperamenti latitudo (vt Galenus scribit libro artis medicæ, capite octauo) in tres partes (quarum singulæ latitudinem habent non paruam) diuiditur. Erit autem prima quidem, salubrium corporum: Secunda neutrorum: Tertia insalubrium. Post quæ deinceps sequuntur, quæ iam ægrotant corpora: quæ sensibilibus operationum læsionibus distinguntur. Eritque tota sanitatis latitudo, his tribus partibus, in vltimas species, per corpora quibus inest sectis, huiusmodi.

Salubre simpliciter semper *Salubre simpliciter vt multũ*	*Quæ optimum habitum, mediumque temperamentum possident.*
Salubre vt nunc.	*Quod bonum habitum habet, intemperamẽtum scilicet, non valde lapsum à medio.*
Neutrum vt multum iuxta tria significata *Neutrum vt semper iuxta tria significata*	*Quãuis aliqua differentia tribus neutri significatis intercedere possit, quoniã magis stabilẽ, ac firmã sanitatẽ habẽt, neutra ea quæ ad salubria magis accedũt, tã semper, quã vt multũ: quã illa neutra, quæ simpliciter & exquisite sunt media salubris & insalubris.*

Insalubre

Insalubre vt multum.
Insalubre vt semper. *Vsque ad manifestam læsionem exculusiuè, nã ægrũ vt nũc, quod manifestam læsionem includit, extra latitudinẽ sanitatis habetur.*

Neutrum autem vt nunc iuxta tria neutri significata, etiam si in latitudine sanitatis sit, non tamen habet sanitatem in habitu, & tẽperamẽto ab ortu acquisito: sed in affectione ex tẽpore proueniente, vt constat ex Galeno libro ad Thrasibulum, vbi tam neutro decidentiæ, quàm conualescentiæ, eiusmodi sanitatem in affectione impertit, ipsosque ad partem artis de tuenda sanitate pertinere scribit. Præsertim neutros conualescentiæ, qui magis sunt ab ægritudine remoti, quàm neutri decidentiæ. Tum quoniam illi ab ægritudine eiusq́ causa sunt liberati: hi verò morbi causam, morbumq́ in generatione habent, quamuis nõdum is morbus sit genitus. Tum quoniam si neutri conualescentiæ in morbum incidũt, prius fiunt neutri decidentiæ: ergo sanitati sunt viciniores, quàm decidentes. Conualescentes ergo neutri sunt, iuxta primum significatum: quoniam dispositionem prorsus mediam habent, inter salubria corpora vt nunc, & inter actu ægra. Decidentes vero neutri sunt secundi significati, quoniam ægritudini potius quã sanitati attinent. Senes autẽ ad conualescẽtes, & athletas ad decidẽtes, merito retulit in thrasibulo Galenus: de quibus tamẽ in hac latitudine sanitatis, quæ secundum habitum, & natiuũ temperamentũ est, agere non conuenit. Indicia vero temperati corporis, & intẽperatorũ, quæ à tẽperato deflectũt, simul & gradus intemperamenti tradere, vtilissimum nunc est, & opportunissimum.

Temperatum sanè corpus, quòd salubre simpliciter semper, & vt multum appellari diximus: indicia habet desumpta à causis tẽperamenti, ab essentia tẽperamenti, ab effectibus, casibus, seu accidentibus quæ necessariò temperamentum consequuntur, & ab ipsius etiam attemperati corporis operationibus. Quibus annectimus repugnantiam ad causas morbificas, & longæuitatem. A causis quidem temperamenti, nam parentes temperati, qui victu vtuntur temperato, & regionem degunt temperatam, temperatos procreant filios: intemperati verò intemperatos, & insalubres. Sic in Asia plura corpora tẽperata reperiri affirmat Gal. 2. de sanit. tuen. cap. 13. Et lascium puerum interdum conspicatus Diogenes, num ex ebrio proseminatus fuerit patre interrogauit. Hoc signum, ceu euidentissimum prætermisit Gal. lib. artis medicinalis, cap. 8. breuitatem affectans. A temperamenti verò essentia temperamentũ dignoscitur, præsertim ex tactu qui iudex est calidi, & frigidi, humidi atq; sicci. Sic tẽperatum esse censemus eum, quem non immutat in actiuis, mistura niuis & feruentis aquæ, nec in passiuis mistura aquæ, & cineris æquo pondere conuenientium. Hic verò tactus qui in homine temperato inuenitur, regula est dignoscendi tã temperata, quã intemperata corpora: ab illis enim non alteratur, ab his verò alteratur magis, aut minus, pro ratione gradus intemperamenti, maioris, aut mi-

noris, secus vero contingeret in intemperato tactu, calido (verbi gratia) in secũdo: is enim tactus, indicaret obiectum quod temperatum est, secundo gradu calidum: & quod calidum est in primo, eodẽ gradu frigidũ esse decerneret, vt cõstat ex Galeno, tertio libro de simplicium medicament. facult. cap. 8. Quod monstrat exemplo vrinæ, quæ in balneo micta, frigida deprehenditur: & aquæ tepidæ in pelui ad balneũ allatæ, in quam si is qui balneo abunde incaluit, manum aut pedem immitat, non tepidam, sed admodum frigidam indicat: & aquarum putealium, quæ hyeme plus calere, ob tactum refrigeratum videntur. In quibus si obliuiscamur qualitatum quibus afficiebamur, dum vrinam, aut aquam peluis, aut aquam putealem in hyeme contingebamus: ac solius eius qui in nobis factus est sensus meminerimus: periculum est (inquit Galenus) ne fortè aquam aliquando absolutè dicamus calidam, vrinam verò absolutè frigidam. At qui neutra absolutè, aut calida, aut frigida est, sed vt ad nos: nec vt ad nos rursum absolutè, verum hoc videlicet pacto affectos. Absolutè autem vtraque, qualis ad nos est dici potest, ad mediam eandemq́ue optimam nostri temperiem collata: vt si ad hominem absolutè expendatur, omnino sanè ad temperatum, & eucratum expendere oporteat. Nec obstat, quòd sexto libro de simplicium medicamentorum facultatibus in proœmio, ita scriptum reliquerit Galenus: Sed tamen & in memoriam reduxisse forsitam præstiterit, primum quidem quòd in natura temperatissima faciendum est medicaminum facultatis periculum, deinde in intemperata, postea deinceps in morbis simplicibus. Et libro primo simplicium medicamentorum, capite quarto, ita scripserat. Esto sanè prima nobis in contemplationem proposita aqua, quòd nimirum ea, & communissima hominibus omnibus sit, tum sanis, tum ægrotis: & ad vitam maximè necessaria. Primumq́ue eucrato, siue temperato corpori applicator, ipsa neque frigida insigniter, neque calida: deinde ijs qui natura sunt intemperati: tertio qui affectu aliquo tenentur. Nam hoc pacto, exactè in omnibus propriam eius facultatem perpenderis. Quibus verbis, non solum in tactu temperato, sed in intemperato, & in ægrotante, experimentum esse sumendum docet. Non obstat autem, nam aliud est loqui de dignotione qualitatis excedentis, aliud de quantitate excessus in eadem qualitate: excedens siquidem qualitas, sæpe ab omnibus hominibus, tam temperatis, quàm intemperatis, sanis, & ægrotis, iudicatur: estq́ue id experimentum eò certius, quò est multiplicius. Quantitas tamen excessus, ipsiusq́ue qualitatis gradus, ab alio quàm temperato tactu exactè dignosci nequit vt diximus. Verbum autem exactè eo additum est, quoniam si vltimam exactionem non quæramus omnium hominum sanorum tactus, ferè est temperatus, si accidentali careat affectione: quoniam membrorum omnium intemperamenta, ad cutem coæquantur, ita vt quamuis cutis, ad hoc aut illud intemperamentum labatur, exiguus tamen sit eius lapsus, & omnium partium temperatissima habeatur, præsertim quæ in pulpis digitorum consistit. Hinc

omnium

omnium ferme hominum manus, quando suam naturā seruant, & calidam, & frigidam aquā, & multum tepidam, aut parū tepidam æqualiter fere indicant. Et omnis medicus, tam temperatus, quàm intēperatus, cuiusq; hominis sani cutem, à cute febricitantium diuersam iudicat. Alioqui omnes aut plures homines sani, & nulla affectione externa alterati, circa sensum proprij sensibilis errare, cogeremur confiteri. Vltimam autem exactionem, tam in qualitate, quam in gradu, solus temperatus tactus potest dignoscere: aut intemperatus, qui suum prius (per diutinum tactum temperatorum, & intemperatorum corporum) nouit intemperamentum. Tunc enim per rationis examen, & experientiam sensus, intemperatus hic homo addit, aut detrahit qualitati sensatæ, pro ratione proprij intemperamenti. Tactus nanq; temperato frigidior, qui suum intemperamentum, per diutinum tactum temperatorum & intemperatorum corporum, prius nouit: & memoria reposuit quantum incalescat ab æquali mistura niuis & feruentis aquæ: & quàm parum refrigeretur ab obiectis frigidis: rectus iam temperamentorum iudex erit: quoniā seipsum corrigere ratione didicit. Sed quomodo temperatū corpus dignoscendum exhibemus, per tactum temperatum æque ignotum? Dicendum, quòd tactus temperatus, prius est explorandus per defectum ac priuationem alterationis à dictis misturis, & per alia etiam indicia: qui sic iam exploratus, ipsis indicijs rursus addit firmitatem, & fit vnū ex illis. Sed si æque calida, aut frigida non sentimus, vt scribit Aristoteles libro secundo de Anima, temperatum corpus à temperato tactu dignosci nequibit: nec ab intemperato, quoniam quod frigidum est, incalescit à temperato, & quod calidum est, refrigeratur: quare quod temperatum est, à nemine sentiri nequit. Dicendum, quòd temperatū sentitur ab vtroq;, ab intemperato nempe per notitiā sui intemperamenti, & crebram exercitationem in tactu temperatorum & intemperatorum corporum: à temperato verò tactu per alterationis manifestæ ad vtrumlibet contrariorū carentiā, & per cōuenientiā obiecti cum suo sensorio. Aqua etenim tepida, iuxta quācunq; teporis mēsurā quantūuis tactui simillima cōcipiatur, semper sentitur dū manui admouetur: nō propter solā priuationē alterationis, sed quoniā positiuè nos semper afficit, vt experimētū ostēdit, pariter & rationē causa agēs dicitur, tam producens, quā conseruans, apud Arist. 2. Physicæ auscult. cap. 3. temperatū ergo corpus, in tactum tēperatum semper agit, saltē conseruando temperamentū. Hoc autem sufficit ad sensum, alium enim tactum reddit aqua tepida, quàm corpus cæleste redderet, aut mathematicum, omnis qualitatis tangibilis expers. Nec aliud voluit Aristoteles cum dixit, æque calida aut frigida esse intangibilia: vix enim tangibilia, non autem penitus insensibilia esse intellexit. Quomodo itē salubritatis gradus per agnitionē tēperamēti innotescere possint, nisi idem per idem dignoscatur, atq; se ipso notius esse possit, dubium est quod angit plurimos. Nihil enim aliud est sanitas, quàm tēperies naturalis, autore Galeno lib. 4. Aphorism. cōment. 39. & lib. 1. Epidem. par. 2. cōment. 46. Libro etiam Artis

dicinalis salubre simpliciter difiniuit, corpus eucratum & coæquale, ergo eucrasia & coæqualitas, ipsamet sanitas est. Ex quo conuincitur error Ioannis sermonetæ, qui huic dubitationi volens respondere, primarum qualitatum temperiem, negat sanitatem esse in complexione constitutã: est enim inquit causa sanitatis, non autem sanitas cuius est causa. Deuiat tamen à Galeno (vt diximus) & futili vtitur ratione. Temperies enim & coæqualitas si sanitatis est causa, non materialis, efficiẽs, aut finalis est, sed formalis: perinde ac animal rationale hominis causa est, quod ab homine non differt. Thurisanus vero (à quo mutuasse videtur Valesius in Commẽtario ad artem medicinalem Galeni) respõdet, temperiem non esse signum sanitatis, sed corporis sani: corpus enim sanum, à temperie diuersum est. Contra vero est, quòd non modo dubitare contingit, an homo oblatus sit sanus vt semper: verum etiam an sanitas hominis oblati, sit sanitas vt semper: quo autem signo à substantia sumpto, sanitas vt semper cognoscatur, nisi temperie, fingi non potest. Magis friuola est altera thurisani solutio, qua inquit, quòd temperies non est signum sanitatis, sed impræssio quæ à tẽperie tactui infertur. Contra tamen est, quòd Galenus ibi tradit signa sumpta ab essentia & substantia rei: signum autem à substantia sumptum, est ipsa rei substantia, sicut ab actione ipsamet actio, & ab ætate ipsamet ætas: ergo signũ à temperie desumptum, debet esse ipsamet tẽperies. Accedit, quòd quando tãgens, & tangibile, idem prorsus habent temperamentũ, nulla vnius in alterum fit impræssio: indicat tamen tactus temperamentum simile, aut ob solam negationem, aut ob conuenientiam sensus cum sensorio: ergo temperies, non autem impræssio, est signum de quo agimus. Dicendum ergo, quòd eadem res est sanitas, atq; temperies, alterutrius tamen ratio est diuersa: iuxta quam diuersitatem temperies est notior, & tactu depræhenditur: sanitas verò ignotior, quia nõ tactu, sed ratione, & discursu, sumpto initio ex præeunte tactu dignoscitur. Nam quenadmodum caliditas ignea sensibus percepta notior est, quàm febris: ita temperies tactui nota, notior est quàm sanitas: prius enim tactus depræhendit caliditatem igneam in febriente, & in sano temperiem: post verò phantasia simul & ratio, considerãt an habuerint ortum ex causa exteriori: & rursus vtrum talia semper maneant semotis causis præincipientibus, vt pote exercitamento, ira, vigilia, insolatione, balneo, ac alijs, sicq; & non aliter, temperiẽ esse sanitatem & igneũ calorem, febrẽ decernit. Quare nihil obstat, vnam & eandem rem, propter diuersas quas induit rationes, quarũ vna sit notior altera, indicare se ipsam. An vero exiguam vim habeat inditium hoc, ex cutis quæ tangitur temperie sumptum, vt visum fuit Forliuiensi, dubium est. Nam vbi cor labitur ad calidum, & iecur ad frigidum, media temperies resultat in cute, ex contraoperantia, & coalternatione membrorum: cum tamen eiusmodi corpus, nec temperatum, nec salubre habeatur, sed plurimis morbis expositum. Corpus præterea pituitosum neutram dispositionem habens, ante quàm labatur in febrem, mediam recipit temperiem: ita vt nec frigeat pro sui temperamenti ratione, nec caleat vt cum iam febri-

febricitat: male ergo ex temperie in cute reperta, colligit corpus esse temperatū Galenus. Adhæc corpus temperatum, in omni ætate est temperatum, & salubre simpliciter: in omni autem ætate non habet mediam temperiem: ergo signum & significatum non conueniunt. Fallitur tamen, quoniam corpus temperatum, & media temperies, intelligenda sunt cum latitudine ætatibus respondente: & quoniam signum hoc, tunc solum habet locum, cum corpus est immune ab omni externa alteratione, & interna ægritudine, aut neutralitate. Si vero cor calidum sit, iecur verò frigidum: non reddetur vniuersa cutis temperata, sed thorax magis calebit, venter verò frigebit.

Ab effectibus verò, qui temperamentum necessario consequuntur, indicia temperamenti plurima sumuntur. Sunt autem huiusmodi effectus, qualitates secundæ, quæ pendent ex commistione primarum qualitatum, & corporum elementorum: referunturque ad vnum ex quinque sensibus: ad tactum quidem, molle & durum: ad visum, album & nigrum, nitidum & obscurum: ad tactum simul & visum, glabrum & hispidum, crassum & tenue, asperum & lene, rarum & densum: ad odoratum, graue olens & odoratum: ad gustum, dulce & amarum. Quæ sanè cum extrema sunt, extremas, & valde lapsas temperaturas, magna ex parte commitantur: sicut media temperies, omnium extremorum mediocritatem seruat: præterquam in odoratu, & gustu: temperati enim hominis, aut caro, aut cutis, nec dulcis est, nec suauem odorem spirans: nisi dulcem, aut odorem, aut saporem habere dicamus, quod omni odore ac sapore priuatur: velut cum aquam dulcem appellare eam, quæ omnis saporis est expers consueuimus. Intemperatæ autem naturæ extraneis, aut saporibus, aut odoribus, non semper vacant: Sanguinei enim hircos redolent, vt scribit Galenus octauo libro Methodi: Biliosi verò cutem si lingas, aut salsa, aut amaricans, interdum tibi apparebit. Hæc verò, ceu alia minoris momenti, merito prætermisit Galenus, libro artis medicinalis, capite octauo, & secundo libro de Temperamentis, capite nono, decimo, & vndecimo. Mollities ex humiditate pendet, sicut durities ex siccitate. Cauendum tamen, ne durum cum tenso, & molle cum flaccido confundamus: qui enim multa carne abundant, duri videntur, ob tensionem cutis, humidi tamen sunt: sicut ex carnis defectu cutis flaccida, mollitiem mentitur, dura enim est, & sicca, vt scribit Galenus, sexto libro Epidemiarum, parte tertia, commentario vigesimo nono. Niger color, calorem: albus, frigus arguit temperaturæ: quoniā hic in pituitam, ille vero in atrum succum vergit: paritas tamen tum regionis & vitæ, tum in omnibus alijs præter colorem, est seruanda: non enim omnes Aethiopes, & qui in aprico degunt sunt calidi, nec omnes germani, & qui vitam agunt vrbanam frigidi. Aethiopes ergo Aethiopibus comparati, Germani Germanis, rustici rusticis, & vrbani vrbanis: calidi sunt nigriores, & frigidi albiores: sicut temperati in regione temperata constituti, medium colorem ha-

bent inter albū & nigrū, vt scribit Paulus, libro primo, capite sexagesimo. Dilucidius autem, ac specialius Galenus, libro artis medicinalis cap. 51. medium eum colorem, declarat esse commistum ex rubro & albo: quoniam is color, sanguinem & semen, ex quibus constat cutis, apprimè exprimit. Nitor vero, aut obscuritas in vnoquoque colore, purum, aut impurum succum quo nutritur, & constat homo significat. In quo signo summè cauendum est, ne intro aut foras ferantur humores & spiritus: quod per animi perturbationes, & calorem ac frigus ambientis euenire solet: vt monet Galenus, primo libro Aphorismorum, commentario tertio, & libro quarto de sanitate tuenda. Hirsuta verò (vt idē scribit Gal. 2. lib. » de temperamentis, cap. 10.) sunt calida omnia intemperamenta, quæ vbi sicca etiā » sunt, in summo sunt hirsuta. Mediocriter autem quæ calida quidem est, sed in al- » tera contrarietate mediocritatem habet: similiter & quæ sicca quidem est, sed in » calido & frigido media est temperie: est enim ea quoque modicè hirta. Nuda pi- » lis sunt omnia frigida temperamenta, siue mediocriter se se habeant in humidita- » te, siue immodicè. Cæterum ad summum est glabra, frigida intemperies & humi- » da: minus hac quæ frigida est, sed in altera contrarietate temperata: adhuc » minus quæ frigida est & sicca. Nec obstat, quòd vt terra præ ariditate ni- » mia, herbis priuatur: ita præ siccitate temperaturæ, homines glabri deberent reddi. Non obstat (inquam) nam talem siccitatem, quæ pilos oriri vetet, qualis in terra media æstate habetur: nisi in testaceis, & squamma tectis animantibus nō reperias. Minor verò hac, glabrum reddere non sufficit: nam asini, equi, leones & chamæli, cutem homine sicciorem habentes, pilis vestiuntur. Homines ergo temperatura calida atque sicca præditi, multos magnosque pilos habent: plurima enim in ipsis gignitur fuligo, quæ cutim foraminibus pertundit: in quibus stipata, & retro repulsa, in pilos vertitur, & foras erumpit. In quibus vero humida cutis est, & planè mollis, qualis modo concrescens caseus, in his viæ ac meatus cutis, per quos fuligines ac vapores expirarunt, non manent, sed occluduntur (cutis scilicet partibus quæ prius dissidebant, rursus inter se vnitis) nec si manerent, pilus in ipsis gigneretur: quoniā in mollissimo meatu, vehemēs stipatio contingere nequit. Calor ergo temperaturæ fuligines creat, & extra euocat, cutimq; in exitu pertundit, & foraminulentam reddit: siccitas meatus seruat apertos. Frigus verò temperaturæ, fuligines non creat, & cutis meatus per quos eæ quæ creantur expirant, vbi humiditas temperaturæ adiungitur, statim occluduntur, ac reuniuntur: & stipari fuligines, tum ob hoc, tam ob mollitiem, minime possunt. Indicia verò alia, quæ ex pilorum colore, & figura, & ex commutatione ipsorum in canos, atque caluitium, hic prætereo: de illis rursus acturus, dum temperaturarum capitis indicia tradentur. Crassum etiā atque tenue, ex eis sunt indicijs, quæ magnam vim in significando temperamento sortiuntur. Bifariam autem corpus crassum fieri contingit, aut ex carnis, aut ex pinguedinis abundantia: illos carnosos,

aut

aut corpulentos: hos verò adiposos, pingues, aut obesos appellamus. Tenues similiter ex defectu carnis, graciles & excarnes, ex defectu verò pinguedinis, macros dicimus. Quanuis hæc nomina interdum confundantur. Carnis materia, abundans sanguis est, eius verò efficiens copiosus calor: ob idq́ carnosi calidi sunt & humidi, naturæq́ sanguineæ. Pinguedinis autē materia licet sanguis sit, à calido tamen prouenit diminuto, pinguem eius partem concrescere permittente: ob idq́ in natura prouenit pituitosa, quæ frigida est atq́ humida. Distingūtur verò inter se se carnosi, & obesi: quòd hi frigidi, illi calidi natura sunt: quanuis vtriq́ sint humidi: Carnosi ob calorem facilè & expeditè mouentur, cæterasq́ obeunt animales functiones. Obesi verò difficilè mouentur, & ad omnia animalia opera sunt segnes. Siccæ verò naturæ, tenues sunt atque graciles, hac habità differentia: quòd melancholici, quoniam paucum habent sanguinem, & exiguum calorem nutritionis autorem, minimum gignunt carnis, nonnihil tamen habent pinguedinis per carnes sparsæ, vt scribit Galenus libro Artis medicæ, cap. 59. Quoniam ab imminuto calore facilè concrescit in carnibus aliquanta pinguedo, propter natiuam ipsarum carnium humiditatem: non autem in solidis & sub cute vbi gigni assolet in humidioribus temperaturis. Biliosi verò plus aliquid carnis, calore gignerēt, nisi calor esset immodicus, qui & carnem, & pinguedinem, dissipat atq́ colliquat: ob idq́ omnium sunt & duri, & gracillimi. Vnde vt ex Galeno colligitur libro secundo de Temperamentis cap. 9. per temperamenta, corporis habitus ita distinguimus.

Temperies
- *Frigida, modicè adiposa est.*
- *Calida, modicè carnosa.*
- *Humida, carnosa simul & adiposa, aliquanto tamen magis carnosa quàm adiposa.*
- *Sicca, modicè gracilis.*
- *Frigida & humida, carnosa simul & adiposa: vbi frigus exuperat magis adiposa, vbi humiditas verò magis carnosa.*
- *Frigida sicca, carnis inops & modicè adiposa.*
- *Calida humida, carnosa & pinguis: sed plurimum carnosa, & minus adiposa.*
- *Calida & sicca, macra, gracilis, & valde dura.*
- *Temperata, omnium est excessuum media.*

Ad corporis habitum pertinent venarum angustia, & amplitudo: quicunque enim latiores venas habent, hi calidiores natura sunt: quibus verò angustiores contingunt magis frigidi, autore Hippocrate. 2. lib. epidem. par. 1. sentent. 23. & 29. Quod si quis, pinguis crassusque est; ac venas amplas habet, is consuetudinis alicuius occasione, non natura pinguis est redditus: Sicut è diuerso; siquis

angustas

angustas habet venas, & gracilis est, ne hunc quidem talem esse natura necesse est, vt secundo libro de Temperamentis, capite nono, scribit Galenus. Asperum & lene, ad durum atq; molle sunt referenda, hoc vno discrimine, quòd durum & molle, in cute & subiecta carne spectantur: asperum vero & lene, in extima rei facie: pendetque asperitas à maiori siccitate, quæ humidiores partes absumit, & terrenas relinquit inæquales: lenitas verò cōtra, humiditatem significat: humiditas enim complanat, & siccitas exasperat. Hinc pueri, & mulieres, leniores: viri verò & senes, asperiorem tactum obtinent. Est autem indicium ab aspero & leni, à re omnium notissima, & quæ prius cæteris tactilibus tactum mouet, vt scribit Galenus septimo libro de placitis, Hippocratis & Platonis, vbi inquit, quòd pri- »
mus tangibilis occursus per acutum fit & obtusum: secundus verò, per calidum & »
frigidum. Quamuis autem in vniuerso corpore, sit hoc indicium asperi & lenis spectandum: magis tamen in vnguibus, gutture, iuncturis, & naso. Ab vnguium enim duritie, aut scabritie, indicium sumit siccæ temperaturæ, in primo genere signorum Auicenna, secunda primi, doctrina tertia, capite tertio, & in quinto gene re, ab alijs membris, in hæc verba. Et complexionem siccam, sequuntur asperitas »
& curuitas, & iuncturarum manifestatio, & apparitio cartilaginum in epiglot- »
to, & naso, & est nasus æqualis. Rarum etiam & densum, indicia præbent temperamenti, apud Galenum libro de optima nostri corporis constitutione: rarum caloris, densum verò frigoris: frigus enim omnia concernit & densat, tam omogenea, quàm etherogenea: sicut & calor laxat, disgregat, atq; dissoluit, vt autor est Arist. libro secundo de ortu & interitu. Quoniam tamen minus sensibus, quàm rationi hæ qualitates sunt expositæ: ideo inter signa temperaturarum eas prætermiserunt autores, in molli & duro eas comprehendentes. Si quempiam tamen æque carnosum & validum, æque mollem, aut durum, externæ causæ morbificæ promptius lædunt, & ab internis faciliùs liberatur, is est rarior: contra densior, qui difficilius ab externis iniurijs corripitur, & ab internis difficilius se per cutem expedit. Huc etiam pertinet indicium sumptum ex compositione: optimam enim similarium temperaturam, sequitur concinna instrumentorum compositio, & ipsorum instrumentorum inter se decens coaptatio: ex qua pulchritudo, aut deformitas, tum in partibus, tum in toto consurgit. Primo nanque libro de Vsu partium, ita scriptum reliquit Galenus. Vt autem sermo noster Methodo procedat, »
quæ corporibus insunt omnia distinguamus. Insunt autem primum & maximè »
temperamenta. Quippè quæ propriam particularum substantiam complent. Cor- »
pus enim tale natura est, propterea quòd caliditate, frigiditate, humiditate, sic- »
citate, sic commistum est. Nam carni esse carnem, & neruo neruum, & »
aliorum vnicuiq; id esse quòd est; ob qualitatum quatuor prædictarum, certam »
quandam temperaturam, mistionemque contingit. Hæc igitur eis secundum sub- »
stantiæ rationem insunt. Consequuntur autem necessariò, odores, sapores, colo- »
res,

" res, durities, mollities. Alia verò necessariò accidunt, positio, magnitudo, connexio,
" conformatio. Hæc Galenus. Hippocrates etiam secundo libro Epidemiarum, parte prima, sententia vigesima nona, ex capitis ac ceruicis magnitudine, veluti ex maximè conspicuis partibus, & quæ denudari veluti thorax, aliæq; partes non expostulant, temperamentum dignoscit. Et libro Artis medicinalis, capite vndecimo Galenus. Quando caput magnum formatũ fuit ob materiæ multitudinem, & quando ob robur virtutis informantis, & bonum temperamentum, interstinguit & dignoscit: tum ex cõcina capitis figura, tum ex ijs quæ ab ipso capite ducunt originem:
" scilicet à ceruice si valida est. Et capite vigesimo nono eiusdem libri, Est quidem
" (inquit) & latitudo thoracis caliditatis inditium, nisi cerebrum plurimum obstite-
" rit. Et capite trigesimo septimo, & trigesimo octauo. Hepatis calidioris indiciũ, venarum (inquit) est latitudo: frigidioris verò angustia venarum. Hinc Auicenna
" secunda primi, doctrina tertia, capite tertio, ita scribit. Quintum verò genus, est sig-
" norum ex forma membrorum assumptorum. Quoniam complexionem calidam
" sequuntur pectoris amplitudo, & extremitatum magnitudo. Et ipsarum comple-
" mentum in quantitate earum absq; coangustatione, & sine curtitate. Et venarum
" amplitudo, & earum apparitio, & pulsus magnitudo, & fortitudo ipsius, & mag-
" nitudo musculorũ, & propinquitas eorum ex iuncturis: quoniam operationes aug
" mentatiuæ & compositiuæ, formæ caliditate complentur. Ex quibus manifestum fit, conformationem in significando temperamento, ad secundas qualitates quæ sensibus cõprehenduntur referri debere: pulchritudo enim atq; deformitas, quæ ex bona, aut mala compositione consurgunt, & visu & tactu comprehenduntur. Dubium tamen esse videtur, quomodo ex figura, & conformatione, iudicet Galenus de temperamento, contra ac docuerit. 2. lib. de temper. cap. 14. valida etiam ratione allata: quòd scilicet conformatio sequatur facultatem formatricem, quæ diuersæ originis est, ac diuinioris, quàm temperamentum ex calido, frigido, humido, & sicco, re
" sultans: ita enim eo loco scriptũ reliquit. De hac namq; Aristoteles dubitauit, num
" quid diuinioris originis sit, atq; à calido, frigido, humido, & sicco, res diuersa: quo
" mihi minus rectè facere videtur, qui tã temere de rebus maximis pronũciant, & so
" lis qualitatibus formandarum partiũ causam adsignant. Rationabile enim est, hæc
" organa esse formatorem alium. Dicendum, quòd huiusmodi facultas, plura potest, & mirabiliora, quàm ratio exigit temperamenti: vtitur tamen temperamento, vt instrumẽto opportuno, calidiori ad dilatandũ, & minus calido, vbi minorem cauitatem molitur: quare ex conformatione non ineptè temperamentum indicamus, vt dictum est: nec adeò certum est iudicium, ac si ex solo temperamento penderet, vt secundo libro de temperamentis scripsit. Dicendum secundo, quòd mores animi sequuntur temperamentum, vt ex libro Galeni ad id dicato constat: compositio verò sequitur mores, vt scribitur secundo libro de temperamentis citato. Equinus enim pullus calce ferit, nõdum firmis vngulis: & vitulus cornu, ante nata cornua:

& aues ante prouentum plumarum, alas quatiunt ad volandum, vt scribit Galenus, libro de fœtus formatione. Prius ergo sunt animi mores, quàm instrumenta, instrumenta verò posterius, pro ratione morum tribuuntur. Et ex consequenti, compositio non sequitur immediate temperamentum, sed mores: quod ipse voluit expresse. Gal. 2. lib. de temper. citato. Mediatè vero ad temperamentum sequitur compositio, ita vt ex compositione, temperamentum possit iudicare medicus, & mores physiognomus. Si nanq; vir fœmineam figuram, loquelam, & totius corporis compositionem assumat: naturam, & temperamẽtum fœmineum, ipsi inesse iudicabit medicus: & fœmineos mores ipsi præscribet physiognomus: quòd nimirũ timidus sit cum audacia quadam, detractor, mendax, dolosus, rixosus, & iniustus. Contra vero fœmina, si virago sit: temperaturam habet virilem, & in mores generosos ac viriles assurgit. Hinc adulterinũ esse Hippocratis locum. 2. Epid. par. 5. sent. 4. vbi voce graciles, bonos esse adstruit, merito censuit Petrus Iacobus Steue Valentinus, in commentario ad dictam sententiam. Vngues curui & reflexi, medico siccitatem temperaturæ: physiognomo vero, ob similitudinem compositionis cum auibus rapacibus, latronem esse significat. Palpebrarum crebra nictatio, timidum: fixio ac immobilitas, ingratũ: quoniã in timore & ingratitudinis actu, ita palpebras disponere solemus. Ab oculis quoq; (qui velut fores animæ per ipsos emicãtis sunt) & ab alijs pariter membris, inditia plurima morum sumuntur: estq; in omnibus velut vna ratio, quòd qui ex natura, habuerit membra ita composita vt in actu aliquo ea componere solemus, aut similia animantibus quæ in eo actu excedũt cætera, ad eum actum proni indicantur: ad libidinem (verbi gratia) si superior palpebra nondum ad mediũ deducitur oculi: ad speculationẽ, & meditationẽ, si infra medium extẽditur, cũ mobilitate quadã, & frõtis relaxatione: ad inuerecundiam, si sursum reuellũtur palpebræ, & frõs rugosa est. Magni oculi, bonos arguũt viros, exigui prauos, autore Hipp lib. 2. Epid. par. 5. sent. 1. ab irrationalium oculis argumento sumpto: angues enim, simiæ, & vulpes, et si quæ alia sunt animalia vafra, tenues habent oculorũ acies: oues verò ac boues, & quæcunq; alia bonorũ sunt morũ, & simplicia, latè intuẽtur. Si quis prꝍterea hirto est pectore, hunc audacem indicant physiognomi, vt autor est Gal. lib. 2. de temp. cap. 12. sin cruribus est hirtis, salacẽ: nõ tñ causam adyciunt. Neq; enim cũ pectus habere leoni similẽ dicũt, crura vero hirco, iam primam causam inuenerunt. Siquidem cur Leo quidem audax, hircus vero salax sit, ratio etiam inuestigandum exigit. Hactenus enim quod in re quidem fieri cernitur dixere: causam tamen eius omisere. Cæterum is qui naturali speculatione est exercitatus, sicut aliorum omnium, ita horum quoq; causas inuenire tentat. Propterea enim quòd inæquali partium temperamento sunt, non leo modo & hircus, sed etiam cæterorum pleraq; animalium, idcirco ad alias actiones aliud est pronum. Hæc Galenus. Temperamentum ergo (vt quo sum digressus me recipiam) ex compositione dignoscitur: quoniam facultas quæ nostra corpora fingit,

tem-

temperamento utitur, ut instrumento ad formandum ipsa. Quoniam tamen agens principale non est temperamentum, sed ipsa facultas formans, quæ diuiniorem habet originem, & mirabiliorem doctrinam in pangendo, & formando, ad quam temperamentum non posset attingere: non est prorsus certum indicium quod ex compositione sumitur, ad temperamentum dignoscendum. Accedit etiam minori huius indicij certitudini, quòd huiusmodi facultas, non format animantia immediatè pro ratione & mensura temperamenti, sed pro ratione morum: immediata autem ratio, certior est quàm mediata. Ob id libro de optima nostri corporis constitutione Galenus, necessarium esse non putat, temperatissimam naturam esse optimam: poterit enim licet raro euentu, in compositione deficere: sunt autem hæc ipsius Galeni verba. Quænam optima nostri corporis constitutio est? utrum maximè temperata, ut complures veteres & philosophi & medici senserunt: an necesse est ut quæ optima sit, eadem temperatissima habeatur: non autem quæ temperatissima, eadem necessario optima existimetur? nam cum moderata calidi, frigidi, humidi, ac sicci, temperatio, partium nostri corporis similarium sanitas existat: compositarum verò ex similarium ipsarum conformatione, quæ situ, magnitudine, figura & numero constet: fieri quidem potest, ut corpus aliquod ex plurimis bene temperatis particulis constitutum: ipsarum tamen, vel magnitudine, vel formatione, vel numero, vel quadam inter se ordinatione læsum deprehendatur. Hæc Galenus. Ex quibus constat quòd corpus temperatum in similaribus, potest in instrumentorum compositione male constitui. Quòd verò quadratum, & bene constitutum est, hæc duo necessario sibi annectit, bonam (inquam) similarium temperiem, & officialium commensurationem. Pars etiam, præter corporis cuius est pars commensum interdum constituta, bonam habitum non necessario ob eam incommensurationem amittit, ut in capite magno aduertit Galenus, cap. 11. artis medicæ: quod cum bene ac pulchrè formatum est, bonum est: non enim ex solius materiæ multitudine, sed ex vi & robore virtutis nos informantis prodijt. Et. 6 lib. Epidemiarum, parte. 1. côment. 3. non modò capitis magnitudinem probat, ubi decora ipsius seruatur figura: verum & si acuminatum fuerit, propter alterutrius eminentiæ, præsertim posterioris, quæ ad occipitium est excessum: dummodo eiusmodi eminentia, nec sit valde magna, nec indecora, & valida ceruice sustineatur. Hos etenim homines, tum aliorum membrorum, tum ossium præcipuè viribus valere comperit. Id autem corpus officialium partium exactum commensum dicetur habere (apud Galenum eodem libro de optima corporis constitutione) quod ad instar normæ polycleti fuerit formatum: aut parum aliquid ab ea desciuerit. Hanc ergo normam polycleticam, ad cuius imaginem quadrata corpora æstimet, præ oculis habeat medicus: aut eam saltem quam Petrus Iacobus Stebe Valentinus, describit secundo libro Epidemiarum, parte. 5. côment. 4. qua egregios omnes olim pictores, & statuarios usos fuisse refert, in qua nulla præfigitur certa corporis nostri quantitas, sed proportio. Quare poterit cuiusuis

quantitatis quadratus, boniq; habitus homo reperiri: si modo temperiem habeat similarium partium, & exactam instrumentalium cõmensurationem. Quod Galenus ad finem libri, de optima nostri corporis constitutione, adstruit his verbis. Quod vero » eiusmodi corpus, nec magnum, nec paruum, nec mediocre, necessario statuendum sit, » dictum à nobis est, in libris de temperaturis, sed in proposito etiam opere dicetur gi- » gni quidem magnum corpus ob exuperantem materiam: ob exiguam vero par- » uum: sicuti multo ex ære grandis statua: ex pauco parua conficitur. Nihil tamen ob » stat quin duo hæc corpora, particulas obtinere possint moderatè constitutas. Nam » corpus quod nec densum euidenter sit, aut laxum, neq; durum, aut molle, neq; item » pilosum aut glabrum, quantæcunq; magnitudinis stiterit, temperatissimũ est. Quod » si instrumentariæ eius partes, cõmensum quendam inter se sortiantur, erit profecto » visu sane pulcherrimum, cum absolutissimæ constitutionis existat. Nec obstat quod » paruum caput semper sit reprobum, apud Galenum libro artis medicæ, cap. 11. in hæc verba. Paruum igitur caput, vitiosæ constitutionis cerebri proprium est indicium. » Non obstat (inquam) nam caput paruum dicitur, quod proportione sui corporis est paruum: quod enim corpori paruo ex proportione respondet, non dicitur paruum: quoniam suo corpori paruum non est. Sed quare paruũ, si pulchrum est, ac bene formatum, non erit bonum, similiter ac magnum quod benè formatum est? Dicendum, quod in membris habentibus sua natura cauitatẽ, semper reprobatur paruitas apud Galenum 6. lib. Epid. par. 1. com. 3. vt in capite, ventriculo, ceruice, pectore, vesica, & alijs: quia cum stipatione, & obstructione, recipit materias, & membra continenda: non sic autem reprobari potest amplitudo. Atq; huc vsq; dicta sunto indicia temperamentorum, à temperamenti causis, & essentia, & ab ijs quæ necessario consequuntur, & accidunt. Restat vero indicium ab operationibus sumptum, quod sequens exhibebit caput.

De indicio quod ab operationibus sumitur. Et *nunquid temperati corporis operationes, sint perfectiores.* CAP. XXII.



VANVIS operationes ab anima, eiusq; facultatibus prodeant, non tamen eæ sine temperamento quidquã efficiunt. Animam enim aut temperamẽtum esse, aut sine ipso nihil ipsam operari, scribit libro de substantia facultatum naturalium Galenus. Hinc indicium ab operationibus, ad dignotionem temperamenti magnifacit Galenus, lib. artis medicæ, cap. 8. Temperatissimum nanq; quod simpliciter salubre corpus est, operationũ perfectione, à reliquis intra latitudinẽ sanitatis intẽperatis corporibus distat: ipsa vero intemperata inter se se, ex » eo quod magis, minus ve, in operationibus existit, distingũtur. Ex quo non oportet »

colligere

colligere singulas operationes temperati corporis esse perfectissimas, ita vt in nulla ab intemperato corpore vincatur: sed quòd omnes actiones simul, temperatum corpus habet perfectiores, etiam si vincatur sigillatim in aliquibus ab intemperatis. Nam quanuis ex vnius qualitatis intemperamento, aliqua operatio reddatur perfectior: plus læditur in reliquis operationibus, quàm in ea ipsa quæ perficitur, possit in melius promoueri. Sic si in frigido ventre promouetur appetentia, plus læditur coctio quàm ipsa promoueatur: & in calido plus læditur appetentia, quàm promoueatur coctio: in sicco augetur retentio: & in humido expulsio: plus tamen reliquæ functiones læduntur. In sicco cerrebro sensuum adest perspicuitas, sicut in humido turbulentia, in temperato verò omnia sunt moderata, vt scribit Galenus libro artis medicinalis: est autem hæc moderantia præferenda, & potissimũ deligenda, plus enim læditur siccum cerebrum in facilitate addiscendi, & in propriæ substantiæ nutritione, quæ cum siccitate fit deterius: quàm proficiat ex promptitudine addiscendi. Calidum insuper & siccum temperamentum, ad expulsiones, & agibilium molitiones, reliqua superat temperamenta: sicut calidum & humidum, nutritione & augmentatione præstat, vt scribit Galenus tertio libro de causis symptomatum: longæuius etiam est eodem autore, sexto libro de sanitate tuenda, capite quarto: quod fieri nequit, nisi nutritio sit, quàm in omnibus alijs temperamentis perfectior. Plus tamen in alijs functionibus naturalibus, & animalibus, temperata hæc corpora læduntur, quàm in dictis quæ perficiuntur functionibus promoueantur. Sic homo, quanuis in comparatione ad reliqua animãtia sit temperatissimus, in quibusdã tamen operationibus excedi tur à brutis. Ita enim secundo libro de Anima, scribit Aristoteles. « De odore autem & odorabili, prædictis minus definitu facile est. Neque enim clarum est, cuiusmodi quid sit odor, ita vt sonus, vel lux, vel color. Causa autem est, quòd hunc sensum non habemus exactum, sed multis animalibus deteriorem. Homo enim malè odoratur: & ex odorabilibus nihil sentit præter id quòd est iucundum, & quòd molestum: cum non sit exactum sensorium. Primo etiam libro de Sanitate tuenda, ita scribit Galenus. Omnes cernimus malè, si cum aquilis & lynce comparemur: & confusè oblesèque audimus, si cum melampode: & pedibus peiorum valemus, si cum Iphyclo: & manibus, si cum milone conferamur. » Vulgo etiam hi circunferuntur versus.

Nos aper auditu, lynx visu, simia gustu
Vultur odoratu, præcellit aranea tactu.

Quæ sicut hominis temperatissimi inter animantia perfectioni non obstant, quoniam multæ sunt aliæ functiones, in quibus homo excedit cætera: ita inter homines, temperatissimus, intemperatos excedit perfectione functionum, quanuis in multis earum à singulis intemperatis excedatur. Nullam enim

temperamentum, ad omnes operationes, ita potest accommodari, vt ad singulas sit optimum: quoniam variæ operationes, varia temperamenta optant, ceu familiaria sibi. Sed si omnes operationes simul sumptas, temperatus homo habet perfectiores: cur Galenus, primo libro de temperamentis, cap. 18. ita scribit? Ac medij quidem in vniuersa substantia, communes notæ dictæ iam sunt. Quæ verò in animalium speciebus notantur, actionis perfectione quæ cuique sit conueniens iudicatur. Conuenit autem homini, vt sit sapientissimus: cani, vt mitissimus pariter sit & fortissimus: leoni, vt tantum sit fortissimus: sicuti oui, vt sit tātum mitissima. Et cap. 11. eiusdem libri, ita scripserat. Vbi verò styrpem, animans ve vllum, eucratum dicimus, nequaquam in ea dictione, simpliciter cōtraria inter se comparamus: sed ad naturam vel animalis, vel styrpis referimus. Ficum (verbi gratia) temperatam dicentes, cum talis sit, qualis maximè ficus esse natura debeat. Rursus canem, suem, equum, & hominem, cum eorum quisq; pro sua natura optimè se habeat. Optimè verò se habere aliquid pro sua natura, ex ipsis functionibus intelligitur: quippe animal, ac styrpem quamlibet, tum optimè se habere dicimus, cum optimè suā functionem obeunt. Ficus enim virtus, bonitasq́ est, optimos, plurimosq́ ficus afferre: ad eundem modū vitis, plurimas optimasq́ vuas pendere: equi verò, quàm velocissimè currere: canis, ad venationes quidem, & tutelam, quàm animosissimum: ad domesticos quàm mitissimum esse. Quibus verbis, tantū requirit ab animanti temperatissimo, perfectionem in ea operatione, quæ speciei magis congruit: homini vt sit prudentissimus, non velocissimus, aut fortissimus. Illud enim equo, hoc vero leoni accommodat. Dicendum, quòd Galenus omnium actionum speciei conuenientium perfectionem requirit: ponit tamen exemplum in ea quæ speciei est magis accommoda: quoniam ea est notior, & per ipsam ab altera specie, melius quàm per aliam dirimitur. Non enim equo sufficeret velocissimum esse, si ferox esset, & immansuetus, deformiterq́ formatus, caudam quatiens, & oculos distorquens: ob horum enim singula (quantumuis cursu excellat) equitatui reddetur inutilis, & ab equite reijcietur. Nec homini sufficit esse sapientissimum, si amarulentus sit, elatus, & acerbus,



Quem non vlla magis sermonum gratia mollit,
Quam si dura silex, aut stet marpesia cautes.

Si tristis & perfractus, scurrulis sit ac iocosus, Democriti ac Heracliti more, de quibus Iuuenalis Satyra. 10.



Perpetuo risu pulmonem agitare solebat
Democritus, quoties à limine mouerat vnum
Protuleratq́ pedem: fleuit contrarius alter.

Si male nutriatur & cōcupiscat, si vitijs sit obnoxius. Tēperatus enim homo suapte natura, in omnibus mediocritatē seruat: intelligētiæ, & probitati idoneus est, ad literas, ad arma, ad rēpublicā administrādā, aptus inuenitur. Si solā præterea velocitatē, spectemus ad equi perfectionē: biliosus equus, erit tēperato perfectior: & san

guineus

guineus leo, tẽperato leone robustior: & pituitosa ouis mãsuetior. Et inter homines sicco tẽperamẽto præditus, qui bilis & melancholiæ misturã abundãtius accepit, sapientior erit. Primo, ob quietem sicci, quæ ad speculationem, ac sapientiam est necessaria. Secundo, ob defectum excrementorum conturbantium spiritus, & impedientium discursum. Ob id enim siccitatẽ prudentiæ autorem esse posuit Heraclitus, & ab eo recepit Galenus, libro cui titulus est: quod animi mores corporis sequantur tẽperaturas. Ob idq; senes prudentissimos esse arbitratur: nisi ob frigus " cum iam sunt decrepiti fiant deliri. Omnibus enim (inquit) animi officijs frigus officit. Tertio, quoniã ob bilem velociter discurrunt, & ob melancholiã constanter iudicãt, de ijs quæ discursu inuenerũt, vt autor est Gal. 1. de natura humana, com. 40. " in hæc verba. Est alia præterea consideratio naturalis non contemnenda. Hæc ad " proborum generationem morũ referre quatuor humores docet. Sed hic demonstrasse " se prius conueniat, animi mores corporis cõmitari temperamentis: quam rem alibi " tractauimus. Atq; hoc constituto, animi dexteritas, & prudentia, à bilioso humore " proficiscetur: integritatis, & constantiæ, erit autor humor melancholicus: sanguis " simplicitatis, & stupiditatis: pituitæ natura, ad morum cultum nihil facit, sed in ciborum prima mutatione generari videtur. Hinc Aristoteles, problemate primo libri tricesimi, omnes qui ingenio claruerũt, vel in studijs philosophiæ, vel in republica administranda, vel in carmine pangendo, vel in artibus exercendis, melancholicos fuisse perhibet: quales Herculẽ, Aiacẽ, Belorophontẽ, Lysandrum, Empedoclem, Socratẽ, atq; Platonem, extitisse affirmat. Appellatione autem melancholicorũ, potius veniũt intelligẽdi, hi qui ex bilis ac sanguinis vstione, atrabiliares sunt redditi, quàm qui ab ortu sunt melãcholici. Hi enim ab excrementis, pituitosorum potiùs, quã melancholicorum nomen merentur: vt scribit Galenus, ad finẽ secundi " libri de tẽperamentis, in hæc verba. Non est quòd opinentur, tanquã corpus siccum " est, itidem excrementum quoq; siccum esse. Etenim si quis ab initio sicciore, frigidio " req; tẽperamento statim fuit, is non melancholicus est, sed vtiq; ab excrementis pi" tuitosus. Quòd si ex habitus mutatione, frigidus, siccusq; est redditus: necessariò hic " talis, iam etiam melancholicus est: verbi gratia, siquis ante calidus & siccus, ex " sanguine vrendo, plurimam generauit atram bilem: est enim is præterquàm quòd " siccus est & frigidus, protinus etiã melãcholicus. Sin à principio frigidus & siccus " fuit, habitus quidẽ corporis eius, albus, mollis, depilis, venis, articulisq; parũ expres" sis, gracilis, & tãgenti frigidus, animus verò minimè audax, & timẽs, & tristis: non " tamen excrementa huic melancholica sunt. Hi ergo omnes qui literis, artibus, & ingenio claruerunt: aut melancholici fuerunt ex commutatione biliosæ naturæ, in attrabiliarẽ: aut simul cũ naturali ipsorum melãcholia, bilis ab initio creuit. In istis enim à bile velocitas pendet discursuũ, & à melãcholia firmitas iudicij, vt ex Galeno libro de natura humana retulimus: in illis verò, qui medioeri adustione atrabiliares sũt facti, vtraq; ratio in vno humore cõprehẽditur. Qui verò melãcholici ab

ab initio sunt, quos nec adustio tales effecit, nec bilis simul excrescens illustrat & acuit, hebetes sunt & tardi: sicut & qui immodicè vsti sũt feroces, & audaces. Persimili enim nos alterat affectione, melancholia, ac vinũ, vt scribit Aristoteles. Vbi enim vinũ (inquit) hominẽ frigentem taciturnũq́ à sobrietate accepit, paulo liberaliori poculo refouet, excitatq́ ad verba: tum largiori potu, verborũ vberẽ, eloquẽtem, fidentemq́ reddit: posthac processu potãdi ampliori, audacẽ, propensumq́ facit ad agendũ: deinde plenius amplificato, in contumeliã & petulantiam vertit: mox ad insaniã propemodũ accendit: postremo nimio ex potu resoluit: stultumq́ agit, in modum eorum qui à pueris morbo laborant cõmitiali. Sic melancholia vbi frigida prorsus est, & nullo calore fota: hebetes ac tardos reddit: vbi verò incalescit, & illustratur, ingeniosos & mente aptos: vbi autẽ copiosior est, aut plus iusto vsta, deliros, furentes, audaces, & inordinatim concitatos facit. Ita enim loco citato scribit Aristoteles. Quibus multa & frigida bilis est attra, hi stolidi sunt & ignaui: in quibus permulta & calida, hi perciti, ingeniosi, amantes, propensi ad omnẽ excandescentiam & cupiditatẽ, nonnulli etiã loquatiores. Et subdit. At quibus minus ille calor remissus ad mediocritatẽ sit, ij prorsus melancholici quidẽ, sed longè prudentiores: & quãquã aliqua in parte minus excedant, multis tñ in rebus, cæteris sunt omnibus præstantiores: alij in studijs literarũ, alij in artibus, alij in republica. Nec valet, quòd si cõplexio melãcholica, literis, & intelligentiæ est inepta: dũ in eam vertitur biliosa, sanguinea, aut temperata, in deteriorem, & minus ingeniosam vertatur. Diuersa enim est melancholica ex conuersione facta, à melãcholica ab ortu contracta, vt diximus. Habet ergo tẽperatũ corpus, si omniũ actionũ aceruũ spectemus, omnes operationes perfectiores quolibet intẽperato. Si verò singulas æstimemus seorsum, nullã habet perfectissimã, nec eã quæ propriæ magis cõgruit speciei. Biliosus enim ad arma, & motus corporeos est aptior, quòd scitè expreßit Iuuenalis, sat. 2.

Hispida barba quidem, & duræ per brachia setæ,
Promittunt atrocem animum.

Sanguineus ad nutritionis opera, & venerea præstantior est. Pituitosus castus est, & animum placidum habet ac pacatum, & qui vix vel laceßitus excãdescat. Melancholicus verò, cui aut bilis acceßit permistio, aut ex bilioso talis est redditus, sapientior, prudentior, & in republica administranda æquior est, & qui à cõstantantia susceptoq́ cõsilio, nulla vi abducitur: vt illud ipsi congruere Oratij poßit.

Iustum & tenacem propositi virum
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solida.
Si fractus illabatur orbis,
Impauidum feriant ruinæ.

Nec valet, quòd si sanitas est actionum causa, perfectior sanitas tempera-

tißimi

tißimi corporis, erit causa omnium & singularum actionum perfectiorum. Sed solum inferre licet, quòd omnes temperatißimi corporis actiones probæ, ac perfectæ, proueniunt: quod minor sanitas facere non potest.

Hinc multi diuersorum autorum deteguntur errores. Magna enim autorum pars, bruta acutius & fortius videre, olfacere, & audire: non autem perfectius existimant. Homo quoque (inquiunt) temperatus, perfectius sentit, quamuis qui calido ac sicco est cerebro, acutius & fortius odores percipiat. Cum verò vlterius vrgentur, quomodoque aquila homine imperfectius intueatur: & siccum cerebrum imperfectius quàm temperatum odores percipiat interrogantur, nihil consoni ac vtile respondent. Marsilius ob id perfectiorem visum humanum, quàm lynceum, & cuiusuis alterius bruti sensum appellat, quoniam in nobiliorem potentiam ordinantur humani sensus (putà in cogitatiuam & intellectum) quàm sensus brutorum. Temperati quoque corporis nutricationem, aliasque actiones, perfectiores esse existimant: quoniam in cogitatiuam & intellectum perfectiorem ordinantur. Vis enim (inquiunt) nutritiua, homini data est vt sentiat: sensus vt imaginetur & cogitet: imaginatio & cogitatio, vt intelligat: ergo omnes operationes quæ melius huic vltimæ deseruiunt, sunt perfectiores: quantumuis reliquæ sint acutiores: habet autem temperatus homo intellectum fœliciorem, quàm intemperati: ergo & reliquæ operationes inferiores, quæ in ipsum ordinantur, perfectiores dici debent. Iacobus verò Forliuiensis, omnes actiones temperati corporis putat esse meliores; eo quòd humanæ naturæ melius congruunt, quàm actiones intemperati. Est enim medium temperamentum, humanæ naturæ maximè congruum, & vt ipse dicit proportionatum, ergo actiones medio huic temperamento congruentes, sunt cum humana natura magis consonæ, & ex consequenti perfectiores: non enim aliunde quàm ab huiusmodi consonantia, aptius sumi perfectio potest. Sed falluntur apertè. Primo, quoniam Aristoteles & Galenus, hominem in odoratu vinci à brutis, & in visu ab aquila, ac lynce fatentur: malèque nos horum comparatione sentire scribunt. Secundo, quoniam quinto libro de generatione animalium Aristoteles, acutè videre definit, per minima, & procul discernere: hoc autem appellat Galenus, primo libro de causis symptomatum, capite secundo, perfectam & synceram visionem: sicut & Auerrhoes, tertio colliget, capite tricesimo octauo. Videt enim aquila, quicquid homo videt, & aliquid vltra: totum igitur videt aquila, homo verò partem: totum autem parte est potius. Tertio, nam perfectio, cuique actioni est intranea, & non aliunde debet mendicari: nutricatio ergo ex se, suam habet perfectionem, non ex ordinatione ad sensum, vt in plantis videre est: & sensus ex se, scilicet ex materia circa quàm noscendam versatur, & maiori aut minori certitudine in cognoscendo eiusmodi materiã, vt apparet in brutis. Simili modo & intellectus is est præstãtior,

qui plura & certius comprehendit. Ergo frustra laborant, cum omnium aliarum actionum perfectionem, ex ordinatione ad præstantiorem cogitatiuam, & intelligentiam sumunt. Quarto, quoniam omnes temperati corporis actiones, essent æque perfectæ, si perfectio esset æstimanda, aut ex ordinatione ipsarum ad intellectum (vt voluit Marsilius) aut ex congruitate ad naturā humanam, vt Iacobus: siquidem idem est temperati hominis intellectus ad quem referuntur: & æqualiter sunt omnes eius operationes, proportionatæ & naturæ humanæ congruentes. Cum ergo cuiusq; operationis diuersa sit perfectio: à sui intranea natura, & non ab hisce externis est pensanda. Quinto, quoniam nec si ita actionum perfectionem sumerent, omnes & singulas temperati corporis actiones, perfectiores esse conuincunt. Nam intellectus & cogitatio temperati corporis, in quas ipsas referunt: vincuntur ab atrabiliario per conuersionem temperamento, aut à naturali per bilem illustrato, vt diximus. Temperati enim omnia habent mediocria, ita vt etiam intelligentia & speculatio mediocris, sit ipsis congruentior & magis suæ naturæ proportionata, quàm nimia, & cogitabunda melancholicorū: per quam tamen plenius veritas agnoscitur, & non modo præsentia, verum & futura prædici posse creduntur: vt de Sibilis & Bachis diuino spiraculo instigatis, tradit Aristoteles problemate primo, sectionis tricesimæ. Quanuis enim naturaliter & per ea quæ sunt in nobis, neq; melancholia, neq; vlla dispositio alia, facere possit, vt per nos futura & longe sita diuinemus, aut linguis loquamur ignotis (quicquid de hac re mentierit Leuinus lemnius, lib. 2. de Ocultis naturæ miraculis cap. 2.) melancholici tamen sunt opportunissimi, vt separatus aliquis intellectus, se illis immisceat: Deus (inquam) aut Angelus, aut Dæmon: qui eam diuinationē illis immitat. Nam si Deus, aut Angelus, se immiscet nobis: rationi consentaneum est, ijs maxime se miscere, qui ingenij magnitudine, & excellentia quadam actionum præstant: vt notat Fracastorius. 2. lib. de Intellectione. Si verò dæmon est qui isthæc operatur, in melācholicis præcipuè ea operari censendum est: qui facillimè & in furorem, & in omnē insaniam verti possunt. Sic de Maraco ciue syracusano refert Aristoteles, problemate citato quòd poëta erat præstantior dum mente alienaretur. Sic absonum non est, à dæmone quempiam per expurgans medicamentum liberari, vacuata per ipsum melancholia, quæ aptum ipsum reddebat Dæmonis inuasioni: vt in illustrissima quadam Comite, melancholia redundante, contigisse comperimus: quam Dæmon illudebat, & ad infidelitatem trahere conabatur: per commoda autem præsidia curata, simul à melancholia, & dæmonis conatu, nostra ope (Deo optimo maximo concedente) fuit liberata. Temperati ergo vt vnde digressi sumus reuertamur, omnes operationes habent moderatas: nullam autem summam, sed in singulis ab aliquo ex intemperatis planè exceduntur. Vnde libro Artis medicinalis, capite decimotertio, in cerebro temperato, omnes functiones principes dixit esse moderatas. Et

Auer-

Auerrhous.4.coll:cap.8.signa temperati cerebri memorans, Intellectus (inquit) eius est inter velocem & tardum. Et capite duodecimo artis medicæ, ingenium tribuit Galenus tenui substantiæ cerebri, non mediocri. Et apud Arist. lib.2. de partibus animalium, cap.2. animalia sanguinem tenuem habentia, præstant ingenio: viribus autem & robore, quæ crassum & fibrosum habent: inter hos verò temperati, medium vtriusque sortiuntur. Quo loco animalia comparat inter se Aristoteles, non autem homines inter animalia: aliter enim melancholicus, qui crassum sanguinem habet, non polleret ingenio vt diximus. Sed dubium est, quomodo ingenium, & prudentia, pendeant ex hoc, aut illo temperamento: si causa quare homo cogitatione antecellit bruta, est varietas maior compositionis cerebri humani, vt scribit Gal.7. lib. de placitis Hippocratis & Platonis, cap. 5. Dicendum est, quòd hæc sententia non est Galeni, sed Erasistrati, cuius verba apertè refert ibi Galenus, eaque conceptis verbis reprehendit. 8. libro de Vsu partium, cap.13. vbi probat, intellectum sequi, non compositionis varietatem: sed corporis quod cogitat, atq; intelligit, bonā tēperiem. Nam ipsi etiā asini (inquit) cerebrū habēt admodum perplexū, & varia compositione formatum: quos oportebat si morum spectes ruditatem, ac stuporem, cerebrum habere simplex omnino, & sine vllo plexu ac varietate.

De indicio quod sumitur à repugnantia ad morbos: & nunquid temperatum corpus, magis reluctetur causis morbificis.

CAP. XXIII.



SALVBRE simpliciter corpus, quod temperatum esse diximus, vel èx ipsa nominis significatione, longè à morbis abesse constat. Quod etiam ipsius essentialis ratio definit, salubre enim simpliciter semper (libro artis medicinalis, autore Galeno) aptū est per omnes ætates sanum manere: quoniam ex modo, ac perfectione mistionis, resultat in ipso naturalis quædam potentia, ad conseruandam salubritatem, & effugiendam noxam à causis alterantibus, quæ nos ægrotare faciunt. Sanitas insuper qualitas est, qua actiones fiunt, quaque infirmantibus causis resistitur: maxima igitur, ac optima sanitas est, qua meliores fiunt actiones, & melius ægris causis resistitur. Duos insuper Galenus cap.8. artis medicinalis, constituit terminos inuicem contrarios, optimam scilicet constitutionem, & nunc factam ægritudinem, reliquas verò sanitates in medio collocauit: difficilius autem extremum, permutatur in extremum, quàm in medium. Vnde eodem capite, salubre semper corpus distinguit Galenus à reliquis salubribus, ex eo quod magis, minus ve, in operationibus existit, ac quia causis,

quæ ægritudinem pariunt reliqua non æque resistunt. Et cap. 13. eiusdem libri de tẽperato cerebro dixit, quod ab his quæ extrinsecus occursant, minime læditur: quæ scilicet vel calfaciunt, vel frigefaciunt, vel humectant, vel exiccant. Libro etiam de optima nostri corporis constitutione, omnibus causis morborum, temperatum corpus, magis quàm intemperatum repugnare, persuadet Galenus: quoniam temperatum corpus difficulter corripitur morbis ab exterioribus causis, & ab interioribus: & non sunt aliæ lædendi rationes: ergo temperata corpora à morborum offensis recipiendis, plurimum recedunt, valdeq́ indispositа sunt. Ab externis quidem causis minus læduntur. Primo, quoniam temperatum quod in medio est extremorum, ab vtrisq́ extremis plurimum distat: ergo ægrius ad ipsa extrema dilabetur, per calfacientia & infrigidantia, humectantia & exiccantia, quantum ad vim illatam ab externo alterante attinet. Secundo, ob actionum præstantiã, quibus temperatum corpus lædentibus causis valde repugnat: redditurq́ morbis ipsis difficulter obnoxium. Tertio, ob succi probitatem, quæ difficulter vitiatur à causis externis nos alterantibus: ira, tristitia, vigilijs, imbre, squalore, atq́ pestilenti aëris statu. Ab internis quoq́ causis, quæ ab alimenti excrementis, tum quantitate, tum qualitate redundantibus oriuntur, vix temperatum corpus lædi potest. Primo ob facultatum & actionum in hoc corpore symmetriam, & conuenientiam: ob quam huiusmodi recrementa non gignuntur in ipso: tantum enim appetit quantum conficere potest, & tale quale sui natura postulat. Secundo, quoniam si qua forte fortuna, in hoc corpore recrementa, aut quantitate, aut qualitate nocua proueniunt: ob eandem facultatum & actionum cõmensurationem, antequàm morbos inuehant pellentur. Vt enim appetens appetit pro ratione coctricis, ita expultrix pellit quidquid coctrix sua alteratione extriuerit recremẽti. Tertio, quoniam etiam si interdum expultrix torpuerit, & aliqua excremẽta aceruari siuerit, nullum necessariò ab eis accipit detrimentum: ob validam virtutẽ temperati, quæ lædentibus causis diu multumq́ resistit, vt libro citato de optima nostri corporis constitutione, scribit Galen. Valida enim virtus, quæuis offendẽtia spernit, vt lib. 2. de Causis sympthomatum cap. 5. docuit. Intemperata verò corpora, tam internis, quàm externis vitijs minus repugnant, ob causas contrarias: ad aliquod enim extremum vergunt, ad quod promptè ac facilè labuntur: actiones quoq́ (vt diximus) habent imperfectiores, per quas lædentibus causis minus resistunt. Vitiosos etiam habent succos, quorum ratione morbis facile succumbunt. Incommensuratas etiam habent facultates, & actiones, cuius ratione ij succi gignuntur, & non expelluntur statim ac geniti sunt: sed aceruantur in corpore, morbos, & mortẽ parituri. Ob intemperamentum enim facultas imbecillior, promptiùs læditur, & lædentibus succumbit. Ex quibus non diuersam apud Galenum esse repugnantiæ ad morbos, ac operationum rationem conuincimus: vt enim temperatum corpus omnes actiones edit perfectiores, & in singulis vincitur ab aliquo ex intemperatis: ita omnibus morbis magis repugnat, à singulisq́

gulisq́ morborum generibus facilius comprehenditur, quàm ad contrarium intemperatus, comprehendatur. Rarum enim corpus ab iniurijs externis, facillimè vincitur, difficulter vero ab internis: densum contrario modo se habet: temperatum quod inter hæc situm est, medium inter hæc modum seruat, & velut in medio ac centro omnium excessuum constitutum, ab ipsis extremis vndiquaq́ plurimum distat: vt scribit Galenus libro de optima nostri corporis constitutione. Ob idq́ ab internis & externis iniurijs simul, minus afficitur: & excedentium vtrumq́ aliqua
« in re plus posse videtur. Quod enim (inquit Galenus) ab vtraq́ causa tutum omni-
« no, illæsumq́ sit, deprehendi non potest. Quod verò medium inter exuperantias om
« nes possidet, mediocriter resistit: idemq́ inter vniuersa corpora saluberrimũ cense-
« mus. Similiter & humectantes causæ, quod siccius est moderato: siccãtes verò quod
« humidius, ægre admodum corripient. Quapropter sicuti à nobis paulo superius ex-
« plicatũ est, quod medium dicitur, haud sanè videtur plus omnino quàm cætera cor-
« pora morborum offensis aduersari: sed singulis quidem corporibus aliqua in re infe
« rius est: ante omnia tamen potissimum deligendum. Hinc lib. 8. Methodi, cap. 8. temperatum corpus paratius est febrem incidere, quàm frigidum & humidum, & quàm frigidum & siccum, & quàm frigidum tantum, & quàm humidum tantum. Cum tamen hæ omnes naturæ, sint absolutè morbosiores, & omnium morborum aceruo inspecto, promptius morbis corripiantur: familiaribus scilicet suo intemperamento in quod lapsus est facillimus. Et tertio Aphorism: sententia. 18. de iuuenibus, qui calidi sunt & sicci, inquit Hippocrates, quod melius degũt hyeme, quàm adolescentes qui sunt temperati. Intẽperati verò aliquibus causis morbificis magis resistunt, quàm temperati: quanuis omnium morbosarum causarũ aceruo, magis resistat temperatum. Primi præterea senes, & pituitosi, minus læduntur ex inedia, quàm adolescentes, & temperati, lib. 1. Aphorism. cõment. 13. Libro etiam. 3. Simp. cap. 17. Sturni nutriuntur cicuta, propter stricturã meatuũ, homines autem læduntur & intereũt: igitur homo qui habuerit dictam stricturã, minus lædetur: talis autem erit intemperatus, vt pote frigidus. Auicenna etiam prima tertij, cap. de signis cerebri, citius temperatum corpus canescere, quàm aliqua ex intẽperatis tradit. Et eodem libro cap. de Apoplexia, ex ea magis & ocyus perire scribit, quæ non fuerint cordis frigidi. Ratio præterea efficax hanc sententiam demonstrat, si enim temperatum corpus (quod voluit gẽtilis) omnibus & singulis morborũ causis repugnaret magis: quod temperato etiam est vicinius, magis resisteret remotiori: & ex consequenti, calidum primi ordinis, magis resisteret frigidæ naturæ, quàm secundo aut tertio calidum, valde à temperato distantia: & in temperando corpore minus calido, frigidioribus medicamentis deberemus vti, quàm in temperando magis calido: quod est per absurdum. Præterea causæ contrariæ adhibitæ intemperato, non modo non lædunt, verum iuuant ipsum, ad melius, ac temperatius reducendo: temperatum verò corpus lædunt, quoniam ipsum intemperant: ergo aliquibus causis

nos alterātibus, resistit minus tēperatū corpus, à quibus etiam minus læditur, quàm intemperatum. A calido insuper primi gradus, temperatum corpus calfit, quare intemperatur & læditur: corpus verò secundo gradu calidum potius emendatur, quoniam refrigescit. Præterea temperatura sanguinea magis resistit frigido, quàm pituitosa: in permutatione autem pituitosæ in temperatam: semper est pituitosa, donec sit temperata: ergo toto tempore quo pituitosa permutatur in temperatam, semper minus resistit frigido, quàm sanguinea: si statim ergo ac permutata est, & mediam temperiem subijt, magis resistit frigido quàm sanguinea: ex maiori resistentia veniet in minorē, sine permutatione in æqualem: & ex consequenti latitudo aliqua in instantiali puncto (quod summè vitarunt philosophi) amittetur.

SED contra esse videtur. Primo quod temperatum corpus, virtutem habet validiorem, quàm intemperata: virtus autem est quæ morbis repugnat, ergo omnibus & singulis morbis, magis reluctatur. Secundo, tēperatura media est instrumentum magis accōmodatum, & proportionatum virtuti: ergo melius cum ipsa repugnabit morbis, quàm cum intensiori minus proportionato. Tertio, quod ab excremētis est immune, omnibus & singulis morbis valde est inidoneum, biliosis scilicet, pituitosis, melancholicis, & sanguineis. Quarto, temperatum magis resistit causis calfacientibus quàm biliosus, & æqualiter resistit causis infrigidantibus ac calfacientibus: ergo magis etiā resistit causis infrigidantibus, quàm biliosus. Et ex consequenti, omnibus & singulis alterantibus, magis repugnat temperatum corpus, bilioso: parq; est reliquorum intemperatorum ratio. Quinto valde dubium est, quod Aristoteles problemate. 22. lib. 5. tam parum tribuit corpori temperato in repugnando morbis, quòd facilius cæteris ægrotare tradit, in hæc verba. Quare corpora quæ modice constāt, temperataq; sunt, in morbum sæpius incidunt, & facilius curantur? An vtrumq; eadem de causa euenit: est enim æquabile quod modicum est: quod autem æquabile, id compatibilius est: quam ob rem si qua eius pars laborauit, protinus toto collaborat: immodicum autē contra, vt pote quod seiunctius sit, partium suarum vitia minus haurit, minusq; consentiens est. Ergo sæpius in morbum hac de causa incidit: facilius autem curatur, quoniam malum partium cōmune omnium est: eo nanq; debilius redditur, quo se in plura digesserit: itaq; curabilius est: immodicum verò illud, vt quod rem communem cum partibus non habeat, minus quidem ægrotat, sed difficilius curatur, quoniam malum vehementius vrget. Hæc Arist. Sexto, si omnibus morbis simul, magis resisteret temperatum corpus, homo inter animātia minime ægrotaret: contra verò rem habere experimur, nam medicina longissima cum sit, nouitatibus vincitur, ob noua quæ hominibus incidunt morborum genera, vt scribit Plinius lib. 21. in proœmio.

Dicendum tamen ad primum est, quod perindè ac omnium actionum suma, in corpore tēperato est perfectior, in singulis verò actionibus, exceditur ab aliquibus intemperatis: ita de facultatibus quæ actiones edunt, & morbis repugnant, ferendum

dum est iudicium. Omnium enim facultatum aceruus, validior est in corpore temperato, sigillatim verò singulæ eius facultates, excedũtur ab intemperatis. Naturalis enim facultas, validior est in sanguineo, & ætate puerili: vitalis & animalis motiua, in vigore: cogitatio & intellectus in senectute, & temperatura sicca. Atq; in harum facultatũ operationibus, minus repugnant singulis causis morbificis, temperati quàm intemperati, nisi plurimum creuerit intemperies: quæ valde enim aucta est, deijcit actum propriæ virtutis, apud Gal.2.lib.Aphor.com.20. Facultas autem ob intemperiem deiecta, neutro ex cõtrarijs reluctatur: quia in valde debili, (vt scribit Auicenna.2.1.doct.2.cap.4.) proportionale, & improportionale nocet. Ob id in senectute, excessus quos tollerat iuuentus, non ferimus: quin nec in vergente, de qua dixit Gal.3.lib.Aphor.com.30. quòd ea ætate constituti, omnia vitæ munia, æque atq; illi qui in vigenti ætate consistũt, conantur peragere: non tñ eodẽ modo ad labores sufficiunt. Nam ex adustione, & algoribus, & humi cubatu, vigilijs, atque repletione, plusquam illi offenduntur. Sic decimo libro Methodi, hecticas insanabiles, per potum aquæ frigidæ transfert in marasmum, frigidum affectũ: quoniam vis reddita imbecillis per febrilem intemperantiam, non potuit resistere aquæ frigiditati, quin post febris demolitionem, frigidum crearet affectum. Nono verò libro Methodi, vbi vim ægri validam tractat, ita argumẽtatur. Aqua frigida non lædit sanum temperatum, ergo minus ægrum ipsum iam febrientem, idest validum: nam si inualidus esset, magis læderetur: ob idq; ad potum frigidæ exhibendum, vim validam requirit semper Galenus. Ad secundum dicendum, quòd temperatura media, est instrumentum magis accommodatum, & proportionatum virtuti: quoniam per ipsam omnes operationes, bene & inoxiè operatur: quanuis in singulis, excedatur ab aliquo ex intemperatis. Ad tertium dicendum, quòd licet temperatum omnibus & singulis morbis sit inidoneum: minus tamen inidoneum est biliosum corpus morbis pituitosis, & frigidum morbis calidis. Ad quartũ dicendum, quòd temperatum corpus ex æquo resistit calido & frigido, & magis resistit calfaciẽtibus quàm biliosum, & refrigerantibus quàm pituitosum: non tamen ob id reluctatur tanto magis frigidis quàm biliosum: & calidis quàm pituitosum. Nam quanuis ex parte temperati, resistentia ad vtrunq; contrarium sit par, ex parte intemperatorum est valde impar: ita vt biliosum multo magis reluctetur frigori, & pituitosum calori, quàm temperatum. Locus verò Aristotelis, ex quinto libro poblematum citato, valde est suspectus: ob idq; à varijs ipsum saluare cupiẽtibus, variè interpretatur. Quidam qui nobis magis placent, per commensurata, aut temperata, intelligunt corpora delicatè viuentia, qualia nobilium & vrbanorum sunt: mollia etenim sunt, & rara, facilè paßibilia, facileq; ad cuiusuis partis affectum reliquæ ipsorum partes compatiuntur, & trahuntur ad consensum: facilè etiam sanantur, tum quoniã ex leui causa ægrotant: tum quoniam affectus qui per plures partes sparguntur, facilius vincuntur, quàm qui in vna parte comprehenduntur. Hæc autem corpora,

nec

nec sunt temperata, nec à morbis tuta, nam quo ad vitæ ipsorum rationem attinet, qui viuit in puncto, viuit in dubio: quo ad temperamentum verò, temperatiora sunt rusticorũ, quàm ciuium corpora, vt autor est Galenus, lib. 5. de Sanitate tuenda capite vltimo. Alij verò per cõmensurata corpora, intelligunt habentia temperaturam eiusdem rationis per totum, qualia sunt vniformiter intemperata: quorum nimirũ omnia mẽbra sunt pituitosa, aut biliosa, sanguinea, aut melancholica. In quibus (inquiunt) nulla ipsorum pars, venit in auxilium partis affectæ: sed ob similitudinẽ vniuersæ cõpatiuntur. Isti tñ mihi potius desipere, quàm altius sapere videntur. Primo, quoniã vniformiter intemperata, morbis contrarijs suo intemperamento magis reluctantur. Secundo, quoniam prorsus temperata sunt saluberrima: & æqualiter ac vniformiter temperata sunt. Tertio, quoniam apud Galenum lib. 6. de Sanitate tuenda cap. 12. rarius ægrotant æqualia temperamenta, quàm inæqualia. Alij temperatos à causa externa frequẽtius ægrotare censent, de quibus Aristotelem interpretantur: quia cum in medio sint, non valde discedunt ab vtroq; extremo: ob idq; facilius ducuntur vtrinq;. Ab interna verò causa rarius ægrotant, quia munda sunt ab excrementis, & facultates habent valde cõmensuratas. Sed contra est quod Galenus libro de Optima nostri corporis cõstitutione, tã ab internis quã externis causis, tẽperatum corpus minus lædi probat, vt diximus. Secundo, quod medium est, plurimum ab extremis recedere dixit. Tertio, quoniam ratio Aristotelis de consensu membrorũ: non magis habet locum in externis quàm in internis morbis. Quarto, quoniam nõ saluant alteram problematis partem, quòd vbi temperata corpora ægrotant, facilius sanantur. Nam firmi & qui validis viribus præditi sunt, vbi ægrotant periclitari solent vt scribit Galenus libro. 2. de Præsagatione ex pulsibus cap. 4. & lib. 2. Aphorism. comment. 34. Quo fit vt Aristotelis sententia si vera esse debet, de optimè temperatis non sit intelligenda: sed de mollibus, ac vrbanis, delicata viuendi ratione vtentibus, vt diximus.

Quare autem bruta homine intẽperatiora, paucioribus morbis conflictentur, (ita vt medicina quamuis prolixissima vincatur nouitatibus, ob noua quæ hominibus incidũt morborum genera, vt Plinius scribit lib. 21. in proœmio) causa est, quòd in vniuersum, quò aliqua species est perfectior, eò pluri indiget apparatu ad sui conseruationem. Saxum in annorum millia, ab igne & aqua & alijs iniurijs seruatur incorruptum: quoniam cum minime sit perfectionis, sub latissima conseruatur, & durat dispositione: ita vt quæuis sibi sufficiat. Plantæ ac bruta vt sunt perfectiora, ita ab Solis ardore, ariditate, frigoris inclementia, & humiditate obrruente intereunt: viuunt tamen in aprico, & crudo terræ alimento vtuntur, eoq; bene habent & saginantur. Homines verò perfectissimi, plurimo indigent apparatu, & multiformi dispositione: ob idq; selectissimam postulant viuendi rationẽ, domos, cubilia, vestes, coquos, selecta alimenta, & sex rerum non naturalium mediocritatem, in quantitate, qualitate, & ordine: quam vix vnus è mille seruat, plures enim interimit

mit gula quàm gladius. Otium quoq; non paucos iugulat. Est enim sanitatis velut quodam compendium, non repleri cibis & impigrum esse ad exercitationes. vt scribit Galenus .6. lib. Epidem. part. 4. comment. 21. Nuditas plurimos malè habet, suntq; quibus ne vestes sufficiant pelliceæ: est enim homo, cute corporis proportione tenuissima, autore Aristotele lib. 3. de Historia animalium cap. 11. Sanguine proportione ad alios humores nutritur, quàm alia animantia abundantiori. Ideoq; solus inter animantia, patitur sanguinis è naribus fluores, vt scribit Aristoteles problemate .2. lib. 10. Ideo etiam iecore, & venis est maioribus, vt scribit Aristoteles lib. 1. de Historia animalium cap. 17. Hac certè causa putredinosis morbis, homo plus quàm bruta est expositus: & stercus humanum, ac cadauer, pessimè omnium fœtent, vt scribit Alexander aphrodisiensis, problemate. 29. lib. 4. & inter homines, sanguinei hircos redolent, apud Galenum lib. 8. Methodi. Adde brutis deesse animi cogitationes, & plurium rerum desideria, & anhelationes: quæ nos lædunt, & discruciant. Quod temperatius ergo est in animantium genere, non plus cæteris morbis repugnat: sed quod intra suam speciem, siue hominum, siue brutorum, temperatius habetur, id est saluberrimum, & eam dotem maioris repugnantiæ ad morbos sortitur: dummodo cætera æqualia semper statuantur. Intemperatus enim assuetus laboribus, & victui parum delicato: magis resistit temperato dælicioso qui molliter vixerit. Intemperatus etiam, cui maior fuerit animi fortitudo: validius & morbis, & morti repugnabit. Quosdam enim recenset Galenus, lib. 2. de Symptomatũ causis, qui præ timore interierunt. Et 3. lib. Epidem. sect. 3. cõmen. 38. fortissimos quosdam refert, qui ob id quòd vim sibi intulerunt, oblatos cibos esitando, à peste euaserunt: & alios plurimos, qui mori, quàm comedere potius satagerunt. Quam sententiam Auicenna de Cura febrium pestilentiũ transcribens, dixit: quòd plurimi eorum qui viriliter egerunt, perstiterunt.

De indicio sumpto a longæuitate, & nũquid calida atq; humida natura, sit quàm temperata longæuior.

CAP. XXIIII.



ITA durat ab ortu, vsq; ad interitum animantis: quoniam generatio (inquit Aristoteles libro de morte & vita) est prima vegetatricis animæ cum calore participatio: vita mora eius: mors verò extinctio caloris animã participantis. Is autẽ calor violenter nonnunquã extinguitur, aut sui stipatione, & conculcatione vt in metu, & strangulatione: aut effusione, vt in iugulatis, & ijs qui gaudio deficiunt: aut præpropera consumptione, vt in fame, & ijs qui succorum tenuitate syncopizant, & qui laboribus, aut febribus, aut quibusuis alijs morbis conficiuntur. Hi enim omnes violenter mori dicuntur, quoniam ipsorum calidum

dum violenter ex occasione non intranea sibi extinguitur. Cum verò sui ipsius actione intranea in propriũ humidum, obq; tẽporis transacti longitudinem, natiuus calor marcescit: mors dicitur in animãtibus naturalis, & in plantis ariditas. Hanc temporis longitudinem, & marcorem ex ea prouenientem, rarus est qui assequatur homo: tot sunt pericla quibus violenta morte praeuenimur. Temperatus tamen homo si quis alius, hunc terminum assequi facilius potest: tũ quoniã omni caret immoderãtia, tum ob mediocritatem affectuum: nec enim timidus est, aut temerarius: nec procax, aut à venere prorsus abhorrens: nec laborum patiens, aut sine exercitio: nec parcus, aut vorax. In omnibus enim tum ijs, tum alijs, excessuũ mediocritatem seruat, & ab omni recedit violentia, quae naturalem mortẽ praeuenire potest. Quòd Galenus nos docuit, libro secundo Aphorism. cõment 44. in haec verba. Optimum „ siquidem est, bene carnosum esse natum, hoc est ita commoderatum, vt neq; crassi- „ tudo adsit, neq; gracilitas: tales enim possunt ad longam senectam peruenire. Si „ verò à modo recedatur, melior ad gracilitatem, peior ad crassitudinẽ excessus est: „ angustae sunt enim horum arteriae, ac venae, atq; ob id paucum omnino sanguinem „ & spiritum habẽt: adeo vt cum aetate processerint, celeriter in ipsis vel paruam ob „ causam, calor natiuus destruatur. Graciles autem, hac quidem ratione non pericli- „ tãtur: quia verò partes principales ita affectae sunt: vt nullum habeant munimen- „ tum, à causis exterioribus promptè offenduntur. Qui verò natura quidem medio- „ cres erant, sed victu delicatiore vtentes, postmodum crassi facti sunt: ijs licet caro „ atq; pinguedo adnatae sint, venae tamen atq; arteriae latae consistunt, atq; idcirco in „ eis, calor naturalis minus obnoxius est extinctioni. Haec Galenus. Ex quo loco no „ lim quisquã intelligat, quòd natura sanguinea, sit quàm temperata minus longaeua, si ad vltimum marcorem vtraq; perueniat: nam cum marcor ex humidi proueniat consumptione, tunc durabit magis, cũ absumendum humidum fuerit amplius. Eam ergo quam diximus doctrinam, voluit Galenus statuere: quòd scilicet natura temperata, plus alijs vltimam assequitur senectam: quoniam tutior est, tum à morbis, tum ab alijs immoderãtijs, quae homines ante tempus arripiunt. Vbi tamen per congruam viuendi rationem, sanguineus ad vltimam vsq; aetatis metã peruenit, longaeuior est: & omnes aetates longiores habuit. Quod Galenus cõceptis verbis statuere videtur, lib. 6. de sanit. tuen. cap. 4. in haec verba. Erit id maximè diuturnum, quic „ quid erit minime siccatum: verum cum humida victus ratio, excrementa & succo- „ rum abundantiam pariat: difficile est ita mediocritatem seruare, vt neq; morbi in- „ cidant, neq; senectus maturetur. Quod tamen ad ipsius temperamenti rationem atti „ net, qui maximè sunt humidi, ij maximè sunt longaeui: ijdem & sanitate, vbi cor- „ pus ad robur peruenit, plus caeteris fruuntur: & caeteris qui parem aetatem agunt, „ valentiores ad extremũ vsq; senium sunt. Ideoq; fermè tum medicis omnibus, tum „ philosophis, qui corporis elementa diligenter inuestigarunt, temperamentum id lau „ datum est. Imò etiam vnum id, proinde secundum naturam se habere quibusdam „

" est visum: nam quanquam in principio sit deterius, tempore tamen reliquis præ-
" stantius euadit. Quæ verba si recte expendantur, manifesto excludunt quorundam sententiam, qui volunt Galenum prætulisse sanguineam temperaturam, reliquis intemperatis: non autem temperatæ. Primo, quoniam temperatam naturam Galenum hic non omisisse, eò constat quòd dicit, antiquos hoc vnum temperamentum secundum naturam esse prædicasse. Secundo, quoniam si temperati sunt longæuissimi (vt putant) qui proximè ad temperatos accedunt, calidi nempe tantum, & humidi tantum, essent calidis atq; humidis longæuiores: sicq; nec in comparatione ad intemperatos, verum esset quòd sanguinei sunt maximè longæui. Tertio, quoniam Galenus, hanc temperaturam longæuissimam esse statuit, quoniam tardius cæteris exsiccatur: quæ ratio vniuersalis est, & non minus concludit aduersus temperatã, quàm intẽperatas naturas. Aristoteles insuper libro de Longitudine & breuitate vitæ, cap. 2. ad calidi atq; humidi copiam, pariter ac proportionem, refert vitæ longitudinem: ad inopiam autem, & improportionem, eiusdem breuitatem: hoc vno firmissimo argumento fretus, quòd senectus, & quòd emortuũ est, obarescit & alget. Humidum autẽ non modo requirit copiosum, sed etiam lentum: nam aqueum, quale in piscibus est, licet copiosius terrestrium humido habeatur: defectu lentoris, durabile non est. Inter terrestria verò, sanguinea (quæ humidum habent copiosius, & lentius, quàm exanguia) sunt longæuiora. Et inter exãguia, quæ lentius habent humidum, sunt durabiliora: vt apes, quæ dulce & lentũ humidum habent, quale est mel quo nutriuntur. Plantæ etiam quæ oleosæ, & resinosæ sunt, vt olea, pinus, palma, cupressus, diutissimè viuunt. Quanuis longæuitatis plantarum, causa alia assignanda sit, quæ in animãtibus inueniri nequit: quòd nimirũ semper stirpes iuuenescunt, assiduèq; noua ijs germina, & radices nascuntur, vt eodem libro de Longitudine & breuitate vitæ cap. 3. scribit Aristoteles. Calor quoq; nisi ad proportionem humidi abundet, longã vitam sustinere nequit: nam si sit parcior, ab abundantiori humido obrruitur ac suffocatur: si verò redũdet, propriũ humidũ præproperè exsiccat. Calida ergo atq; humida tẽperatura, qualis sanguineorum est: longæuior reliquis est censenda. (Nam multum ipsius calidũ, copiosum reparat alimentum: & copiosum humidum, tardissimè exsiccatur) si tamen scitum moderatorem sit nacta, qui cõmodã victus rationem ita instituat, vt citra morbos iuuentutem peragat: nam post iuuentutẽ, reliquis omnibus est salubrior, vt è. 6. lib. de sanit. tuẽ. attulimus. Adhæc post iuuentutem, per vniuersam senectã, victus excalfaciens simul & humectãs est idoneus: qui ergo ex dote propriæ naturæ, ea temperatura donatur, longæuior & salubrior erit. Innatus præterea calor, perseuerantiam habet ex humido, vt ignis ex lignis, & lucerna ex oleo: ergò iuxta humidi alentis copiam, durat vt illa: & ex consequenti, cum in sanguineo sit eius maior copia, diuturnior quoq; vita aderit. Sanguinei præterea, plus habent principiorum vitæ, calidi nempe & humidi, quàm temperati: suæ igitur naturæ relicti, nulla ex alimentis instauratione facta, diutius viuunt.

iunt: Per instaurationem autem alimenta similantur membris, ergo tum etiam red duntur temperatis longæuiores. Frigida insuper & sicca corpora breuissimæ sunt vitæ, ergo calida & humida sunt longæuissima, ex contrarijs principijs. Corpus præterea temperatum, licet omnium operationum summã habeat perfectiorem, & omnium etiam morborum aceruo magis resistat, quàm intemperata: in singulis tamen operationibus, & in repugnando singulis morbis, exceditur ab intemperatis. Ergo quantum attinet ad mortem violentã, quæ ex singulis morbis pendet, minus reluctabitur, & citius occumbet: quàm intemperatum, quod illi morbo magis reluctatur: & quantũ attinet ad mortem naturalem, citius deficiet in ipso quàm in intemperato, operatio ea in qua intemperatum præstantius habetur.

SED dubia sunt. Primũ, quòd interitus necessitas ex duobus pendet, ex commistione scilicet contrariorum elementorum, quæ mutuo inter se pugnantia, compositum corrumpunt, & ex recrementorum prouentu: in his autem ambobus temperatum intemperatis præpollere videtur. In primo quidem, quoniam quò temperata sunt inuicẽ permista magis, eò lentius in se inuicem agere possunt: in secundo verò, quoniam temperatũ non plus appetit, quàm possit coquere. Secundum, ex omnium actionũ perfectione vita longius protrahitur: temperatum autem corpus, omnium operationum summam habet perfectiorem sanguineo: ergo est ipso longæuior. Tertium, membra & membrorum partes sunt in temperato perfectiores quàm in sanguineo, ergo & nutritio per quam huiusmodi membra reparantur & in vita perdurant, est quàm in eodem perfectior. Quartum, per temperaturam ceu per conuenientem dispositionem formæ, forma ipsa seruatur in materia, & per intemperaturam destruitur & è materia exploditur: quò ergo huiusmodi dispositio fuerit temperatior, eò erit tuendæ formæ aptior, eámq; diutius ex consequẽti tuebitur. Quintum, sanguineus qui senio decedit, cum maiori calore & humiditate moritur, quàm temperatus: ergo parum ipsi prodest ad longæuitatem maiorem, caloris atq; humoris abundantia maior. Sextum, nam si sanguinea natura esset longæuior, omnes alias temperaturas, temperatas, & intemperatas, ad sanguineã deberemus reducere contra ac Galenus doceat, tam sanguineam, quàm alias intemperatas ad tẽperatam reducere præcipiens.

Horum tamen non est admodum difficilis auditu solutio. Ad primum enim respondetur, quòd potissima elementorum pugnantia, ex qua pendet nostri interitus necessitas, est igneum elementum, humidum nostri corporis exsiccans (vt è libro de Marasmo, & è primo libro de Sanitate tuenda superius attulimus) quod tamen minus exsiccare potest humidum copiosum in sanguineo, quàm mediocre in temperato: etiam cum aliquali permistione, & refractione maiori. Ad secundum verò dicendum, quòd licet omniũ operationum perfectio maior, faciat aliquid ad vitæ protractionem: plus tamen faciunt principia vitæ aucta, natiui nempe caloris & humiditatis copia, & inter operationes nutritio, per quam istiusmodi principia repa-

ran-

rantur & seruantur: quibus ambobus præstant sanguinei. Ad tertium dicendum, quòd temperata membra esse perfectiora, nihil est aliud, quàm esse temperatiora. Ex quo frustra colligunt nutritione perfectiori prouenire: perfectior enim est sanguinei, & puerorum etiam nutritio, per quam plus natiui humidi reparatur: quàm nutritio tẽperati & adolescentis, per quam reparatur mediocre. Quare fallitur Iacobus, humidum tẽperati corporis, melius coctum esse existimans: rursus & aëreũ magis, & pingue. Nã mediocrem nactum est coctionem, nõ perfectissimam. Aëreũ præterea non est, neq; pingue, si enim aëreum sit, tẽperatum esse nõ potest. Aëreum nanq; vocatur, in quo multum aëris existit: quòd tamen calidius atq; humidius sit, perinde ac sanguineum corpus, est necesse. Ad quartum dicendum, quòd temperata cõplexio, aptior est ad seruandam formã in materia: ob idq; plures tẽperati, vltimã senectam attingunt, vt ex Gal. 2. lib. Aphor. com. 44. retulimus. Ob id etiam potissimum est deligenda, vt scribitur libro de optima nostri corporis constitutione. Cum hoc tñ stat, vt sanguineus qui per tuendæ valetudinis artẽ, ad senectutem peruenit, diutius viuat, quàm temperatus, qui vltimam metã assequitur. Ad quintum dicendum, quòd sanguineus humidi natiui copia, adeo excedit reliquos, tam temperatos, quàm intemperatos: vt non modò in vnaquaq; ætate, & in vniuersa vita, ætatibus mensurata, plus humidi debeat resolui, ante commutationem in aliam ætatem, aut mortem: verùm plus etiam eiusdem humidi, debeat in corpore relinqui. Quare hæc duo vera sunt, & secum minime pugnantia. Primũ, quòd sanguineus cuiusuis ætatis, semper est humidior temperato, parem ætatem agente: & cum è vita per naturalem mortem decedit, humidior est temperato similiter moriente. Secundum, quòd maior humidi copia, & longiori tempore, debet in sanguineo resolui: vt è puero fiat adolescẽs, iuuenis ex adolescente, vergens ex iuuene, senex ex inclinante, & cadauer ex sene. Ad sextum autem dicimus, quòd quanuis in longæuitate sanguineus præstet temperato, in multis tamẽ exceditur ab ipso: puta in operationum perfectione, in repugnãdo morbis, & in securitate peragẽdi suũ vitæ cursum. Præstat autẽ securitas maior tẽperati, perueniẽdi ad vltimã senectã, quãuis citius ad eã perueniat: quàm periculum incidendi morbos, ex quibus seniũ interdũ acceleratur, & alias violẽta morte corripimur in natura sanguinea, præsertim cum admodũ lapsa ad calidũ atq; humidum fuerit: tunc enim valde est putridis morbis obnoxia, vt scribit Gal. lib. artis medicin. cap 56. Magno ergo errore tenetur argẽterius, cum 1. lib. de medici officijs, cap. 5. tẽperatam naturã in humidam vertere studet: & humidas naturas exsiccari nõ debere cõtẽdit. Quãuis enim ex ratione tẽperamẽti, humidæ naturæ sint lõgæuiores tẽperatis: ob humiditatẽ tñ excedentẽ, expositæ sunt plurimis morbis grauissimis, plethoricis, reumaticis, putredinosis, & pestilentibus: quibus aut de medio tollũtur homines, aut sæpius ægrotantes citius cõsenescũt. Nec obstat, quòd puerorum natura, humidis sit seruãda: indicatione enim sumpta, ab intemperamenti humiditate, exsiccanda esset. Ne verò puerorum corpora, ad instant

magnitudinem, augeri impediantur ob siccitatem: ideo præeligimus ipsis humectationem, præferẽtes vtilitatem futuram, alicui noxæ præsenti: vt scribit Gal. lib. de victu priuatorum, com. 7. & 1. lib. de sanit. tuenda.

Quem seruent ordinem, in vitæ longitudine, reliquæ naturæ. Et quòd omnia temperamentorũ indicia, ad quatuor fontes reducuntur. CAP. XXV.



Vbiũ attamen est, quem ordinem in longæuitate, reliquæ habeãt intemperaturæ: tum inter se, tum ad temperatam cõparatæ. Sũt enim qui calidam tantum, & humidam tantum, diutius temperata viuere affirmẽt. Primo, quoniam vno vitæ principio, vna quæuis harũ tẽperatam excedit. Secũdo, quoniã calor in vna, & humiditas in altera, ad probam facit coctionem, quæ vitam est prorogatura. Est enim coctio velut elixatio quædam, à calido & humido facta. Vnde libro artis medicinalis, cap. 55. humidior temperatura, melius carnosa quàm temperata statuitur: quoniam scilicet plus in ea sanguinis gignitur, ex quo meliori coctione, melior etiam caro prouenit. Adhæc, si humida tãtum temperatura, æquali humido foret cum temperata, æqualiter ac ipsa resisteret causis exsiccantibus: esset enim omnino temperata: ergo humore aucto magis resistet, augetur enim resistẽdi causa: calor verò potior causa est quã humiditas, quoniã humidũ regit & moderatur: instaurationis etiã est autor, & effectrix. Ergo nõ modo calida & humida, est tẽperata lõgæuior: sed post ipsam calida tãtũ, & post hanc, quæ sola humiditate recedit. Calidã quoq; & siccã, tẽperata longæuiorẽ quidam statuunt: quoniã calor potius est vitæ principiũ, quàm humor: si igitur quantum in calore supra temperatam augetur, tantundem in humore decrescat, vitæ longitudo superabit: ex calore enim magis augebitur, quã ex humidi imminutione decrescat. Frigidũ præterea tantum, & frigidum pariter ac humidũ corpus, si suæ naturæ (citra instaurationem quæ per alimenta fit) relinquãtur, diutius viuent: tardius enim quã temperata exsiccabuntur: ergo lõgæuiora suapte natura sunt. De frigidis quoq; & siccis, argumẽtũ est: Par enim est pportio in corpore melãcholico, exigui calidi, ad exiguũ humidũ: ac in sanguineo, copiosi calidi, ad copiosum humidũ: ergo æquali tẽpore, vtriusq;, humidũ exsiccabitur, & consenescet. Accedit vltimo difficultas Auer. 6. coll. cap. 1. quòd nõ est impossibile, è duobus hominibus æqualiter tẽperatis, eodẽ regimine vtẽtibus: vt vnus (inquit) ipsorũ, ad meliorẽ finẽ quẽ cõsequi poterit, per ipsius naturã deueniat: alter verò, eodem vsus regimine, prauos humores congerat, qui mortẽ inferãt. Ex quo sequi videtur, nec vitam longam, nec minus longæuam, temperati, aut intemperatorum corporum indicium esse.

Dictis sanè dicendum est, quòd nulla ex intemperatis naturis, præter calidã & humidã, est tẽperata longæuior: nã calida tantũ, plus iusto exsiccat, & veluti addurit:

rit: humida verò tantũ calorẽ obruit & suffocat, excremẽtosa enim est, & paulò carnosior. Plus autem lõgæuitati obstat, per caloris suffocationem: quã adiuuet per auctam resistentiam, ad causas exsiccantes. Calida verò & sicca, nullatenus erit tẽperata lõgæuior; quoniam calida tantũ, & sicca tantũ sunt breuioris vitæ, ergo ex vtraq; cõposita intemperatura, singulis ipsis est minus longæua. Nec si calor sit potius vitæ principium, quã humiditas, ob id magis debet augeri vitæ lõgitudo, ex caloris additione, quã imminui ex humiditatis imminutione vt fantur: verius nanq; dixeris, vtraq; ratione, vitæ longitudinem imminui, & quoniam calor additur, & quoniam humiditas imminuitur: diximus enim calidam tantum, & siccam tantũ naturam, minus esse quàm sit temperata lõgæuam. Frigidæ præterea naturæ, si incibatæ relinquantur, tardius pereunt fame, quàm calidæ: quoniã exiguus calor, lentius suum humidum absumit, quàm copiosus. Cibatæ vero, & pro vt cuiusq; natura postulat gubernatæ, longæuiores sunt calidæ: quoniã calor est qui humidũ reparat. Frigida verò & sicca natura, vitæ est omniũ breuissimæ: nam quamuis eadem sit proportio, multi calidi, ad multũ humidũ: pauci, ad paucũ: & mediocris, ad mediocre: non tamen ob id, tã diu tardabitur exsiccatio humidi in melancholico, ac in sanguineo & temperato. Primo, quoniã ab aëre qui semper nos exsiccat, & ab alijs exsiccantibus externis, magis & citius exsiccabitur paucum humidum, quàm multũ. Secundo, quoniam apud Galenum, libro de Marasmo, ignis innatus nos exsiccat: natiuus verò calor, potius reparat quòd ab igne innato dissipatur; quã exsiccet nos. Reparat autem plurimum in sanguineo, ob sui multitudinẽ: minus in tẽperato: paucissimum verò in melancholico, ob paucitatem sui. Quòd verò duo homines temperati, vno, & eodẽ victu vtentes, diuersam sortiantur fortunam: & alter sit longæuus, & valde salubris, alter vero morbosus, & breuis vitæ: astrologi, & genethliaci (quorum nos sententiã aliàs improbauimus) ad astra referunt. Auerrhous verò ad infinita quæ in materia sunt præparamẽta, sensibus etiam ignota, quæ indiuiduales affectiones appellamus. Medici verò satius dicent, temperiem mediam posse in toto consurgere, aut ex membris omnibus bene temperatis: aut ex intemperatis, contrario tñ temperamẽto præditis. Qui illam nanciscuntur, longæui sunt, & saluberrimi: alij verò morbosi & breuis vitæ. In eodem præterea victu quo vtuntur, deceptio contingere potest: hic enim fortè plus veneri, ebrietati, labori, & mœrori: ille sobrietati, & tempestiuo exercitamento, aut data opera, aut fortunæ beneficio indulsit. Quare longæuissima natura, calida est atque humida: post hanc temperata: hanc sequitur calida tantum: post hanc humida tantum: deinceps calida & sicca: post hanc sicca tantum: deinde frigida & humida: mox frigida tantum: vltima & breuissima, frigida atque sicca. In quo ordinẽ, siccam tantum naturam præposuimus frigidæ atque humidæ (secus ac hali & alij faciant) nam calor mediocris qui in sicca reperitur, efficacius est vitæ principium, quàm humor. Quod ex calidis, siccisq; corporibus, intelligere possumus: nulla enim alia ex causa, frigidis

& humidis longæuiora sunt. Expedit tamen in compositis tēperaturis aduertere, hunc ordinē esse intelligēdum, secundū æqualem vtriusq; qualitatis excessum: nam si magis vna quàm altera exorbitet, variari potest ordo, tum longæuitatis & salubritatis, tū reliquorū indiciorū, iuxta vim ac potestatē qualitatis quæ præpollet: vt docuit Galenus, libro artis medicinalis, à capite quinquagesimo quinto, in quinquagesimum nonum: vbi postquam calidæ atq; humidæ temperaturæ, secundum æqualem excessum signa tradidit, ita scribit. Si verò parū humidior sit, multo verò calidior, molliores quidem parum huiusmodi sunt; his qui bonam habent temperaturam, & magis carnosi: non verò parum hirsutiores, & tangentibus non parum calidiores: nigri verò illis capilli, & caro pinguedine caret. Si vero paulo calidior, multo verò humidior, mollis his caro est, & multa, & color commistus ex albo & rubro, & tangentibus paulo calidiores: & vt summatim dicam, in omnibus temperaturarum coniugationibus, semper superexcedentis qualitatis indicia eminebūt. Et de calida & sicca dixerat, quòd si multum in caliditate excedat, color quoq; cutis niger illi adest. Et de frigida & humida subdit. Si verò qualitatum augmentū fuerit inæquale, eius quæ superexcesserit indicia eminebunt. Et de frigida rursus & sicca ita scribit: Vbi igitur altera qualitas plurimum dominatur, altera vero parum à mediocritate recedit: superabunt eius quæ dominatur; exilia autem erunt alterius qualitatis indicia.

Dicta ergo sunt nobis indicia temperamentorum, à causis temperamenti, ab essentia eiusdem, ab effectibus, aut casibus quæ temperamentum necessariò consequuntur, & ab operationibus quas edit corpus, hoc aut illo temperamento præditum. Ad quas repugnantiam ad morbos, & lōgæuitatem reduximus. Ad eas quoque humores abundantes, & excreta referre oportet: quoniam temperatum iecur, omnium humorum massam æquabili proportione conficit: calidum & humidū, quartam sanguinis substantiam supercrescentem: calidum & siccum, bilem redundātem in massa gignit. Ventriculus etiam igneus chilum conficit adustum, frigidus verò acidum. Ex quibus vrinæ, ructus, sudores, & alui recrementa ad proportionē talia redduntur, vt temperamenta nobis possint mostrare: quoniam nostri corporis succi, pariter & excreta, opera sunt, & velut fines operationū immanentiū: ex quibus tēperamenta vtilissimè deprehenduntur. Quorum tamen doctrina, nimis lōga hic esset, & superuacanea: quoniam alijs locis traditur per speciales tractatus, de humoribus, de vrinis, & de reliquis alijs excretis. De quo tamen aduertere expedit, quòd nō semper ex supercrescente succo, indiciū similis tēperaturæ est verax, sed multifariā fallit. Primo, si ex victu, humores tēperamento natiuo cōtrarij fuerint aceruati: quòd per morbos improportionales, naturæ, aut ætati, aut habitui, videre est. Secundo, cum per incoctionem natura melancholica pituitam gignit, vt docet Galenus, ad finem secundi libri de temperamentis, in hæc verba. Non est quòd opinentur, tanquā corpus siccū est, itidē excrementum quoq; siccū esse. Etenim si quis

ab

ab initio ſicciore, frigidioreque temperamento ſtatim fuit, is non melancholicus eſt, ſed vtiq; ab excrementis pituitoſus. Senectus etiam frigida atq; ſicca, antiquis viſa eſt humida, ob eandem pituitam incoctione genitam, vt ſcribit Gal. lib. de victus ratione priuatorum, com. 7. Tertio, ob deceſſum humoris alicuius ad vnam partē, cuius ratione in alijs deficit: vt in eo cuius totus habitus pituitam præ ſe ferebat, & quotidie bilem rufam euomebat: cuius meminit Galenus, libro artis medicinalis, cap. 70. Sic quidā reliquo corpore frigidi exiſtentes, iecur aut cor calidum habent, quoniam eò calidi humores deriuati ſunt: vt ſcribit Galenus, ſecundo libro de temperamentis, capite duodecimo, in hæc verba. Nec ſi cui thorax hirſutus eſt, huic totum corpus calidius, ſicciusq́, ex neceſſitate putandum: ſed plurimum in corde caloris eſſe, eoq́ audacem. Poſſe verò aliquando etiam huius ipſius rei occaſione accidere, quo minus totum his corpus ſimiliter calidum ſiccumq́ ſit, quòd ſcilicet plurimum caloris, ſurſum huc ſpirauerit, atque in partem continentem euacuatum ſit. Sigillatim verò in hoc tractatu de temperamentis, operationes ſingulas referre, animales, naturales, & vitales, præter ea quæ hic in genere dicta ſunt, minime expedit: Quoniam quædam, tractatus habent peculiares, longiori perſcrutatione indigentes, vt pulſuum, & reſpirationum doctrina: quædam verò, dum partiū ſingularum temperamēta iuſtitialia, ipſorumq́ ſigna tradūtur, locū tūc habent opportuniſſimum: nam huc vſq; temperamenta partium ſingularum, in ordine ad cutim tradidimus: dū claſſes calidorum, frigidorum, humidorum, & ſiccorū digeſſimus. Temperamenta verò ad iuſtitiam, per quam vna quæuis pars, in ordine ad medium ſui generis, calida eſt, aut frigida, aut temperata: & ſigna quibus huiuſmodi ſingularū partium tēperamēta deprehendātur, cum intra naturæ limina conſiſtūt, traduntur à Galeno. 2. libro artis medicæ, ſicut cum naturæ metas egrediuntur, libro de accidenti & morbo, & de locis affectis. Auicenna verò, tertio libro, tam naturalia, quàm morboſa, antequam ſingularum partium morbos aggrediatur vtiliter explorat. Et ea nos Deo optimo maximo cōcedente, iſtis aliquando addemus. Indicium verò aliud omnibus commune, ab alteratione externa deſumptum, cuius meminit Galenus, libro artis medicæ, cap. 59. ad repugnantiam morborum, de qua egimus, referri debet: ita enim eo loci ſcriptum reliquit. In omnibus verò de quibus ſupra diximus, & poſtea dicemus, commune eſt temperaturæ indicium, ſi membrum facilè frigeſcit, vel frigiditatis, vel raritatis: ſi verò non facilè, vel caliditatis, vel denſitatis. Si verò à deſiccantibus offendatur, & aridum & ſiccum, & non facilè mobile fiat, ſiccitatis: quēadmodum & ſi ab humectātibus grauiter ſe habeat, humiditatis. Hæc Galenus. Alij verò expeditius, ab alteratione externa, calidam ac frigidam temperaturam, à raritate & denſitate interſtinguere docent: quoniam ſi facilè calfit, & refrigeratur, ex raritate eſt: ſicut ſi difficulter vtranque ſubit alterationem, ex denſitate. Si verò facile calfit, & difficulter refrigeratur, calida eſt temperatura: ſicut frigida, ſi contrarium contingat. Ad repugnantiā verò

morborum, hoc indicium pertinere constat: quoniam facilè aut difficulter ab alterantibus affici, magis aut minus repugnare est: ut è libro Galeni de optima nostri corporis constitutione, superius innotuit.

De temperamento potentiali.
CAP. XXVI.



RACTATUI de temperamentis, caput mendicatum ex doctrina simplicium facultatum annectunt autores, de temperamento potentiali medicamentorum. Quomodo scilicet opium, cicuta, & mandragora, nos vehementer infrigident: piper, & euphorbium calfaciant: cum tamen tactui, qui tangibilium est rectus iudex, utraq; aut frigida, aut parum in qualitate dissidentia iudicentur. Cur enim frigida, aut calida medicamenta, non sentiuntur tangentibus frigida aut calida, pro sui intemperamenti ratione, inquirunt quidam. Quorum dubitationem paruipendens Galenus. 3. lib. de temp. cap. 2. Hoc (inquit) haud scio cur dicant. Nam si energia, ac iam nunc calidum esse, prædictorum quodque diceremus, profecto mirari liceret, quomodo tangentibus non appareant calida: nunc quòd possint facilè calida esse, idcirco ea potestate talia vocamus. Quibus verbis patet, ob id Galenum, medicamentorum contrariorũ temperamenta, tactum fugere, & similia ferè apparere censuisse: quoniam non sunt energia, & actu talia, sed potestate. Actu talia appellat, quæ citra ullam transmutationem vim habent alterandi nos, ut quorundam sophismata euitemus: ignis enim longè dissitus à nobis, quanuis nos non calfaciat actu, actu est calidus: motus præterea, sol, & lumen, quanuis calorem non habeant, actu calidi sunt, ut. 3. lib. de temperamentis, cap. 2. scribit Galenus: qui ineptè eò loci, à Hieremia reprehenditur. Potestate verò talia, ea esse decernit, quæ actu talia non sunt qualia dicuntur, permutatione tñ talia euadunt: eaque triplici significato comprehendit. Primum est, eorum quæ suapte sponte, ex interno principio, eam permutationem subeunt: ut catulus potestate est venator, puer potestate est rationalis, & iuuenis potestate est frigidus, quoniam citra externum principium, venabitur, & ratiocinabitur ille, senescet autem hic. Secundum est, eorum quæ non ab interno principio permutantur, sed ab externo: ut stupa, aut palea, potestate est calida, quoniam dispositionem habet, raritatem nempe, & substantiæ modum, ut ab igne, facilè accendatur. Sic & resina, oleum, & pinguedo, non modo ab igne, verum etiam à nostro calore accendũtur. Ob idq; febricitantes, & erysipelas, ab eis arcemus. Sanguis etiam potestate est caro, quoniam minimam mutationem, ad carnis generationem requirit: quàm tamen nõ à se, sed à mẽbris, nostroq; calore, continenter & immediatè assequitur. Sunt etiam in hoc genere, materiæ quædam magis remotæ, inter quas & qualitates quæ debent induci, plures una

transmu-

transmutationes intercedunt: vt cibi externi, sunt potestate caro, inter quos tamen & carnem, ignis apparatus, oris contritio, chili in ventriculo, & sanguinis in iecore confectio, & diuersorum recrementorum sequestratio intercedunt. Dicitur etiã æquiuoca quadã ratione aliquãdo, potestate esse id quòd ei quod ex accidẽti dicitur, est ex aduerso oppositum, eodem capite secundo, tertij libri de Temperamentis à Galeno. Sic enim frigidæ lauacrum, æstatis tempore, in iuuene bene carnoso, rigidos neruos calfacit ex accidenti, non propria potestate, vt quinto Aphorismorum traditur. Rursum calida quoque ipsa, sæpenumero refrigerat, excalfacientem nimirum humorem digerendo: non autem propria potestate, vt scribit Galenus, primo libro de simplicium medicamentorum facultatibus, cap. 2. Vnde ne nos fallat huius æquiuocationis potestate talium nomenclatura: eius apertè nos voluit aduertere Galenus. 3. lib. de simplic. medic. facult. cap. 2. vbi interdum quale potentia opponi quali per accidens, interdum verò quali actu, scriptum reliquit. Ex dictis ergo potestate talium significatis, quod maximè medicamentis conuenit, secundum significatum est: non enim in actum veniunt respectu gradus secundum quem dicuntur potestate talia, nisi ab externo principio initium alterationis sumant: quare primum significatum non conuenit ipsis. Vltimum verò, à primis duobus non distinguitur: quin præter illa duo, actu etiam talia comprehendit. Quod enim per se, & propria potestate est tale, diuiditur tertio libro de Simplicium medicamentorum facultatibus, capite secundo: in id quod est tale actu, aut energia, & in id quòd potestate est tale: ob idque eius ibi nos admonet æquiuocationis, vt diximus.

Quid ergo recipiunt à nobis medicamenta potestate talia, vt actu talia fiant? si calorem quomodo actuantur frigida? & quomodo calida, ab exiguo nostri corporis calore, in vehementissimum calorem assurgunt? nihil enim vltra suum gradum agere in cõfesso est. Quomodo intem calor atq; frigus, ab vno calore nostro produci possunt: si idem quatenus idem, vnum semper agere est natum? Si frigus quomodo actuabuntur calida? & quomodo coctione ventriculi, in qua calor abundat, operari potest frigus? Si calida verò (vt quidam existimãt) actuari calido, & frigida frigido tradas (ea ratione, quòd cum calor naturalis calido constet & frigido, vtraq; qualitate initium alterationis vtrisq; medicamentis præstare est potis: ipsa verò medicamenta, ex eo initio ob subiecti dispositionem, hæc in calore, illa verò in frigore, ingentem progressum faciunt) in plura incides incõmoda. Primo, quoniam in ventriculo viget calor, non ergo actum suum frigus in ipso potest exercere. Secundo, quoniam frigus non ingreditur opera naturæ. Tertio, alimẽta frigida quæ vim habent medicamentosam, actuantur coctione, coctio autem calore non frigore perficitur. Quarto, ad actuationem frigidorum, opus est dissolutione, & diuisione partium: hæc autem calido perficitur, non frigido: frigidum enim congregat, tam omogenea, quàm etherogenea.

X 4 Tam

Tam difficilis & lubrica, hæc est hæsitatio, ut omnes ferè artis medicæ professores, in peregrinas & penè ridiculas phanthasias inciderint. Auerrhous, quinto libro colliget, capite tertio, medicamenta in nobis verti in chilum, & sanguinem tradit: in qua mutatione introducitur noua forma substantialis, ad quam consequitur complexio ex natura formæ, frigida in opio & mandragora, & calida in pipere & euphorbio. Qua complexione recenter nata, & nullatenus ante huiusmodi conuersionem in medicamentis præexistente, medicamenta ipsa nos alterant, calfaciendo aut infrigidando vbi assumpta sunt: & in hoc sitã esse essentiam medicamentorum potẽtialium arbitratur. Contra tamen est. Primo, quòd de ratione medicamenti, est non conuerti à corpore: non ergo ex ipsis gignitur chilus aut sanguis. Secundo, quòd medicamenta alimentosa, quæ quatenus subeunt rationem alimenti, conuerti possunt: ante quàm conuertantur nos alterant: è quis enim se refrigerari à lactucis & portulacis, & calfieri à nasturtio aut sisymbrio, recens ingestis non sentiat? nam statim ac linguã contingunt, ipsam inflammãt hæc, & refrigerãt illa. Tertio, quòd extra applicita nos alterãt, & in chilũ verti nequeunt. Thurisanus, tertio libro artis medicinalis, comment. 36. medicamenta potentialia in nos operari tradit, per receptionem non qualitatum primarum, sed aliarum operantium similiter vt primæ, ad quas recipiendas ipsa erant disposita: vt enim ignis, nec albus, nec niger existens, lapides quos calefacit albos reddit, & actum ipsis impertit, visum disgregandi: ligna verò in nigros carbones, & actum congregandi permutat, ob solam materiæ præparationem: ita natiuus noster calor, in piper agens & opiũ, ipsis impertit formas, & actus contrarios, ad quos sunt præparati, huic infrigidandi, illi verò calfaciendi, citra id quòd calorem, aut frigus inducat. Nam sensu constat, medicamenta eiusmodi, nostrum corpus calfacere, & infrigidare: eas siquidem alterationes, ab ipsis patimur: Constat etiam nec valde calida, aut frigida reddi: si piper enim, aut allium, ventriculum deurens, aut opium perfrigerans, vomitu pellatur in manum, tepere tantum vtrumque deprehenditur. Ab alijs ergo, præter calorem aut frigus formis, quæ nos calfacere, & refrigerare vt illæ possunt, huiuscemodi actus pendent. Nihil enim absoni esse censet, formam aliam à frigore infrigidare, & formam quæ non sit calor, nos calfacere: exemplo solis, luminis & motus. Contra vero est. Primo, quòd medicamentum cum ex sui ratione vincat, & non vincatur: non couertitur nec transmutatur in aliam formam. Nec si transmutandum esset, tam breuis eius contingeret transmutatio: piper enim pulueratum, statim ac linguam attingit, deurit ipsam. Secundo, medicamenta ex complexione agunt: complexionem autem ex elementorum commistione nanciscuntur: non ergo recipiunt à corpore actum, siue formam qua operantur. Tertio, medicamentum primo gradu calidum, non posset per qualitatem quæ nec est calor, nec frigus, calfacere corpus temperatum, & refrigerare biliosum, quod (verbi gratia) secundo ordine caleat: nam

qua-

qualitas quæ medicamento calido in primo, à nostro corpore inducitur, vim habet calfaciendi, non autem refrigerandi: si ergo huiusmodi medicamentum refrigerat biliosum, ex complexione ipsius medicamenti, quæ calido constat & frigido, refrigerat ipsum, & excalfacit temperatum. Quarto, nam cum omne medicamentū calidum, calfaciat minus calidos, & infrigidet magis calidos: necessum est. vt calorē atq; frigus, certis gradibus agentes, in medicamentis confiteamur: aut non vnā qualitatem quā statuunt, sed binas gignāt oportet. Conciliator diff. 140. qualitates medicamentorū potentialium, præsertim frigidorū, propter fugā à circunstanti calido ventriculi, antiparistasi quadam augeri, & ad actionem promoueri tradit: exēplo calcis, quæ aqua frigida perfusa, ebullit & valde calefacit: quoniā aquæ frigus (vt ipsi videtur) meatus obturans, calorē intus cogit & roborat. Contra tamen est. Primo, quòd calx nō minus efferuescit aqua tepidà, aut calida inspersa, quàm frigida: huius ergo effectus causa, non est in antiparistasi sita. Secundo, quòd si calor aut frigus medicamenti, roboratur ob fugam à calido ventriculi: multo satius ventriculi calor, ex altera parte deberet roborari, propter fugam à vi contraria medicamentorum: quoniam ab animæ regitur facultatibus. Tertio, quo medicamentum est crassius, eo roborationi per antiparistasim contingenti, est opportunius (nam in antiparistasi contrarium, habet rationem circunstantis, & non penetrantis) comminutio verò medicamentorum est necessaria, vt suam exerant vim, & actionem: non ergo antiparistasis quàm fingunt est causa. Quarto, quoniam opium, soli aut igni expositū, à calore externo circundatū, nō redditur frigidius: ergo nec in ventriculo ea ratione frigescet. Quod monstrat opiati medicamenti, & ipsius etiam opij, per vomitum tepida reiectio, non frigida. Gaspar Lopius, in suo ad librum Galeni de Temperamentis commentario, hanc conciliatoris sententiam sequi videtur, non minus in calidis, quàm frigidis medicamentis: vtrisque enim aduersatur natiuus calor, qui dum vtraque corrumpere atque conficere laborat, ipsa suarum naturarum quàm obseruantissima, ne à natiuo calido, suæ ipsorum mistiones corrumpantur, suas exerunt, atque intendunt qualitates: non enim alia arma, sibi à natura tributa sunt, quibus se tueantur. Hancque esse perhibet, potissimam cuiusdam antiparistasis rationem. Contra tamen sunt omnes aduersus conciliatorem dictæ rationes. Et insuper quòd antiparistasis vocabulo malè vtitur in omni corruptionis periculo. Et item quoniam ex ea ratione, temperamenta actualia, essent etiam potentialia: quoniam qualitates actuales, dum in periculo corruptionis sunt, & à contrarijs vincuntur, non minus, quin imò magis ac melius, quàm potentiales intendi solent. Accedit quòd medicamenta naturam potius vincunt, quàm vincantur: & in periculo corruptionis quòd statuit, ferè nunquam sunt. Quò præterea minori dosi exhibentur, eò magis ex dicta ratione deberent augeri medicamentorum qualitates, et suarumque effectus: quoniam in maiori corruptionis periculo tunc constituuntur:

ob corruptionis præterea periculum, augeri potest conatus agendi: non autem intensio. A se ipsis enim, quantumuis in periculo constitutis, intendi nequeunt: quoniam nec in se metipsum, nec vltra gradum suæ perfectionis agere potest quicquã. Qualitates præterea potentiales, seruantur post corruptionem mistionis, & formæ medicamenti: non ergo est cur tantum in subsidium mistionis medicamentorum consurgant dictæ qualitates, & ad agendũ exuscitentur. Quod si exuscitantur in corpore, cur non exuscitabuntur, cum extra corpus ab igne, aut extrario aliquo agente corrumpuntur. Pellis præterea vulpina extra admota, calefacit citra mistionis dissolutionem, & sine vllo corruptionis periculo.

Dicendum ergo ex Galeno est, quod medicamenta tam frigida, quàm calida, semper habent in se, & antequam corpori applicentur, qualitatem suam intensam: impeditam tamẽ, ne actu pro suæ naturæ ratione operetur. Ob idq; eius actuatio, nihil est aliud, quàm dicti impedimenti detractio: eo enim detracto, necessariò infrigidant quæ frigida sunt, & calfaciunt calida. Vt enim graue non descendit, nec leue ascendit, nisi remoueatur prohibens (cũ tñ idem principium, et naturam effectricem ascensus, atq; decensus, habeat in se in præsentia prohibẽtis, & prohibente remoto) Ita calida atq; frigida medicamenta, frigus atq; calorem suæ naturæ respondentem, semper habent eundem: qui tamen ante impedimenti detractionẽ non operatur: operatur tamen & alterat impedimẽto remoto. Sic lapidis qui in pariete est grauitas, non sentitur à tactu quãuis exactissimo, nisi subleuetur: sic enim remouetur complantatio (apodiationem vocant) prohibens sensationẽ eius. Sic aqua feruens quanuis sua natura sit frigida, non infrigidat nos, prius quam spolietur calore extrario impediẽte. Sic in medicamẽtis, alterationẽ ipsorũ impediũt, crassities suarũ partiũ, & alteratio ipsis illata à continente. Nam in calidis medicamentis, si exiguum ipsorũ frustum accipiamus, extima superficies à continente refrigerata, calfactionem impedit: si verò in aceruum ipsorum manus indamus, vehementer calorem percipimus, vt scribit Galenus, lib. 3. de simp. medic. fac. cap. 21. in hæc verba. Verisimile siquidem est pleraq; eorum actu esse calida, sed idcirco nos fugere, quoniam aut ipsi plurimum habeamus caloris, aut crassa eorum essentia sit. Redigamus enim eadem rursum in memoriam, nempe quod in balneo frigida videatur vrina: itidemq; memoria repetamus, quod cum in solium calidum descendere non valeremus, aliud prius minus calidum ingressi, nullo negocio quod antea intolerandum videbatur, postea pertulerimus. Quin & aqua fontium tempore hyberno, quibus manus algent tepida apparet, cũ alijs minime videatur eiusmodi. In summa enim (id quod antea quoq; diximus) pro suo vnumquodq; affectu, corpora admota sentire consueuit. Sic ergo si manum habens frigidam, eam in trititici aceruum immiseris, luculenter calorem percipies, sin calidam neqiiaquam. At si stercori columbino accumulato, potissimum siluestrium columbarum, manum inseras etiam si calidam, manifestam tamen sentias caliditatem. Sic misy, sory, chalcitis, ærugo, calx, aliaq; id genus innume-

ra,

" ra, si illis aceruatis, manum altius iniicias, protinus videbuntur esse calida. Cæterum si bolum ex eis vnum acceperis, cuius extrinseca superficies, ab ambiente extrinsecus aere sit refrigerata, meritò nullum percipies calorem: quippequi refrigeratas tantum eius partes contingas, idq; antequam in minutas redacta sint. Ad eundem modum hyeme sæpenumero tum putealis, tum magis fontalis, calida tangentibus est visa: verum si quis calfactis prius manibus contigerit, frigida videbitur: memorarique sanè possint alia id genus infinita, quibus facilè abduci quiuis possit vt credat; medicamenta potestate vt ad nos calida, alteri animantium generi actu esse calida. Quibus Galeni verbis, constat primo, quòd calida medicamenta plurima, actu calida sunt. Secundo, quòd quæ nostri comparatione sunt potestate calida: frigidiori animantium generi comparata, actu calida erunt. Tertio, quòd frigus ambientis, & partium crassities, impediunt continentem ipsorum sensationem: tum quia ante comminutionē, nec penetrat, nec ab arterijs intrò trahitur: tum quoniam partes igneæ, vt pote tenues, sæpe sub terreis crassis, ante comminutionem delitescunt. Quibus impedimentis remotis, statim nos calefaciunt: remouetur verò à natiuo calido tum calfacta, tum tenuata. Frigida verò medicamenta, quibus ambientis frigiditas non potuit obesse ad refrigerandum: non indiguerunt calfactione, sed partium maiori attenuatione: quoniam crassiora magna ex parte, quàm calida habentur. Vtraq; ergo, tam calida quàm frigida, actu habent calorē, atq; frigus, pēdentem ex propria commistione, & elementorum exuperantia. Vtraque etiam sunt, & verè dicuntur potestate talia: quoniam neutri ipsorum, sine corporis nostri auxilio agere licet. Quod expressis verbis voluit Galenus, tertio lib. de Simpli. medic. fac.

" cap. 20. in hæc verba. Quam ob rem eius quoq; nunc protinus meminisse oportet, veteres medicamenta natura frigida, potestate dixisse frigida. Nam ea quoq; quadantenus refrigerādi potentiā à nobis accipiunt, sicut excalfaciendi calida. Quòd si alio modo illa, alio verò ista, nihil vtiq; refert: generale enim idem communeq; vtrisq; est, nēpe alterationis principiū ex passuro corpore, in acturum medicamentū procedēs. Nam quæ potestate quidē sunt calida, alterantur eo duntaxat quòd incalescat à nobis: at quæ natura frigida, tum quòd cōminuantur, tum quòd adscititium accipiant motum. Cum itaq; ipsis tanquam frigidis, agere absq; corporis patientis auxilio non licet, iure potestate frigida dicūtur. Nam vt actu nos refrigerent, non prorsum ex sese obtinent, verū à nobis prius perpetiantur vt refrigerent oportet. Etenim in minuta conteri, & aduentitiū motum accipere, affectus sunt medicaminum. Attamē si cui libeat, ea actu frigida nominare, haud equidem repugnem, modo omnis in verbo dissentio sit, res autē vtrisq; confessa. Siquidem (quod paulo supra monuimus) id genus omnia, calidum corpus quo agere possint postulant. E quibus Galeni verbis, constat primo, quòd potestate frigida, sunt secundum propriā naturam & complexionē frigida. Secundo, quòd actu habet suam frigiditatē, & cōplexionē propriam. Tertio, quòd nequeunt nos refrigerare, nisi à corpore patiantur prius.

Quarto, quòd diuersa paßione indigent medicamenta calida à frigidis, calida enim plus indigent calfactione, & frigida magis attenuatione: quæ vtraq; à calido innato patiuntur tam calida, quàm frigida. Frigida tamen si non incalescerent, sed solũmodo attenuarẽtur & penetrarent, frigefacerent nos apertè. Calida verò nisi initium caloris accipiant, saltim vt frigus deponãt, quod ab ambiente contraxerunt, non calfacient nos. Minor tamen sufficit ipsis attenuatio, quoniã partes igneæ suapte sponte tenues, minori vt penetrent, & trahantur indigent cõminutione. Est & impedimentum aliud, alterationẽ tam in calidis quàm in frigidis continentem probibens, (cuius nos aliàs meminimus) diuisio scilicet elemẽtorũ in minutiores portiones quã pro actione edenda sufficiant, vt enim ignis scintilla non vrit. 3, lib. de Simpl. med. fac. cap. 23. Ita si in calido aliquo, atq; igneo medicamento, ad tam exiguas portiones ignis est redactus, vt nulla ipsarum seorsum agere nata sit: non fiet tum calfactio vlla, nisi mistione dissoluta, ignis portiones counitantur: & ex ipsis resultet actio vna. Verè etiam dici posse credimus, quòd omnis forma misti, est impedimẽtum cohibens elementa, quibus mista ipsa constant, ab actione extrema: quoniam iam non sunt sui iuris, vt fuerant in sphæris: sed formæ misti seruientia: aliter enim elementa contraria sese conficerẽt, & periret mistum. Tum autem sui iuris, & actionis extremæ esse occipiunt, cum commistio, & forma quæ mistionem ipsorum sequitur, mutationẽ & detrimentũ à natiuo calido pati incipit. Hoc autem est actuari. Vtcũq; ergo cõtingat, tã calida, quàm frigida medicamẽta, suas qualitates intensas ab initio habere decernimus: impeditas tamen esse, ne sine patiẽtis corporis auxilio, impedimenta subtrahentis, agere liceat ipsis. Quod præter ea quæ dicta sunt, multa monstrant, tum experimẽta, tum rationes. Primo, quoniam in multis mistis calida, in alijs verò frigida elemẽta actu dominãtur: ergo verè & actu, hæc habent frigus, illa verò calorem. Medicamentorum enim temperaturæ actu insunt ex elementis: vnde in frigidis regionibus, frigida proueniunt, & in calidis calida: aromata in Arabia fœlici, & leones in Libia. Secundo, quoniam manus immissa in aceruum calcis, misy, aut sory, ingentem deprehendit calorẽ, vt ex Galeno retulimus. Aromata etiam aceruata, mordent suo calore faciem, & olfactum, siccant parietes, situm pauimenti tollunt, & reluctãtur putredini, ob ignis elementũ quo abundant. Tertio, nam in theriaca, & alijs compositis ex simplicibus valde contrarijs, ipsa contraria se reducunt ad medium interualli, citra vllum calorem, aut nostrum, aut ambientis aëris (statuenda enim sunt medicamenta in loco frigido, vt omni fuga careat aduersarius) ergo actualem habent calorem calida, & frigus frigida. Per id enim quòd sola potentia est, non possunt se reducere. Id præterea ostendit calx, quæ ab humido superinfuso actiuatur, siue calido, siue frigido: quod non contingeret, ni actu haberet calorem: quoniam humidum aquæ, caloris productiuum non est. Quarto, calor naturalis, alimẽta, medicamenta, & venena, in quæ agit: omnia corrumpere studet, & in similitudinem suam permutare, quòd est agenti cuilibet naturale. Nihil verò

quod

quod aliud corrumpere curat, patienti tribuit virtutē, qua se interimat. Ipsa ergo medicamenta suas habent qualitates, quæ à corpore non producuntur: sed impedimentis tantum agendi in corpore nostro spoliantur, vt diximus.

Videntur tamen dictis obstare. Primo, quòd in frigidis omnibus, concedit actuale temperamentum Galenus: in calidis verò, non nisi in pluribus. Secundo, quòd si calida medicamenta, haberent intensum calorē in igneo elemento situm: non solum calfacerēt nos vt materia accendi facilis, sed vt talem calorem & ignem habentia. Cuius contrarium scripsit Galenus, primo libro de Simplic. medic. facult. cap. 11. in
" *hæc verba. Ostensum est autem in tertio de Temperamētis (quo sine quæ hic dicun-*
" *tur assequi est impoßibile) nullum eorum quæ nos excalfacere apparent, perinde*
" *vt ignem posse calfacere, verum vt materiam accendi facilem. Siquidem mutatio-*
" *nis principium à nostra caliditate accipientia, vt calami aridi ab igne, nos contra*
" *recalfaciūt, & velut partes fiūt quædam caloris natiui, sicut illi ignis. Nam quod*
" *prius erat calamus, id nunc fit ignis, vt mutātis ipsum ignis essentiā totā adaugeat.*
Tertio, quòd opium euomitur tepidum: & piper deurens linguā, si in manum spuatur, non est admodum calidum. Quarto, quòd animalia respirantia, videntur plantis non respirantibus, vt pipere, & allio, calidiora esse. Refrigerando enim calori à natura instituta est respiratio: non poterunt ergo animātia, à plantis amplius incalefcere. Quinto, si calida medicamenta habēnt intensiorem calorem, & frigida intensiorem frigiditatem, quàm homo: temperata habebunt æqualem & similem: similitudo autem complexionis, est præparamentum necessarium introductioni similis formæ substantialis: ergo in medicina ad eum modum temperata, humana deberet introduci anima.

Ad horum verò primum dicendum est, quòd verè censuit Galenus, aliqua medicamenta esse potestate calida, quæ actualem calorē non habent in sui complexione, & elementorum miscella: vt pinguedo, & oleum, quæ facilè inflāmantur, tū ab externo, tū ab interno calido, ob dispositionē & modū substātiæ inflāmari aptū. Septica etiā venena, non ante nos offendunt, quàm à nostro calore putreant: hæc autem putrentia, nos putrefaciunt. Ob idq́ per moram deteriora reddi in nostro corpore, voluit Galenus. Ob hæc ergo, atq́ illa, censuit Galenus, quòd quædam ex potestate calidis, non sunt actu talia. De quibus si dubites, cur à calore temperato, in tātum calorem assurgant? Respondendum est, quòd ob solam subiecti dispositionem. Sic enim humor, qui ex paruo principio cœpit putrere, in calorem putredinalem copiosum, & intensum assurgit: & ex stercore columbino putrēte, domus apud Galenum igne conflagrauit. Ad secundum verò dicendum, quòd medicamenta potestate calida, tam ea quæ calorem habent actu, ex peculiari sua natura & mistione, quàm ea quæ actuali calore carent, vt pinguedo, & oleum: in hoc vno conueniunt, quòd non valde calefaciūt nos, nisi alterationis initium à nobis acceperint. Quare de vtrisq́ verum est, quòd Galenus scripsit, nullum eorum perinde vt ignem posse calefacere,

ve-

verum vt materiã accendi facilem: quæ non accendetur nisi prius à nobis patiatur. Vbi tamen accendi cœpit vtrumque, diuersa ratione atq; mensura accendetur: nam quod natura calidum est, ignem occultum detegit: quod verò complexione non est calidum, in minorem calorem assurgit. Quã diuersitatem vt Galenus notaret, hæc quæ sequuntur, post citata verba subdit. Monstrauimus autem quædam, vbi vel le- » uem fuerint mutationem adepta, secundum naturã deinde suam, ad plurimam mu- » tationem procedere. Quam ob rem mirandum non est, si quædam medicamenta pri- » mæ quidem mutationis principium, à nostro calore nacta: inde iam pergant, cum » quoq; qui mutabat superare. Nam cum corporis cuiusque proprietas, alia habilis » sit ad suscipiendum calorem, alia inhabilis: fit vt paria principia non sequatur par » incrementum. Ad tertium dicendum, quòd ex opio assumpto, partes quædam resol- » uuntur, aliæ penetrant, & ad cor, sanguinem, ac spiritus attrahuntur: & aliæ in ventriculo manēt. Hæc tepidæ ibi ob morã redduntur, quæ verò cor affatim pe netrarunt, quoniam natura veneni est cor oppetere, frigidissimæ sunt, & cor atque sanguinē coagulant. Vnde quò citius penetrant, eò citius & certius nos interficiūt. Et vt Galenus scribit, lib. 3. de Simpl. medicam. facult. cap. 20. Succus papaueris » ac cicuta, si vino mista bibantur, ocyus necant: licet nõ quouis modo temperata. Si » enim ipsa paucissima, plurimo vino misceantur: prorsus deuinci possint. Si verò » pauculo, multa: deducuntur quidē ad cor, vinci autem nequeunt. Piper verò com » mansum linguam deurit, quoniã calidissimæ eius partes, linguam penetrant, & ab arterijs spongiosi, & rari membri, intro statim trahuntur: quæ tamen manum non calfaciunt, nisi mora temporis, ob cutis crassitiem, quæ non sic penetrari potest. Nam ad eundem modum cicuta, hominem ob natiuam raritatem, celeritate distribu tionis interficit, sturnos verò nõ, ob densitatem: vt scribit Galenus, lib. 3. de simpl. medicam. facult. cap. 18. Ad quartum dicendum, quod calor animantium, iunctus humido aëreo, flauellari postulat: plantarum verò, & mineralium, aut sicco terreo, aut humido aqueo permistus: quamuis sit intensior, non indiguit respiratione pro sui tutela. Quintæ difficultati tantum tribuit Auicēna, vt prima primi, doctrina. 3. cap. 1. ita scripserit. Debes autem scire vltra hoc quod sciuisti, quòd cum diximus » de medicina quòd est temperata, nolumus dicere quòd sit temperata certè: quoniam » illud est impossibile. Neque volumus dicere, quòd temperamento humano in sua » complexione sit temperata: si enim ita esset, tunc esset ex ipsamet humana substan » tia. Sed volumus, quòd cum propter calorem naturalem, qui in corpore existit hu- » mano patietur, qualitate afficietur, quæ hominis qualitatē non superegredietur, in » aliqua duarũ extremitatum æqualitatē excedentium. Non ergo in ipso operabitur » effectum æqualitatē excedentē: consideratione igitur suæ operationis in corpore hu » mano est æqualis. Dicendum tamen (Auicēna hac in parte reiecto) quòd nõ necessa » riò ad vicinitatē tēperaturæ, sequitur similitudo formæ substantialis: variæ enim species rerũ, idem tēperamentũ sortiuntur. Rosa, & myrtus, sunt primo ordine fri- gida,

gida, pullus gallinaceus, triticum, & aurum, sunt temperata: Ex quibus, primum est animal, secundum planta, tertium minerale. Nam plurima præparamenta preter temperaturā, tum ex parte compositionis, tum ex parte modi substantiæ, prærequirit substantialis forma. Tota præterea substantia, quæ nihil aliud est, quàm certa & indicibilis mistio quatuor elementorum, in alimentis & medicamentis reperta, à temperamento manifesto valde est diuersa. Poteſtq; eius ratione, cum eodem temperamento manifesto, in hoc vis purgatoria, in illo deleteria, & in alio alexipharmaca consistere: quoniam hæ facultates, non sequuntur temperamentum manifestum, sed totam substantiam, quæ omnium quatuor elementorum certa congeries est. Vt tum ex alijs Galeni locis deducitur, tum ex. 5. lib. de Simpl. medicam. facul. cap. 17. vbi alterantia diuisit Galenus, in ea quæ alterant vna qualitate, aut duarum coniugatione, aut tota substantia. Ex quo sequitur, quòd tota substantia, non sit vna qualitas, nec duarum coniugatio: sunt enim membra diuisionis, cōtra distincta totæ substantiæ: nec est trium coniugatio, quia sic non esset tota, ergo omnium quatuor qualitatum, vel elementorum habentium eas qualitates, certa quædam & impar mistura, tota substantia, & proprietas corporum particularium perfecta est: vt. 4. etiam lib. de Simp. medicam. facult. cap. 15. scribit Galenus.

SED IAM HIC, HVIVS VOLVMINIS ESTO finis: ex quo vtinam tantam, quantam animo concepimus vtilitatem, studiosi accipiant. Scio canes non defuturos, qui nostros dilanient labores, quibus tamen si quid improbent, quidq; displiceat ipsis mostrauerint, non vehementer repugnabo. Nam

Sunt bona quædam, sunt mala multa
Quæ legis hic: non fit aliter inuide liber.

Si verò re parum inspecta & errore non indicato latraueris (quæ Pyrrhoniorum quorundam, inter nostros est consuetudo: quorundamq; aliorum, qui deplorandis Cathedris insidentes, & inter ignorantes discipulos garrientes: videntur in scholis proceriores Gigantibus, cum tamē paruis infantulis sint minores) scias velim me non taciturum: sed cum male dixeris (quantum christiani limites tulerint) peius tē esse auditurum.

FINIS.

LIBER DE FACVLTATIBVS NOSTRVM CORPVS DISPENSANTIBVS.

DE SEMINE tractatus, ordine definitiuo comprehensus: vt cuncta quæ de Semine habentur, ex vnica definitione memoriæ subijciantur.

DE HOMINIS procreatione a conceptu in partum.

APPENDIX quo docemur, quid naturale, quid ve miraculosum, in conceptione & partu Domini nostri IESV Christi interfuerit.

APPENDIX quo docemur quam parũ possit Astrologicus horoscopus, fortunam aut mores hominis qui in lucem editur, mutare aut indicere.

PVERI & puerperæ regimen, vbi omnia quæ ad nutricem, obstetricem, pedotribam, vtero gerentem, & enixam attinent traduntur.

¶ *Petro de Peramato Excellentißimi Ducis de Medina Sydonia Protomedico Autore.*



SANLVCAR A BARRAMEDA. Anno *M. D.* LXXVI.

REVERENDI PATRIS HIERONYMI Seruer Consocrensis, Hendecasyllabi.

Censor candide, tuq́ amice lector,
Hic noster Peramatus author huius
Libri quem legis, aut paras legendum,
Quem tu dixeris alterum Galenum:
Recens hoc opus ex sui recessu
Promit pectoris, vtile elegansq́.
Iam libro reserauerat priori
Rerum prima elementa, tum secunda
Humores, quibus omne temperatur
Corpus, dum generatur ac creatur.
Concentu harmoniaq́ valde mira
Vestigatq́ animi, docetq́ vires,
Quarum munera ad vltimas vel vsq́
Perducit species nimis peritè.
Et de Semine si qua sunt retrusa
Et perplexa, nouo ordine explicantur:
Quæ pro tempore si legi liceret,
Authores legerent vetustiores.
At nunc quando hominem creat paritq́
Diuinus videatur esse planè:
Humanus pariter pius probusq́
Cum paruum refouet sinu puellum
Vagitu tenero nimis dolentem:
Cum matri quoq́ morte comminante
Nato restituens suo medetur.
Id quod latius ipse te docebit
Sua melliflua eloquutione.
Non talem dederint recentiores,
Nec prisci quoq́ quamlibet periti:
Quo tu Aristotelem & simul Galenum
Rectè intelligere, & videre possis.
Impugnat bene & optimè refellit
Authores, malè pessimèq́ scripta,
Non vano nec inutili labore.
Noua plurima & optima afferuntur,
Instaurator enim potest vocari,
Non sane minus atq́ primus author:
Longè dummodo liuor omnis absit,
Mordacisq́ canis malum venenum.

DON Philippe por la gracia de Dios Rey de Castilla, de Leon, de Aragõ, de las dos Secilias, de Hierusalem, de Nauarra, de Granada, de Toledo, de Valencia, de Galizia, de Mallorca, de Seuilla, de Cerdeña, de Cordoua, de Corcega, de Murcia, de Iaen, delos algarues, de Algezira, de Gibraltar, Conde de Flandes, y de Tyrol, &c. Por quanto por parte de vos el doctor Pedro de Peramato Medico nos fue fecha relacion, diziendo q̃ vos nos auiades supplicado mandassemos ver y examinar ciertas addiciones medicinales q̃ auiades cõpuesto, para q̃ se imprimiessen juntamente con otras obras de Medicina de q̃ os auiamos dado licencia para las imprimir, las quales dichas addiciones erã muy vtiles y necessarias: y para q̃ se pudiessen imprimir, nos supplicauades os mãdassemos dar licẽcia y facultad para ello, o como la nuestra merced fuesse. Lo qual visto por los del nuestro cõsejo, auiendose hecho en las dichas addiciones la diligencia q̃ la prematica agora por nos nueuamẽte hecha dispone, fue acordado q̃ deuiamos mãdar dar esta nuestra carta para vos enla dicha razõ, y nos tuuimoslo por bien: Por la qual os damos licencia y facultad, para q̃ por esta vez podais imprimir è imprimais las dichas addiciones q̃ de suso se haze mencion, juntamente con las obras q̃ auiades cõpuesto, q̃ es vn tratado de Elementis, y otro de Humoribus, y otro de plenitudine & cacochimia, y otro de Vacuandi ratione per sanguinis missionem, y otro de Procreatione hominis a conceptu in partum, con tres Appendices de cosas tocãtes ala misma materia, y otro de Animæ facultatibus quæ nostrũ corpus dispensant. Las quales por ser obras muy vtiles os auiamos dado licẽcia y priuilegio para las poder imprimir y vender, sin q̃ por ello caygais ni incurrais en pena alguna. Y mandamos q̃ despues de impressas las dichas addiciones, no se puedan vender ni vendan, sin q̃ primero se traygan al nuestro consejo juntamente con el original que enel fue visto, q̃ va rubricado y firmado al fin del de Gõçalo Pumarejo nuestro scriuano de camara delos que enel nuestro consejo residen, para que se vea si la dicha impressìon esta conforme al original, y se tasse el precio por que se vuiere de vender cada volumen, sopena de caer è incurrir enlas penas contenidas enla dicha prematica y leyes de nuestros Reynos. Y no fagades ende al, sopena dela nuestra merced, y de diez mil marauedis para la nuestra camara. Dada en Madrid a ocho dias del mes de Março, de mil y quinientos y setenta y quatro años. Va sobre raido dichas addiciones, vala.

D. Eps Segouieñ. El doctor Francisco Hernandez de Lieuana.
El doctor Francisco de Auedillo. El doctor don Iñigo de Cardenas çapata.
El Licenciado Couarruuias.

Yo Gonçalo Pumarejo scriuano de camara de su Magestad, la fize escreuir por su mandado, con acuerdo delos del su consejo.

INDEX EORVM QVAE hoc libro præcipue inquiruntur.

Libro de Facultatibus.

An facultatis essentia in actiui & passiui comparatione sit posita. cap.1.
An facultates ab anima prodeant, an vero idem prorsus cum anima sint. cap.1.
An facultates ab anima sint inseparabiles. c.1.
An facultas quæ a principibus membris mandatur in exorta, sit spiritus, an temperamentum, an qualitas alia innominata. cap.1.
An facultates per operationes, & operationes per obiecta, distinguendæ sint. cap.2.
An nutritio & augmentatio sint vna actio, an diuersæ. cap.2.
An distentio & contractio arteriæ, ab vna facultate sit: an a diuersis. cap.2.
An sentiens atque mouens facultas in neruo: sint vna, an diuersæ. cap.2.
An eadem facultas sensiua, in oculis videat, & in auribus audiat: an vero sua insit vnicuique instrumento vis ab altero distincta. cap.2.
An spiritus qui ad organa sensuum mittūtur, facultatem solam illi organo accommodatā deferant. cap.2.
An cor sit animæ sedes, & omnium facultatū origo. cap.3.
An maiora sint minorum principia: an vero contra contingat. cap.3.
An iecur sit origo venarum. cap.3.
An iecur facultatem aliquam venis transmittat. cap.3.
An venæ insita sibi virtute sanguificent, an defluxa a iecore. cap.3.
An ad membri principatum sufficiat transmissio materiæ solius. cap.3.
An naturalia instrumēta cōnatā habeāt actionis vim: an vero aliunde ipsis possit influere, perinde ac animalibus. cap.3.
An naturalia instrumenta pati possint per cōsensum. cap.3.
An per coctionem possit quod coquitur, diuersum colorem accipere a colore membri coquentis. cap.3.
An quædam venæ vtiliter interdum resecentur, ad vlcera contumacia & varices curandas. cap.3.
An remedia cordi & iecori applicita, vtilia in phrenitide esse possint. cap.3.
An aliqua plantis insit pars, ex qua vis vegetalis influat reliquis. cap.3.
An pituita vasorum, solo famis tempore vertatur in sanguinem. cap.3.
An venarum substantia, sit iecoris substantiæ adsimilis. cap.3.
An concupiscientia sit ex iecore, an ex cerebro & appetitu sensiuo. cap.3.
An plantæ sensum habeant commodi & incommodi. cap.3.
An nerui exoriantur a cerebro. cap.3.
An vis sensiua a cerebro ceu a principio in sensoria influat. cap.3.
An cerebrum sit corde præstantius. cap.3.
An vis vitalis, vitalem spiritum gignat coctione, an peculiari alia actione. cap.3.
Cur animantibus opus sit vi vitali & spiritu: sine quibus tñ plantæ seruari possunt, cap.3.
An facultas cordis animosa perturbationum autor, sit irrationalis, nec ne. cap.3.
An cum perturbatio vincit rationem, aut ab ea vincitur: necessario debeamus statuere pugnam duarū facultatum, vnam rationalem, & irrationalem alteram: an vero duo iudicia cōtraria in vna rationali potentia, sufficiāt eiusmodi pugnam concitare. cap.3.
An irascibilis facultas homini secundum naturam habenti, opituletur rationi: an cupiditati, & appetitioni sensiuæ. cap.3.
An facultas pulsifica simplex sit, an duplex: vna contrahens, & altera distendens. cap.3.
An distentio & contractio pulsus, sint motus contrarij. cap.3.
An facultas quæ pulsum facit, sit a vitali diuersa. cap.3.
An spiritus vitales ferātur cum sanguine per arteriarum cauitates: an inter duas arteriæ tunicas. cap.3.
An pulsus a sanguinis intumescentia, & detumescētia: an a facultate animæ proficiscatur. cap. 3.
An in homine animæ vna plures, sint statuendæ. cap. 4.
An nutrix, auctrix, & procreans facultas, sint virtutes animæ diuersæ inter se se. cap.5.
An formans facultas sit vegetans, aut altioris or-

ordinis. cap.5.
An semen opificem in se contineat, posśitque in se ipsum agere. cap 5.
An semen ad suum interitum agat dum animal format. cap.5.
Quanta dignitate formans facultas superet altricem. cap.5.
An formans facultas maneat in corpore iam formato. cap.5.
An partes solidæ auulsæ posśint regenerari. cap. 5.
An solus calor sine virtute auctrice, posśit solida membra extendere. cap.5.
An extensio solidorum quæ ad augmentum fit, sit motus localis: & an sit rarefactio. cap.5.
An augens facultas post iuuentutem sit otiosa. cap.5.
An detur facultas discretiua: & an sit eadem cum formatrice, & cum instinctu naturali, & cum naturali sensu, cap.6.
An in applicatione medicamenti compositi ex contrarijs, fiat separatio vtriusque contrarij: an vero vtrumque contrariorum applicetur vtrique contrario. cap.6.
An virtus discretiua discretionem faciat, actione sua peculiari: an vero sufficiãt tractrix & expultrix eiusmodi separationem facere. cap. 6.
An separatio praui humoris ab vtili, quæ in crisibus antecedit excretionem, fiat a facultate discretrice: an vero coctio sufficiat eam afferre. cap.6.
An sit facultas appetens vna e naturalibus facultatibus. cap.7.
An continens facultas sit necessaria: an vero citra ipsam trahens posśit continere alimentum. cap.7.
An expultrix facultas omni nostri corporis parti insit. cap.7.
Quare expultrix non semper operatur, si naturales facultates non otiantur. cap.7.
An ventriculus & iecur facultates naturales habeant simplices, an duplices: quasdam nimirum particulares pro se, & alias communes pro toto. cap.7.
An membra nostri corporis in gratiam propriæ fruitionis operentur semper: an vero propter commodum alterius interdum agãt. cap. 7.
An ventriculus nutriatur chilo, an sanguine. cap. 7.
An clysteres nutritorij, & liquida quæ ventriculi alterationem fugiunt, & quæ extra corpori admoueantur, nutrire posśint. cap.7.
An per inediam ventriculus trahat e corpore bonum sanguinem, an prauos ichores. cap. 7.
An coquens & alens facultas confundantur. cap. 7.
An coctiones sint tres. cap.7.
An agglutinationem faciat facultas aliqua vitæ: an suapte sponte fiat, vt cera ceræ, & pix pici agglutinatur. cap.7.
An tres facultatis nutrientis actus, in vnam operationem conspirent. cap.7.
An asśimilatio, appositionem antecedat: an subsequatur. cap.7.
An nutrientis facultatis instrumentũ, sit temperatura innata. cap.8.
An frigus ingrediatur naturæ opera. cap.8.
Quomodo omne quod augetur, secundum omnem partem augeatur, eadem forma seruata. cap.8.
Cur calor multum auctus tractrici obsit, cum sua natura trahat. cap.8.
An humectantia & emollientia extra posita conueniant colicæ. cap.8.
An febris, calida externa admota, & syrupi calidi aut frigidi, concoquant: & an commode præmittantur purgationibus. cap.8.
Quantum valeant plumaceoli, & puer accubans in coctione roboranda. cap.8.
An pueri coctione præstent iuuenibus. cap.8.
An sentiens facultas sit a menyngibus, an a cerebro distributa. cap.9.
Quomodo lædatur motus illæsso sensu. c.10.
Quomodo concedatur motus in membro quiescente. cap.10.
An posśit sensus amitti motione superstite. cap. 10.
An phantasia validius per somnum quam per vigiliam moueatur. cap.10.
An omnis motus qui per musculum obitur sit voluntarius. cap.10.
An omnis motus voluntarius per musculum exerceatur. cap.10.
An aliquis musculus, neruo careat. cap.10.
An medulla spinalis in duas partes sit diuisa, dextram scilicet & sinistram: & an vnaquæque ipsarum cauitatem habeat, per quam animales spiritus ferantur. Et an sola illustratione traducatur vis animalis. cap.11.
An omnes nerui sint caui. cap.11.
An ex vno oculo clauso, ad alterius oculi pupillam, ferantur spiritus per arterias, an per neruos. cap.11.

An facultas animalis traducatur in neruos sola alteratione & illustratione:an per spiritus etiam animales. cap.11.
An quinque sensus externi immediate ab anima profluant:an a sensu cōmuni, aut alia animæ potentia. cap.12.
An omnis vis sensiua per omnem neruum influat:an certa per certum. cap.12.
An sensus communis necessario sit statuendus. cap.13.
An phantasia sensibus externis,an vero principibus animi potentijs sit annumeranda. c.13
An phantasia,& memoratiua facultas,sint virtutes diuersæ. cap.13.
An memoria sit potentia cognitiua,an reseruatiua solum. cap.13.
An æstimatiua sit ponenda. cap.13.
An sensus externi suas operationes dignoscant. cap.13.
An sensibilia communia a sensibus externis sentiantur. cap.13.
An situs sit sensibile commune. cap.14.
An numerus sit sensibile commune,& a pluribus sensibus deprehendatur. cap.14
An motus sit sensibile commune. cap.14.
An figura sit sensibile commune. cap.14.

Libro de Semine.

QVid sit semen.
An semen sit principium: & an sit elementum in compositione nostri.
An semen sit animatum,& principium actiuū generationis.
An semen sit organicum.
An semen sit principium pasiuum & materiale ex quo animal gignatur.
An mortuæ prægnantis os vteri,adeo sit arctum,vt acus cuspidem non capiat.
An semen mutetur in spiritum complantatum.
An coagulum maneat in caseo.
An semen sit a testibus:an a septo:an a tribus membris praecipuis:an a toto corpore.
An semen sit colliquamentum.
An semen sit excrementum.
An testes habeant vim gignendi:an vero tanquam pondera meatus tendentia solum ex vsu sint.
An fœminis semen insit.
An semen fœminæ,vim habeat actiuam:an solum materialiter & pasiue concurrat.
An fœminæ sine mare cōcipere & parere possint.
An semen maris atque fœminæ constituant principium vnum.

Libro de Hominis procreatione.

AN fœmineum semen, in sinum,an in ceruicem vteri eiaculetur,vbi Galeni atq; Aristotelis discordia examinatur. cap.1.
An conceptio sit vteri actio,aut alteratio diuersa ab attractione & retētione seminis.Vbi Fernelij sententia improbatur. cap.1.
An chorion membrana, a solo vteri calore cogente & incrustante procreetur,vbi Hippocratis atque Galeni loca explicantur.Quas vtilitates præstet chorion:& quo artificio vtero copularit ipsum natura , & tot foraminibus pertusum reddiderit. cap.2.
Venarum atque arteriarū,ab vtero prodeuntium,in vmbilicum infantis coitio : & eorundem ab vmbilico in fœtum distributio. cap.2.
An menses prægnantium,sint ex vtero:an ex ceruice. cap.2.
Notissimum est iecur ex venis quæ vmbilicū prætergressæ diducuntur generari : cor vero an ex arterijs,an ex venis,an ex vtrisque ducat ortum,non est vsque adeo notum. cap.2.
An allantois tunica vna cum chorio generetur,vt Galeno fuit visum:an procedente tempore,vt voluit Hippocrates. cap.3.
An allantois ex solo fœmineo semine ortum ducat , vt Galeno fuit visum : & qua via vrinam excipiat,& sine vlceratione ac noxa infantis,eam seruet vsque in partum. cap.3.
An ob aquam intra amniom tunicam contentam,fœtus sit minus grauis solis vinculis quibus nectitur fœtus,vt voluit Galenus : an vero matri etiam sit leuior , quod reprehendit. cap. 3.
An opus sit infantibus quarta tunica , quæ stercus alui excipiat:vbi loca Galeni difficilia explicantur. cap.3.
An infans ore , an vmbilico nutriatur. cap.3.
Vnde nutriatur semē,antequam vasa deferentia alimentum sint creata. cap.4.
An cor formetur ante iecur,vt Aristoteles & Auicenna

Auicenna censuerunt: an post iecur, vt Galenus existimat. Vbi elegans & noua traditur doctrina. cap.4.
Partitio formationis in quatuor tempora traditur: & quantum vnumquodque tempus duret. cap.5.
An vegetans anima seminis, postquam effingit & efformauit, accedẽte iam anima abeat: an simul cum ipsa habitet. cap.5.
An sit aliqua ratio temporis motus, ad tempus formationis, vt Auicenna diuinat. cap.5.
An pili & vngues sint animati. Vbi causa naturalis traditur, quare pili & vngues definitũ incrementi legem & metam seruent: quam ignorans Fernelius, id in Dei miraculum retulit: & quod Galenus sibi ipsi pugnet, quantũuis Valesius pugnantiam dirimere conetur. cap. 6.
Situs infantis in vtero secundum mediam figuram est: hæc autem in pueris contractior est, quam iuuenes ferre possint. cap.7.
An soli homini multiplex ac varium pariẽdi tempus datum sit. cap.8.
An quinto, sexto, & septimo mense editi viuere possint: vbi duo partus admirãdi qui nostro tẽpore cõtigerũt, in examẽ vocãtur. c.8.
Mense octauo quibus locis viuant qui nascuntur infantes. cap.9.
An ad vndecimum, duodecimũ, tertiumdecimum, & decimumquartum mensem, partus possit prorogari. cap.9.
Quare tempestiui & maxime naturales partus, nono mense atque decimo fiant: vbi astrologi in vi planetarum, & Pythagorei in vi numerorum improbantur. cap.10.&.11.
Cur quidã partus anticipent, alij postponant tempus statutum, omni externa causa semota. cap.12.
Cur octimestres raro viuant, cum tamen constituantur inter septimestres & nonimestres, vitales vtrosque: vbi merito reprehenditur Valesius. cap.12.
An supputatio in vteri gestatione, sit facienda per menses solares, an per lunares. cap.13.
Naturalis partus quare fiat in caput. cap.14.
An partus fiat citra ossiũ exarticulationem, per solum laxamentum ligamentorum: vbi Auicenna defenditur à calumnia. cap.14.
Signum ex nodis vmbilicalibus ad prolem futuram examinatur. cap.14.
Qua ratione post partum lac in mammas regurgitet: vbi Galenus à Vesalij calumnia defenditur. cap.15.
Cur puer statim ac natus est, nemine docente papillam sugere scit. cap.15.
An lac gignatur ex adipe omenti. cap.15.
An lac ex menstruo sanguine creetur. cap.16.
Causa similitudinis filiorũ ad parẽtes, auos, & proauos, explicatur: quare etiã interdũ similetur extraneis: & vnde alias fiãt mõstra. c.17.
Cur gemini fiant infantes: & de superfœtatione traduntur quædam. cap.18.
Quantum præstet homo reliquis animantibus. cap.19.

In Appendice Theologico:

ANn mulier sine viri congressu cõcipere ac parere possit: vbi Galeni sententia improbatur.
An Dñs noster ex semine beatissimæ Virginis, an ex puris sanguinibus ortum duxerit.
Quod virgo & clausa cõcipere possunt, sine corporali deuirginatione: non autem sine cõcupiscientia carnis, oblectatione, & seminis emissione: vbi Auerrhous duplicis erroris admonetur.
Quod claustra virginalia, in partu disrumpi necessario debeant; & partus cũ dolore prodire.
Quomodo si corpus Christi a primo conceptionis momẽto fuit formatum & animatum: nõ debeat tẽpus formationi debitum, detrahi a tempore gestationis in vtero.
Quod dñs Iesus non modo fuit natus in die destinato partui naturali: verum etiam inter dies à natura statutos, dies ille fuit naturalissimus.
An in conceptione beatissimæ Virginis, aliquod priuilegium præter communem legem, ac ordinẽ naturæ, Deus cõcesserit matri suæ.

In Appendice Astrologico:

MEthodus dignoscendi qualis nuper natus in posterum sit futurus.
An ad medici officium pertineat Astgrologiam didicisse.
Quanti astrorum peritia sit habenda.
An in horoscopo Astrologico, vis aliqua fatalis sita sit.

Tractatu

INDEX.

Tractatu primo de regimine pueri.

VT sit resecandus vmbilicus. cap.1.
An sale sit conspergẽdum infantis corpus: quidque in varijs eius partibus moliendum. cap.1.
Quid exhibendum sit infanti ante lactationem. cap.1.
Quæ amuleta puer debeat gestare, & quid per lignum crucis Auicenna intelligat. cap.1.
Quoties sit infanti propinandum lac: & qua sit vtendum cautione, vt partes oris non reddantur ineptæ suctui. cap.1.
An maternum lac tam in naturis intemperatis, quam temperatis, præstet extraneo. cap.1.
Quando sint lauandi infantes: & quid in eius membris nutrix debeat moliri, antequam fasceijs obuoluat. cap.1.
Situs quo discumbere debet infans in somno. De lectuli cõmotione. De gestatione in vlnis, & quando gradiendum sit infanti. cap.1.
Quando sit alter a lacte cibus infanti propinandus: Quis is sit: Et qua cautione sit exhibendus. cap.1.
Quando & quo ordine puer est ablactandus. cap.1.
Deligitur nutrix ex partu naturali, ex salubritate, ex temperamento, & compositione, ex magnitudine mammarum, & papillarum, meatuũque per quos è papillis lac effluit, ex ætate, ex numero partuũ præcedẽtium, ex salubritate filiorũ, ex sexu infãtis quẽ peperit, ex vicinitate & vetustate partus, ex mẽstruo lactationis tempore cohibito, ex castitate, ex sobrietate, mansuetudine, elegantia, & obediencia medici. cap.2.
Præstet ne vnã, an plures nutrices adhibere. 2
Deligitur lac, ex copia, sapore, odore, candore, mediocritate liquidi & crassi, & æqualitate suarum partium, atque ex nutricis exercitio. cap.3.
Quod nutrix non est ex leui causa permutanda. cap.2.&.4.
An correctioni lactis sint vtiles expurgationes. cap.4.
Quid intersit inter prouocãtia lac, menses, & vrinam. cap.4.
Cur crystallum augeat lac. cap.4.
Quod omnia quæ semen augẽt, augent etiã lac, præter viticem. cap.4.
Selecta præsidia lacti augendo traduntur. cap. 4.
Quomodo crassum lac corrigatur, quomodo etiam tenue & aquosum: quomodo etiam tenue & acre: quomodo etiam quod fœtidum est sit tractandum. cap.5.
Ad lactis caseationẽ, quæ nodos in vberibus nutricũ solet interdum efficere, & sæpenumero degenerat in abscessum. cap.6.
An puero expediat interdum plorare. cap.7.
Quo ætatis anno sexus sint separandi, & suo sexui iungendi, & eruditio in lusibus imperanda. cap.7.
Quo ætatis anno puer sit magistro tradendus: & qualis debeat esse magister. cap.7.
Exercitiorum pueris conuenientium, intensio, aut remissio, qualis esse debeat. cap.7.
Ad quã vsq; ætatem vino sint arcendi. cap.7.
Quo anno Grãmaticam addiscere debeant, Geometriam & Arithmeticam. cap.7.
Quo anno vitæ genus sit elegendum: & qualis victus vnicuique vitæ respondeat. cap.7.
Vtra sit pueris prius addiscenda, Arithmetica ne, an Geometria. Et ex alijs sciẽtijs quæ sint dignæ vt in ipsis consenescant. cap. 7.
Ratio emendandi vitia compositionis puerorum ab ortu contracta. cap.8.
Quæ præsidia tolerẽt infãtes dũ ijs est opus. 8

Tractatu secundo, qui prægnantem, parturientem, & enixam respicit.

QVa prouidentia ne abortus contingat, (tum generatim, tum speciatim singulis aborsus causis consideratis) vti debeamus primis octo mensibus, traditur a capite primo vsque ad sextum.
Vtrum sit præstãtius in præcautione ab aborsu, electarium ex margaritis Auicennæ. An diamargaritum commune. cap.1.
Quod in præcautione ab aborsu sanguinis detractio sæpe conducat. cap.2.
Quod valida interdum præsidia tolerẽt vtero gerentes grauibus morbis correptæ. ca.7.
Quod tumores pedum vtero gerentium curandi non sunt. cap.8.
Quid nono gestationis mense sit faciendum cap. 9.
Quid partus tempore sit præstandum: vbi tota obstetricandi ars traditur. cap.10.
Ad mortuum fœtum extrahendum. cap.11.
Pauli æginetæ duplex locus restitutus. cap.11.
Ad secundas eijciendas remedia. cap.12.
Vteri molæ essentia, & remedia. cap.13.
Quid enixam facere conueniat. cap.14.

FINIS.

EXCELLENTISSIMO AC GLORIOSO PRINCIPI, Illefonso Perez de Guzman el bueno, Duci de Medina Sydonia, Comiti de Niebla, Marchioni de Caçaça, Epistola nuncupatoria



EAS tibi cœpi, clarissime princeps, lucubratiunculas dicare: semper veritus, ne indignum quid, auribus tuis darem. Quas cum probases, & laudibus extullises, animum meum accendisti, vt vtilia quædam opera, iam fere vetustate, & ignauia collabentia: in tui gratiam, rursus componerem, ac renouarem. Vt enim in sæuiente fortuna, & mearum calamitatum incursu, neminem præter te, ante Cæsarem habui patronum, ita nullius alterius patrocinio, meos hos labores tutandos, ac defendendos committo. Tu solus mihi faues, & à tumultuarijs negocijs eripis, tu ergo solus, hæc qualiacumque sint accipe, & ab intumescentis maris procellis, quibus ego pessundor redde tuta. Ego interim in omni fortuna, sedulum tibi obsequium præstabo. Vale magnatum antesignanus.

De

De animæ facultatibus

De facultatum animæ essentia.

CAP. I.



Acultatis essentiam, non audet definire Galenus, primo libro de Causis pulsuum. Eius vero notionem, tum ibi, tum 1 lib. de Facultatibus naturalibus, cap. 4. tum sæpe alibi declarans, inquit: quod facultatis nomine, efficientem causam intelligimus: non eam quidem simpliciter, sed qua ratione, in hunc illum ve effectum, se comparat atq; refert. Sic causam quæ pulsus facit, quæcunq; sit, etiã si eius ignoramus substantiam, quia pulsus tamen efficere potest, facultatẽ pulsatilem eã appellamus: quemadmodũ & alia omnis facultas, ab eo appellari solet, quod ipsa facere potest. Sic de facultate medicamenti, adstruit Galenus, quod nõ est in medicamẽto, sicut nos in ædibus: nec substantia eius partita est, pro numero operationũ: sed manẽs vna, efficit multa, secũdum variã relationẽ ad varia opera. Nam apud Gal. libro cui titulus est, quod animi mores, corporis temperaturã sequãtur, sic scriptum inuenimus: Nam cũ veluti de re quapiam cõminiscãtur, perinde in substantijs, ac nos in domibus habitante, nondũ de facultatibus mihi imaginari videntur: nequaquã intelligẽtes, rerum quæ fiunt singularum, causam quandam esse effectricem, quæ in collatione ad aliquid æstimetur: atq; huius causæ, vt talis cuiusdam rei, propriã & per se essẽ appellationem: cæterum in respectu ad id, quod ab ea fit, eius quod fit facultatem esse. Quapropter tot à substantia, dicimus facultates, quot functiones haberi. Verbi gratia, aloëm vim purgandi obtinere, & stomachum roborandi, & cruenta vulnera glutinandi, plana vlcera ad cicatricem perducendi, palpebrarum humiditatem siccandi: re alia haud sane vlla, dictum quodlibet opus, præter aloëm, faciente. Ea enim est, quæ hæc obit: ac quoniam præstare ea potest, tot facultatibus, quot effectibus pollere dicta est. Aloëm igitur purgare dicimus posse, & robur stomacho addere, & glutinare vulnera, & cicatricem obducere vlceribus, & humidos oculos resiccare: quasi purgare posse aloëm dicere, vel purgatoria potestate præditam esse nihil referat. Sic vero & siccare humidos oculos posse, idem atque exsiccandorum oculorum vim obtinere significat. Eodem autem modo cũ dicimus, collocatã in cerebro ratiocinatricem animam, sentire per sensoria posse, ac per sensilia, ipsam per se meminisse, atq; in rebus tum consequentiã & repugnantiam, tum resolutionẽ & compositionẽ perspicere, non aliud quidquã ostendimus, quã si cõplexi diceremus, ratiocinatrix anima facultates habet plures, sensum, memoriam, prudentiã, aliasque singulas. Quoniã vero non solũ sentire eam dicimus posse, sed specialiter quoque cernere, audire, olfacere, gustare, tangere, rursum pollere eã viribus dicimus visoria, olfactoria, auditoria, gustatoria, tactoria. Ex qua oratione, facultatem non esse rem quanpiam positiuam, substantiam (inquam) nec accidens reale, sed efficientis causæ, quæcunque ea sit, comparationem,

&

" & relationem ad hunc aut illum effectum, luce clarius constat. Facultatis enim tum " intellectio, tum substantia, in respectu ad aliud habentur. Enimuero in seipsum, " quoduis facere, aut agere si dicas, præter mentis conceptum est, vt libro de multitu- dine pulchre Galenus edisserit. Quin & in quoduis obuiũ agere, à veritate alienum est: Sed in id tantum, quod aptum est agentis, actionem suscipere, & in quod ipsum natum est agere: Quare in horum duorum, actiui scilicet & paßiui comparatione, facultatis essentia est posita. Quoniã vero Galenus, non agnoscit in mistis, aliam formam substantialem, a commodo cuiusq; rei temperamento (libro enim, quod animi mo- " res, corporis temperaturam sequantur, omnium similarium substantiam, primis qualitatibus constare affirmat, dubitat autem, de instrumentis atq; anima: sed & hæc " vult ex illis esse. Et primo libro de Vsu partium cap. 9. carni esse carnẽ, & neruo " neruum, & aliorum vnicuique, id esse quod est, ob quatuor qualitatum certam quandam temperaturam, mistionemq; contingere asserit) ob id, causa hæc efficiens, quæ diuersis effectibus comparatur, & ipsius est relationis & facultatis fundamẽtum, non aliud apud Galenum, quam aut temperamentum, aut natura, aut innatum calidum, ex prima illa mistione, consurgens est: Vtroq; enim nomine à Galeno varijs locis appellatur. Atq; si hãc semper, seruasset Galenus, significationẽ facultatis, neq; essentiã facultatum, aliàs se ignorare fateretur (relationis enim essentiam nemo ignorat) neque ab alio, quam ab anima, aut cuiusq; efficientis substantiali forma, eius operationes immediate fieri fateremur, hæc enim & non aliud, est (apud ipsum) vera causa effectrix, quæ per diuersa instrumenta, diuersas ædit operationes: per oculos videns, per aures audiens, & cæteras operationes, simili modo exercens. Nam si omnes corporis partes essent oculi, nulla alia ab omnibus fieret actio, quam visio: qua etiam caremus, cum oculis destituimur. Nec esset tum laborandum, in cognitione facultatum, nihil enim re ipsa sunt, quam ipsarum formarum relationes, ad diuersa opera. Per hoc enim, quod anima accommodatur ad intuitum, facultate videndi donari dicitur: cum nihil aliud ab anima sit, quod huius actionis autor esse poßit. Vnde " libro primo de Facultatibus naturalibus, capite quarto, ita scribit: Quoad agen- " tis causæ substantiam ignoramus, facultatem eam siue potentiam appellamus, in ve- " nis quidem potentiam quandam sanguinis factricem dicentes, in ventriculo coctri- " cem, in corde pulsificam, ac in singulis reliquarum particularum, propriam quandam, eius quam ædunt actionis. Et primo libro de Causis pulsuum, capite primo, " Hanc causam (inquit) quæ pulsus mollitur, quæcunque illa sit, licet eius nos fugiat " essentia, quòd facultatem habeat pulsus efficiendi, facultatem illam vocauimus, vt " quãlibet puto aliã, facultatem, a facultate faciẽdi, cuius habet facultatem solemus no- " minare. Alicuius enim est facultas, & eius notio est relationi subiecta. Itaque quã- " do essentia incognita nobis sit, hoc appellamus eam nomine. Hinc non quæ sit facultatum, sed quæ sit tum animæ, tum cuiusque substantialis formæ essentia, dubium est tam abstrusum, vt Deo potius quam homine, ad eius exactam dignotionem,

opus esse videatur. Rerum enim substantiæ & essentiæ (nisi paucarum quarundam, vt & ipsi placuit Aristoteli) in abdito latent. Nam nec ipsarum genus & cathegoria cognoscitur. Aristoteles enim substantiam esse vult. Alexander & Galenus, elementorum formas, summas ipsas qualitates esse censent. Formas etiam mistorum, censet Galenus, nihil aliud esse, quam temperamentum ex primis qualitatibus conflatum, vt libro nostro de Elementis, capite decimo quinto tradidimus. Vnde libro quod animi mores, corporis sequantur temperaturas, omnium similarium substantiam, primis qualitatibus constare affirmat, dubitat autem de instrumentis atque anima, sed & hæc vult ex illis esse. Et primo libro de Vsu partium, capite nono, carni esse carnem, & neruo neruum, & aliorum vniquique id esse quod est, ob quatuor qualitatum, certam quandam temperaturam, mistionemque contingere asserit. Vnde robur facultatis, sæpe constituit in bonitate tẽperamenti: & imbecillitatẽ constituit in intemperie, 4. lib. Methodi & sæpe alibi. Nam quanuis compositio & vnitas, sint necessaria actioni, non ædũt tamen actiones, sed tẽperamentum. Ad quod aduertẽs Gal. lib. 3. de symphtomatũ causis, cap. 1. postquã ventriculi coctionẽ, lædi dixit, ab intẽperie, & à morbis instrumẽtalibus, ipsa ventriculi facultate læsa, subdit. In tẽperamenti quidem vitijs, propria eius substantia labefactata, in cæteris morbis, «
qui tantum sunt instrumentales, dumtaxat impedita: qui vero ex intẽperie simul, & «
instrumentali morbo, cõpositi affectus sunt, vtroq; modo sunt noxij. Nam cũ faculta«
tis essentia, aut eius fundamentũ, cõsistat apud Galenũ in temperamẽto, merito in propria eßentia vitiari, per intemperiem autumat, per morbos vero instrumẽtales, qui compositionẽ vitiant, impediri. Quoniam cõpositio, & partium structura quæ vitiatur, necessaria est ad actiones, quãuis actiones ædere nequeat. Atq; ad hunc sensum, intelligendus est Galenus, si quando alibi, debilitatem vocat membri raritatem, vel diuulsionẽ, aut morbos instrumẽtales, debilitatẽ inferre: facultate scilicet impedita, nõ in propria substãtia læsa. Iam vero hic nomine facultatis, vt sæpe alibi, aliter vtitur Galenus, ad significandã non modo relationẽ, & cõparationẽ causæ efficientis ad effectum, sed ipsammet efficientẽ causam, quæ vere subsistit, & cõparationẽ suscipere variã, ad varios effectus nata est. Sic 1. lib. de Præsagijs ex pulsu cap. 4. Facultatis (in«
quit) essentia, singularũ partiũ, in singularũ illarũ posita cõmodo temperamento est. «
Sic gubernationẽ totius corporis, ex tribus facultatibus, apud Galenũ audire oportet. Sic facultatis formãtis perfectionẽ & diuinitatẽ. Sic nutritoriæ facultatis, & quatuor aliarũ, ipsi ministrantium efficaciam. In istis enim, nomen facultatis, causæ agẽti datur: non autẽ relationi, quæ cum nullius sit actiuitatis, nec formare, nec nutrire, nec gubernare est potis. Vnde primo Aphorismorum, Commentario 15. calidum innatum omnia opera naturalia facere dixit. Neq; enim aliud quidquam, animal ab initio «
afformauit, sicuti neq; rursus adauxit, neq; vsq; ad mortem enutriuit, præterquã iste «
calor innatus, qui aut anima est, aut primũ & maxime necessarium ipsius instrumen«
tum. Et 1. lib. de Facult. nat. cap. 5. naturæ operationes, tres esse meminit, generatio «

auctio

auctio, nutritio: nunquã autem relationis, tanquam agentis causæ meminit. Comparationem ergo causæ agentis (puta tẽperamenti, naturæ, calidi innati, aut animæ, quæ idem sunt apud ipsum) & relationem ad hunc, illum ve effectum, facultatis nomine primo appellat Galenus. Secundo, cõmodo temperamento, aut animæ ipsi, id nomen accomodat. Tertio vero, vbi maiori consideratione est vsus, nono scilicet libro de Placitis, in fine, censet animam ipsam, quæ vna est, multas habere facultates, quæ intimæ quædam qualitates, & ipsius animæ proprietates sunt: quarum interuentu, anima vna existens, plura facit. Si enim simplex cum sit, varias de suo sinu, non promeret facultates, vnum semper, non plura faceret. Galeni verba sunt. Non tamen est quisquam, qui substantias in suas facultates, & potentias, diuidendas esse censeat. Sed singulas asserunt omnes, quãuis indiuiduæ sint, ex facultatibus, potentijsq́ quas habent, operari. Neq́ absolute dicunt, potentiam habere substantias: sed addunt, modo comburendi, aut refrigerandi, aut arefaciendi, aut humectandi: Modo comminiscendi, & ratiocinandi, & se ipsam mouendi: atq́ alia huiuscemodi, quæ rationali anima operamur. Ipsa enim cum sit vna, multas habere facultates manifestum est. Libro quoq́ secundo de Præsagijs ex pulsu, cap. 8. & libro de Plenitudine Galenus, essentiam facultatum, non aliud fuisse affirmat, quam proprietatem, aut qualitatem temperamenti: quam à temperamento esse diuersam censemus. Quin tot esse in vno quoq́ temperamento, proprietates atq́ facultates, audire oportet, quot opera facit. Sic in rhabarbaro, facultas est purgandæ bilis, ob totius substantiæ proprietatem, quæ occultum sequitur temperamentum, & indicibilem commistionem: Est quoq́ in eo facultas calefaciẽdi & exiccandi, ob temperamentũ manifestum, quo hæ duæ qualitates, contrarias excedere deprehendũtur: Est in ipso facultas deobstruendi, quæ inter secundas facultates vniuersales, quæ nec certum membrũ, nec certum effectum respiciũt memoratur: Est præterea in eo, facultas confirmandi, & roborandi, iecur laxum & præhumidum: quæ tertia facultas est, maxime particularis, respiciens certum effectũ in certo membro. Anima quoq́ vegetãs vna existens, quo se ad diuersa opera accõmodet, opus habuit facultatibus diuersis, quibus ceu instrumentis, formaret, nutriret, augeret, & omnia naturæ opera faceret. Sic anima irascibilis, & animosa, vna existẽs: qualitates, proprietates, aut si mauis dicere ꝓprias passiones, habet inseparabiles, ab ipsa animi substantia: quibus (cum variæ sint) varie ad diuersa opera se gerit. Irascitur & mansuescit, lætatur & tristatur, timet & sperat, cor & arterias attollit, & cõtrahit, hac aut illa virtute vsa. Sic anima ipsa sensualis, in cerebro, ceu in sua regia sedẽs plurimis facultatibus ornatur, appetẽdi, mouendi, & cognoscẽdi. Totq́ vnũquodq́ facultates habet, in quod opera se accõmodat: Nam sicut idem homo disputat, canit, pingit, & ædificat: disputat vero ex habitu sciẽtiæ, canit ex musica, pingit ob artem pingẽdi, & ædificat quoniã artis architectonicæ est peritus, qui si nihil horũ sciat, nec canet, nec pinget, nec disputabit, nec ædes cõstruet: quoniã arte caret qua operetur anima: Ita anima sine facultate indefinita est, & in ancipiti perstat: definitur vero ab

intellectu vt intelligat, à memoria vt recordetur, à vitali vt pulset, ita vt vnicuiq; operationi, sua respondeat facultas, quæ animam ipsam illius operationis admoneat. Quod enim est ars in artifice, id est facultas in natura. Quin plus est facultas in natura, quam ars in artifice: nam ars vsu & exercitatione conquiritur, & ab anima potest obliuione obliterari: Facultas vero insita est, & separari nequit. Est enim in anima ceu in subiecto, & ab anima per continuam emanationem, & efficientiam singularem formæ propriã, sine temporis successione procedit. Nec obstat, quod anima simplicissima, eo modo procreet vires, & easdem ipsa suscipiat. Proditũ enim ab Aristotele est, nono libro methaphysicorũ, actiones quasdam esse immanentes, quæ ab ipso agente non exeunt: Qualis est hæc, in qua non oportet, ob singularem quem diximus producendi modum, vt quod agit & mouet, ab eo quod suscipit & mouetur natura dissentiat: Neq; vt diuidatur in partem per se mouentem, & partem per se motam: Sed varias rationes, agendi & patiendi, sufficit habuisse. Nam anima nostra indiuisibilis, cum è corpore migrat, à se ipsa in momento mouetur localiter, non alia ratione quã quod ipsa eadem est motrix, & motus susceptiua, quæ diuersæ rationes sufficiũt. Ab anima ergo indesinẽter profluunt suæ vires, quæ in ipsamet, ceu in subiecto, nexu indissolubili recipiuntur. Ab ea enim nequeunt separari, nisi anima ipsa, vnà pereat: nec imbecilliores reddi, nisi & anima ipsa detrimentum patiatur. Nam profecto si anima, integra seruata, & incollumi, imbecillitari posset facultas, posset quoq; interire, & ab anima separari, ipsius imbecillitatis cremẽto facto. Quod intelligens Aristoteles, primo libro de Anima, cap. 4. imbecilliores dixit, reddi animæ actiones ob senium & morbos, instrumentorum vitio, non animæ aut facultatum ipsius. Si enim senex (inquit) iuuenis oculum acciperet, videret sicut & iuuenis, quare senectus nõ est, quia anima quidquã est passa, sed quia id in quo est, aliquid passum est. Quemadmodum in ebrietatibus, & morbis, fieri solet. Galenus vero nõ modo functiones, sed ipsas quoque facultates, à qua prodeũt, nõnunquã imbecillas, alias robustas statuẽs, ob id fecit, quod animæ substantiam ignorauit. Probabiliusq; sibi fuit visum, animam esse temperamentũ, sicut & facultates, ipsius tẽperamenti proprietates quasdam. Vidit autẽ temperamentum, & omnis temperamenti proprietatẽ, mutationes suscipere, ex morbis & senio. Ergo merito vno illo errore admisso, coniecit, facultatem & animæ etiam substantiam, detrimentum & imbecillitatem pati. Accedit, quod tam curiosa facultatum animæ tractatio, medicis non congruit: Sed temperamentum ipsis est integrum seruandum, vt functiones validæ persistant: Et cum infirmæ redduntur, intemperies est corrigenda. Quare cum facultates in robustas & inualidas partimur, nomine facultatis, dato instrumento ipsius, puta temperamento, aut alia quapiam qualitate, vtiliter & ex arte facimus. Accedit etiam, quod licet facultates, quas anima ipsa, sibi impertit, & in sinu suo recondit, sint inseparabiles, & detrimentũ suscipere nequeant: eas tamen quas extra se profundit, & foras transilire facit, imbecilliores reddi, & prorsus perire defectu calidi innati, aut alterius cuiusuis instrumenti, non

est indecens. Sol enim lucentem qualitatem, ab se inseparabilem obtinens, aërem caliginosum ac nubilum, imbecilliter illustrat. Et magnes allio perunctus (ut fertur) disiunctum ferrum non attrahit. Et virtus visiua per oculum suffusum, non transilit in obiectum. Et ex nerui aut arteriæ, obstructione, aut compreßione, aut intemperamento, aut calidi innati defectu: cor & cerebrum aut non irradiant, aut imbecilliter emicant, in arterias & neruos. Hanc enim ex vno principio, diuersarum virtutum animæ dispensationem, & emanationem, non modo Galenus & Plato statuerunt, verum & Aristoteles ipse, qui in fine libri de communi animalium motu, ita scribit: Animal sane ita constitutum esse iudicare debemus, vt
" *ciuitatem legibus bene instructam, & temperatam. In hac enim, postquam admi-*
" *nistrationis ratio, semel instituta est, nihil oportet, absentem principem, rebus sin-*
" *gulis quæ geruntur interesse: immo vero quisque, officijs fungitur suis, vt manda-*
" *tum est, & aliud post aliud, ex consuetudine administratur & instituto: In anima-*
" *libus hoc ipsum, tum per naturam efficitur, tum quod singula, quæ ita constituan-*
" *tur, ad munera sua exequenda, probe affecta sunt. Quo circa non opus est, in vno-*
" *quoque membro animam inesse: sed cum certo principio consistat, & reliqua mem-*
" *bra, quod illi adiungantur viuunt, atque officia per naturā obeunt sua.* *Quid sit*
" *autem ea facultas, quæ mandatur à principijs in exorta, non satis constat. Quidam animam ipsam in spiritu vehi, aut spiritum ipsum qui vehitur, ipsam animam esse censuerunt. Quibus non assentitur Galenus, septimo libro de Placitis: vnde secundo libro ad Glauconem, cap. 2. tradit natiuum calorem esse, vel substantiam facultatum, vel saltem primum, & maxime neceßarium ipsarum instrumentum. Alij temperamentum certum, à principio in exorta deriuari tradunt. Quod minime fieri posse constat, nā calor aut frigus, & omne denique temperamentum, ens permanēs est, quod ablato agēte, aliquandiu perstat in parte: facultas vero, sola ligatura, aut præcißione statim aboletur, nihil durans, intercepta continuitate cum suo principio: Non est ergo facultas, quæ influit temperamētum. Magis præterea permutatur temperamentū mē bri, ex ardente febre, & ex contactu niuis, vi sentiendi atq; mouendi, illæssa permanente, quam ex ligatura nerui, in qua vtraq; vis aboletur. Ergo vires eiusmodi, non consistunt in temperamento. Ablato insuper corde, ingens fit temperamenti permutatio, eo tamen ablato victima currit & vociferatur, 2. lib. de Placitis, autore Galeno, aliud ergo à tēperamento, est vis animalis. Ligata item arteria, cū immißo calamo, infra laqueum non pulsat, libro cui titulus est, quod non solus sanguis, contineatur in arterijs, testāte Galeno: temperies tamen eius seruatur, ex spiritu & sanguine per calami cauitatem transeunte, aliud ergo est vis pulsans à temperamento. Adhec cuiusq; partis temperamentum est vnum, eius vero facultates sunt multæ. Plures itē sunt, in nostro corpore partes, quam tres, quæ temperamentum habent inter se diuersum: facultates vero inter se genere & sedibus disclusæ, tres tantum statuuntur. Facultates item quædam, dicerentur calidæ, aliæ frigidæ, aliæ temperatæ, si facultas quæ influit,*

esset temperamentum. Quare de omni facultate, quæ à principio aliquo, in exorta deriuatur, statuendum est: quod ab anima, immaterialis quædam qualitas innominata, subito influitur ex ortis, aut spiritibus, aut vtrisque: quæ recte per solis fulgorem nobis innotescit. Nam facultas pulsatilis, arterijs influitur, & visiua spiritibus, subita productione, & dependentia à suis principijs, quemadmodum a sole fulgor, septimo libro de Placitis, & primo libro de Semine prope finem, autore Galeno. Sicuti item, lux in sole, inuariabilis & vnius modi semper est: fulgor vero qui à sole exit, atque producitur extra se, ob subiecti indispositionē obnubilatur, & extinguitur: Ita animi intima facultas, in propria essentia, nullā mutationem sentiēs, ob subiecti variā dispositionē, varie afflat, vimq́ extra se producit, modo validam, modo ægrā, tantaque interdū est indispositio corporis, vt nullā producere possit. Quo sane tempore, pulsus, & reliquæ functiones abolentur, & anima ipsa decedit, relinquens ineptā sedem, & sui beneficij incapacē. Nec obstat quod supra obijciebatur, quod si omnes corporis partes essent oculi, nulla in nostro corpore actio fieret quā visio. Id enim falsum esse scimus, quoniā cornibus petit vitulus, ante nata cornua: & auium genus omne, volatum molitur, ante alarū prouentum: ob animæ impetus, atq́ facultates, pro quarū numero & ingenio, corporea instrumenta, ipsis sunt tributa. Accedit etiā quod præter visionem, oculorū etiam foret nutritio necessaria: & ipsorum quoq́ arteriæ pulsarent: facultatibus enim, innata simul & influentibus a tribus principijs, oculi reguntur.

Caput secundum, Quod facultates per operationes, & operationes per obiecta, distingui debeant.



Numerus facultatum, numero operationū: & numerus operationū, numero operū: debet respōdere: vt ex Gal. retulimus, & ab Arist. est proditum lib. 2. de Anima cap. 4. Si enim opus quodpiam fit, aliqua operatione fit: Operatio vero, à facultate quæ operari potest, & animā in eam operationē accōmodare valet, proficiscitur. Sicut autem finis, ea quæ ad finē sunt, vere distinguit: ita operatio, distinguit animæ facultates, & distiguitur ab operibus. Finis enim propter quē, anima de suo sinu, diuersas creat facultates, operatio est. Et ipsa operatio, nihil nisi opus ipsum prætendit. Vnde facultatem definientes, operatione opus habemus: Et cum operationem definire est animus, opus ipsum requirimus. Visum enim definientes, dicimus quod est facultas, ex qua videre est, quod est operatio. Videre autem definimus, esse operationem, per quam colores apprehendūtur, quod opus est. Facultates ergo ex operationibus, & operationes ex operibus, sunt distinguendæ, vera distinctione, sumpta ex causa finali rei. Accedit quod cum opera ædita, sint nobis notiora operationibus, & operationes facultatibus: nota distinctionis inde nobis est certissima summenda: vt cum opera diuersa viderimus, licet operationum distinctio, nos lateat, separatas operationes

tiones eſſe certo ſciamus. Nam licet in nutritione & augmento, vna actio videatur ſufficere (repoſitio nempe vberioris ſubſtantiæ, quam fuerit actione caloris diſsipata) quoniam tamen ſubſtantia repoſita, & iuſta quantitas aucta, diuerſa opera ſunt, ob id duplicem operationem præceßiſſe exiſtimare oportet: Secus ac ſenſiat Valeſius libro ſecundo Controuerſiarum, capite decimo ſexto. Sic cum operationes diuerſæ ſunt, quantumuis facultas videatur vna, non eſt vna, ſed plures exiſtimanda. Qua credo ratione motus Galenus, ſecundo libro de Præſagijs ex pulſu, cap. 8. diſtẽtionem, & contractionem in pulſibus, à duabus facultatibus fieri dixit, quarum vna cõtrahit, altera vero diſtendit, cor & arterias. Indecens enim duxit, duabus operationibus vnam tribuere facultatem. Sic quamuis per eoſdem neruos, influxu quodam ſimultaneo, vis quæ mouet, & quæ ſentit deferatur à cerebro, eadẽ vis nõ eſt, quæ vtramq́; facit operationem, ſed vna eſt quæ ſentit, altera quæ mouet. Male enim colligunt quidam ex Galeno, primo libro de cauſis ſympthomatum, capite quinto, eadem vi motum & ſenſum fieri, quoniam dixerit nonnunquam lædi motum, illæſſo ſenſu, quòd minus virtutis influat, quam vt ſufficiat ad mouendum: tantum autem vt valeat ad ſentiendum. Sed ſi maior virtus requiritur ad mouendum, quam ad ſentiendum, quoniam mouere eſt agere & ſentire pati: Siue vna ſit, ſiue plures, quæ mouet & ſentit, minor ſemper virtus, ſufficiet ad ſenſum, quam ſufficiat ad motum: Et poterit hic perire, illo manente. Nã fac, quod vis animalis, tã ſenſiua, quam motoria, ferantur à cerebro, per ſpiritus animales, quod infra ſumus monſtraturi: tunc maior virtus, ideſt maior ſpirituũ quantitas, requiritur ad motũ, quã ad ſenſum. Nec eadẽ facultas animalis, in oculos delata videt, in aures audit, in nares olfacit, in linguam guſtat, & in cutem tangit vt putant. Sed ſi viſio, auditio, olfactio, odoratio, & tactio, operationes ſunt diuerſæ: à diuerſis facultatibus fiant oportet, quantumcumq́ue vna & ſimplex nobis videatur. Sol ſane gignit, viuificat, illuminat, & forte plura alia facit, quæ Aſtrologi (ſi dijs placet) norunt: Cuique operationi harum, ſua reſpondet facultas, quæ qualitas, & proprietas quædam actiua, in ipſo ſole eſt. Facultas qua illuminat lux eſt, qua gignit & viuificat occultior eſt, nec ſub conſpectum cadit: Sed ex operationibus nobis innoteſcit. Vt ergo ſol, luce ſua illuminat, ita alijs facultatibus, quæ nos magis latent, irradiat & alterat vniuerſum: Vtq́; ex luce illuminatio, ſic ex alijs facultatibus generatio, viuificatio, & ſi quæ ſunt alia pendent. Cerebrum ſimiliter, aut anima quæ in eo reſidet, plures habet facultates, & proprietates, mouendi, ſentiendi, & intelligendi. Facultas intelligendi vna eſt, mouendi altera, ſentiendi vero non eſt vna, ſed multiplex, puta fingendi, cogitandi, & memorandi. Videndi inſuper, audiendi, olfaciendi, guſtandi, & tangendi. Tot enim operationes videmus diuerſas, quæ à diuerſis facultatibus prodeant, par eſt. Anima ergo in cerebro ſedens, tot facultatibus ornata, vires ſuas diſtribuit, alteratione quadam ſimultanea, in inſtrumenta apta, & concinna tali alterationi recipiendæ. Neruis ſane omnibus vim tractricem impertiuit: Fuit enim

hic sensus omnibus viuentibus communis, & minimo indiget apparatu. Non tamen vim visiuam acceperũt, quæ pluribus indiget dispositionibus in neruo, quam tactrix. Vnde nec omnibus animãtibus, sensus hic fuit tributus: quoniam maiori indiguit dispositione, quam habuit talpa. Non modo autem facultas visiua, à tactrice est diuersa: verum & dispositio, quã vtraq; requirit, in neruo varia est. Nã nisi ita esset, cũ nerui visorij, plurimam vim animalẽ suscipiant, cũ ob mollitiẽ, tũ ob cerebri propinquitatẽ, & ob cauitatem, qua spiritibus plus alijs abundant: necessum foret, vt tactu præ alijs pollerẽt: Et quod cutis, quæ ad extremos digitos manus est, in qua viget tãgendi facultas, aliorũ sensuum à tactu non esset expers. Nam profecto si nerui cutis indispositio, causa est, quod auditoria facultas, recepta in ipso nõ operetur, multo prius causa erit, vt non recipiatur. Aut fateberis pariter, in osse & cartilagine recipi, non tamẽ ob indispositionem operari. An vero spiritus qui mittũtur ad organa sensuum, peculiarem vim sentiendi, vnicuiq; organo deferant, ita vt qui ad oculos veniunt, vim habeant visiuam: & qui ad aures auditiuam, & reliqui simili modo. An solũ expetantur vt instrumenta facultatis, per neruos distributæ, nõ multum laboro. Probabilius autẽ censeo, facultates sensuũ magis immateriales, spiritibus purioribus & splendidis communicari: Vim enim videndi, habent visiui spiritus, & eam, aëri externo illuminato communicãt. Adeo vt apud Galenum lib. 7. de Placitis, anima, vtatur aëre externo, vice nerui. Si vero vim tangendi, deferrent spiritus visiui, extra fieret tactio, non secus atq; visio. Sed tangendi facultas, terrena admodum existens, aut spiritibus nequiuit communicari, aut obscuros, crassos & turbulẽtos poposcit. Ad auditum vero spiritus deferri, qui vim adferant audiendi, nec tã crassos, quãtum tactui, & gustui forent opportuni: nec tam splendidos, & æthereos, atque ij, qui vidẽdo sunt accomodati, fidem facit ipsorum sensuum natura. Nam visus igneus est, et æthereus, auditus vero aëreus. Vnde apud Aristotelẽ secundo libro de Anima, capite octauo, auditus instrumentum statuitur aër quidam congenitus, intra quandã membranam contentus. Qui sane ab externo aëre, sonos deferente pulsatur, & vi auditoria quam habet, eos apprehendit. Quid autem aliud, aër hic ingenitus, quam spiritus, audiendo à natura deputatus sit, non video. Nec aliud Aristotelem sensisse, voluit Ioannes Grammaticus, lucidissimus ipsius expositor, qui per aërem insitum, sensitiuum spiritũ interpretatur. Atqui cum aër externus, spiritum illum ferit, si alias facultates, præter auditiuam, spiritus is habet, fiet necessario, vt aërem bene aut male olentẽ dignoscat: Hoc autẽ minime contingere cernimus, Ergo spiritus qui ad auditũ mittitur, singularem facultatem defert. Ad alios quoque sensus, talem venire spiritum, qualem ipsius sensus natura postulat, indecens esse non iudico. Nec demonem autem nec deliberatorem, qui vnicuiq; quod suum est impertiat (præter ipsam rei naturam, quæ ob id iusta & docta sine magistro à Galeno & Hippocrate totiens appellatur) vllo modo cogimur statuere. Quantumuis reluctetur Valesius libro secundo Controuersiarum, cap. 20.

De

De origine facultatum quibus gubernamur. CAP. III.



RISTOTELES cor animæ sedem statuit, à quo ceu ab origine, facultates in omnia membra deriuat. Nam primũ est quod viuit, & vltimum quod moritur. Secundo, quoniam mors non sequitur, nisi ad vltimum noxa sit communicata cordi, nec validam noxam sine morte cor tollerat. Tertio, nam in medio est & tutissimo loco, opportuno ad transmittendum vires suas vndiq. Principium præterea est caloris naturalis, in quo etiam viget maxime, ergo ibi est anima, & omnes eius facultates summunt exordium: vbi enim est omniũ facultatum & functionum instrumentũ, ibi facultates ipsas esse par est. Quinto, nam venæ arteriæ & nerui, quæ sunt instrumẽta virtutum, à corde oriuntur. Ergo & facultates, quorum instrumenta sunt, ibi habitabunt. Arterias ab eo oriri nemo inficiatur. Venarũ vero originẽ esse, eo constat, quod nulla vena penetrat cor, sed radicẽ ibi habere videntur: & nõ in iecore, per cuius substantiã diffunduntur omnes. Cum neruis vero similitudinem habet, est enim cor, villis duris & neruosis contextũ: quare ab eo potius quam à cerebro molli, ortum ducẽt. A cerebro quoq insensili existente, indecẽs est sentiẽdi vim transmitti: sicut à molli & laxo vim mouendi. Apprehensis vero, compressisq iugularibus arterijs, perit sensus & motus in animante, ergo à corde, mutuatur cerebrũ vtramq vim. Id præterea est actionum causa, quo sublato interit actio, & posito reddit. Tale autem est cor, virtute enim ab eo influxa, cætera membra operantur: & intercepta desistunt ab opere. Quod monstrat syncope, in qua omnis functio animalis, naturalis, & vitalis concidit: quoniam vitalis spiritus, in omnibus membris deficit: & rursus releuato corde, officijs omnia funguntur suis, spiritu cordis vitali ad ea redeunte. Meditatio insuper, coctioni est impedimento, & contra: quoniam vnum est instrumentum omnium facultatum, quod dum vni operationi plurimum vacat, ab alia diuertit. Vnum autem instrumentum, in vno est locandum loco, non in cerebro vnum, & in epate aliud, sed in corde ambo, si ambo sunt vnum, nempe innatum calidum, cuius fons & origo est cor. Si facultatis præterea animalis, sedes & origo non esset cor, sed cerebrum, ignobilius cerebro esset cor: quod dicere est indignũ, & ab omnium mente alienum: de cordis enim supra alia membra principatu nemo ambigit. Cum vero his rationibus, experientiæ fides reluctetur, non est quod plurimũ insistendum illis putemus. Si quis enim Aristoteli, plus quam veritati, & rerum experientiæ, addictus esse velit, aduersus hunc, non est de veritate disputandum. Monstrat quidem anatome oculata fide, neruos ex cerebro, & spinali medulla oriri, sicut & arterias ex corde. Venas vero & sanguinem ex iecore nasci, monstrat corporis nostri, & fœtuum quæ vtero gestantur fabrica, in quibus venæ vmbilicales, quæ alimentum ex matre ministrant, in cauas & simas iecoris distribuuntur, & à gibbo

venam magnam, sicut à cauo ianitricem creant. Magnam vero bifidam facit, & partem infra per lumbos ad crura, & ad membra infra iecur sita transmittit: partẽ vero aliã sursum agit, quæ ibi cordis regionẽ conscendit, & ex læua sui parte membranam producit, quæ dextrũ cordis ventriculum inuoluit. Nec enim venæ speciem, ea parte retinet, nec in cor ipsum altius penetrat: Quod sane Aristoteli imposuit, vt radicationem, & exortus venarum principium, ipsam esse existimaret. Ni vero cecus anatomẽ administrasset, vidisset primo, venæ cauæ partẽ, degenerasse in dictam mẽbranam, quæ ventriculum ob id obtegit, vt sanguis ex quo spiritus vitales proueniunt, extra propriũ vas excidens, suam nõ amittat integritatẽ. Secundo, venam ianitricẽ, quæ ex cauo iecoris enascitur, nullam continuitatem cum vena caua, nec cum vena aliqua earum, quæ cum corde communitatem habet obtinere, aduertisse debuerat: cum tamen omnes venæ, iecori annectantur, præter arteriam venalem, quæ arteria est non vena, & præter venam arterialem, quæ quanuis sit vena, non potuit è caua, duas tunicas, quibus maxime indiguit accipere. Quanuis & hanc, è caua ducat Realdus colũbus, libro septimo de re Anatomica: eo quod dum in vtero matris, fœtus latitat, caua vena, cum vena arteriali, continua esse animaduertitur. Tertio nam vena caua, qua parte pertingit cor, est quadruplo tenuior, quam vbi ex iocinoris conuexo emergit: minora autem ex maioribus semper nascuntur, vt rami ex truncis. Non enim obstat, quod fibræ plantarum, sint minores radice, & chorij vasa priora, sint minora venis & arterijs, quæ ad vmbilicum, ex multis paruis in quatuor colliguntur: quoniã licet ista sint principia generationis, non sunt principia dispensationis, aut gubernationis. Hæc autẽ sunt, quæ oportet esse maiora, vt inuit Galenus libro de Fœtus formatione. Retina vero non est maior neruo optico, sed latior: & videtur etiam maior, quoniam dura cerebri membrana vestitur, qua non vestiebatur opticus ante orbitam. Spina etiam, ad lumbos non fit maior, sed latiore foramine aperitur, vt copiosiorem ibi congerat spiritum, pro valida crurum motione necessarium. Quæ ignorans Auicenna libro de Anima, & lib. 3, Animalium cap. 1, minora maiorum initia esse cõtendit: quod quanuis in omnibus initijs, dispensationis aut gubernationis sit falsum, in venis falsissimum, & minime congruens est: ad portionem enim sanguinis delaturi, venæ cauitas effingitur, ergo procedente vlterius vase, exhausta iam, & in alias partes dispensata portione materiæ: tanto gracilius reddi debet vas, quanto sanguinis residui est minus. Quarto venæ cauæ partem, quæ per lumbos infra tendit, cordis origini, dificile referri posse cernat. Quinto in fœtibus quæ vtero gestantur, venam & sanguinẽ, ferri in cor ex iecore, & non contra, manifestum reperiet. Sexto in æditis iam animãtibus, & quæ cibum ore summunt, sanguinẽ gigni cœpisse ex chylo, in venis meseraicis: & eius generationem, absolui in iecore, manifestum est. Tum quoniam ibi separãtur recrementa coctionis, crassum scilicet & tenue: fex & spuma: melancholicus (inquã) succus, quem inde attrahit lien: & bilis flaua, quam purgat in ipso iocinore vesica fellea. Tum etiam, quoniam iecur, non transmittit vniuersum

sanguinem

sanguinem cordi, sed pars magna mittitur infra, pro nutritione membrorum, qui sunt infra iecur. Et qui supra conscendit, ante quam vena caua, ad cor immigret, nutrit septum transuersum, & Pericardion, vna cum alijs omnibus vicinis, tum quæ thoracem sæpiunt, tum quæ pulmonem leniter ambiunt. Reliquum vero sanguinem, qui per venam cauam conscendit, vniuersum non accipit cor, sed eam tantum partem, ex læuo venæ cauæ latere, allicit ad se, quæ pulmoni nutriendo, spiritibus & sanguini arteriali conficiendis, fuit satis. Vnde merito à Platone & Galeno, 6. libro de Placitis, cor dicitur origo sanguinis, non cuiusuis, sed impetu ruentis, & salientis. Septimo, nã vitia sanguificationis, hydrope & mali habitus, ex iecoris vitio pendent, & eidem applicita remedia conferunt, quorum neutrum euenit cordi: ergo integritas ex iecore, non ex corde pendebat. Octauo, nam si venæ à corde nascerentur, pulsarent sicut arteriæ: nam & meatus ille, qui cordi connectitur, à caua progerminatus, arteriarum more pulsat. An vero id accidat, ex eo quod vim, & facultatem, suscipiat à corde, adeo vehementer influentem, vt illuc vsque ebulliat, & redundet: an ex sanguinis in contrarias partes agitatione, quæ ad dexteram cordis auriculam fit: an alio quopiam modo, caua vena motionem illam adipiscatur, superfluum censet Galenus sexto libro de Placitis considerare. Adde quod cordis membranulæ, aut valuæ, ad venam cauam constitutæ, de foris intro vergunt, quæ res satis monstrat, admittendo sanguini, à iecore prodeunti, non autem impartiendo, aut distribuendo, fuisse creatas. Nec valet responsio quorundam, quod à iecore per hoc vas, fertur sanguis in cor, semicoctus & cordis elaborationem desiderans: quam vbi est consequutus, in corpus vniuersum, pro nutritione à corde mittitur. Nullum enim ostendent vas, quod à corde, sanguinem absolute perfectum educat: atque ipsum, vt arteria spiritum, in totum corpus dispenset. Nam cordis orificia, sunt numero quatuor, duo in vtroque ventriculo: in sinistro vnum, quod spiritum è pulmone immittit: alterum quod educit: reliqua duo in dextro, alterum quod in pulmonem sanguinem emittit, alterum quod è iecore admittit: per quem regredi nequit, si valuæ de foris intro spectantia, non sunt frustra à natura constitutæ. Neque aliud quintum orificium, in corde poterunt reperire. Nec obstat, quod per os arteriæ venalis, similes valuas habens, vt aërem introducat: pellatur etiam à corde fulligo. Nã arteria venalis, duas tantum habet valuas, laxius claudentes, non tres vt caua, quæ arcte claudunt. Per valuarum etiam rimulas, & commissuras, facilis fulligini patet exitus, non sanguini. Vltimum non leue summit Galenus argumentum, ex sanguinis alimentitij, cum substantia iocinoris similitudine, nam si vnumquodque membrum, succo substantiæ suæ, quam simillimo nutricatur, eumque sibi, alterando & cõmutando præparat: sanguinis generationem, nihil aliud, nisi caro iecoris procurabit. Accedit quod quarto Methodi, docet per anatomas, instrumẽtariarũ partiũ, scrutari particulã, cui nusquã in corpore alia sit similis, ea enim, actionis totius instrumẽti est autor. Hæc autẽ in iecore, nõ est vena, aut arteria, aut neruus, aut mẽbrana: sed

ſed caro iecoris, quæ chylum ſibi aßimilans, in ſanguinem prius vertit. Cum enim iecur, repente ac ſimul, chylum aßimilare nequeat, in ſanguinem vtriuſq; mediũ, prius commutat. Tanto enim ſanguis, à carne epatis relinquitur, quanto ſuperat in ventriculo chylum. Hæc ſunt, quæ venarum originem iecori, & ſanguinis alimentitij confectionem, iecoris carni, non autem cordi, nec alteri alio tribuendam eſſe demonſtrant.

An vero iecur, alicuius facultatis ſit origo, quam in exorta deriuet, non perinde expeditum, ſed pugnantijs plenum, reliquit Galenus. Nam ſecundo libro Acutorum, Commentario quadrageſimo ſeptimo, ita ſcribit. Didiciſti enim, vnã eſſe in neruis facultatem, quæ principium habet cerebrum: alteram in arterijs, cuius principium eſt cor: tertiam vero in venis, quæ ex epate oritur. Et ſeptimo Methodi in fine, ita ſcribit: Ad eundem modum, quæcunq; partes, alijs autores facultatum ſunt, harum quoque robur ſeruare decet, pro facultatum earum vſus portione, quo videlicet animalis partibus ſubminiſtrent. Sane de his particulis, illud arbitror didiciſti, cerebrum, neruis ac muſculis: cor arterijs: iecur venis, χορηγὰ τῆς δυνάμεως *id eſt, virtutẽ ſuppeditat. Quibus verbis, de tribus his principijs, ſimiliter pronuntiat, quod facultatem in ſua exorta deriuant: & quod ea eſt roborãda in principijs, vt eius robur ſeruetur in exortis. Et libro de ſanguinis mißione, capite ſexto, ex colore corporis, bono aut malo, altricis robur, aut imbecillitatem dignoſcit: quoniam a iecore in mẽbra, vis nutrix proficiſcitur. Sunt autem quæ ſequuntur Galeni verba: Porro diſpenſantium nos facultatum, infirmitatem ac robur, proprijs indicari functionibus oſtendimus: arbitrarijs quidem in neruis, & horum principio cerebro: pulſuum autem, in arterijs & corde. At a functione, quæ bona æditur nutritione, aut nutritione abolita, tum colore bono aut malo, tertia facultas nempe nutrix, quam à iecore proficiſci demonſtrauimus, agnitionem ſortita eſt. Libro etiam ſexto de Placitis ita habet. Si primæ generationis venarum, originem requiris, iecur eſt: ſi diſpenſationis materiæ, qua totum corpus alitur, & facultatis principium ſpectas, neq; ita aliud quodpiã viſcus inuenies, quod principium iudicari aptius poßit. Et eodem ſexto libro de Placitis, poſtquam ex cerebri ac cordis compreßione, & ex arteriæ & nerui ligaturis, collegit vim animalẽ à cerebro, per neruos, & vitalem à corde, per arterias deriuari, de iecore ita ſcribit. At in iecore, ſiue ipſum nudatum collidamus, ſiue laqueo venas conſtringamus, nihil oſtendere eiuſmodi poſſumus. Quippe cum neque euidentis alicuius motus, ſicuti cor pulſatorij, cerebrum ſenſiui, & voluntarij principium ſit: neque vt vtrumq; illorum, repentinam noxam corpori afferat. Iecore enim debilitato, ſenſim animal, moraq; temporis, læßionem in alimento, & colore contrahit. Itidem & pars ea, in quam vena, vel laqueo comprehenſa, vel penitus reſciſſa pertingit, diutino quodam interuallo, tum marceſcere, tum decoloraſcere cernitur. Non tamen illico, quicquam quod æſtimatione dignum ſit oſtenditur, talis enim cuiuſdam facultatis origo, iecur eſt, qualẽ in plantis eſſe conſtat. Vocetur enim in præſentia facultas, poſtea exactius, multa-*

rum

" rum facultatum, non minus originē esse iecur demonstrabimus. Quibus verbis patet, non modo vnius, sed plurium etiam facultatum, quæ in nostrum corpus dispensantur, initium esse iecur, nempe sanguificæ, altricis, & concupiscibilis. Quod voluit septimo libro de Placitis, in hæc verba. Reliqua facultas in iecore sedē obtinet, vniuersam que in animali nutricationem procurat, cuius maxima pars, & nobis & sanguineis omnibus, sanguinis est procreatio. Ad eadem hanc pertinet, iucundarum rerum frui tio, in qua cum vehementius quam par est mouetur, incontinentiam intemperantiāq; efficit. Ex quibus Galeni verbis, non modo sanguinis generationem, & nutricationem, sed etiam cupiditates, famem scilicet & sitim, & venereorum libidinem, cibi quoque & potus, atque concubitus fruitionem, incontinentiam quoque, atque intemperantiam, liguritionem scilicet, & ebriositatem, libidinem & mulierositatem, iecori tribui deberi, aperte colligitur. Quod etiam sæpius dixerat Galenus, libris antecedentibus, & ad finem sexti libri, homeri carmina adducit de Tytio, cuius quoniam impudice Latonam solicitauerat, apud inferos roditur iecur, eo viscere, vnde contumeliæ causa extiterat, meritas pœnas luente. Auicenna etiam prima primi, de Membris, hoc ceu medicum axioma præmittit, & fidem petit, sine demonstratione sibi adhiberi, in hæc verba. Et de alia quidem diuersitate, debet scire & credere, quod non est curandum, vtrum virtus naturalis, in tali quale est os, in principio generationis, ab hepate venerit, aut eam pro sua met complexione meretur, aut nihil sit eorum. Sed debet credere, quod hæc virtus, ad ipsum non profluit, nisi ab hepate: nam si inter ea via clauderetur, & os nutrimentum aptum haberet: eius actio destrueretur, quemadmodum fit in sensu & motu, cum neruus qui peruenit à cerebro stringitur. Virtus vero illa, ossi naturalis facta est, dum eius permanserit complexio. Et capite de Virtutibus inquit. Et huius quidem speciei sedes, & operationū ipsius processus est hepar. Omnia præterea præcipua mēbra, vim quam alijs partibus influant, habent: vt cerebrum animalem, cor vitalem, & testes vim quādam, qua sexus distinguntur, vt scribit Galenus ad finem primi libri de Semine. Quomodo ergo iecori vis deerit, reliquis mēbris impartienda? Adhæc venæ meseraicæ, sanguinē ex chylo faciunt, autore Gal. 4. lib. de Vsu partium, cap. 12: & venæ corporis, pituitam crudumq; humorem, in sanguinē cōmutant, eodē autore, lib. de Cibis boni & mali succi, vbi ita scribit. Neq; enim morbo quisquā corriperetur, si accurate obseruaret, ne in cruditates incideret, aut vehementer post cibū excerceretur: Nā sicuti bonæ valetudini, ante cibū exercitatio, maximū affert commodum, sic qualiscunq; sumpto cibo motus, nō [illegible]ius admodū est. Alimentum enim ex ventre, ante concoctionē, in diuersas corporis partes distribuitur. Propterea que crudi humoris copia, per venas aggeritur, quæ multiplices morbos affert, nisi aut multis laboribus, is humor dissoluatur, aut à iocinoris, venarūque facultate cōcoctus, versusq; in sanguinē fuerit. Quibus verbis patet, crudum humorē, per diuersas corporis partes distributū, & in ipsarū venis congestū, ab illis in sanguinē verti. Si ergo venæ, tā citra, tum vltra iecur sanguificant, vim habent;

bent sanguinis creatricem, quam nisi à iecore impartitã nequeunt habere. Mẽbranosa enim corpora sunt, alba & a sãguine valde distãtia, vt cõceptis verbis scribit Galenus, 6. lib. de Placitis, in hæc verba. Sed nõnulli ipsas venarũ tunicas, sanguinis esse creatrices arbitrãtur, quã vere non video. Nam si ipsas exinanieris, nihil prorsus a mẽbranea, aut neruea natura, distãre cõspicies. Isti igitur merito dãnandi sunt, qui venarũ tunicis, secundum naturam ipsarum, sanguinis creandi munus deferunt: Nõ secus ac si quis, à neruis, aut membranis, aut lacertis, aut cartilaginibus, aut adipe, aut deniq; ab exangui corpore, sanguinem contẽdat generari. Neq; enim rubrum tunicæ humorem, sed candidũ, & viscosum, procreare consueuerunt. Ex quo nimirũ & ipsæ procreatæ sunt, & augentur, & alũtur. Quibus verbis, vim prorsus sanguificãdi, nõ ademit venis, sed vim secundum naturã ipsarũ sanguificãdi, quoniam scilicet sanguis qui in venis gignitur, non fit ab insita venis virtute, sibiq; naturali, sed demandata atq; effluxa à iecore. Vnde si quod in sanguificatione venarũ vitiũ contingit, iecoris facultati acceptũ refert Gal. lib. 5. de locis patientibus, cap. 7. in hæc verba. Cæterũ postquam sanguinis generationẽ, hepatis munus esse intelligimus, si caussa aliqua fuerit, quæ hunc generare possit: eam hepatis propriam facultatem esse dicemus. Adhæc sanguificam vim, in hepate maxime vigere constat, non poterit igitur, intra iocinoris corpus, vigentissimæ virtutis actio comprehendi: sed vlterius per venas, hinc & inde producetur, & extendetur: Sphæra enim actiuitatis iecoris (vt libro nostro de humoribus, capite tertio docuimus) venæ sunt. Actio autem agentis, non potest extendi, nisi vis agendi ipsius extendatur: Cum enim omnis actio per contactum fiat, & inter ea quæ disiuncta sunt, non possit alter esse contactus quam virium, necessarium est vt actione iocinoris, sanguificatione nẽpe, ad venas corporis, in qua fit protensa, ad eas etiam vis sanguinis effectrix protendatur. Quare tantundem refert dicere, iecur in venis extra se sanguificare, ac vim sanguificandi illis transmittere. Iecur item, tantam alterandi corpus vim habet, vt impedimento sit cordi, ne suam intẽperiem, vniuerso corpori communicet, si contrariam temperaturam, admodum cordi repugnantẽ habeat, vt libro artis medicinalis, cap. 29. autor est Galenus. Venas etiã corporis refrigerat, dum præternaturã frigidus est, vt scribitur libro quinto de locis patiẽtibus, cap. 6. dũ ergo validũ est, altricemq; facultatem admodũ vigentem habet, multo satius eã corpori cõmunicabit. Libro præterea artis medicinalis, cap. 9. mẽbra nostri corporis, quadripartito scindit, in principia scilicet, quæ facultates regentes habẽt, vt cerebrũ, cor hepar, & testes: & in exorta, quæ facultates deferũt à pricipijs, vt nerui, arteriæ, venæ, & vasa seminaria: & in partes quæ recipiunt dicta exorta, venas scilicet, arterias & neruos: & in partes quæ eiusmodi exorta non recipiunt, vt cartilago, os, ligamentũ, membrana, adenes, adeps, caro simplex. Prima tribuũt facultates, & nõ suscipiũt alijs à se, alternatim tamẽ tribuunt & suscipiunt sibi, cor cerebro, hepati & testibus, & hæc cordi & inter se se. Secũda canales sunt, quibus deferũtur dictæ facultates. Tertia dictos canales & ductus, à principijs exortos recipiũt,

eis

eis ipsis gubernãtur, & in vita sine dãno custodiũtur. Per neruos enim ne omnifariã sint plãtæ, spiritus & vim accipiũt motiuã, & sensiuã iuuãtis & lædentis, vt hoc declinent & illud prosequãtur. Per arterias spiritus vitales, & vim pulsandi, per venas sanguinẽ, calorẽ, & vim naturalẽ, quæ in ipso maxime viget. Est autẽ pro partium nostri corporis tutella, harum trium facultatum, in quoque membro conspiratio adeo necessaria, vt vna quæuis earum deficiente, nec nutritio, nec reliquæ actiones, vt decet, perfici queãt. Cordis enim facultate male habente, reliqua membra intermoriuntur, vt constat ex syncopi, & ex morte subito ob vitium cordis eueniente, & ex pthysi, in qua ob putridum vaporem communicatũ cordi, reliqua membra tabescunt. Et ex Simia & gallo Galeni, ob tumorem aquosum, & scyrrhosum pericardij (lib. 5, de Locis, cap. 1.) tabescentibus. Cerebri quoque facultas, impedita ire ad mẽbra, ipsorũ nutritioni impedimento est, vt constat ex partibus paralysi correptis, quæ breui admodum extenuãtur, & contabescunt. Testiũ etiam non modo calor, sed etiã facultas corpori impertita, valde vtilis est nutritioni, præsertim seminaliũ mẽbrorũ, quæ ex semine à se confecto nutriuntur: ad cuius confectionem, verisimile est, testes non leue adiumẽtum ipsis præstare, per vim seminalem, quæ in ipsis maxime viget: quam corpori transmittunt sine materia, perinde ac Sol suum fulgorem, vt scribit Galenus lib. 1. de Semine prope finẽ. Quod monstrant hi, qui testibus orbati sunt, parũ enim firmũ & minime vegetũ corpus sortiũtur, decolorãtur, & depiles reddũtur, ob huiusmodi facultatẽ amissam: à solo enim calore diminuto nequit tã grandis fieri permutatio. Quod si hæc ita habẽt, in corde, cerebro, & testibus, quæ nullam nutriẽdis mẽbris materiã præstant, sed facultatẽ & vim: cur totũ hepatis munus, in materia (sanguine nimirũ conficiendo) statuemus, & nihil aliud membris, quam sanguinẽ impertiri credemus? Non facultatẽ, non vim aliquam naturalem, altricem aut sanguificam? Ego sane, multo magis omnia membra, quæ facultatibus naturalibus reguntur, seruari per hepatis virtutẽ naturalem (quæ in ipso omnium autorũ testimonio residet) quam per aliarum (dempta cordis virtute) influxũ, necessarium esse existimo. Nam maiorẽ affinitatẽ hæc virtus, cum naturali cuiusque partis facultate habet, quam aut cerebrum aut testes: prope enim ad cor, eius accedit vtilitas. Nec decens foret, si solum sanguinem, vniuerso corpori pararet iecur, vim vero nullam, ipsi transmitteret, inter præcipua mẽbra ipsum numerare, magis quã vẽtriculum, ob chylũ quẽ abundanter cõficit. Ad quod respexisse videtur Galenus, lib. 2 de Arte curatiua ad Glauconem Cap. 2, vbi (postquam totũ corpus dupliciter offendi dixit, primo quando membrũ est origo, alicuius virtutis, omnibus partibus communicatæ. Secundo quando ipsius opus, toti corpori est vtile) quatuor præcipua membra memorat, in exemplum læsionis primæ, & ventriculum in exemplum secundæ. Ratus, scilicet ab omnibus illis quatuor, virtutes transmitti toti corpori, quoniam præcipua sunt: à ventriculo autem qui non est princeps, non virtus, sed materia pro toto transumitur. Sunt autem quæ sequuntur Galeni verba. Quæ quidem offensio ad totũ corpus pertinet, dupliciter fit, quatenus

& membrũ est alicuius virtutis origo, omnibus partibus cõmunicatæ, aut ipsius opus toti corpori vtile est. Hepar enim, cor, cerebum, & testes, cõmuniter vniuerso corpori, principia sunt virtutum: ventriculo quidem atq; locis muliebribus, propriæ insunt virtutes, nulli alteri parti cõmunes, opus vero vẽtriculi quidem, toti corpori cõfert, locorum autẽ nequaquã. Hæc Galenus. Quibus is ipse, non pugnat lib. 6. de Placitis, vbi princeps membrum appellat, quod vim aut materiã ijsq; à se oriũtur suppeditat: nam ex mente Erasistrati, in quẽ inuehitur, est intelligendus. Hic enim facultates nõ immitti à principijs in exorta: sed materias arbitrabatur. Quod ex Galeni verbis innotescit quæ ita habent. Neque enim illud dicere potest, sanguinis quidem iecur esse principium, sed venas gubernantis cor facultatis. Nam cum neque arterijs vim immitti ex corde per tunicas fateatur: nunquid venis fatebitur? Si igitur membrum illud principium esse dicimus, quod ijs quæ ex se oriuntur, vel vim, vel materiã saltem omnino suppeditat, cor principium venarũ statuere nullo modo possumus, facultatẽ enim ipsis, iuxta Erasistratũ non suppeditat, quoniam neque arterijs: sanguinis vero materia è corde manifeste prodire cognoscitur. Quibus verbis, aperte in Erasistratũ inuehitur, & aduerbium illud (saltẽ) non ex propria sententia, sed hominis in quem inuehitur, loqui monstrat. Neque enim hic admittenda est, doctissimi cuiusdam hominis interpretatio, qui inter præcipua membra, dictabat solum cerebrũ materiam præbere neruis, quoniam ex cerebri & meningum substantia constant, iecur vero & cor vires præstare, non materiam, quoniã dissimili constant substantia. Et hoc Galenum voluisse per dicta verba significare. Quod tamen à litera Galeni longe distat, Primo quoniã cerebrum, quanuis ad eum sensum suppeditet materiam, nõ modo eam sed vim etiam suppeditat. Secundo, quoniam sanguinẽ dicit esse materiã, quæ è iecore prodire cognoscitur, non venas. Membra ergo, quæ nec sunt principia, neque exorta à principijs, sed ipsa exorta in se recipiunt, præter facultatem innatã, habent etiam facultates per manifestas venas, arterias, & neruos, delatas & influẽtes, quibus aperte indiguerunt pro sui tutella. Sunt vero quod in quarto membro dicitur, partes aliæ, quæ nec sunt principia, nec exorta à principijs, nec recipiunt exorta in sui compositione, sed à se ipsis gubernãtur per innatam facultatẽ: Carent enim venis, & arterijs, & neruis, quibus aperte gubernentur. Aperte (inquam) nam per occultos meatus, per quos vniuersum corpus, est conspirabile & confluxile, spiritus & gubernationẽ sortiuntur à principijs: sanguinẽ nempe, & vim altricem ab hepate: & vim vitalem, ac spiritus (quibus nec excrementa ipsa destituũtur) è corde: aliter enim ipsorum substantia, tẽperaturæ, & functiones, conseruari nequirẽt. Vnde merito dixit Galenus, lib. 5. de Locis affectis, cap. 1. quod omnes corporis partes, peculiari cordis temperie, actiones suas perficiunt. Et de iecore Auicẽna, quod si os, nutrimentum aptũ haberet, puta medullam ex qua nutritur, & via clauderetur inter ipsum & hepar, eius actio destrueretur. Et Galenus lib. 6. de Placitis, quod membra nostri corporis indigent, iecoris facultate nutrice, quæ ab ipso oriatur, ex cuius læsione noxã in alimẽto,

&

& colore cõtrahant, tardius tamen quã ex corde aut cerebro, quoniam euidentiorum motuum, & magis præsentaneorum origo sunt. Iecoris autẽ functio, quoniam ineuidẽtior est, tardiora in mẽbris corporis, imbecillitatis suæ signa exhibet. Nec obstat quorundam responsio, quod ad iecur oblæsum, prauus color, & mala corporis nutritio sequuntur, ob deprauatum sanguinem, qui nutritionis est materia: etiam si virtus nulla, à iecore in corpus feratur. Nam quãtum ad Galenũ attinet, facultatẽ aperte mitti, fatetur ipse. Multi insuper (vt experimento cõstat) prauũ sanguinem habentes, bene ex eo nutriuntur: quoniam firma est ipsorum iecoris facultas, quæ innatas membrorum temperaturas, & facultates tuetur, & fouet. Et certe nisi os, principiorum vim, continuitatem, & influxum, pro sui tutella postularet: à corpore diuisum, viuere diutius posset, & nutriri ex medulla quam in cauitate continet.

SED iam hic, multa obstare videntur: Nã 1. de locis pat. in fine, ita scribit Gal.
" *Atq; in hac re, plurimum differunt naturalia, ab animalibus instrumentis. Siquidẽ na*
" *turalibus, cõnatã actionis vim esse: animalibus vero instrumẽtis, à principio velati lu*
" *men à sole, ipsam defluere iã ostensum est. Ergo vt magneti lapidi, vis inest qua ferrũ*
" *attrahere potest, ita naturalia quoq; instrumẽta omnia, facultatem habẽt qua actionẽ*
" *suã perficiunt. Quibus verbis, omnẽ virtutis altricis influxũ excludit, omniumq; partium quæ nutriuntur gubernationẽ, ab innatis sibi facultatibus pendere affirmat. Et*
" *paucis interpositis, ita scribit. Quã ob rem solis partibus, quæ & sentiendi & mouẽdi*
" *vim habent, accidit vt ipsis interdum nequaquã affectis, nihilominus eorum actio pe*
" *reat, id quod naturalibus instrumẽtis accidere nõ solet, prius enim ea affici necesse est,*
" *quã actio lædatur. Quæ verba satis declarant instrumẽta naturalia, nõ posse pati per consensum, ob affectam originem, sed propria tãtum passione, ipsissima scilicet ipsorũ essentia læsa, quod tamẽ necessario eueniret, si facultas quæ influit, ad originem læderetur. Plantæ insuper, sine nutricis facultatis influxu aluntur: ergo nec animalia eo indiguerunt: Quoniam quo ad nutritionem & alias naturales functiones attinet, similiter habẽt, autore Gal. 1. de causis sympt. De vi vero sanguinis creatrice, extãt Galeni loca, quæ illam, non aliunde fluentem, sed insitam esse venis declarant: Nã quar-*
" *to libro de Vsu partium, cap. 2. ita scribit. Intelligo in animalis corpore, omnia conue-*
" *niẽti cõstructione cõstare, diuinasq; quasdã ipsis virtutes, à cõditore esse inditas, & ve*
" *nas quidẽ, non deducere solum nutrimentũ ex vẽtriculo, sed attrahere simul, & hepa-*
" *ti præparare, modo quo ipsum simillimo. Quippe quæ natura ipsi sint adsimiles, & pri*
" *mũ germẽ ex illo ducãt. Quibus verbis, facultatẽ sanguinis creatricẽ, insitã esse, nõ modo iecori, sed etiã venis, ob substãtiæ similitudinem, quã cũ iecore sortiũtur, declarat:*
" *Et cap. 12. Venis (inquit) quæ ad ventriculũ, & vniuersa intestina pertinẽt, inest fa*
" *cultas quædã sanguinis effectrix, qua succũ qui ex cibis distribuitur, venis in sangui-*
" *nẽ mutare naturale est, prius quã is ad hepar perueniat. Si autẽ à iecore pẽderet, huiusce virtutis influxus, nec venis inesse diceret, nec sanguificationẽ ipsis naturalẽ esse*
" *statueret. Et cap. 17. scribit. Coquitur adhuc alimentũ, & in ipso per intestina trãsitu,*

vt in venis etiam omnibus sanguis: cũ tamen neq; intestinorum quoduis, coquendi ali- " mẽti, neque venæ, sanguinis gignendi gratia extiterint: sed vt antea dictũ est, natura " aliàs quidẽ organorũ quoque in melius abutitur; aliàs autẽ id, necessario sequitur om- " nia, quæ alicuius gratia extiterunt. Quẽadmodum igitur venis (cum eas distributio- " nis instrumẽta fecisset) facultatem sanguinis generatricem indidit, ne dum per eas fer- " tur, tempus ipsi alimento frustra periret: ad eundem modum & intestinis, distributio- " nis in venas gratia institutis, facultas quædã concoctrix ciborũ inest. Quibus verbis patet, quod sicut intestina, vi ꝓpria chylificãt, Ita venæ sanguificãt. Nec enim verũ est (quod quidã volunt) ventriculũ vim chylificãdi impertiri intestinis, Primo quoniã inter præcipua membra deberet numerari, siquidem facultatem, pariter & materiam, transmitteret ventriculus, suis exortis. Secundo, quoniã post dicta verba, hæc subdit Galenus. Quod fieri omnino nõ poterat (vt in cõmentariis quos de facultatibus natu- " ralibus cõscripsimus demõstratũ est) quin singulæ animalis particulæ, virtutẽ quandã " haberent alteratricem. Iam vero intestinorum substantia, haud multum à ventriculo " est diuersa. Quo fit, vt si facultatẽ alteratricẽ, ipsis quoq; inditã fuisse oportuit, ipsi vẽ- " triculo adsimilem, in his quoq; cibũ concoqui necessario consequatur. Quæ verba satis " declarant, vires chylificãdi quas habent intestina, & sanguinis gignẽdi quã habent ve- næ, intestinis, & venis inesse, ob suæ substãtiæ proprietatẽ, & peculiarẽ quã donãtur cõmistionem. Quod etiã volens significare Gal. 1. de fac. nat. cap. 3. ita scribit. Tã ve- " na, quã reliquarũ singulæ, ob certã quãdã tẽperiem, quã ex qualitatibus sunt nactæ, " hoc vel illo modo agere videntur. Quæ verba non tantũ quadrant, distributioni quæ " per venas fit, quantũ sanguificationi. Distributio enim, magis pendet ex cõformatio- ne, & figura venarũ, quã ex earundem tẽperamento. Quare si sanguificatio, pendet ex certo tẽperamẽto venarum: non est cur à iecore, facultatẽ eiusmodi deriuemus. Fal- so præterea principio, duci videtur Galenus, cum per coctionẽ, nõ posse quicquã, diuer- sum colorẽ accipere, à colore coquẽtis mẽbri edocet: Nõ enim solus sanguis, hepatis co- ctione prouenit, sed bilis pallida, pituita alba, & succus melãcholicus atter, pro cuiusq; materiæ præparatione gignitur: Sicut solis actione, homo fit nigrior, linteũ vero cãdi- dius: & ignis, ligna denigrat in carbones, quos postea dealbat in cinerẽ vertẽs. Sic ergo venæ, quãuis albæ sint, rubeũ colorẽ propria virtute indere possũt: in materia præser- tim, in sanguinem inigrare quam aptissima. Adhæc si facultas aliqua naturalis, no- stro corpori, aut vtilis aut necessaria, fertur per venas: nunquam vtiliter resecã- rentur venæ quædam: cuius contrarium experimur, in quibusdam crurium vlce- ribus contumacibus, & in varicibus, & in difficili opthalmia, resectis seneticis. Estque hoc remediũ mulomedicis, ad pluriũ iumentorum morbos, sine damno aliquo, tum vsitatissimũ, tũ valde probatũ. Quantũ autem ad facultatẽ concupiscibilẽ, & fun- ctiones eiusdem, & perturbationes in ea cõtingẽtes, & vicia ex crebra perturbatione, in ipsa prouenietia attinet: ridiculũ & apprime falsum videtur, sedẽ & primariã ori- ginem cũ Galeno, iecur esse statuere. Nã omnis cõcupiscẽtia, ex appetitu sensiuo est,

non enim famescunt neque sitiunt plantæ, nec venerea aliqua libidine tanguntur, nec intemperantes aut incontinentes dici possunt, quoniam sensu carent.

Hæc sunt quæ multis impoñnt, vt iecur nullius facultatis extra se, originẽ esse cõtẽdãt. Quibus tamẽ satisfaciendũ nũc est: nã naturalia instrumẽta (vt à primo incipiamus) licet habeãt innatas quasdã facultates, quibus regãtur in natura: & ea re differãt ab animalibus instrumẽtis, quorũ vis animalis nõ est cõplãtata, sed à suo fluẽs principio: indigẽt tamẽ illa (quãtũuis facultates habeãt innatas) pro sui tutella, & cõseruatione, influxu facultatum naturalium hepatis, in quo maxime vigẽt: & influxu cordis, sine cuius peculiari tẽperie, actiones suas perficere nequeunt, vt scribit Gal. 5. de locis, cap. 1. & influxu virtutis cerebri, cuius defectu, membra resoluta tabescunt: & influxu testium, cuius defectu, eunuchi male nutriuntur. Nec similitudo magnetis, ad naturalia membra, obstat quidquã: vt enim magnes, & succinum, indigẽt calore externo vt trahant, & magnetis tractio, impeditur allio peruncto (vt ferunt) ita instrumẽta naturalia, indigent facultatibus emanantibus a principijs, vt vegetemur, & earũ absentia læduntur. Animalia insuper instrumenta, citra aliquã sui læsionem, patiuntur per consensum, ad affectum principij: sana enim crystallois, cecitatem patitur, per consensum nerui visorij obstructi. Instrumenta autem naturalia, nunquã laborãt per consensum, nisi propria eorum natura, & essentia lædatur: temperies scilicet, cõpositio, aut vnitas partis. Deficiente enim influxu cordis, aut hepatis, vitiãtur instrumentorum naturalium temperamenta: que virtutum ipsorum sunt instrumenta. Sed quare si ab hepate naturalis mãdatur facultas, & a corde vitalis, pro conseruatione facultatum mẽbris insitarum: in morbo instrumentorum naturalium, nõ imponũtur remedia cordi & hepati? Quin & in phrenitide, & in quouis morbo coquendo, ijsdem mẽbris deberent apponi: Cerebrum enim, & quæuis alia corporis pars, quo ad coctionem attinet & nutritionem, instrumentum est naturale, & innatis regitur facultatibus, vt notat Gal. lib. artis medicinalis, cap. 9. in hæc verba. Quæ autẽ à seipsis gubernãtur,
" *sunt cartilago, os, copula, seu ligamentum, membrana, adenes, adeps, caro simplex. Re-*
" *liquæ vero partes, cum vnà cum istis, habeant ex se ipsis regimen, arterijs, venis &*
" *neruis insuper eguerunt. Galenus vero nõ semel vituperat, phrenitidis remedia, cordi aut hepati imponi: ergo à corde & hepate, nullas virtutes recipiunt. Dicendum est, quod in omni cuiusq; partis morbo, triũ principum mẽbrorum robur ac firmitatẽ desideramus, non æque tamen, sed primo cordis, deinceps hepatis, & tertio cerebri. Pro impari scilicet necessitate, atque cuiusque è dictis membris vsu: in quo vincit cor, quoniam sine ipsius influxu, nullum cæterorum, officio suo fungi valet, autore Galeno, quinto libro de locis patientibus, capite primo. Deinceps iecur tum ob coctionem materiæ morbi, quæ à naturali facultate est superanda, tum ob communem nutritionem. Minor est in morbis, cerebri necessitas, eo enim eatenus tantum indigemus (vt scribit Gal. 7. lib. Therapeutices Methodi in fine) quatenus respiratione nobis est opus:*

vt vero expedite respirent ægrotantes, ingenti robore non indigemus, perinde atque ad luctam, cursum, aut exercitamentum, à quibus ægri omnes sunt arcendi. Cum ergo à suo robore, vnumquodque è tribus dictis principijs decifcit, aut periculum ne labatur imminet, curandum est robur eius seruare, pro cuiusque eorum vsus portione, plus indulgẽdo maiori vsui, & minus minori, autore Gal. septimo libro Methodi citato. Quoniam tamẽ per morbos vnius generis, raro imbecillitantur reliqua duo principia, ob id raro ijs remedia adhibemus. Quæ tamen non inutiliter adhiberemus, etiam si semper ipsa roboraremus, siquidem non prohibet Galenus, roborantia cor, aut hepar, in phrenitide imponere: sed remedia curantia phrenitidem, nimirum repellentia, coquentia, & digerentia, alteri à cerebro applicare vetat. Falsum præterea est, quod in plantis, nulla habeatur pars, quæ altricis facultatis sit principium, ex qua, in vniuersam plantam vis emanet. Aristoteles enim, libello de iuuentute & senectute, capite primo, postquam trium partium quæ in plantis habentur meminit, ita scribit. Vegetabilis profecto animæ principium, in medio illarum trium partium habe- “
ri, tum visu, tum etiam ratione deprehenditur. Et paucis interpositis, generatio (inquit) quæ semine fit, omnibus è medio prouenit: cum enim biualuia sint semina omnia, “
qua cohærent, mediumque partis vtriusque habetur, hinc vna cum caule, radix etiam “
eorum quæ nascuntur erumpit, principiumque medium ipsorum est. Quibus verbis, “
partem mediam, tum in seminibus, tum in plantis reperiri, è qua radix infra, & caulis supra, & oriatur & dispensetur tradit. Quam sententiam, Dilucidius expressit Galenus, sexto libro de Placitis, non longe à principio, in hæc verba: Verũ ante quã hæc “
agamus, de plantarum generatione & dispensatione, considerandũ videtur. Par enim “
est, vt facultas hæc, de qua quærimus, cum in his sola insit, partis eius, clara nobis in- “
ditia exhibeat, vnde emanet. Semen igitur, cum iactum in terram fuerit, si aridus sit “
ager & siccaneus, nihil amplius ad plantæ procreationem inde concipit, sed cum ter- “
ra ad se se, totum innatum ipsius humorem attrahat, fatiscit. Quod si moderate ri- “
gua gleba fuerit, tunc emollitur primum semen, & tegumentum & cortex “
(quo quasi cute circundatur) intumescit, mox humore insito in aërem conuerso “
rumpitur. Inde ex illa ruptura, germinatio quædam, tenuis illa quidem, ac mol- “
lis egrediens, in vtramque partem protenditur: in superiorem, aërem versus: & “
inferiorem, in terræ profunditatem: quam quidem, & continuum incrementum acci- “
pere, & ferri semper quo semel incepit conspicimus. Processu vero temporis, si arbo- “
ris alicuius magnæ, semen id fuerit, pars ea quæ in aërem subijcitur, truncus: quæ “
deorsum in terram penetrat, radix efficitur. Atque vtraque, si multifida arbor “
est, in multas scinditur particulas: vt vnum & ortus & incrementi, omnibus “
plantæ partibus principiũ, locũ illum esse appareat: vnde & supra trunci, & infra “
radicationis, origo effluxerit: videaturque inde, quasi è laribus quibusdam, ea quæ “
arborem regit virtus, & facultas proficisci. Quam quidem, contrario agitari mo- “

tu satis

“ *tu satis constat, deorsum in terram, dum primas radices, tum scindendo diffundit,*
“ *tum augendo producit. Sursum, dum stirpes nouas, & ramos progerminat, at-*
“ *que eos subinde in alios, in summa vsque & minutissima, tenuissimaque flagella,*
“ *atque virgulta diffindit. Atque hanc superiorem partem, quæ eadem arbor est,*
“ *tum sua, tum fructuum causa, videtur ad hunc modum formare. Inferiorem, quo*
“ *alimenti suppeditatio non desit, cum eodem scilicet munere, fungatur in plantis ra-*
“ *dicum extremitas; quo in animalibus os, ac plane fibris quasi osculis multis, nu-*
“ *trimentum à natura fabricatum, ac præparatum, è terra illæ attrahant. Quæ*
Galeni verba, luce clarius monstrant, plantas è certo principio, tum generatio-
nem, tum facultatum dispensationem sortiri. Quoniam autem istiusmodi princi-
pio, iecur in animantibus respondere probauit: ideo concludit: quod talis cuius-
“ *dam facultatis origo, iecur est; qualem in plantis esse constat. Vim vero sangui-*
“ *nis creatricem (apud Galenum) duplicem statuere oportet: vnam quam iecur ve-*
nis suppeditat, quoniam sphæra actiuitatis iecoris (vt diximus) venæ sunt, &
ad ipsas, vis hæc sanguifica (quæ maxime in iecore viget) redundat: magis ad
venas hepati proximas, & minus ad remotiores: quoniam ad finem sphæræ, mi-
nor semper fit vis agentis. Hinc statim ac venas meseraicas subintrat chylus, ru-
bore inficitur: in venis vero vltra iecur remotioribus, sanguificatio iam fit
exigua. Vnde Auicenna prima primi de Humoribus, pituitam vasorum cor-
poris, non censuit in sanguinem verti, nisi famis tempore: quia in fame, totus na-
turæ conatus, vertitur ad pituitam, sicut in morbo ad materiam morbi, & adeo
valide conatur vincere, vt venena interdum conficiat, & eis ipsis, tempore fa-
mis, alatur natura. Nec enim oportet, vt crudus humor, retrocedat à vasis ad
iecur (frustra enim eius distributionem fecisset natura, a iecore in venas, si ite-
rum esset ad iecur reuocandus) Nec membra, famis tempore permitterent, cru-
dum humorem ad iecur trahi: tum temporis enim, maior est membrorum, quam
iecoris indigentia, siquidem prius exinaniri cœperunt: validius ergo quam iecur attra-
hent & retinebũt. Alteram vero vim sanguificam, insitã sibi habent venæ, ob certã
“ *quandam temperiem, & elementorum commistionem qua constant, vt scribit Ga-*
“ *lenus, primo libro de Facultatibus naturalibus. Sunt enim venæ, sua natura ie-*
“ *cori adsimiles, & ob id hepati præparant, modo quo ipsum simillimo, vt scri-*
bit Galenus quarto libro de Vsu partium, capite secundo. Adest enim in vena, præ-
ter fibras multas quibus texitur, caro quædam adnata, quæ propria venæ subs-
tantia est, vt scribit Galenus decimo libro Methodi. Atque huius carnis ratione
similitudinem aliquam substantiæ seruat vena, cum carne iocinoris: quoniam pri-
mam germen ex illo duxit, vt notauit Galenus, quarto libro de Vsu partium
citato. Dictum autem à Galeno sæpe est, quod substãtiarum proprietates, fa-
cultatum etiam sibi conuenientium proprietates, secum habeant: Caro ergo ve-
narum, vim aliquam, & facultatem sanguinis creatricem habebit. Quoniam autem

hæc similitudo venarum ad iecur, adeo est exigua, vt conspicuum aliquem ruborem, nõ possimus in venis aduertere, ob id exigua inest ipsis, sanguificandi vis. Quæ quanuis ob sui exiguitatem, se sola sanguificare non posset, venas tamen reddit aptas, ad suscipiendum ab hepate, sanguificæ virtutis influxum. Huius enim apparatus defectu, nec ventriculo, nec reliquis conterminis partibus, quæ circũcirca iecur sunt, vis sanguificãdi impertiri potest. Hinc recte Galenus ob substãtiæ proprietatem, iecori quodammodo assimilem, vim sanguinis creatricem, insitam esse venis, declarat sæpe, & ob exiguam, quam venæ cum iecore, & sanguine, similitudinem habent (albæ enim sunt & membranosæ) sanguinem nullatenus, vi propria gignere posse, arbitratur libro sexto de Placitis. Quare sequens est, vt iuuentur virtute à iocinore, per tunicæ raritatẽ defluxa: nisi ex accidenti, ob solam materiæ præparationem, ruborem sanguini conciliari arbitreris. Quod tamen falsum esse existimo, primo, quoniam sanguinis generatio, etiam ex crudo humore, & pituita, quæ ad venas transijt, à natura intenditur: ergo à facultate nostri, & non per accidens proueniet. Secundo, nam huiusmodi pituita, pro ratione coquentis membri, colorem ascisci, aut rubicundiorem aut albiorem: adeo vt cum merum excrementum est, & non nutrit, ruborem accipiat in renibus, & candorem in vesica, quod monstrant calculi, vtrobique geniti. Quare qui sanguinem in venis gigni, nec insita venis vi, nec à iecore defluente statuunt: sed calore membrorum adiacentium, & copia caloris sanguinis probe confecti, qui per venas ipsas, pituitæ attiguus fertur, merito sunt reprehẽdendi. Tum quoniam Galeno aduersantur, tũ etiam quoniam calor natiuus, siue sanguinis, siue spirituum, siue adiacentium membrorum, fit instrumentum partibus coquentibus, vt melius, & citius, functiones obeant suas. Sic enim chylus, ceu in lebete à ventriculo conficitur, calore circũstantium membrorum iuuante coctionem. Princeps ergo agens venæ sunt, quæ calido innato, tum suo, tum adiacentium, tum spirituum, iuuatur in suã actione. Iecur præterea quatuor humores gignens, rubrum gignit colorem, quoniam omnium cõgeries, & massa rubra est, quanuis in ea pituita sit alba, & vtraque bilis pallida, & atra. Nec alij humores à sanguine, ex sola materiæ necessitate proueniunt: sed ex intentione naturæ, pro nutritione tum iecoris, tum etiam reliqui corporis: nam cum ex quatuor constemus humoribus, eorundem congerie, nutriri & reparari debemus. Quare si venæ, sua natura sola, sanguinem conficerent, candor & non rubedo, in huiusmodi sanguine præpolleret: non enim minus apta est pituita, & humor crudus, ad retinendum candorem, quam ad induendum ruborem. Ad aliud vero dicendum, quod venæ resectio interdũ vtilis est, quoniam licet per eam, vtilis facultas ad partem influat, fit quandoque, vt plus obsit vena, pluris sanguinis quam oportet, affluentia: quam prosit facultate allata: quo tempore vtiliter resecatur, quoniam plus prodest sanguinem intercipere, ne in partem influat, quam noceat defectus facultatis, quæ tunc per alias venas, copiosius influere poterit.

Ad alterum vero de facultate concupiscibili, dicendum est, duplicem eam haberi,

vnam plantalem quæ naturalis est, & alteram ex appetitu sensiuo ortam, quæ plantalem sequitur. Hæc euidentior est, quoniam cum sensu fit, & ob id proprius, concupiscientiæ vocabulum ei aptatur, quam alteri plantali quæ sine sensu fit. Hæ duæ facultates, licet circa eadem versentur, puta circa nutrimenta & generationem, diuerso tamen modo (vt docte docuit Philoponus in proœmio ad libros de Anima Aristotelis) virtutum enim plantalium, illud est proprium, quod simpliciter nutrimentum, genituramque, sine sensu concupiscunt. Vt cum dormientes nullo neque sensu, neque imaginatione adducti, semen emittimus: pari modo operamur, ac plantales ipsæ virtutes faciunt. Alia quoque membra à ventriculo, quibus deest sensus indigentiæ, more plantarum cibum concupiscunt, & è ventriculo trahunt, eiusque substantiam diuellunt: adeo vt tristem in ipso sensationem faciant, quam famem appellamus, & plantis inesse nequit. Cupiditatis vero (vt dixit Galenus) proprium est, iucundarũ rerum fruitio. Hæc non simpliciter nutrimentum, sed suauia ædulia, & gulæ placida vina: nec generationem, sed coitionem cum hac aut illa procurat, & concupiscit. Sic etiam animalia rationis expertia, cum fœminas viderint, in apetitum mouentur, quapropter cum cognitione quadam, cupiditas huiusmodi semper est. Cognitio autẽ & sensus, non est à iecore, sed à cerebro, quod sensum impertit ventriculo, vt famescat, & sitiat: & pudendis, vt pruritum & voluptatem, ex semine & coitione percipiant. In quibus, cum motus fiunt immoderati, perturbationes fiunt, intemperantiæ & incontinentiæ: et cũ ratione cohibentur, continentia & temperantiæ virtus consurgit. Quod & ipsa Galeni exempla monstãt: Tytium enim refert, pœnas luentem, quod impudice Latonam solicitauerit: Et Menelaum affert, qui stricto ense, in Helenam, quasi eam occissurus fertur: deinde vbi vidit, stupore adeo ob pulchritudinẽ correptus est: vt ne tenere quidem gladium amplius potuerit, sed abiecerit. Vnde obiurgatio in eum ita fertur.

Vbi papillas eius aspexisti, statim
Tibi coruscus gladius, e manu excidit,
Et proditricis osculum excepisti, canis.

Quæ sane cupiditates, plantales non sunt, sed sensuales. Quoniam tamen perpetuum inter se comitatũ hæ duæ vires seruant (animalium enim fundamentum, naturales sunt, & sine operationibus naturalibus, fere non fiunt animales) ob id animalium nomine, naturales veniunt intelligendæ, quæ sine sensu fiunt. Sic enim libro de symptbomatum differentijs, capite quarto, inappetentiam & immodicam cibi appetentiam, symptbomata facultatũ naturalium fecit, Galenus ob dictũ comitatũ, quẽ habent animales functiones, cum naturalibus sensu carentibus. Forte autem Galenus plantas concupiscere, & peculiarem quendam sensum, conuenientis & disconuenientis, habere censuit: non visum, non auditum, nec eiusmodi alium, à virtute animali pendentem sensum: sed alium qui circa alimenta & excrementa, trahenda, aut expellenda versetur, qui animæ plantatitiæ sit proprius, & in animantibus à ieco

re, in vniuersum corpus deriuetur, sicut in plantis, à parte iecori proportionali. Per hunc enim sensum, plantæ & nostri corporis membra, trahunt sibi conuenientiora, & expellunt contraria: & tam in attractione conuenientis, quam in expulsione nociui, voluptatem habent & fruitionem sibi propriam. Hoc enim personare videntur Galeni verba, in fine libri de substantia facultatum naturalium scripta, quæ sic habent. Cum vero quot, qualesq; naturales facultates sint ostenderimus, quæstio quedam per consequentiam oboritur, quomodo proprium eas attrahere dicamus, alienum autem secernere. Siquidem impoßibile esse videtur plane præuoscāt, quale proprium ac familiare sit, quale externum: aut attractionem faciant germanorum, aut alienorum secretionem. At agnoscere sensoriæ facultatis munus esse constat. Ob id igitur in hoc sermone, quædam obauditio est, tametsi Plato aperte dixerit genus sensionis, in plantis diuersum est. Nimirum audientibus, quandam in eis agnoscendorum propriorum, atque alienorum vim inesse putantibus. Horum enim tantum ipsis dignotio est, quæ tum per voluptatem, tum per molestiam, aut aliquos similes iis, proportione ve conuenientes affectus progignitur: cum sensilium nequaquam discretionum aliarum, particeps sit naturalis anima, neque enim visilium, neque audibilium, neque olfactilium, neque gustatilium, neque tactilium qualitatum dignoscendarum, iudicium obtinet: sed eorum tantum, quæ vel alere vel non alere possunt. Nam quæ aleudo sunt, ad se ipsa trahit, detinet, concoquit, atque ad nutriendæ substantiæ geniale, ac cōmodum transfert: quæ inepta alimoniæ sunt, nequaquam admittit. Itaq; recte mihi dicere Plato videtur, styrpes sensū esse præditas, cognatorum videlicet atq; externiorum: eatenusq; animalia dici, non incongrue potuisse: cū id quoq; accedat, vt nec interno priuatæ sint motu. Sed cum huiuscemodi cognitio, ad medicinalem phylosophiam necessaria nō sit, contentus sum solius gratia sequellæ, ad verisimile vsq; progrediens, Platonem commendare: & plantas animalium vocabulo nuncupantem, & vnius participes domesticorum, atq; alienorum, discretiui sensus, asserentem: qui si exacte consideres, iucundorum, & non iucundorum generis esse videbitur. Non enim alia vlla de causa, germanum eas attrahere, vel sibi ipsis aßimulare, quam ob fruitionem, & ingenitam eis voluptatē dicere possumus. Hæc Galenus. Quæ multo minus nobis arrident, primo, quoniam quibus sensus aliquis est tributus, motus etiam aliquis, ex arbitrio cōceditur, quo carent plantæ. Secundo, nam attractio conuenientium, & expulsio eorum quæ incōmodant, sine sensu fieri possunt, ob substantiæ similitudinem & contrarietatem, vt sæpe alibi voluit Galenus. Tertio, nam si plantæ sensum habent huiusmodi, & membra nostri corporis, eundem accipiunt à iecore, sentiremus delitiam in manu, aut pede, quotiens sanguis, affluit ipsis pro nutritione: sicut colores sentimus in oculo, & sapores in lingua. Quarto, nam siue hic sensus statuatur, siue non: fames, sitis, & libido, non pendent ex hoc, sed ex altero à cerebro per neruos orto: quod fundamentum habet (vt diximus) in appetitu plantali, trahendi nutrimenti, aut expellendi superflui. Quin si accuratißime, quid Galenus, per facultatem concupiscibilem intellexit expendamus.

pendamus, intelligemus nō semper plantalē virtutē intellexisse: sed interdū etiam sensualē, quæ nec ex plātali pendere, nec cū ea iungi potuit. Exēplū enim, quod ex Platone affert Gal. 5. lib. de Placitis, ad ostendendū pugnā facultatis concupiscibilis, cū irascibili, monstrat per facultatē concupiscibilē, sensualem apetitū, sine aliquo plātali,
" intelligendū esse. Refert enim Leontiū, cum ex Pyræo sub boreali muro rediisset, sen
" sissetq; intus apud carnificem, iacere prostrata cadauera, simul & spectare cupiisse, &
" ægre affectū oculos auertisse, tantisperque secum pugnasse, faciemq; obtexisse, donec
" cupiditate superatus, oculos diduxit ac patefecit: atq; ad cadauera accurens, en (inquit)
" miseri, pulchro spectaculo saturemini. Vbi concupiscētia, nihil fuit aliud, quā appetitus sensiuus, qui videre cupiebat.

Principium vero, atque exortus neruorum, pariter & virtutis, tū sensiuæ tū motiuæ, è cerebro esse, nō è corde, adeo est manifestū sensui, vt nihil fuisset in huius indagatione immorādū. A cerebro enim septē coiugia oriuntur, in organa fere sensuū distributa: è quo etiā spinalis medulla, eiusdē cum ipso substātiæ, & eisdē meningibus obuoluta profunditur. Ab hac, viginti nouē neruorū mouētium coniugationes trahūtur: octo à ceruice, duodecim à dorso, quinque à lūbis, & quatuor ab osse sacro. Præter hos vero, Aui. 1.1. doct. 5. cap. 12. ab extremo caudæ, neruū sine coniuge educit: qui tamen inter vincula, nō inter neruos, deberet memorari. Cor vero, neruorū propagines quasdā exiles, à sinistro sexti paris neruo, ne omnifariā planta sit accepit, autore Gal. 6 de Vsu par. cap. 18. Victi tamen ipso sensu, Aristotelici quidā, dicūt neruos è cerebro oriri, vim tamē sensiuam, à corde in ipsos & cerebrū promanare: vbi sensus explicant, & manifestāt se se. Feruore enim cordis, à cerebri frigiditate sedato, sensus in capite primū apparet. Nā pro sensuum actionibus, cor, & spiritus ab eo profecti, nimis calere statuūt: quòd qualitatū extrema, sensus omnes refringāt, & tēperies acuat eosdem. Vnde 4. de gen. anim. cap. 10, de capite dixit Arist. quod est manifestatio sen
" suum. Hinc Auic. 1.1. doct. 5. cap. 1. Phylosophi (inquit) sermo, cum subtiliter certifi
" catur est veracior, sed medicorū sermo, in primis cum attēditur, est magis manifestus.
" Et rursus. Phylosophorū namq; magnus (Aristotelē intelligit) dixit quod membrum
" tribuēs & non suscipiens cor est. Ipsum namq; est omniū virtutū prima radix, & om
" nibus aliis mēbris suas tribuit virtutes, quibus nutriuntur & viuūt, & quibus cōpre
" henduntur & mouētur. Et 1.1. doct. 6. cap. 1. Sūmo (inquit) Phylosophorū Aristote
" li videtur, omniū istarum functionū principium esse cor, sed primarum operationū fa
" cultatū manifestationē, in his prædictis existere principiis, nēpe cerebro, hepate, testi
" bus. Et exēplum subdit. Quēadmodum apud medicos, cerebrū est sentiendi principiū,
" & post hoc, quisq; sensus mēbrum habet, in quo eius apparet operatio. At medico vt
" medici nomen subit, minime cōgruit, harū opinionum vtra sit verior indagare, cū illud
" sit phylosophi, nō medici munus. Et libro de viribus cordis, cap. 1. Vt mēbra (inquit)
" vi naturæ genita, & si plura numero sunt, vnum tamē est cæteris generatione primū,
" quodcunq; illud sit, secundū opinionum varietatē, quo tandē genito, aliorū sequitur ge

neratio

neratio mẽbrorum, sic itidẽ & spiritus, & si plurimi sunt, vnus tamen ipsorum generatione primus est, qui secundũ potiorẽ phylosophorũ sententiã in corde gignitur, & inde procedẽs, in cætera principalia mẽbra manat ac penetrat, in quibus cum sufficienter morã traxerit, adipiscitur tẽperiẽ peculiarẽ quãdã, sibiq; propriã, vt in cerebro tẽperiem eam, qua ad susceptionẽ sensus & motus disponitur, in hepate susceptiuã virtutum nutritionis & augmẽti, in testibus eã qua ad generationẽ præparatur. Et Chrysippus referẽte Gal. 2. de Placitis, licet nerui sint à capite orti, tamẽ à corde operationẽ functionemq; adipiscuntur. Sed absurda est sententia, Primo, quoniã Aristoteles, instrumẽta à parte in qua facultas viget, oriũda existimauit: vnde cor statuẽs sanguinis autorẽ, venas ab eo traxit, per quas veheretur in mẽbra. Et quoniã sensus & motus principiũ, in corde posuit, ob id neruos inde hauriẽdos putauit. Si ergo nerui à cerebro oriuntur: vis motiua & sensiua, nõ erunt à corde, ex sui ipsius principio cõcludimus. Secũdo, nam sensum relinquũt, qui est omnis demõstrationis principiũ, & ignotas latebras quærunt, vt mordicus Aristotelẽ defendant. Tertio nã sensum in cerebro manifestari, nec dixit, nec voluit Arist. lib. enim 2. de par. anim. cap. 7. cerebrũ nec sẽtire nec cũ partibus sentiẽtibus cõtinuitatẽ habere, sed solius refrigerij gratia creatum fuisse scripsit. Et lib. de progressu animaliũ, putat spiritũ à corde ad mẽbra deferri, motionis arbitrariæ autorẽ, simul cũ villis in corde contẽtis, nulla facta de cerebro mentione. Quarto, nã obstructo cerebro, animal amittit sensum & motũ totius corporis in apoplexia: & medietatis corporis in paralysi. Et præsciso, aut obstructo, aut ligato neruo, perit sensus & motus, eius partis in quã fertur: ita vt infra præscisionẽ aut laqueũ, nullo modo sensus fiat, & supra vsq; ad cerebrũ sit incolumis. Et in tauris (quod quotidie videre licet) vbi dorsi medulla ad primã colli vertebrã abscinditur, subito illi non modo currere, sed ne digitũ quidẽ progredi, nec respirare, nec vocẽ edere amplius possũt. Et ab alimẽti vaporibus, ac somno, cõpresso cerebro, vinciuntur omnes sensus, & eo liberato excitãtur & sentiunt. In quibus omnibus cor est illæsum, & eius virtus nullatenus impedita: quod mõstrant pulsus secũdum naturã facti. Quinto, vbi cor patitur, & contabescit marasmo, sensus & motus nõ modo est illæsus, verum fit interdum, vt sensus tã interni quã externi sint prõptiores. Et victimæ corde exẽpto, visæ sunt respirare, intẽte clamare, & fugere, donec præ sanguinis fluore intercidant, autore Gal. 2. de Placitis. Nõ ergo à corde, sed à cerebro, animalis facultas in omnia organa fertur. Accedit potissima Gal. domonstratio, 2. de Placitis lucidissime tradita. Ibi enim, quæ & quod sint, ea quæ cerebrum cordi coniungunt explorat, & ijs ipsis ad collum vel præsectis, vel collisis, vel laqueo interclusis, animaduertit affectus & symptomata, quæ animalibus inde contingunt. Cor cerebro nectitur, per duas venas iugulares, per totidem arterias soporarias appellatas, & per duos neruos, ipsis arterijs substratos. Hæc omnia incisa cute adiacẽte, in collo detegit, venasq; & arterias ante præscisionem, supra infraq; laqueo cõstringit, & in medio præscindit, ne sanguinis aliquis fluor inde consequatur. Ad venarũ præscisionẽ nulla euidenter functio interit.

Neruis

Neruis sectis, mutũ animal redditur: nullaq́ alia fũctio, aut tũc illico, aut post aliquãto, noxã aliquã cõtrahit. Si vero arteriæ, vel intercœptæ laqueis, vel dicta ratione præsectæ fuerint: animal neq́ mutũ, neq́ sopitum euadit: nisi neruos vna comprehendens, quod quidã fecerũt, dissectione male vtaris: cũ enim ex male adhunc modum, administrata dissectione, illico cõcidere animal viderẽt: arterijs noxã adscribendam esse cẽsuerunt, & soporem non recte appellarunt: cum obmutescentiã dicere debuissent. Cum solæ vero arteriæ præciduntur, arteriæ quæ supra sectionem sunt, pulsum amittũt: inferiore earũ parte vsq́ ad cor, & omnibus per totũ animalis corpus distributis arterijs pulsantibus. Ex his ita sensui expositis, ratiocinatur facile: neq́ cor ad pulsuum motũ, cerebri opera aliqua indigere, neq́ cerebrum cordis, vt sentire, & per voluntatẽ fungi officio suo, anima queat. His adde, quod si cor est omniũ virtutũ origo, poterunt omnes in sua origine vitiari, antequã in proprijs organis, manifestationem accipiãt. Tũc autẽ remedia essent aptanda cordi, & nõ cerebro, in obliuione & amentia: nec iecori in hydropa, & malo corporis habitu: quod tamẽ aperte falsum esse, nõ est dubiũ. Demum artificiosa, & varia cerebri formatio, & cõpositio, multũ eius vsum demonstrat. Nec plurimum pro Aristotele faciũt, quæ ad initium obijciebamus. Præcipuũ enim viscus est cor, etiã si plantalis, & animalis facultas, alibi sedeãt. Quo enim ad vitã attinet, (sine qua nullius momẽti sunt cætera) omnium maxime princeps est: nam est primum quod viuit, & vltimum quod moritur: & mors non sequitur, nisi ad vltimum, noxa sit communicata cordi, nec validam noxam, sine morte, cor tollerat. Quare si principatus membri, definiatur necessitate ad vitã (vt solet definiri) cor est omniũ princeps. Si vero principatus æstimetur, facultatis, & functionis dignitate, cerebrũ dignius est: quoniã in eo facultas animalis sedet, sẽsationes, & intellectiones perficiũtur. Nã principatu membri sic æstimato, testes etiã cordi, quadantenus præponere visus est Gal. 1. lib. de semine: ob vim gignendi, quæ vitæ perpetuitatem in specie policetur. Sicq́ vtrique hac ratione ministrat cor, materiã exhibens idoneã: suis muneribus obeũdis: nẽpe spiritus vitales, ex quibus cerebrũ creat animales spiritus, & testes genitiuos. Quãuis etiam nec cerebrũ, neq́ hepar, nec reliqua mẽbra, operari possint, sine cordis influxu: ceu cõmuni quodam auxilio, omnibus membris necessario: propria tamen cuiusq́ membri operatio, non est tribuenda cordi: sed membro quod formã indit, perfectionem, assimilationem & vim. Sic ventriculus chylũ conficit, licet iuuetur calore membrorũ circũstantiũ, nã sibi assimilat alimentũ, & formã inducit chyli, sicut & iecur sanguinis. Sic cerebrum licet iuuetur cordis influxu, & sine eo non possit operari, spiritus animales creat: illis enim impertitur formam, lucem, perfectionem, & vim motiuam, ac sensiuã: sic & testes genitiuam, nõ autem cor. Perinde enim ac sol, plantas creat, & animalia, (sine cuius influxu, & beneficio, semina non procrearent,) vis tamen procreans, est in seminibus, non in sole: ita cor, quod in nobis est veluti quidã sol (sine cuius influxu, membra non possent officijs fungi suis) iuuat omnium membrorum functiones: quæ sine corde, aut fieri nequirent, aut vix, & breuissimo quodam tempore,

quod

quod victimis contigebat exempto corde, secundo libro de Placitis, autore Galeno. Sic in syncopi, omnium membrorum vires concidunt, deficiente in ipsis cõmuni instrumento, & influxu cordis. In summa vnũ esse cõmune instrumentum, spiritum scilicet, & innatum calidum, per cordis influxum trãsmissum, verum est. Huius absentia, infirmatur coctio, in vẽtriculo meditantiũ: & meditatio, in ebrietate cõcoquenda. Præter hunc autem, cuiq; functioni, non præesse vim peculiarem, & peculiare instrumentum, nõ est verum: motionibus enim arbitrarijs, & sensiuis, præest in cerebro vis, & spiritus animalis: sanguificationi vero, vis altera in iecore, cuius peculiare instrumentum, est iecoris temperamentũ, & spiritus cõplantatus, aut naturalis, si hunc spiritum dari admittamus. Male etiã arguunt ob defectũ sensus in cerebro, vim sensiuã non inde manare, sed è corde: Nã nec cor ipsum punctum dolet, nisi leniter in membrana, ob neruulum quem à sinistro recurrente neruo accepit. Vnde dicendũ, quod quanuis cerebrum, sit sedes facultatis animalis, non oportet vt sit organum sensuum externorum: neq; enim videt, neq; audit cerebrũ, sed oculus: & auris. Nec magis oportet vt tactu valeat, quam visu aut gustatu. Pro internis tamẽ sensationibus obeundis, dum ab externis sensibus pulsatur, maxime idoneum instrumentum est cerebrum, ibi enim omnes perficiuntur. Quo fit vt princeps animæ vis, ibi non alibi sedeat.

Cor ergo, si nec, est origo venarum, nec neruorum, nec facultatum naturalium, nec animaliũ, à quo dicetur princeps? cuius nã facultatis & instrumẽti est principiũ? Tot respõdendũ puto facultates in ipso residẽt, quot habet proprias actiones. Spiritũ vitalẽ generat, cui vim impertit, omnia mẽbra viuificãdi, tẽperãdi, & cuiusq; partis facultatẽ, naturã, & robur cõseruãdi. Hos creat & perficit spiritus, in sinistro vẽtre, ex aëre inspirato & elaborato in pulmonibus, & ex sanguine, in dextro sui vẽtriculo, ad id munus parato, & per solidã cordis substãtiã ad sinistrum vẽtrẽ trãscolato. Cuius generationis efficiẽs, est facultas & animæ virtus, quæ eũ spiritũ facere est potis: quã ab effectu viuificãdi, vitalẽ appellamus. Huiusmodi autem facultatis actio, qua spiritus proueniũt, nõ est coctio ꝓprie sumpta, quãuis generaliori coctionis vocabulo dicamus, spiritũ vitalẽ coctione prouenire. Primo, quoniã coctio fit à facultate naturali, à qua vitalis lõge distat. Secundo, quoniã in coctione, id quod coquitur, redditur simile coquẽti, in substãtia, modo substãtiæ, & accidẽtibus. Spiritus vero, nullã cũ cordis substantia cognationẽ habet: Nec cor nutritur spiritibus, nec sanguine tenui & spirituoso: Corpus enim ipsius cordis, crassum ac dẽsum cũ sit, cibũ nõ immerito exposcit crassiorẽ: ob idq; sanguinẽ ducit à vena caua, quo nutriatur prius, quã ea ad cor immigret: Eo enim cũ peruenisset, calidus, tenuis, ac vaporosus futurus erat. Qua in re quod nõ nullis videtur absurdũ, maxime omniũ rationi cõgruere est putãdũ: vt cor scilicet pulmoni præparet alimẽtũ, sibi autẽ ipsi minime, ille enim sanguinẽ postulabat tenuem, ac vaporosum, hoc autẽ nequaquã: vt 6. de Vsu partium, autor est Galenus. Tertio, nã huius generationis, nulla excrementa visuntur, duplicis autem excrementi, crassi atq; tenuioris prouẽtus, in omni coctione est necessarius, vt 3. lib. methodi, Gal. est autor.

Sed

Sed vt quid opus fuit hac virtute vitali, & spiritu? Nam plantæ sine ea viuunt, ex animæ vegetãtis participatione sola, à qua diutissime conseruantur: Animãtia etiã quæ natura (vt plantæ) simul & sensibus à facultate animali profectis tenentur: nõ videntur hac indigere: Si enim sola anima plantalis, sufficit vitã, satis & fruticibus cõseruare: cur nõ sufficiet animãtibus ipsa, cum altera sensus atq; intellectus partici pe copulata? Dicendum quod vt quidpiam perfectius est, eo pluri indiget præparamento, & apparatu materiæ. Plantis ignobilibus sufficit vegetans anima, & pro alimento lutum, & crudus quidam succus, è terra haustus. Animantibus vero puriori alimento: & facultate alia quæ spiritus generaret, & vegetiora ipsa membra red deret, fuit opus: sic perfectioris rei natura postulante. Facultas quoq; animalis in ce rebro, huius virtutis & spiritus, apparatum poposcit, nec sine eo consistere posset. Spiritum enim animalem, ex vitali vlterius ellaborato, & pro sui ratione subacto generat. Quare hæc virtus vitalis, animali præstat materiam, & vegetanti vigorem necessarium, & vitam: quæ in animantibus nihil est aliud, quam facultatum, & functionum omnium, aut saltem principũ conseruatio: Sicut mors earundem extinctio. Vnde lib. 9. Methodi, Gal. has (inquit) facultates seruare, nihil est aliud, quã vitam seruare. Aristoteles vero libro de Respiratione, capite decimo, mortem & vitam aliter definiens (quod scilicet vita, est mora animæ vegetatricis cum calore: & mors, ipsius caloris extinctio aut marcor) de vita plantali intellexit, quæ omnibus, tum ani mantibus, tum plantis est cõmunis, non de ea quam tribuit cor, spirituum generatione & influxu.

SEDET rursus in corde, facultas altera, θυμοειδὴς & animosa appellata, cuius opera sunt, Animæ tenor (quem Tonon dicunt) & in ijs quæ ratio iusserit inuicta constantia. Hæc in bona fortunæ magna ex parte anhelans, pro ipsorũ varietate, varias perturbationes in corpore facit. Vtitur autem sanguine & spiritu, à facultate vitali creato, ceu instrumento sibi accõmodato. Si bona sunt præsentia, quibus potitur homo, gaudio perturbamur, in quo vis animosa extra fertur vniuersa, & eo mouet sanguinẽ & spiritũ, vt ipso bono externo fruatur. Si mala vero adsint, tristamur: & vis hæc animosa, præsens malum deuitare studens, & veluti refugiẽs, intro fertur: eoq; agit sanguinẽ & spiritum. Cum vero bona, futura sunt, spe fruendi animus exultat: sicut futuri mali apprænhensione, hæc vis nos exagitat, & metu perturbat. Pro differẽtia autem bonorũ in quæ fertur, aut malorũ quæ auertere curat, particulares perturbationes mouet. Ambitio enim fit, cũ honorũ stimulis, hæc vis in flãmata, cõcitatiori motu fertur in ipsos: Auaritia, cum in diuitias effertur: & Ira, cũ in vindictam acceptæ iniuriæ, aut in victoriã pugnæ, & dimicationis excãdescit. Est autẽ hæc facultas irrationalis, quæ nõ appræhendit, nec iudicat bonũ aut malum, nec de euẽtu cõsultat, sicut nec cõcupiscibilis. Primo quoniã bruta intellectu carẽtia, aperte irascũtur. Leo enim in irã maxime est procliuis. Et tauri cũ violentius in pla teis tractantur, maxime excandescũt. Et non modo homines, sed & equi & belluæ,

audito tubarum sonitu, strepituq; armorum excandescunt, & animi quodam impetu rapiuntur. Plura quoq; animalia videmus pugnacissima, quæ sese mordent, dilaniant, & lacerant: nullo præter victoriam proposito præmio. Quod euidenter in coturnicibus, gallis, perdicibus, ichneumone, aspide, crocodilo, innumerisq; alijs bestijs, intueri licet. Secundo nam pueri, antequam rationis compotes fiant, irascuntur frequenter, calcitrant, mordent, & vincere prorsus, ac superiores euadere contendunt, donec auctiores facti, naturalem etiam quandam cum honestate conciliationem ostendunt. Erubescunt siquidem procedente ætate si peccauerint, honestisq; actionibus delectantur, iustitiamq; & alias virtutes sibi asciscunt: multaq; ex harum virtutũ notitia agunt, qui prius, quo tempore paruuli erant, perturbationes sequebantur, rationisq; præceptis non obediebant. Quin & ex nobis ipsis, ille qui ratione plurimũ nititur, minimum ira, alijsq; perturbationibus affici videtur: Et qui perturbationibus succumbit, maxime à ratione deciscit: quoniam diuersa sunt principia rationis & perturbationis, illa enim ab intellectuali potentia, hæc à bruta proueniunt. Tertio nam rationalis facultas & irascibilis, certant, & pugnant sæpenumero inter se, & nunc ratio cohibet iracundiam, alias ab iracundia præcipitatur. Ratio vero sibi ipsi non pugnabit, ita vt simul annuat & renuat, vellit & nollit, increpet & à se ipsa increpetur. Ira ergo & omnis perturbatio, à ratione & iuditio sunt separandæ. Assumptũ Vlissis exẽplo fit manifestum, qui cum flagitia ancillarũ videret, & ab iracundia ad puniẽdas eas violenter traheretur: ratio ipsum, rei importunitate demonstrata refrenat ac cohibet. Et quoniam à ratione iracundia, ad differendum in aliud cõmodius, opportuniusq; tempus vindictam, non poterat induci, vehementius corripitur, ac quasi equus excurrẽs, à sessore (valido iniecto freno) violenter retrahitur, his verbis. Tollera ô generosissimum cor, num etiam: vt prius Cyclopis iniurias (cum socios interimi ac laniari conspiceres) fortiter sustinuisti. Quod Homerus, referente Galeno, sequentibus cecinit carminibus.

Atq; ibi sollicitus, vigilansq; iacebat Vlysses,
Secum animo voluens pugnam, cædemq; procorum.
Cum videt ex aula lætas prodire cateruas
Fœmineas, risum inter se, blandumq; susurrũ
Miscentes, quæ nocte procis iunxisse cubile
Consuerant. pectusq; illi subito arsit in iras.
Multum agitat secum, mentemq; animũq; furentem
In diuersa rapit. surgens ne occideret omnes,
An sineret tunc illa procis connubia iungi
Vltima. valde intus cor ipsi in pectore latrat.
Vtq; canis paruos catulos sua pignora seruans
Ignoto oblatrat quicunque accesserit, atque
Vim facit, & morsu cunctis pugnaciter obstat.

Sic indignanti cor oblatrabat. at ille
Pectora percutiens cordis sic increpat iram.
Cor tollera grauiora aliàs, peioraq́ passum.
Illo scilicet horrendus quo tempore Cyclops
Mandebat miseros socios, in tanta pericla
Durasti, ex antri donec te limine prudens
Consilium eripuit, cum iam interysse putares.
Sic ait his cor castigans sub pectore dictis.
Corq́ illi paret tollerans, ac comprimit æstum.

Iracundia quoq́, rationē interdum in pugna præcipitat. Quod contigit Medeæ, cū animus ipsius, rationis atq́ iracundiæ seditione agitaretur. Videbat quippe quam nephariū, quamq́ detestabile facinus, erat perpetratura, cum cædem liberorum aggrederetur, ac propterea cūctabatur, & differebat. Neq́ subito incitata id peregit. Sed ipsam iracūdia, veluti equus effrenis, victo atq́ excusso sesore, ad filios trucidandos iterum violēter trahebat. Deinde rursus ratio retrahebat, ac reuocabat: mox contra iracūdia impellebat, rursus ratio renitebatur. Vbi vero sæpius hinc inde, ab vtrisq́ his distracta, tandē iracundiæ acquieuit ac cessit. Ita enim loquentē eā inducit Euripides.

Cognosco quam nephanda nunc patro mala.
Sed ira consilio est potentior meo.

Nec valet solutio quorundam, dicentium quod huiusmodi perturbationes, non cōsurgunt, ex pugna diuersarum facultatū, rationalis nempe & irascibilis: sed ex pugna duorū iudiciorum contrariorū, in vna rationali potētia, quæ modo huc, modo illuc, ab illis impellitur. Cōtra enim apparet. Quoniā iudicia contraria, aut æquātur circa persuasionem, & sic nullus fiet assensus: aut alterū longe probabilius aparet, & sic assentiri quidē & ex assensione illa agere aliquid, non inconsiderate tamen necesse est. Vt si quis voluptatem bonum esse opinatus, parum quid habeat à quo in contrarium retrahatur: vel si honestum quis, solum bonum existimans, à nescio qua tamen etiam ipse alia opinione reuocetur, vt non firmiter constāterque credat: aut si quemadmodum Pyrrho, vtraque in æquilibrio ponens, negationem & assensum inhibuerit: nullo ex his modo perturbatio existet. Opinionis enim infirmitas, & inconstantia, aut hæsitatio de re, aut error rationis, & intellectus: nihil habent cum perturbatione commune. Tunc enim solum fit perturbatio, cum rationi immorigera est appetitio. Secundo, nam eadem opinione, & iudicio rationis manente, sedantur perturbationes: ita enim lamentorum, & ploratuū remissio fit. Ab alia ergo facultate experte rationis, perturbationes pendent. Nec valet, quod quidam dicunt, non omnem opinionem, perturbationem facere, sed recentē: quoniā in initijs, res magis mouent ob nouitatem, cum vero inueterantur, minus exagitant ob assuetudinem. Cōtra tamen est, quod rationis cognitiones, & iudicia, & in vniuersum scientiæ omnes & artes, solo tēpore neq́ tenaces firmæq́, vt perturbationū assuetudines reddūtur. Neq́ mutari, cessareq́, sicut ægritudo, alijq́

affectus, facile possunt. Quis enim cum bis duo, quatuor esse cognoscat, temporis processu satiatus, ab ea opinione vnquã destitit? Quis ab ea quod omnes à centro ad ambitum sunt æquales, mutatus est, aliterq́; sensit? In singulis deniq́; speculationibus, nemo reperietur, qui satiatus veterẽ opinionem deposuerit: perinde vt fletus, vt dolor, vt gemitus, ploratusq́;, & luctus deponi consueuere: licet eædem de rebus tanquã malis, permaneant opiniones. Tertio, in perturbatione quæro, quæ sit causa effusæ, & immoderatæ motionis contra rationem, causam enim cur fiat, constituere necesse est. At ea rationalis minime est, quoniã contra rationem esse aliquid, & à ratione fieri repugnat. Efficitur igitur, vt quæ perturbationem creat facultas, irrationalis sit. Sed huic rationi responderet forte quispiam, nõ ex irrationali facultate, perturbationem fieri, sed ex eo quod vlterius quã deceat, & iudicium & opinio efferatur: quasi ita dicat, ægrotationes in animo effici, non cũ absolute aliqua de re, quod bona vel mala sit, falso opinamur, sed cũ summopere, vel bonũ vel malum, quid esse existimamus. Siquidẽ opinio de pecunijs quod bonæ sint, nondũ ægrotatio est: sed vbi quis ipsas, summum bonum esse arbitratur, & si pecunijs priuetur, non amplius vitã vitalẽ sibi esse putat, tũ demũ ea ægrotatio dicitur. In hoc enim auaritia, & nimiũ pecuniarũ desideriũ, quæ sunt ægrotationes cõsistunt. Sed cõtra est, quod sapiẽtes qui honesta omnia, esse summa & insuperabilia bona existimãt, & alij qui bona sua insuperabilia & summa esse opinãtur, non mouentur cũ perturbatione. Et Epycurus, qui voluptatẽ summũ bonũ, et supremã fœlicitatẽ esse fuit ratus, quãuis falsa ratione, vehemẽter fuerit delusus, nõ dicetur perturbatus, sed errans. Omnesq́; operationes, & singulares motus animæ, quicunq́; voluptatẽ, tanquã finem praue coniectãt, prauos quidem necessario, & errãtes habet: nondũ tamẽ perturbationibus affectos. Propriũ nãq́; perturbationis est, vt sine ratione animus moueatur: est enim perturbatio, irrationalis quædã appetitio, & motio, ad rẽ prosequendã, aut declinandã. Quarto, nã ratio præter sua negotia, suosq́; terminos, redũdare amplius nõ potest: alterã igitur esse facultatẽ rationis expertẽ necesse est, quæ in causa sit, vt vltra rationis terminos, appetitio redundet, ac superet. Vtilissimo hoc docet Galenus exẽplo, currentiũ per accliue, & item per decliue: qui enim per accliuia loca decurrũt, vbi cursum volũt sistere, sistunt, quoniã is motus à sola est anima: qui vero per loca currũt decliuia, nequeũt statim, vbi voluerint cõsistere: quoniã corporis põdere grauati, deorsum eatenus præter voluntatẽ labũtur, quatenus grauitatis impetum, anima nequit sustinere. Sic ergo si appetitio, vltra rationis terminos redundat, nec ab ipsa gubernari ratione potest, causa atq́; facultas alia, est statuenda irrationalis, quæ corporis grauitati respõdeat. Facultates præterea irrationales, in nostra esse substantia: quasdam quæ circa bona fortunæ, honores, dignitates, vindictã, & victoriã diximus versari: & alias circa cupiditates, & bona corporis, cibi scilicet, potus, & venereorum desideria, eò cõstat, quòd si à dictis potẽtijs irrationalibus absolueremur, & sola rationalis nobis inesset potẽtia, quæ circa bona animi, & mentis, versatur: vitia nullatenus ingenerarentur nobis, neq́; quo modo peccẽt infantes possemus

intelli-

intelligere. Nam prauitatem oporteret nō intrinsecus, & ex ijs ipsis, sed extrinsecus tātum infantibus accidere. At quāuis bonis moribus imbuantur, optimeque erudiantur, peccare tamen certe in aliquo conspiciuntur. Quin licet sub phylosopho solo educentur, vt nullum neque audiuerint, neque viderint vitiorum exemplum, non necessario secūdum virtutem viuere oportet. Cur ergo vbi viderint, audiuerint ve, aliquod vitiorum exemplum, non oderint illud, aut fugiant, si nullam cum eo affinitatem, nullamque naturalem conciliationē habent? Quæ necessitas tandem est, vt pueri à voluptate, perinde ac bono aliquo illiciantur, si nullam cum hac conciliationem habent? auersentur & fugiant laborem, si neq; ab eo natura alienati sunt? Quid est cur laudibus & honoribus lætentur & gaudeant? Vituperia & ignominias moleste ferant, & fugiāt? si neque adhæc naturalem quandam, aut conciliationem, aut depulsionem adepti sunt? Qui fit vt voluptas tanquam bonum, dolor tanquam malum probabilem visionem & speciem offert? Cur item victoriam Olympicam, statuarumq; dedicationem, laudari, celebrariq; à plerisq; quasi bona, cladem contra & ignominiam vituperari, quasi mala audientes, prōpte ita credimus & persuademur?

Hæc ergo irrationalis potētia, in corde sedens, quæ tenor, contētio, & animæ veluti neruus est, dictas perturbationes facit, & iram: à qua nomen irascibilis sortita est. Nam huius fere solius causa, homini est concessa, vt nimirum aduersus cupiditates rationi opituletur: tanquam canis quidam cōtra agrestem & multorum capitum feram. Rationi autē opitulari tūc cernitur, cum aliquo vel intrinsecus à libidinibus, vel extrinsecus ab alijs, offendi ac se violari opinatur. Atq; opinari se offendi rationis, opē afferre contra vim illatam, iracundiæ proprium est. Cū igitur immoderate ad aliquid labitur, cupiditas, secumq; rationē violenter trahit: iracundia cōtra ipsam, rationi adiutrix accurret. Cū extrinsecus aliquis offēdit, vlcisci illū conatur. Sed si ratio, à nullo se iniuria affici opinetur, quāuis maximos cruciatus iuste patiatur corpus, frigore, fame, siti coërcitum, nequaquam excandescit iracundia. Quæ quotidie in seruis contingere videmus: Nā qui vel furti, vel talis alicuius criminis cōuicti fuerint, si cædātur si inedia aut ignominia castigentur ab heris, non irascuntur. At illi qui vel pati, vel passos esse tale quidpiam iniuria se arbitrantur, semper sæuientem iram in animo, ad summendas iniuriarum pœnas habent. Qua ex re patet irascibilem partem, quoad naturalem statum seruauerit, semper rationalis opiniones sequi. Fieri enim potest, vt aliquando deprauata, contumaciter contra rationem ipsa moueatur, ab ingenti aliqua cupiditate, præsertim si praua accesserit educatio, atque cum sensuum illecebris consuetudo. Nam & ægros videas, qui æstu placato, amicos & adstantes rogare solent, vt frigidam, & quæ lædere, & obesse solent, è conspectu auferant: postea vero sitis, aut alterius cupiditatis impatiētia victi, ea per vim sibi porrigi faciunt. Vbi iracūdia nō modo tullit opē rationi, sed cupiditati facta auxiliaria, rationē expugnat. Nam cū ratio cognoscat futurū, sensus vero atq; cupiditas tantum præsens, si rationem sequimur mouebimur ad finem futurū: sin sensui adhæremus, ad id quod præsens delectare

 potest.

potest. Sensus enim, inuitat sitientem vt frigidam bibat. Ratio vero quæ euentum & mala quæ ex frigidæ potione, corpori accidere possunt prospicit: dissuadet, monetque vt abstineat. Tunc vero si corpus bene constitutum est, & naturæ legibus paret, facultas insurgit irascibilis, rationi aduersus sensum opem latura. Si vero mala educatione fuerit corrupta, & sensum insequi ratione posthabita didicerit, contra rationem ipsa mouebitur, & mentem ad sensuum delicias pertrahet.

Insidet præterea cordi, facultas altera, pulsifica appellata, quæ cor mouet, & arterias, duplici motu, distentionis, scilicet & contractionis: vt nimirum distentione, aërẽ externum alliciat, & eius appulsu, natiuum calorem, & spiritũ suopte impetu flãmescentem, refrigeret atq; contemperet: Contractione vero, fumosum nutritionis recrementum, & fuliginem pellat, ne spirituum puritati incommodet, & natiuum calorem suffocet. Est autem vt operatio hæc, ita & facultas duplex: vna quidem contrahens, altera vero distendens, vt constat ex Gal, lib. 2. de Præsagatione ex pulsibus, cap. 8. Vbi enim est vna facultas animi, mouens ad vnam partem, datur alia eiusdem generis ad oppositum mouens, vt libro de Vsu pulsuum, nõ longe à fine, scribit Galenus: nã in naturalibus, expultrix cohabitat cum tractrice: & in animalibus, musculo mouẽti ad vnã differentiã, cõtraponitur alter, mouens ad oppositã: & in pulsifica ponit virtutẽ contrahentem, quia datur vis distendens arterias. Fallitur enim aperte Auicenna, dum vnam facultatem, mouere motibus contrarijs statuit. Id namque facultatibus omnibus, quæ non ex arbitrio operantur repugnat. Nec satisfacit beatus Thomas, opusculo de motu cordis, quod hi duo motus pulsus, non sunt contrarij, quia habent vicem vnius circularis deficientis & intersecti. Vt enim (inquit) circularis motus continuus, conuenit cælo, ob sui corporis perfectionem, ita in his inferioribus, motus circularis cõuenit animali, ob animæ sensiuæ nobilitatem. Sicut autem deficit à nobilitate cæli, ita & à coutinuitate motus deficere par est. Conueniet ergo ei, motus circularis intersectus. Contra vero est primo, quod pariter dicere possemus, ascensum & descensum lapidis, esse motum circularem intersectum: persimilis est enim ascensui & descẽsui arteriæ, in distentione & contractione. Secundo, nam si quietem intersecantem demamus ex pulsu (quod tripliciter contingere posse, scribit Galenus, secundo libro de Præsagatione ex pulsibus, capite octauo) quantumuis continua tunc sit distentio, contractioni: non fiet motus vllus circularis. Tertio, nam si anima sentiens, in omni animali, ob perfectionem, motum circularem facit: deficieutem tamen & intersectum, ob minorem perfectionem: fiet necessario, vt maior, aut minor, intersectio huius motus, ex maiori, aut minori nobilitate animalis pendeat: Sicque homine perfectiores essent, equus, leo, & omnia, animãtia homine calidiora, quæ ob eximium calorem, creberrimos pulsus habent. Quare aperte falluntur, tum qui motus contrarios, ab vna facultate fieri posse tradunt: tum etiam qui quò contrarietatem è pulsus motibus adimant, motum vnum circularem eos esse fingunt: Nec valet, quod licet arteriæ distentio, fiat à virtute distendente: contractio fieri

potest,

potest, in distentionis cessatione & relaxatione motus: ab ipsa arteria subsidente & concidente ob grauitatem. Primo quoniam solet natura (vt diximus) contrarias inter se sibi insitas motrires facultates, in quibusque instrumentis habere. Secundo, nam cum contractio pulsus, ingentem minimeque aspernandum vsum, nobis exhibeat, absurdum maxime esset, vim ingenitam quæ eiusmodi motum efficeret, datam non esse, vt libello de vsu pulsuum, autor est Galenus. Tertio nam oporteret contractionē, nec celeriorem, nec tardiorem fieri, per ætates, naturas, anni tempora, atque etiam per morbos, siquidem per hæc, arteria grauior, aut leuior, non fit. Oporteret etiam, vt terminus, & finis motus, semper is esset, quem ex naturali compositione arteriæ possiderent: quæ omnia contra fieri experimur, mutantur enim in illis omnibus, pro vsus ratione, pulsuum rythmi atque moduli. Vltra quoque & citra terminum naturalem protenditur contractio, atque hæ mutationes in quibusdam affectibus, adeo subito fiunt, vt locum non possit habere, quorundam antiquorum responsio dicentium, quod per ætates, & alia, subit varietatem contractio, ob varietatem arteriæ, in duritie atque mollitiæ. Pueris enim (inquiunt) celerior est, & maior, quoniam arteriam molliorem, & maxime sequacem habent: senibus contra, tardior & minor, quoniam ob duritiem est refractaria. Subiti autem affectus, in quibus subitanea est modulorum pulsus mutatio, locum negat, huic euasioni, cum nihil adeo in tantillo tempore, mutari in mollitiem & duritiem possit. Falsa etiam est tum in ætatibus, tum etiam in quibusque paulatinis affectibus, horum de arteriarum mollitie atque duritie sententia. Quamuis enim mollia, sequaciora sint attrahenti & distendenti, minus ad locum suum reuertuntur duris. Vt ex plantis viridibus & siccis constat. Virides enim facile contorquentur, & difficile ex se reuertuntur ad suum statum. Siccæ vero quoniam valentiori habitu sunt firmatæ, non nisi magna vi coguntur, & dimissæ in priorem statum facile reddeunt. Quare non modo distentio pulsus, fit à virtute distendente arterias, verum etiam contractio ab altera virtute contrahente. Totoque aberrant cælo, qui plures vna facultate pulsifica, statuere recusant. Falluntur etiam qui vnam facultatem, esse pulsificam cum vitali censent. Primo, nam vitalis est vna, pulsifica duplex, vt diximus. Secundo, nam vitalis generat spiritus, pulsifica mouet cor & arterias, quæ operationes maxime dissident. Tertio, nam facultas vitalis, spiritum in omnem partem transmittit, & nulla reperitur, ab illius fauore destituta, nec os, nec cartilago, nec neruus, aut medulla, quin nec ipsa corporis recrementa: Pulsifica vero solis arterijs communicatur, & per ipsarum arteriarum substantiam, non per spiritum fertur, vt Galenus demonstrauit, libro cui titulus est, An sanguis, natura in arterijs contineatur, sunt autem Galeni verba huiusmodi. "Arteriam "vnam è magnis & conspicuis quampiam nudabis, primoque pelle remota, ipsam "ab adiacenti, suppositoque corpore, tam diu separare non graueris, quo ad filum cir- "cum immittere valeas: deinde secundum longitudinem arteriam incide, calamumque

& concauum, & peruium, in foramen intrude, vel æneam aliquam fistulam, quò & vulnus obturetur, & sanguis exilire non poßit. Quoadusque sic se arteriam habere conspicies, ipsam totam pulsare videbis. Cum primum vero obductum filum in laqueum contrahens, arteriæ tunicas calamo obstrinxeris, non amplius arteriam, infra laqueum palpitare videbis: etiam si spiritus & sanguis, ad arteriam quæ est vltra filum, sicuti prius faciebat per concauitatem calami feratur. Quod si propterea pulsabant arteriæ, pulsarent etiam tum partes, quæ sunt infra laqueum, sed non pulsant. Igitur perspicuum est, quoniam moueri poße desinunt, non per spiritum in concauitatibus discurrentem, sed ob virtutem in tunicas transmißam, arterias à corde moueri. Ex quo Galeni loco, facultatem pulsificam, per arteriarũ substantiam deriuari, non autem per spiritum: manifesta demonstratione constat. Neque enim nobis vnquam arrisit isacius, qui libro de Elementis, spiritum vitalem, inter ambas arteriæ tunicas ferri, & non cum sanguine, per internam cauitatem iurat. Nam præterquam quod Galeno repugnat: inartificiosum esset, spiritum tenuissimum, vna inclusisse membrana, sanguinem vero craßiorem duabus. Sanguis item dum arteria seccatur, saliens, & impetu quodam subsultans profluit, ob spiritus permistos: quod non faceret, si separata tunica continerentur. Ex vulnere præterea primæ tunicæ, non conglutinato, necessario interiret animans, quod non fit. Ne vero demonstrationi Galeni, quicquam deficere posse videatur, prima tantum arteriæ tunica est vulneranda, inter quam, & secundam integram, indatur calamus, & vinciatur, partes enim quæ infra laqueum sunt, non pulsabunt, citerioribus pulsantibus. Quanuis vero huiusmodi facultates vitalis (inquam) & pulsans, duæ sint, tam coniunctæ semper habentur, & sibi mutuo necessariæ: vt vna imbecilla facta, altera non poßit esse valida, sed ad proportionem alterius languescat. Pulsans enim, dum calidi natiui seruat mediocritatem, & puritatem, vitale robur seruat: cuius etiam defectu, male habet & extinguitur. Vitalis rursus, dum spiritum creat, cordis contentioni, & irradiationi, per quam pulsus fiunt, addit robur. Spirituum quoque defectus, in pulsu defectum facit: nam quanuis pulsans facultas, non deferatur per spiritus, sine ipsorum affluentia, nunquam operatur. Hinc merito, facultatis vitalis robur, ex robore pulsuum, certißimo venamur inditio: & ex pulsuum intermißione, aut imbecillitate, vitalis languorem, & extinctionem, certo certius cognoscimus. Hinc etiã de vitali, atque pulsifica, ac de vna & eadem facultate, medicæ artis autores sunt loquuti. Et pulsum, à vi fieri vitali, dixit in finitione pulsus, quarto libro de differentijs pulsuum, capite secundo, Galenus. Quanuis si res diligentius, & non transcursim tractetur, duas esse, non vnam demõstrauerimus.

Dictis videtur obstare, Aristotelis de causa pulsuum sententia, is enim libro de vita & morte, capite vndecimo, pulsum fieri arbitratur, non à facultate aliqua, sed à sanguinis intumescentia, & detumescentia. Ob sanguinis enim feruorem (apud ipsum) intumescente sanguine, & in spumam verso, fit distentio, & ob refri-

refrigerationẽ compresso, & detumescente, fit contractio. Aristotelem sequutus est monachus thurisanus, 2. Techni. Hanc tamen opinionẽ, abunde falsam esse, conuincit Galeni allata demonstratio: nam si à sanguine intumescente, fieret pulsus, arteria vltra laqueum pulsaret: sanguine & spiritu, per calami cauitatem delatis. Secundo, nam facultate sublata, nullus esset pulsus vehemens, præter magnum: At magnus & vehemens, distant plurimũ: nam in lætitia, augentur pulsus secundum magnitudinẽ, nullam in vehemẽtia mutationẽ perpessi: & peripneumonicorũ, & lethargicorum pulsus, magni & imbecilli redduntur, quarto libro de Causis pulsuum, capitibus, tertio, decimotertio, & decimo quarto, autore Galeno. Tertio, nam nunquam in febre valida, esset pulsus paruus: magna enim ebullitio, & efferuescentia, pulsus in magnitudinẽ semper attolleret: Cuius contrariũ experimur, in febribus pestilentibus, & in causo interimente. Quarto, nam cor & arteriæ calidiores, prius pulsarent, quã arteria pedis, si ex feruore sanguinis pulsus penderet: cum tamen omnium sit pulsatio simultanea. Quinto, nam venæ etiam pulsarent, eius præsertim hominis, qui iecur habuerit præcalidum, aut ea saltem parte, qua cor ipsum, caua pertingit. Sexto, si ob id dilatatur arteria, quoniam sanguis intumescit, non magis dilatabitur, quam intumescat sanguis ipse, aër ergo non ingredietur pro refrigerio: quare nec sanguis detumescet, nec contrahi poterit arteria. Ridicula enim est, monachi solutio dicentis, arteriam magis dilatari, ob impetum intumescentiæ sanguinis. Nam in pulsu paruo, tardo, & raro: & vbi cor, & arteriæ, laborant frigida intemperie, nullus erit impetus. Vbi præterea durior adest arteria, & ob duritiẽ, minus quam oporteret distenditur, & crebritate supplet, quòd magnitudine defecit, quo modo subingredietur aër?

Sunt autem quædam Galeni loca, huc attinentia, quæ quibusdam difficilia apparent. Quale est illud septimi libri de Vsu partium, quod cordis motus, est à natura, thoracis vero, ab anima. Et libro secundo de motu musculorum (inquit) quod actio quæ ex arteria, & vena procedit, est naturalis. Et libro primo de Causis symptbomatum ad initium, dixit, duplicem esse facultatem, vnam naturalem, animalem alteram. Quibus locis, facultatem vitalem atq́ pulsificam prætermittit, & pulsum à natura, aut facultate naturali fieri affirmat. Quod ita obaudiendum esse monemus, vt naturalis facultas, contradistincta animali: Aut natura, contradistincta animæ, significent nobis facultatem, quæ non paret, voluntatis imperio: Anima vero, aut animalis facultas, eam quæ arbitrio regitur, & libera est. Et sic tam naturalis, quã vitalis, & pulsifica, nomine naturæ, & facultatis naturalis comprehenduntur. Quod primo vero libro, de Difficultate respirationis, vitalem facultatem liberam appellet Galenus: non intelligit arbitrariam esse, nam contra potius, ob id liberam appellat, quod non paret voluntatis imperio, vt ipsissima Galeni verba demonstrant, quæ sic habent. Vitalis autem facultas, nullum superiorem habet dominum, sed libera penitus existit. Quæ verba aperte declarant, vitalem facultatem, eo liberam appellari, quod superiori careat, non autem ob libertatem contraditionis, quam non habet.

An in homine, Animas vna plures statuere, sit absurdum. CAP. IIII.



ACVLTATES cerebri, cordis, atq; iocinoris, esse diuersas: & cor, ad pulsuum motũ, cerebri opera non indigere, neq; cerebrũ, cordis: vt sentire, & per voluntatẽ fungi officio suo, anima queat: satis superq; diximus. An vero, vnius animæ sint dictæ potentiæ, an potius in vnoquoq; illorum membrorum, sua sit anima: quæ in corde de se promat vires irascendi, pulsandi, & spiritus generandi: in iocinore sanguificandi: & in cerebro sentiendi, mouendi, & intelligendi, dubiũ est. Nam Plato tres in homine animas posuit: duas maxime pugnãtes, concupiscendi, & intelligẽdi, hanc in cerebro, illam vero in iecore: & tertiam in corde irascibilem, quæ media intercedit: quã homini superius datã esse, vt rationi, aduersus cupiditates opituletur diximus. Quare apud Platonem, anima humana, tribus constat partibus, vna quidem indiuisibili, & immortali: & duabus alijs corruptibilibus. Platonẽ sequitur Galenus, vt libris de Placitis Hippocratis & Platonis, apud ipsum non semel est videre. Sed hæc in vno homine animarum multitudo, per corporis partes distributa, in vnam animam totalem conspirantium, videtur impossibilis: Primo nam quo modo, ex indiuisibili & diuisibili, quidpiam constabit? Secundo, quo nam glutino, cohærebunt tres dictæ animæ, vt vnum animal componãt, non multiplex? Hoc enim percontatur Aristoteles, lib. 1. de Anima, capite vltimo. Tertio, dubitat Galenus, lib. 2. de Causis pulsuum, cap. 12. si nec animarum, nec functionum, horũ trium principiorũ, vlla societas est, quomodo fiet inter ipsa, affectuũ cõmunicatio & consensus? Ex conuulsione enim neruorũ, pulsus fit conuulsiuus: Et ex opinione iniuriæ, motus fit iracundiæ, autore Galeno lib. 5. de Placitis in fine. Et ex operatione iracundiæ, reliquarũ duarum animæ partiũ, & totius corporis, cum ab ira, ad actiones violenter impellitur, affectio consequitur, lib. 6. de Placitis in principio. Et ex iugi formosæ puellæ conspectu, cupiditas insurgit. Quæ nisi ab vna anima fiant, difficile admodum est intelligere, quo modo se mutuo exaudiant: sibique consentiant, & compatiantur animæ diuersæ. Sicut enim si ego video pulchrum, non ex eo tu cupis: sic si ab intellectuali anima, cogitatur pulchrum: altera anima quæ cõcupiscit, moueri non debuit. His addere oportet ex beato Thoma, parte 1. q. 76. art. 3, quod ex duobus entibus in actu, non fit vnum per se: cum duo actus, duæ res sint: homo autem per se est vnum, ergo non habet plures actus & formas. Adhæc si homo, non est homo, per animã vegetantem, aut sentiẽtem, sed per sequentem rationalem: non erit de essentia hominis animal: quare neque animal, erit genus hominis, neq; eius definitionẽ substantialem ingredietur. Insuper si diuersæ animæ essent in homine, non obstarent sibi in opere, vnaquæq; enim est sui iuris, & suum opus perficeret: At meditatio, coctionem & nutricationem infirmat, & contra contrarium: Ergo ab vna forma pendent, quæ

dum

dum huic operi plurimum vacat, ab alio diuertit. Adde, quod non magis pugnat, ab anima vegetante, tribus facultatibus vsa, fieri nutritionem, auctionem, & generationem: aut ab altera quæ in cerebro sedet, fieri visionem in oculis, in auribus auditionem, & in lingua gustatum, per diuersas facultates, ab ea anima manantes: quam si statuamus, omnia animæ opera, ab vna anima prodire, omnibus facultatibus insignita, quæ irascatur, & pulset in corde: imaginetur, cogitet, & secundum locum moueatur, in cerebro: sanguinem conficiat in iecore: & alitionem procuret in vniuerso corpore. Si autē pœnitius res consideretur, plures animas in homine statuere, & absurditate vacat, & medicis præceptis valde congruere arbitramur. Anima enim vegetans, quæ in nostro semine cōtinetur, cū gignit, auget, & format nos, perficit sese, donec in eū apparatū & dispositionē venit, vt animā humanā recipiat. Quo sane tēpore absurdum fuerit, plantalem ipsam periisse, nihil enim, sui internetionē procurat: Manet igitur plantalis anima, ceu dispositio necessaria vlteriori formæ. Cor præterea, ante animæ rationalis aduentū, & ante integrā organizationem pulsat: & iecur sanguinem conficit: nec id ab alia forma facere, post rationalis introductionē, quam ante, est verisimile: eadem enim sunt membra, persimiles ac ante sunt operationes, & ædita opera: Quo ergo cohærebunt glutino (dum quærit Aristoteles) respondemus, non oportere quærere, quid sit vniens, in iis, in quibus aliud quidem formæ, aliud vero materiæ rationem tenet. Namq; ea, de se ipsis vnionem habent: naturaliter enim materia, postquam ita disposita est, vt sponte formam suscipiat, ex nulla alia causa, quæ magis continua sit, ipsam suscipit. Animæ ergo irrationales, ad rationalem, materiæ & præparamenti rationem habent: rationalis vero ad illas, formæ. Constat enim, vel mediocriter in physicis exercitatis, dispositiones tenere se ex parte materiæ, non formæ. Quare nullo extrinseco egent glutino, sed intrinsecus se ipsis vniuntur, & indiuisibile, diuisibili potest hac ratione cohærere. Consensus autem harū trium animarum, pendet primo, ex dicta vnione, vt enim anima coniuncta corpori, corporis subit conditiones à corpore, & corpus, animæ exercet munia, ab anima: Ita animæ irrationales, rationali coniunctæ, ipsam sæpenumero rationem exaudiunt, & ipsius rationis euadunt instrumenta, adeo vt si semel, rationi obedire consuescant, promptum sit vnicuiq; suos affectus moderari. Nam & ferarum multæ cicurantur, & ratione ipsa mansuetiores redduntur, vbi rationem exaudiunt. Contra vero ratio, ferocior redditur, & irrationalibus potentiis mancipata ruit, ob dictam coniunctionem: vbi præsertim praua educatione, irrationales affectus moderari non didicerimus. Atq; hæc est lex, quæ in membris nostris spiritui repugnat, & qua proni ad malum sumus. Nec minus est, rationalem animam, sui natura à perturbationibus immunem, ob irrationalium societatem perturbari: quam irrationales, sine cognitione, rationi parere. Ob dictam enim coniunctionem, & subordinationem animarum, neutra sine socia; aut consentiente & victa: aut reluctante, & vincente: operari potest. Præter hanc vero coniunctionem, de qua millies egerat Galenus, libris de Placitis Hippocratis

& Platonis, consensum aliud reperit, libro secundo de Causis pulsuum citato, per instrumentorum, è tribus principijs ortorum, nexum & alligationem. Arterias enim, " cor cerebro, vinculum societatis trasmittit: cerebrum neruos cordi: Qui quanquam " non magni sint, mandatũ tamen rationis possunt perferre. Singulis quoq; arterijs, fi- " bræ à neruis deductæ, ad societatẽ cohærent, per quas se sinunt, mutuo in consensum " venire, non modo actionum, sed affectionum etiam. Sic corpus omne, ob dictam venarum, arteriarum, atq; neruorum alligationem, conspirabile est atq; confluxile, vt voluit Hipporactes. Valesius autem, lib. 4. Controuersiarum, capite vltimo, isthæc parum attente considerans, hanc alligationem, ad tantã conspirationem sufficere non posse tradit. Nam alligatio (inquit) venarum cum neruis, qua ratione facere potest, vt irritatis neruis in vena, partes reliquæ incitentur ad motũ? Isthæc alligatio facit, vt vena ambabus facultatibus sit prædita, sed secundum partes diuersas, animales alias, alias naturales: quæ cum omni sensu careant, non video qua ratione ad eas sensus irritationis transmeet. Hæc Valesius. Sed supina est hæc ignorãtia, pars enim in quã neruus inseritur, tota redditur sensiua, facultate à neruo, vniuersæ parti communicata: Vbicumq; enim cutem, aut quanuis aliam corporis partem, acu pupugeris, sensum ibi esse deprehendes: non tamen est neruus: vbiq;, sed ex neruo, vniuersa pars in quam inseritur, redditur sensiua. Hæc est demonstrationis vis, quam promiserat lib. 2. Controuersiarum cap. 14. Nec obstant reliqua, nam si anima vna, omnibus ornata esset facultatibus, plantatitijs, irrationalibus, & rationalibus, posset (vt volunt) ea sola, omnia munia exercere. Sed non habet nisi facultates, suæ naturæ conformes, vegetans, auctricem, nutricem, & procreantem: Anima cordis animosam, vitalem & pulsificam: Quæ in cerebro residet, sentientem, & secundum locum mouentem: Quibus ceu necessarijs præparamentis, & dispositionibus, anima in hominibus superuenit intellectualis, ceu verus actus & corporis endelechia, omnia vniens, cõponens, & moderans, & non tantum corpori assistens, vt voluit plato. De qua tamen admodum dubius fuit Galenus, est que medicis contemplationibus, parum vtilis de ea tractatio. Hinc fit quod homo, non constet ex pluribus entibus in actu, priores enim animæ, tenent se ex parte materiæ, præparamenti, & potentiæ, ad animã intellectualem, quæ verus est actus, forma & hominis endelechia. Quod autẽ genus hominis sit animal, & eius ingrediatur essentialem finitionẽ, eo fit, quod physicæ finitiones, materia constant & forma, summiturque ipsarum genus à materia, & differentia è forma, vt lib. 8. Methaphysicorum, cap. 1. autor est Aristoteles. Cum ergo corpus anima sensiua præditum, habeat vicem materiæ, ad animam rationalem sequentem, merito definitur per animal, ceu materiam, & per rationale ceu per formam. Quod meditatio vero coctionem, & coctio meditationẽ impediat, non est ob animæ coquentis, & meditantis vnitatem, sed ob calidum innatum, cuius ope omnia perficiuntur, quod meditationi intendens, minus vacare potest coctioni: vt magno suo periculo experiũtur, quià cena aut prãdio, attento animo legunt aut scribunt: in quibus natiuus calor ad caput delatus, cruditatũ ventriculi fit causa.

An

An nutrix, & auctrix, & procreās facultas, sint virtutes animæ diuersæ inter se se.

CAP. V.



E cordis facultatibus, animosa, vitali, atque pulsifica, nuper dicta sufficiant. De facultatibus vero naturalibus, atque animalibus, pauca quædam nunc trademus: quæ doctrinæ quæ de ipsis habetur lucem addant. A naturalibus autem facultatibus, ordiri conuenit, quòd primæ, & omnium aliarum fundamenta sint. Naturales voco, quæ ab anima vegetante proficiscuntur, hanc enim naturam antiqui, non animam appellabant. Atqui inter ipsius naturæ facultates, quædam sunt principes, aliæ vero ministræ, vt 6. lib. Epidemiarum, parte quinta, cōmentario primo, Galenus est autor. Principes sunt, nutrix, auctrix, & procreans: nam cū viuentia, dissolubili atque caduca constent substantia, solers natura, quæ ipsorum curam gerit: nutritione reparat ipsa, accretione perficit, & procreatione facit immortalia. Sunt vero quidam, quibus hæ, non apparent diuersæ actiones, nec a diuersis profectæ facultatibus: Quod generans enim à nutriente, & nutriens ab augente, non differant, ita probant. Eisdem particularibus actionibus, completur generatio, quibus & nutritio: vtraque enim fit conuersione, alimenti in substantiam aliti. Dum generatio fit, in semen, & genituram, vertitur alimentum, quemadmodum cum nutritio fit, medulla in ossa, & sanguis in sanguinea membra commutatur. Si ergo actiones, non sunt differentes, nec facultates, à quibus fiunt distabunt. Eadem quoque ratio probat, nutrientem & augmentantem, non esse diuersas vires. Nam cum maior fit nutritio, quam exolutio, augetur animans: cum par, sine incremēto nutritur: cum minor, imminuitur. Eadem ergo prorsus actio est, augmentationis & nutritionis, non diuersa, nec ex differente virtute profecta. Ex sola præterea nutricis imbecillitate, & alitione imminuta, fit decrementum: & ex mediocri nutritione, seruatur animans, nec crescens, nec decrescens: ergo ex sola nutritione vberiori, fiet crementum, citra alterius facultatis actionem. Nec vident, cur si vim augentem necessariam ponimus, imminuentem, & parem etiam magnitudinem seruantem, ponere non cogamur: par enim est, in vtrisque ratio. Nutrix præterea, dat formā carnis & ossis. Ergo dat etiam omnia, quæ formam consequuntur, magnitudinem, figuram, & cætera: Impossibile enim est, carnis substantiam abundantem creare, sine abundanti quantitate. Hinc motū ad quantitatem, non dari asserunt, quoniam quantitas cum substantia, temporis momento prodit, & eam necessario consequitur: Sicut ergo nutritio non est motus, ita de augmentatione ferendum: eadem enim transmutatio substantiam & quantitatem affert. Quod paucioribus præterea potest expleri, vanum est, pluribus non necessarijs confici: cum ergo vis altrix, augmentum & instaurationem possit efficere, vt quid sunt gemminæ vires ponendæ? Accedit, quod post

augmentum

augmentum, esset otiôsa, aut solo instrumenti defectu interiret: quorum vtrunque est Aristoteli dissonum. Nam si senex acciperet oculum iuuenis, videret vt iuuenis, quare vitio instrumenti, facultates non intercidunt. Nec tamen otiôsam esse decuit, id enim sine artificio fecisset natura. Post ortum quoque, membris iam conformatis, otiôsa esset virtus procreans, cum tamen, naturales facultates non otientur apud Galenum. Adde quod eodem instrumento, calore scilicet natiuo, vtuntur procreans, alens, & augens: & easdem quatuor subseruientes, & ministrantes facultates habent: tractricem, retentricem, coctricem & expultricem: Ergo vna est, non plures. Nutritionē præterea, & augmentationem, vno complexu posuit Aristoteles, 2. lib. de Anima dicens: Vegetalis animæ duo fuisse munera, generare scilicet & alimento vti. Vbi sub vna operatione, alitionem pariter & augmētationem complectitur. Hinc generantem, nutrientem, & augentem, vnam vim esse perhibent: quæ semini datur, in vltima elaboratione, quæ in testibus fit. Hæc format membra, ex ipsius seminis mole, & mēbra à se formata, seruat, nutrit, & in cōuenientē quātitatē auget.

Cæterum hæc sunt erroris plena, quoniam virtutem generantem, procreatricem, aut formatiuam (vtro enim nomine appelles, nihil refert) eandem cum altrice ponere, est ab omnium phylosophantium placitis, atque à veritate alienum. Primo, nam Aristoteles. 2. de Anima vegetalis duo fuisse munera percenset, generare & alimēto vti. Secundo, nam Galenus, 2. de naturalibus facultatibus, post principium, diuersam vim, à nutriente, & augente, procreantem statuit. Tertio, nam in fœtibus dum vtero geruntur, nutriens, & augens facultas, ministrat generanti, apud Galenum secundo libro de naturalibus facultatibus. Nihil vero sibi ipsi ministrat. Quarto, nam generatio, nutritio, & augmentatio, sunt functiones diuersæ: ergo a diuersis facultatibus pendent. Assumptum patet, nam in generatione, quod non erat fit, quare vere est progressus ad formam. In alitione vero, quanuis alimentum mutet formam, nihil de nouo generatur, quod non præexisteret: fit enim in alitione, pars nerui aut ossis: quare motus potius ad materiam, quæ forma præexistente informetur, appellari debet. Augmentatio vero, motus est ad quantitatem, sicut generatio, & nutritio, ad substantiam. Quod augetur perfectam formam habet, quod generatur non habet. Vnde Galenus, secundo libro de naturalibus facultatibus, ita scribit. Augetur enim « id, cuius iam perfecta forma est. Cuius autem quod fit, processus ille qui est ad formā, « non vtique auctio, sed generatio nominatur. « Quinto, nam in procreatione, non fit sola commutatio, vt in alitione: sed conueniens etiam conformatio, figura scilicet, societas, & situs, tam admiranda ratione digesta, vt antiquis in mentem venerit, ab nobiliori, doctiori, & potentiori potentia, quam sit vegetans prodiisse: a Deo scilicet, aut intelligentia, aut anima mundi, quæ corporibus generandis præsideret. Tantūque Galenus admiratur de functionis huius præstantia, vt & ipse ancipitem quæstionem reliquerit, libro de Fœtus formatione, a vegetante enim anima, tam præclara opera, tantaque sapientia condita, non spectabat: contra vero, ab anima mundi, aut præ-

stanti aliqua intelligentia, nunquam adduci potuit vt crederet, scorpiones, phalangia, muscas, culices, viperas, vermes, lumbricos, pytylas, affabre quoque, & magna arte hæc omnia facta, fingi atque formari: Prope enim ad impietatem, hanc opinionem accedere, fuit ratus. Quare inscius quo se vertat, tantum hoc habet, quod de causa animalium formatrice, asserere posse confidat: quod summa in ea ars, atque sapientia, inesse conspicitur. Consequens ergo est, quam maxime distare, formatricis operationes ab alitione. Nec tamen hic credat quispiam, causas quæ transnaturam sunt, magis probasse: nam quanquam hac parte Galenus fuerit anceps, magis inclinat animum, vniuersam conformationẽ referre, ad animam vegetantem, quæ in semine est, & spiritu gignitiuo: quam ad externam aliquam intelligentiam præstantiorem. Tum quoniam impium censet, sordidioribus animantibus efformandis, Deum aliquem præesse. Tum etiam quoniam ex alijs Galeni locis, vbi mentionem habuit de semine, & nostri corporis conformatione, mentem ipsius facile est colligere. Semen enim, interdum naturam appellat, secundo libro de Naturalibus facultatibus, non longe ab initio: Quod namque (inquit) semen prius erat, id cum primum, & gignit & format animal, natura quædam fit. Aliàs alterum ortus nostri principium vocat: sæpe opificem: nonnunquam opificem fortissimum. Cum tamen exquisitius fuit loquutus, non id quidem artificem: sed in se artificem habere pronuntiat. Secundo enim libro de Semine, ad hunc modum scribit. Quod si alterato, atque immutato menstruo, vnamquanque ex his partibus effici dicamus, in semine artifex, qui has efficiat, statuendus est. Et alio eiusdem libri loco, Constat similitudinem formæ, cum vtroque parente, ei facultati quæ inest in semine opifici, atque fingenti, acceptam referri. Nam vt alio eiusdem libri loco dixerat, semen non est tantum facultas, sed materia etiam quædam. Cum enim ad fœtus formationem, opus sit facultate formante, & materia formanda, semen vtrunque præstat. Habet enim vim formatricem, quæ animæ vegetantis est facultas: & materiam atque corpoream substantiam, ex qua fœtus primum formatur. Nihilque obstare arbitratur, semen esse fœtus materiam, & in eo vim formantem contineri. Quod tamen Aristoteles atque Atheneus, plurimum ob id formidarunt, quoniam nihil in se ipsum agere potest, cum neque sibimet contrarium sit. Si igitur agens, & formans est semen, non in seipsum aget, sed alteram materiam, menstruum scilicet sanguinem informabit: vt coagulum, caseum ex lacte facit, & faber, ex ligno theatrum. semper enim agens, à patiẽte est diuersum. Nec enim coagulum seipsum coagulat: nec faber, fabrum, sed lignum dolat. Accedit, quod ad sui interitum, ageret semen, dum fœtum effingit, si formans in eo consisteret facultas. Hæc tamen Galenus, ceu sophysmata contemneret, quæ tenebras potius, & caliginem oculis offundunt, quam naturæ leges, & veram generationem declarent. Quæ tamen ita soluere oportet. Non est semen similare prorsus, sed ex crassa simul & tenui, spiritosa & æthera substantia compositum: illa materia est, hæc efficiens. Neque hanc in semine difformitatem, ignorauit

Aris-

Aristoteles, vt libro primo de Semine, dum in Aristotelem inuehitur, notat Galenus, vbi ita scribit. Neque enim ô Aristoteles ignorasti, semen spiritus vatalis plenum esse, tu namque spumæ, semen perbelle aßimilasti, dicens ab eo bullas quam plurimas, visum præ exiguitate fugientes, & omnes in vnum coëuntes, excitari. Tu quoque, fabulam non improbasti, quæ venerem, ex ea factam eße fingit. Omnia autem hæc, scripta sunt ab Aristotele, libro secundo de generatione animalium, capite secundo, quin eodem libro, capite tertio, ab hoc spiritu, quod fœcunda sint semina pendere declarat, his verbis. Sed enim omnis anima, siue virtus, siue potentia, corpus aliud participare videtur, idque magis diuinum, quam ea quæ elementa appellantur. Verum prout nobilitate, obscuritate ve, animæ inter se differunt, ita & natura eius corporis differt. Inest enim in semine omnium, quod facit vt fœcunda sint semina: videlicet quod calor vocatur. Idque non ignis, non talis facultas aliqua est, sed spiritus qui in semine, spumosoque corpore continetur. Et natura, quæ in eo spiritu est, proportione respondens, elemento stellarum. Hunc autem spiritum, diuinum appellauit Aristoteles: non quoniam cælitus sit demissus, sed quoniam quæ perfectiora sunt diuina appellat, etiam si hic generentur & fiant, quoniam cæli vim magis senserunt. Sic loco nuper citato, in animatis ceu perfectioribus diuinitatem agnoscit: & quo perfectiora animantia sunt, eo diuiniora esse censet. Et de homine, qui perfectißimus est, dixit secundo physicæ auscultationis, quod sol & homo, generant hominem: quasi dicat vim cælestem, homini magis, quam alijs animantibus communicari: nec tamen apud eundem, innanimata corpora carent diuinitate. Tantum enim diuinitatis, quantum perfectionis vnicuique tribuit. Sic enim primo libro Physicæ auscultationis, finem à natura, sibi in omnibus generationibus propositum, nominauit diuinum, cum ait. Existente diuino quodam optimo, & appetibili. Vbi omnem formam, dicere videtur, esse optimam, ac diuinam, quam materia expetit, vt aßimiletur primæ, summæque diuinæ: quantumque ea habuit diuinitatis, tantum recedit ab imo, & ad summum atque diuinum accedit. Sic ergo spiritus, qui fœcunda semina facit, & procreans quæ in eo vis residet, quasi pictor quidam, aut plastes, arte admirabili membra componens, diuina appellantur, non quoniam Deus aut intelligentia aliqua sit, aut quoniam cælitus demittantur, sed quoniam natura, id est forma substantialis eius corporis, proportione respondet elemento stellarum: & a Deo omnis naturæ autore, eam perfectionem fuit consequuta. Hinc merito, ex præcepto sui creatoris, hanc facultatem, dixit operari Auicenna, prima primi, doctrina sexta, capite secundo. Non quod reliquæ facultates operentur aliter, quam ex creatoris præcepto, is enim est, omnis naturæ largitor, & qui legem, rerum naturis imposuit, ex qua vim agendi acceperunt: sed quoniam tanta, in nostri corporis fabrica ars est, vt ibi magis quam alibi creatoris ipsius sapientia innotescat. Hinc speciali priuilegio, hunc effectum Deo tribuunt scripturæ sacræ, Dauid psalmo. 218. Manus tuæ (inquit) fecerunt me, & plasmauerunt me. Et sanctißimus Iob, decimo.

Tuæ

" Tuæ manus elaborauerunt me, ac me fecerunt, quantus quantus sum. An non ve-
" lut lac fudisti me, & velut caseum me coagulasti? Cutè & carne vestiuisti me? Of-
" sibus etiam & neruis me contexisti? Quibus locis, miracula transnaturam non re-
ferunt sancti, nec naturalibus facultatibus, quidquam detrahere volũt. Sed nihil aliud satagunt esse naturam, quam domini legem, & præceptum, vnicuique rei datum, cuius virtute, operantur ea quæ sui muneris esse censentur. Vt autem ad tantam perfectionem (vt vel Deus, aut intelligentia aliqua, existimetur) formans facultas non assurgit: ita magno interuallo, altricem facultatem, dignitate superat. Quæ cum alimentum, in nutriti vertat substantiam, nullo alio vtitur artificio, quam reliqua naturalia agentia, dum subiecta corpora similia reddunt. Semen ergo spumosum corpus existens, similare non est (vt inde vnde orationem traximus reddeamus) sed ex substantia quadam crassiori, & spiritu gignitiuo intercluso compositum. Spiritus ratione, in quo formãdi sedet facultas, autor est formationis: ratione vero substantiæ crassioris, fit eiusdem formationis susceptor. Hinc nullo incommodo dato, conuincitur semen in se ipsum agere posse: quod Aristoteles atque Athæneus maxime formidabant. Ex eodem etiam principio putat Valesius, libro secundo Controuersiarum, capite octauo, quod nihil obstat, semen ad sui interitum agere: quoniam diuersa parte agit & patitur: Agit enim ob partem spirituosam, & patitur ob substantiam crassiorem, & magis elementarem. Sed pace ipsius, ratio hæc causam reddit actionis, non interitus: Quare scilicet semen, in seipsum agat, seipsum formet, & varia compositione tractet, vt diximus. Ob id enim agit, quoniam principium habet actiuum, spiritum scilicet gignitiuum: & principium etiã passiuum, ab actiuo diuersum, crassiorem videlicet seminis substantiam. Quod vero hæc actio, sit seminis interitus non probat: Nam cum actio seminis in seipsum, semini ex natura conueniat, atque ad eam properet: nihil vero suum interitum concupiscat, necessarium videtur, vt actio qua semen seipsum format, non modo non sit seminis interitus, verum & ea sit sui ipsius perfectio. Quare verior solutio est, quod vegetans forma non perit, dum fœtum ex semine format, nutrit & auget: sed quæ antea, sub specie seminis delitescebat, & quandam velut semineam plantã informabat, nunc iam natura fit, fœtum effingit, & in eo ipso fœtu manet: non enim eum deserit vnquam, sed postquam mira conformationis opera exercuit, ipsum per vniuersæ vitæ tempus multipliciter gubernat. Primo, particulas ad suum
" opus excitans, & sui vsus admonens. Sic auium omne genus, volatum moli-
" tur, etsi per infirmitatem nondum potest. Et catellus mordere conatur, cum ad-
" huc infirmos habet dentes. Cornu petit vitulus, etiam ante nata cornua: & equi-
" nus pullus calce, nondum satis firmis vngulis. Puer etiam, & quicunque al-
" ter dissectionis ignarus, digitum vnumquemque porrigunt, vel inflectunt,
" ac linguam varie contorquent, & conuoluunt in conuenientem figuram, huius aut
" illius vocis exprimendæ, etiam si non nouerint, quibus musculis ad singulas
motio-

las motiones sit opus, quoniam anima quæ ab initio conformauit partes, ea iam factis conuenienter vtitur; vnamquamque partem & facultatem, ad suum vsum incitans, vt libro de Fœtuum formatione eleganter tradit Galenus. Secundo, cauitates, figuras, & compositiones quas effinxerat conseruans, ne à nutriente & reponente alimentum disturbentur, nec enim otiari decuerat: Et quasdam partes, post partũ inutiles futuras perdens: quales sunt vena & arteria vmbilicalis, per quas puer nec alimentum, nec spiritum deinceps erat suscepturus. Quædam item venarum perforationes, per quas ex caua, sanguis fertur ad nutriendum pulmones, in iã natis statim occæcantur. Et vas quòd magnam arteriam in vtero, connectit venæ quæ fertur ad pulmonem, non modo sicut aliæ partes non augetur, verum etiam tenuius semper effici conspicitur, adeo vt tempore procedente, penitus tabescat atque exiccetur, Galeno autore, decimo quinto libro de Vsu partium. Tertio, de nouo quoad fieri potest conformans, & regenerans partes quasdam. Sic septimo mense dentes creat, & septimo anno regenerat. Sic vterum, genitalia, & vbera, non permittit augeri ante pubertatem: quoniam tunc primum erant ex vsu futura, autore Galeno, decimo quarto libro de Vsu partium. Sic humeros, non sinit ante adolescentiam dilatari, apud Alexandrum: quoniam tunc primum, ad ferenda onera erant idonei futuri. Sic maiori mensura, quam pro aliarum particularum ratione, hepar auxit, in fœtibus quæ vtero continentur, deinceps cor & cerebrum, quoniam maior tunc illius, quam horum vsus erat. Vt libro decimo quinto de Vsu partium autor est Galenus. Quæ sane, ex auctrice vi non pendent, nam hæc omnes ad proportionem partes augeret, sed à vi conformatrice: quæ auctricis, atque aliarum facultatum, ac membrorum corporis est regina, & moderatrix. Membra quoque, casu aliquo corrupta regenerat. Nam vlcera caua, implentur carne: vbi multæ venæ, & arteriæ regenerantur. Et Galenus primo libro de semine, in capite & alijs partibus, satis magnas & multas venas vidit regeneratas. Et sexto Methodi, capite quinto, mollia ossa puerorum, coalescere posse tradit. Sed cur, si vis quæ nos formauit olim, manet integra, non regenerat venas, arterias, neruos, & ossa, prorsus excissa? Huic sane difficultati, respondet Galenus, primo libro de Semine, quod vena raro regeneratur, quoniam materia, seminalis ex qua nutritur, minori copia prouenit, quam sit opus ad generationem solidorum: arteria quæ sexcuplo crassior est, & pluri materia indiguit, rarius reparatur: neruus & os, quæ solida existunt, nunquam, nisi forte partis iactura fuerit exigua, & corpus tenerrimum. Si enim ossa dura iuuenum frangantur, aut molliorum in pueris, maior fiat iactura, renasci amplius nequeunt: Quoniam nullibi, tantam seminis copiam, simul collectam inuenire est, quanta ad vniuscuiusque quod interijt, regenerationem sufficiat. Quod si multo tempore, congeri posse obijcias: Respondet, quod carnis generatio ex sanguine, qui copiosus abundat, anteuertet paulatinum illum seminis prouentum, & ossis ex ipso generationem. Accedit, quod licet formans facultas, maneat in fœtu

ædito

edito non tāto robore præstat, ac in ipso vtero, tum ob seminis, cui facultas insidet collectionem & vnionē: tum etiā, quoniam vterus facultatis formantis, ob testes, & vasa, quæ habet seminaria, expers non est. Ex quibus sane manifeste conuincitur, nunquam Galenum confudisse, vim generantem cum nutriente.

Nutrientem vero, cum augmētante non confundi, magis est manifestum. Nam plerunque cernimus, tum pueros, tum adolescentes, febribus, diuturnisque morbis laborantes, admodum gracilescere, & emaciari: qui tamē interea augentur. Cum ergo hi minus alantur, accretionem non esse pleniorem nutricationem, nec cum ea necessario coniunctā in aperto est. Accedit, quod qui ad statam, sibique statutam magnitudinem peruenit, quantūuis se saginet, & vbertim nutriatur, non augetur. Distāt ergo vberrime nutriri & augeri: nutriens quoque & augens facultas, à quibus illæ functiones emanant. Adde quod nutrix, circa vniuersi corporis alimentum negociatur: augens vero, circa corporis partes solidas efferendas, ac dilatandas: Ea enim extensio solidorum, auctricis est proprium munus: sicut nutriens facultas, extēsis partibus, curat alimentum apponere, affigere, & aßimilare: non modo quantum effluxit, sed & largius ac fusius, quo laxiores factas capacitates impleat, & robur ac soliditatem pristinā conciliet. Hinc detexitur error Auicennæ. 1. 1. doct. 6. cap. 2. vbi putat, accretionem esse comitem vberioris nutrimenti, Ita enim eo loci scriptum reliquit. Nutritiua vero " virtus crescitiuæ seruit, eo quod nutritiua, quādoq; affert nutriēs, ei quod dissoluitur " æquale, quādoq; minus, quādoque plus. Sed crescitiua nō erit, nisi cū quod ingreditur, " plus fuerit eo quod dissoluitur. Ex eodem errato principio, in deteriorem errorem incidit Valesius, augentē facultatē, cū nutriente confundens: quoniā scilicet augmentū, ex sola vberiori nutritione, necessario consurgit: non enim putat, reponi posse substantiam vberiorē, quin auctior quātitas exultet inde: nec similiter quātitas vnquā (apud ipsum) augetur, nisi vberior substātia fuerit reposita. Quorū tamē vtrūq; falsum esse, monstrauimus, hoc in adolescentibus, & pueris diutinis morbis emaciatis, in quibus, cum paucißimo nutrimento fit augmētum: illud vero in consistentibus, in quibus etiā si vberrime nutriantur, corpus desijt augeri. Carnosiora quidem, pinguiora, & corporatiora, nutrimenti vbertate, reddi possunt corpora quæ consistunt, nō autem maiora: quoniam radicalia membra, non parent extensioni. Hæc ergo extensio, vera est auctio, quæ ab augente facultate fit. Nec extensionem huiusmodi, sufficeret calor facere, sine virtute auctrice: in quo etiam errat Valesius. Nam calor, sui natura, vndique extenderet æqualiter, exemplo ceræ à calore rarefactæ, & omnium aliorum, quæ calore soluuntur: auctrix vero facultas, in longum corpora nostra, multo magis exporrig[illegible] Nec ob id dicta membrorum extensio, augmentum desinet esse, quoniam motus localis sit, qui alter eiusdem Valesij est error: idē namq; motus, si per eum diuersa acquiruntur, multiplex genus habere potest. Quatenus quantitas, in mēbrorū extensione fit auctior, est augmentum: Quatenus variatur vbi, quod est forma loci, est motus localis: Quatenus noua conquiritur figura, est alteratio. Vnde rarefactionē

in qua motus localis est apertus (nam partes quæ coniunctæ erant, remotiores redduntur) Auerrhous alterationem esse meminit. Quominus vero nostri corporis extensio, quæ ab auctrice fit, sit rarefactio, facit primo, nutriens facultas: quæ vbertim alimentum apponit, & laxiores factas capacitates affatim implet. Et secundo, quod rarefactio fit à calore, & in omnem partem æqualiter extendit, augmentatio vero à facultate, & in longum magis. Ex dictis alter quoque detegitur error Valesij, dum sentit augmentationem non esse motum. Quoniam motus (inquit) omnis fit in tempore, augmentatio vero in instanti, sicut & nutritio cum qua prouenit. At Aristoteles quinto libro Physicæ auscultationis, ad tria tantum prædicamenta, esse per se motum manifeste tradidit, ad quantitatem, ad qualitatem, & ad vbi: ad quantitatem quidem augmentatio, ad qualitatem alteratio, ad vbi latio. Loquitur autem de motu proprie dicto, pro vt mutationi contradistinguitur. Quare vera augmentatio, est motus extensionis solidorum: nutritio vero eius ministra, vt diximus. Auctum præterea corpus, maiorem locum occupat, quam proxime ante incrementum occupabat, hoc vero sine latione fieri est impossibile, latio vero omnis successiua est, & in tempore facta. Ergo & augmentatio pariter in tempore fiat est necessum.


EX dictis omnium obiectionum solutio est facilis. Ad primam enim dicendum, quod quanuis in nutritione, & generatione, fiat transmutatio alimenti, in substãtiam corporis: non tamen ob id, vtraque actio est vna. Primo, quoniam in generatione, fit commutatio, in substantiam corporis, quod nunquam præexisterat: in alitione vero in partem corporis iam geniti. Secundo, quoniã in generatione, præter alimenti commutationem, accedit conformatio, ex compage, figura, & situ admirando pensanda. Ad secundam, diximus augmentationem, non necessario esse comitem vberioris nutrimenti, quamquam cum eo sæpenumero conueniat. Ad tertium, diximus adolescentes, cum parum nutriuntur crescere: & consistentes, etiam si plurimum nutriantur non crescere. Ad quartum, vis auctrix solida extendit, cum vero iam non parent extensioni, conseruat ne imminuantur: & cum imbecillior reddita, iam non potest conseruare, fit decrementum: fieretque tum temporis multo celerius, si dicta facultas prorsus deesset. Tantum enim abest, vt facultatem imminuentem ponamus, quod auctricem ipsam, semper esse necessariam putamus, vt serius corpus, à sua perfectione declinet. Nec si materiæ inobedientia otiaretur auctrix, inconsentaneum esset: omnis enim facultas, si competens desit materia, otiosa est, secundo libro de Naturalibus facultatibus, autore Galeno. Ad quintum, nutriens virtus, sicut dat substantiam nerui, & ossis, ita etiam tribuit quantitatem, qua repleatur laxitas, & capacitas, nerui, & ossis, à facultate auctrice extensi & aucti. Ad sextum, dictum est qualiter augmentatio fit verus motus, isque continuus: nam extensionis motus, non cessat, donec præ duritie, membra nequeunt extendi. Ad septimum dictum est, necessario distare, auctricem, nutricem, & generantem facultates: simul & earũ functiones, auctionẽ, nutritionẽ, & procreationẽ: sicut & opera, per eas functiones facta,

auctum,

auctum, nutritum, genitum. Nec fieri potuit, vt hæc omnia fuissent pauciora, nam vis altrix, instaurationem facere posset, augmentum non, nisi neruos & ossa extendens altera. Ad octauum, quod auctrix facultas, nec interit, nec est otiosa post iuuentutem, sed quoad potest, quantitatem quam euexit conseruat. Formans quoque facultas, post fœtum æditum, superflua non est nec otiosa: particulas enim sui vsus admonet, vt ex Galeno, libro de Fœtus formatione, dictum antea est: cauitates quoque, figuras, & compages, quas effinxerat, conseruat ne vitientur, & pereat: & quasdam alias, quæ nullum vsum erant allaturæ, exsiccat & perimit: corrupta quoque, casu aliquo membra regenerat: dentes mense & anno septimo producit: membra quæuis, tum temporis euehit, cum maximum vsum sunt allatura, non ante. Ad nonum dicendum est, quod omnes facultates, quantumuis diuersæ, vtũtur calido innato vt communi instrumento. Sicque Galeni verba, primo Aphorismorum, commentario decimo quinto, audienda sunt. « Neque enim (inquit) aliud quicquam, animal ab initio afformauit, « sicuti neque rursus adauxit, aut vsque ad mortem enutriuit, præterquam iste ca« lor innatus, de quo nunc habetur sermo. Facultates etiam tractiua, expellens, retinẽs, & coquens, plurium facultatũ possunt, & debẽt, esse ministræ. Aristoteles vero, duas actiones memorans, generare, & alimento vti, non confundit alitionem, cum augmentatione: sed duas esse intelligens, vno capite comprehendit, quoniam vtraque, circa alimentum negociatur: nutritio vero alimentum ex eo procurat, & auctio quantitatem.

De facultate discretiua, & quod a formatrice non sit diuersa.

CAP. VI.



HVIVS formantis facultatis, in æditis animantibus officium est, omnia naturalia, continere in eximia doctrina: quorum enim ipsa fuit plastes, eorundem sit conseruatrix par est. Hinc autores, pro diuersa doctrina, quam in facultatibus naturalibus animaduertebant, diuersa etiam nomina imposuerunt eidẽ. Ab vniuersis enim quæ facit, facultatem regitiuam appellauit hali: quoniam scilicet omnes facultates regat, & omnibus (quãuis suapte spõte cæcis) gubernãdis præsto sit. A tractione vero commodi, & incommodi repulsione, ac si commodum atque incõmodum dignosceret: sensum conuenientis, & discõuenientis, appellauit Plato, & cum eo Galenus, libro de substantia facultatum naturalium. Hinc apud Auicennam, nono libro de Animalibus, capite septimo: & Galenum primo, de causis sympthomatum, capite sexto. Non modo sensuum organa, sed membra etiam omnia naturalia, trahũt cõ modum, & repellunt lædentia: in sanitate enim similia trahunt, & in morbo contraria: quoniam horum naturalem quendam sensum habent. Sic cor & facultas pulsifica

ab hac altera facultate gubernata, proprium vsum videtur agnoscere: aliter in febriente, non augerētur pulsus, nec per febres ephemeras distentio esset maior, & in putridis contractio. Sic omnes musculi, agnoscunt suam operationem, quam etiam artifices ignorant. Sic etiam multa animalia dum ægrotant, feruntur non modo in contraria: sed in certa etiam medicamenta nobis ignota. Hinc constat, non aliam ab hac, facultatem intelligere, qui instinctum quemdā naturalem, aut doctrinā insitā, singulis facultatibus inesse tradūt. Quod enim aut instinctus, aut naturalis sensus appelletur, de nomine est dissidium. Nec aliā ab hac, censemus esse, facultatem discretiuam, aut separatiuā autoribus appellatā: cuius videtur meminisse Gal. 1. libro Aphor. com. 22. & libro 4. Aphor. com. 22. & lib. de differētijs sympth. cap. vltimo. Et Auic. 14. 3. trac. 1. cap. 29. & tract. 4. cap. 6. & 15. 3. tract. 1. cap. 3. Quæ tamen loca, quamuis sine huiusmodi facultate, commodam possent interpretationem recipere: altero Auicennæ loco apertiori confirmata, nullam patientur expositionem. Libro enim secundo canonis, capite quarto, in fine ita scribit. Virtus autē quæ diuidit, & ponit vnamquamq; complexionem, ad partem quam meretur, ita vt non ponat virtutem resolutiuam, in parte materiæ quæ effunditur ad membrum, neque infrigidatiuam in latere materiei effusæ ab eo, est natura docta obedire creatori sublimi & glorioso. Hæc Auicenna. Quæ autē est hæc natura, nisi ea quā corpora nostra præcepto sui creatoris fingere dixerat libro primo, doctrina de virtutibus, capite secundo? Ratio autem, quam dicta Auicennæ verba indicant, multi ponderis est, vt hanc virtutem in corpore statuamus. Nam cum humor, non habeat vim trahentem, vel pellentem, sequitur quod in inflammatione, medicamentum constans ex repellente & resoluente, citra hanc virtutem iuuare non possit. Hæc enim virtus est, quæ separat, & applicat repercusorium, humori fluenti, & discusorium, humori iam fluxo. Sic in medicinis cordialibus frigidis, præcipitur admistio calidi, ob robur spirituum. Et in resolutiuo hepatis, admistio styptici, ob conseruationem partis. Quæ distributio sine hac facultate non fiet. Gentilis vero tractatu de corde, capite vltimo, non credit, apposito medicamento composito, fieri eam separationem, sed quod vtrumque contrariorum, applicatur vtrique contrario. Si tamen ita esset, tam fluens, quam fluxus humor, repercuteretur, & discuteretur indifferenter. Et vbi intemperantiæ contrariæ, essent abigendæ, composito medicamento ex contrarijs, nunquā possent abigi. Nam quantum intemperantia frigida, corrigitur ex castoreo, tantum lædetur ex opio, si vtrique intemperantiæ, vtrunque contrariorum applicaretur. Curatio quoque omnis, affectuum contrariorum, veniret curanda potius per temperata, quam per contraria æqualia, commista: cuius oppositum docēt autores, in tertiana notha, in qua exhibet Galenus, pthysanā cum pipere, primo libro ad Glauconem. In colica, & alijs contumacibus affectibus, in quibus phylonia, & alias opiatas medicinas exhibent, capientes opium, hyosciamum, mandragorā: atque ex opposito piper, castoreum, euphorbium, & quædam etiam aromatica. Sic enim frigida dolorem leuant, & febrem tollunt. Calida, & aromatica,

pituitā

pituitam calefaciunt, & vires roborant: nostri corporis virtute, hæc ab illis discernente, & vnicuiq; vt conuenit applicante. An vero virtus hæc, discretionem huiusmodi faciat, speciali aliqua actione, quæ discretio appelletur: an sufficiant tractrix, & expultrix, huiusmodi separationem facere, dubium est. Cui dicendum, quod facultates huiusmodi, nisi ab altera gubernentur, quæ doctior est, & suos vsus nouit, non facient rectam separationẽ: Cœcæ enim sunt, & irrationales, & altera indigẽt facultate, manuducente, & regente ipsas. Vnde ex huiusmodi regentis facultatis imbecillitate, dictæ facultates, minus recte sua munera obeunt: & tractrix trahit incõmoda, sicut & expultrix commoda, & quæ ex vsu sunt pellit. Sic enim æstate generantur causi, cum venæ æstu exsiccatæ, trahunt ad se biliosa recremẽta, vice alimenti, lib. 4. Acutorũ, sententia. 1. Hippocrate autore. Cuius rationẽ subdens Galenus, scribit, vim tractricem, vt pote irrationalem, non ferri in certũ, sed in quoduis obuiũ. Expultrix quoq;, interdum quæ cõmoda sunt pellit: quãdo nec vacuatio confert, nec leuiter eam ferũt ægrotãtes. Errat etiã in expulsione inutilis materiæ, interdum vacuãs qua non oportet, alias intempestiue, & ante coctionem, alias immoderatius, quam natura ferat, sexto Epidemiarum, parte secunda, commentario 9. autore Galeno. Quos errores medicus, non debet immitari: non enim est immitator facultatũ cœcarum, & aberrantium: sed alterius quæ docta est, & omnium vsus & actiones nouit: & omnia naturalia, dum recte valet, in nostro corpore gubernat. Hinc docte Auerrhous, 3. coll. cap. 16. necessario statuendam esse medicis hanc facultatem docet, & inquirendum esse monet illius instrumentum, sicut & aliarum, vt possimus illi deficienti subuenire. Sunt vero discretiones aliæ, in quibus manifestius vires suas accomodat hæc virtus: Nam in iudicijs, ante expulsionẽ discernit, vt constat ex Galeno, primo Aphorismorũ, commentario 22. & lib. 4. Aphorism. cõment. 22. vbi statum morbi, partitur in operationes tres, mutuo se succedentes, coctionem scilicet, separationem, & expulsionẽ: Ex quibus coctio prima est, & iudicium antecedit: separatio, & agitatio (quæ verũ est iudiciũ Galeno autore, lib. 3. de Crisib.) coctionẽ sequitur, & noctem quæ excretionem antecedit, reddit difficilem, vt libro primo Aphorismorum, sententia 13. scribit Hippocrates, & in commentario Galenus, ita scribit. Iudi-
" *catio est, subita in morbo, vel ad sanitatem, vel ad mortem mutatio. Fit autem na-*
" *tura separante, à bonis mala, & ad excernendum præparante. Quæ verba satis conuincũt, post coctionẽ, subitam quandam separationẽ, à facultate hac nos regente fieri. vt nimirũ expultrix facultas, id quòd inutile est, ab hac facultate prius secretũ pellat. Nec valet quod quidã dicũt, coctionẽ separationẽ ipsam afferre, sine eo quod opus sit, facultate aliqua secernẽte: Primo quoniã non adeo cõstat, de separatione quæ à coctione fit, ac putant: quin potius coctio, præsertim incipiẽs, ob feruorẽ & agitationẽ, omnia permiscet. Vnde in quibusdam morbis, vbi humores sunt secreti, nõ mittimus sanguinẽ ante coctionẽ: Et cum primũ coctio aduenit, mittimus ob permistionẽ humoris cũ sanguine: Sic in quartana, vt sanguinẽ mittamus, Auicẽna quandoq; coctionẽ*

 spectat.

spectat. Et in causo turbationem, & rubedinem in vrinis, quoniam tunc, materiam cum sanguine permistam esse intelligit. Secundo, nam separatio quæ sequitur coctionem, paulatim & cum ipsa coctione fit, per totum morbi tempus, de qua hic non agit Galenus: sed de separatione, & agitatione subita, quæ nocte ante excretionem facta, ad excretionem statim futuram præparat. Quæ sane, non nisi à facultate aliqua, quæ magnam nostri curam gerat, potens & docta sit, fieri posse constat. Hæc namq; in primo ortu nostro ex semine, partes vnicuiq; membro efformando secreuit, & conuenienti loco disposuit. In prima quoque alimenti ab hepate distributione, suam exprimit semper actionem: nam sanguinem crassum, transmittit inferioribus membris, & tenuiorem atq; puriorē ad superiora: non ab expultrice iocinoris, ea enim indifferenter pellit omne grauans: nec à tractrice membrorum, mirum enim esset, si virtus tractiua pedis, iecur attingeret: nec à coctrice in iecore peracta, quoniam coctrix, caret vi mouendi localiter. Ergo à separatrice, quæ docta est, & omnia in nostro corpore, sapienter administrat. Est autem hæc doctrina & sapientia, naturalis, non intellectualis, nec à doctore altero, quàm à creatore indita: quam instinctum, aut naturalem sensum, si appellare velis non improbo.

De facultatibus ministris, ac subseruientibus. *CAP. VII.*



RES dictæ facultates, quatuor aliarum ministerio, opus habuerunt. Neq; enim procreans, nec augens, nec nutriens facultas, sine alimento functiones obeunt suas. Nam alimentum, necessarium est, conseruationi fluidæ, & caducæ materiæ, qualis est, eorum quæ procreantur, nutriuntur, & augentur. Hoc autem, cum congenitum non sit, nec coniunctum animanti (nisi quibusdam imperfectioribus, quæ terræ affixa, more plantarum nutriuntur) appetentia quædam animalis, fuit ipsi à natura tributa, quam famem appellamus: & est sensus quidam tristis, quo vellicatur ventriculus, vt in cibum externū quærendum, incitet animal. Hanc porro appetentiam (quam inter facultates naturales, numerare non est, sed inter animales) antecedit altera naturalis, ex inopia alimēti suscitata, tum in plantis, tū etiam in animantibus, quibus sensitiuum, sine vegetatiuo consistere nequit. Sed neq; hanc virtutem appetendi, memorant autores, inter naturales facultates, non quoniam virtus non sit, aut quoniam communis cum inanimatis habeatur: quorum vtrumq;, dicere videtur Valesius, libro secundo Controuersiarum, capite decimo septimo, his verbis. Appetitum naturalem, singulis naturalibus instrumentis inesse, eius quod sibi secundum naturam conueniens, non est dubium. Sed tamen cum propter finem operari, & illum appetere, insitum sit etiam inanimatis, in quibus facultates naturales non sunt, non magis indigent membra, facultate ad appetendum alimenta, quam

terra

terra ad appetendum descendere, sed natura appetunt. Vtrumq; vero est falsum, nam appetitio (apud ipsum) actio est, actio autem omnis, à facultate ceu à causa agente dependet: nam nec terra appeteret descensum, si appetendi facultate careret. Falsum quoq; est, facultatẽ appetendi alimenta, cõmunem esse cum inanimatis: non enim ab eadem natura, conuenit graui descendere, & animato nutriri: Quare neq; appetitus descendendi, & appetitus alimenti, ab eadem facultate oriri poterunt: Nam homo, ex natura elementi dominantis, descensum (vt cætera grauia) appetit: ex natura vero vegetante, alimenti desiderio tenetur: neutrum autem, ex communi aliqua natura dependet. Appetitus ergo alimenti, non est cõmunis cum appetitu inanimatorum, neq; eandem naturam sequitur. At demus ipsi (ex abundanti si placet) appetitum alimenti, in planta, aut homine, communem esse cum appetitu descendendi in graui: an ob id conficiet, huiusmodi appetitum, non esse inter naturales facultates memorandum? Non hercle. Nam trahens quoq; facultas, pariter eximenda foret, à facultatum naturalium numero, quoniam trahens facultas (apud Galenum, lib. 1. de Naturalibus facultatibus, cap. 14.) omnibus inest rebus. Vnde ergo est, quod huiusmodi appetitum, non addunt autores facultatibus naturalibus, nec principibus, nec ministris? Dicendum, quod quæuis facultas naturalis, appetit suam operationem, tanquam finem & perfectionem, in quam est creata, & eiusmodi appetitus, non est actio ab operatoine diuersa: sed ipsius operationis initium, aut in operationem propensio. Trahens facultas, appetit trahere alimentum, & continens continere, sicut & coquens alterare. Ab eo autem appetitu, aut propensione, aut carentia in subiecto apto, aut si mauis prætensione finis, vnicuiq; facultati insita, incipit operatio, ceu à termino à quo: & fertur in opus, ceu in terminum ad quem, puta in alimentũ, per tractionẽ conquisitũ, aut per detentionẽ contentum, aut coctione alteratũ. Eadem ergo est facultas, quæ trahit, & quæ appetit trahere, & eiusmodi appetitio, non est actio diuersa, à tractione, sed terminus vnde tractio initium summit. Quod voluit aperte Galenus, lib. 5. de Locis patientibus, cap. 7. vbi de naturalibus facultatibus
« *agens, ita scribit. Primam voco attractricẽ, quæ peculiares parti succos, alendi ipsam*
« *gratia, & appetere, & attrahere potest. Quibus verbis, nemo non videt, facultati*
« *tractrici, appetitum, & attractionem alimenti tribuere: Ab vna autem facultate, duas operationes prodire non concederet: Vna ergo est operatio, quæ ab appetitu incipiẽs, in alimentũ parti appositũ terminatur: totaq; ea operatio tractio est. Similiter de actionibus reliquarũ facultatũ, est existimandũ. Continens enim facultas, appetit alimentũ continere: & ab eo appetitu, ceu à termino à quo, cõtentionẽ suã orditur, Coquẽs quoq;, coquere appetit: & expultrix, expellere auet: indeque suæ operationes initia summũt. Quatuor ob id facultates ministras, easq; solas, omnes medicæ artis autores, quiq; naturã sunt speculati statuũt: tractricẽ nimirum, contentricẽ, coctricẽ, & expultricem. Appetens enim (vt diximus) ab istis non est diuersa. Separatrix autẽ aut segregatrix, quã addendam esse, superiori capite censuimus, ex ministris non est.*

Eandem enim cum formatiua, & totius corporis regitiua, esse diximus. Dilatans vero membra solida, non est facultas aliqua, quæ ministret augēti, sed ipsamet augens facultas, quæ corpora quoquo versum exporrigit, & in longum magis: vt aduersus Valesium, capite quinto, huius tractationis diximus.

Fuit autē tractrix facultas necessaria, & omniū naturalium facultatum prima: lib. 3. de Facultatibus naturalibus, cap. 12. autore Galeno: Quoniam alimentum suapte sponte, nequit ferri in membra, sicut cum nos forum imus. Cognitionis enim & intellectus, nō est particeps: nec impelli potest ab alijs, sic enim vnicuiq; parti, quod familiare est, non distribueretur: sequēs ergo est, vt vnaquæq; pars, sibi simile vim habeat trahendi. Quod Galenus, plurimis exemplis cōfirmat, lib. 1. de Facultatib. naturalib. aduersus Asclepiadem, & Erasistratum, qui facultatem trahentem aliquam, esse negabant. Trahentem facultatē, sequitur continens, cuius officium est, alimentū attractum continere fixum, & immotum: donec pars quæ ipsum traxit, id coquat & superet, vt posset eo frui: frustra enim traxisset, si elabi siuisset. Sed si trahēs facultas, quæ procul sunt, trahere est potis: quæ tracta iam sunt, & parti adhærent, melius continere valebit: magnes enim, eadem facultate, qua ferrum trahit, cōtinet ipsum violentius: Vt quid ergo opus est, facultate continente? Dicendum, quod facultas continens, non pari euidentia probatur, ac reliquæ, eam tamen statuere, præceptis medicis magis est consonum: ne scilicet alimentū vnius partis, altera rapiat. Pars enim quæ alimento fruitur, duplici facultate alimentum continet, tractrice & contentrice, ne ab vna alterius partis tractrice, violentius forte operante, alimento necessario priuetur: quod fibræ obliquæ monstrant, à rectis plurimū distinctæ. Contentrix, coctrici seruit, eatenus enim contētione est opus, quatenus coctrix alimentū superat, & vtile ab inutili secernit. Nullam namq; adeo simile est alimentū, & nutriendo corpori tam affine, quin partes habeat inutiles, & quæ in ipsius substantiā, migrare nequeant. Diuersa enim elementorū mensura, & mistione cum alimēta constent, tūc solum similia reddi possunt, cum parē ipsorū mensurā, & persimilem mistionis rationē, fuerint consequuta. Quod fieri potest, aut additione elementorum deficientium, aut separatione exuperantium. Non sunt autem in nostro corpore, elementa quæ addi possint deficientibus: Oportet igitur vt redundantia separentur, & reliqua tali ordine & situ disponātur, qualis in parte nutrienda reperitur: quod interdum vna, alias multis præparationibus fecit natura. Ventriculum enim ex chylo nutrit, sola terrestriori parte, & feculentiori alimenti seperata: Iecur ex sanguine, à quo vtraq; bilis secessit: reliquū corpus ex sanguine, à seroso recremēto, renum beneficio mundato. Qui interim dum in mēbris coquitur, duplex excrementū eructat: Tenuius vnū, forma vaporis, aut sudoris: & crassius alterum, forma sordis. Coctrix igitur, coctione quod vtile est alimenti, ab inutili secernit: inutile vero, ac recrementitium, ab altera facultate, quæ omnium est postrema, è corpore deturbatur. Sic feces, & bilis vtraq;, per aluum repurgantur, vesica fellea, in ieiunum, & liene, in ventriculi fundum, se exonerante: serosa

serosa recrementa, per vrinam: sudor & sordes, per cutem: mucus, per nares & palatum: biliosa cerebri recrementa, per aures pelluntur: ab hac quæ incommoda expellit facultate: cuius cum valida est, tanta est efficacia, vt per media ossa, pus interdum transmittat, & inuia sæpe loca penetret, vt lib. 7. Aphorismorum, cõmentario 54. autor est Galenus. Quatuor ergo dictæ facultates, quæ tribus alijs ministrant, tam sunt necessariæ, & euidentis vsus, vt per eas, omnia naturã moliri ac perficere, statuat Galenus, 6. Epidemiarum, parte 5, cõmentario .1. Siue enim nos alat, aut augeat, aut generationi incumbat, nos regens natura: Istarum quatuor ministerio, atque beneficio, id peragat oportet. Nullaque nostri corporis pars, ab earum beneficio destituitur, vt tum alibi, tum libro de Sanguinis missione, cap. 8. autor est Galenus.

" *Nec obstat, quod .1. de Locis affectis cap. 1. ita scribit. Namq; in commentatijs de*
" *Naturalibus facultatibus, iam declaratum est, in omnibus fere corporis particulis,*
" *esse vim qua excrementa secernantur. His enim verbis, nolluit facultatem expultricem, ab aliqua nostri corporis parte adimere, sed quasdam esse partes notare, in quibus adeo sit expultrix infirma, vt ob exiguitatem sensum fere lateat, quales sunt adenes & pinguedo: & alias quæ quanuis partes videantur, veræ partes non sunt, quales sunt pili & vngues, in quibus vt deest vita, & vegetatio vera, ita etiam & facultas expultrix, quæ vegetantis animæ est facultas. Sed quo modo expultrix, non semper operatur, si naturalis facultas est, non subiacens arbitrio? Naturales enim facultates non occiantur? Dicendum ex Galeno est, lib. 1. de Locis patiẽtibus, citato, quod excrementum non est obiectum expultricis, nisi cum mordet aut vrget, nulla autem facultas operatur, obiecto deficiente.*

Sicut autem nulla nostri corporis pars, aliqua è dictis facultatibus destituitur, ita nulla est quæ habeat duplices, vt quibusdam perperam fuit visum: qui quidem in ventriculo & iocinore, quatuor facultates dictas ponunt cõmunes, vt sunt instrumenta coctionis, pro toto operantia: Et todidem particulares magis, quatenus propriæ nutritioni incumbunt. Quod vel ex ipso Galeno, videntur elicere, qui libro de Differentijs sympthomatũ, postquã numerauit, sympthomata facultatũ naturalium
" *ventriculi, vt est organum coctionis, aut chylificationis: subdit cap. 5. Ac ventris*
" *quidem, vt instrumentum coctionis est, dicta sympthomata sunt. Vt autem nutriri po-*
" *stulat, tum quod nutriat, non solum trahit, sed etiam eatenus retinet, quousque alte-*
" *rauerit, & superuacaneũ excreuerit, alium parem sympthomatũ numerum, ceu simi-*
" *lare corpus sortietur. Quibus verbis, Galenum existimant significare, quod ventriculus, alias habet facultates naturales, vt instrumentum chylificatorium, & alias vt singularis pars alenda. Contra vero est, quod sui tantum gratia operantur instrumenta naturalia, ergo ventriculus & iecur, non habent facultates quæ in gratiã totius operentur. Intelligant ergo, quod sicut os, simplicibus facultatibus naturalibus præditum, operatur modo in alimentũ, quod in cauitate acceruat, modo in attractum ad ossium meatus, quod per eorum substantiam sparsum iam est: & testes eadem facul*

tate, operantur in alimentum contentū in vasis seminariys, & in admissum ad testium substantiam: & vbera in sanguinem contentum in venulis, & in iam insertum, ipsorum meatibus pro nutritione: ita ventriculus modo chylificat in cauitate, modo ex chylo, partem puriorē trahit ad sui substantiā, continet, & coquit, ysdem facultatibus naturalibus, in vtraq; operatione ministrantibus. In nullo enim membro, duas tractrices, duas coctrices, contentrices aut expultrices statuere oportet: quanuis duæ, cuiusque facultatis spectentur operationes, in quarum vnaquaque poßit deficere, altera illæsa manente. Operationum enim multiplicitas, si eiusdem generis sunt, non facit facultatum diuersitates. Non enim perspicua, & obscura visio, vnius obiecti, modo procul, modo prope siti, duas facultates visiuas constituit. Nec infirma chylificatio, totius chyli in cauitate contenti, & firma coctio eius partis chyli, quam ventriculus ad tunicas attraxit, diuersam facultatem requirunt.

DE omnibus facultatibus naturalibus, indubitatum tradit Galenus Axioma, quod in suæ tantum nutritionis gratiam operantur: nam nec propter suum operari, nec propter alienam fruitionem agunt quicquam. Nihil enim est in rerum natura " (inquit lib. 3. de Naturalibus facultatibus) quod propter ipsum trahere trahat, sed " vt eo cuius per tractum fit compos fruatur: frui vero ipso, non possunt nostri corpo- " ris membra, nisi retineant, coquant, quod superfluū est exterant, & vtile assumant quo fruatur. Sic ventriculus cibū trahit, non propter ipsam trahendi functionē, nec vt membris alys præparet alimentum, sed in gratiam propriæ nutritionis, & ei solæ incumbens chylum conficit, ex cuius meliori parte, abunde nutritur: reliquum vero, veluti onerosum aliquid, reycit in iecur & membra: non vt ipsa aliquid ea expulsione lucrentur, sed vt onus & grauamen proprium deponat venter. Iecur quoque dum chylum trahit, nullam de ventriculo exonerando curam gerit, sed suæ nutritioni intendens, chylum allicit ad se, quem in sanguinem vertit, & pro ratione suæ inanitionis assumit. Reliquum vero pellit, & corpori permittit. In qua ratione, membra priora trahunt, & præparant posterioribus, non tamen propter ipsum trahere, nec propter posteriorum fruitionem, quorum nulla tanguntur cura: quoniam quæ mere naturalia sunt, nulla cognitione, neque præuisione vti possunt; sed sibi tantum laborant & mouentur, & impendens sibi, ex motu aut actione damnum, nesciunt auertere. Alioqui aqua, in suppositum ignem non descenderet. Et tractrix venarum, tempore æstiuo, non traheret ad se ichores biliosos, vt scribitur quarto de Victu acutorum, sententia .1. Sic vbera lac gignunt, nihil de infante curantia, sed vt eo alantur, vberius tamen prouenit, ita prouidente creatore, vt puer alatur. Testes semen gignunt quo nutriuntur, nihil de posteritate cogitantes: vberius tamen vt gignendo sit satis. Cerebrum spiritus creat animales, quibus imaginatur, cogitat, & reminiscitur, nihil de neruis & musculis curans: vberius tamen, vt motionibus & sensationibus sufficiant, ex creatoris prouidentia proueniunt. Quod vero palpebræ nictent tuendorum oculorum gratia, & brachium eleuetur pro tuendo capite, & pectus tussiat

fiat in pulmonis vtilitatem, & respiret ob vsum cordis, & musculi moueantur in totius vel aliarum partium vtilitates, ad vim animalem pertinet: quæ alienis vsibus, etiam cum sui damno seruire potest, secus ac facultatibus mere naturalibus cōtingat. Nec aliud sensit Galenus lib. 6. de Placitis cap. 7, dum ventrem hepati præparare adstruxit. Dum enim sibi tantum studuit, quod superfluum est, præparatum accipit hepar. Ex eo enim quod cum ventriculo habuit cōmercio (vt scribitur tertio de Naturalibus facultatibus) ipsum quoque consequutum est salutare aliquid, quod hepati postea seruit pro nutrimento. Talis enim fuit creatoris sapientia, vt dum membra sibi seruiunt, alienis etiam cōmoditatibus, quæ à membris ipsis, nec nosci, nec expeti possunt, per accidens valde conferant. Quod libro quinto Aphorismorum, commentario 39. euidenter expreßit Galenus, in hæc verba. Hoc quidem cōmune est, omnis animalis partibus, quæ aptæ sunt humores aliquos vtiles generare, aut ad vsum aliarum partium, aut ad generis propagationem, aut ad conceptus nutritionem, esse humorem illum, quandam veluti superfluitatem, partis ipsum generantis. Non enim quia norit, ad quid vtilis erit humor animali, ipsius facit pars generationem. Nisi debeat talem habere intellectum, qualem habere, ciuitatum gubernatores arbitrantur oportere. Sed animalis quidem opifex, illum habet intellectum, ipsa autem pars (vt ostensum est) potentijs regitur naturalibus: cum alijs quibusdam, tum alteratiua, per quam aßimilat alimentum sibi ipsi. Quantum igitur alimenti ab ipsa alterati, fuerit nutrito corpori exquisite aßimilatum, illi apponitur parti, ac nutrit eam. Quin eodem. 6. de Placitis, idem docuit Galenus, in hæc verba. Constringitur enim venter ad cibos, accōmodatum sibi alimētum ex illis eliciens, quoad saturatus ac perfecte repletus, quidquid superat excrementi in ieiunū expellat. Attrahit inde etiam iecur, cibum in ventre prius concoctum, qui non ea quidem causa à ventre immutatur, vt iecori suppeditetur: sed quia non datur, vt cum simul duo corpora, sub mutuū congressum venerint, non mutuo agant & patiantur, id quod etiam in eodem tractatu à nobis probatum fuit. Natura enim comparatum est, vt fortius & validius, alterum quod imbecillius est, vincat atque immutet. Sicut igitur ventris reliquiæ, iecori accōmodæ sunt, eodem modo, quod à iecoris alimento superuacaneum est, reliquis omnibus vtile efficitur. Neque tamen illorum causa, iecur nutrimentum immutauerit, sed eo quo dixi modo res cesßit, dum immutatur & diuersificatur, habilius ad alia membra alenda euadit. Et paucis interpositis subdit. Atque ita fit, vt frequenti continua que illa succeßione, vnumquodque membrum, alteri sequenti, materiam præparare, ac præcoquere videatur. Idest illa cōtinua succeßio, phantasiam exhibet, præparationis priorum membrorum, in gratiam posteriorum & subsequentium, quamuis aliter habeat res ipsa vt dixit. Nec obstat, quod sui gratia, non traheret ventriculus, tantum alimenti, sed exiguum pro se. Nam non cessat fames, nec alimenti ingestio, donec corporis venæ, à ventriculi substantia trahere desistant, vt autor est Galenus lib. 1. de Symptomatum causis. Nec obstat etiam, quod ventriculus trahit alimenta

medi-

medicamentosa, non sui gratia, verum in gratiam membrorum, vt autor est Galenus, lib. 1. de Causis sympthomatum, cap. 6. in hæc verba. Venter visceribus venisque subseruit, & quales hæc succos requirunt, tales appetunt, nẽpe affectioni contrarios, crassis quidem qui attenuant, tenuibus qui crassant, glutinosis qui dissecant, exasperantibus qui leniunt. Ad eundem modum calidis, qui frigidi sunt, frigidis qui calidi, sicut siccis qui humidi, & humidis qui sicci. Quarto etiam libro Simplicium, cap. 10. ita scribit. Nam si præter id calidiores quam conueniat, aut frigidiores euaserint, seu toto corpore, seu pertinẽtibus ad linguam ac ventrem locis, non solum quæ nutriant, verum etiam quæ refrigerent aut excalfaciant postulabunt. Quæ loca, quanuis Vesalium libro de Chinæ radice coẽgerint, Galenum reprehendere, intelligenda sunt, quando succi & intemperies viscerum, & membrorum, communicantur ventriculo, quod magna ex parte fit. Os enim amaricat per febres biliosas, & dulcescit abundante sanguine in vasis: quare ea contraria tunc expetit ventriculus pro se, non pro alijs: Licet contingat etiã alijs prodesse, quoniã simili cacochimia tenentur. Nec obstat etiam, quod vesica vna, trahit vrinam: & altera, quæ in hæpatis cauo est, bilem: & vterus, semen: quibus non fruuntur dicta membra, siquidem huiusmodi attractis non nutriuntur, sed sanguine. Non obstat (inquam) quoniã non sola nutritio, est fruitio, sed etiam voluptas, aut conuenientia, aut temperamenti conseruatio, ex adhærentia similis. Sic vterus, semen trahit, eoque fruitur ob voluptatem: vtraque vesica, vrinam, & bilem, quibus sua natura maxime conseruatur, ob conuenientiam & similitudinem quæ ipsis intercedit. Magnes ferrum, succinum paleam, & omnia natura constantia, simile trahunt, contrarium vero repellunt. Vnde Galenus, lib. 9. de Compositione medicamentorum secundum locos, cap. 2. ita scribit. Didicistis enim in naturalium facultatum cõmentarijs, quod cum omnes particulæ, suæ conseruationis gratia habeant facultates, tum familiarium attractoriam, tum alienorum expulsoriam, itemque assimilatricem sibi ipsis, eorum quæ attraxerint, aliquibus ipsarum, insuper inest per accidens, magnopere iuuare totum corpus. Ex horum genere est & lien, qui ex hepate in se ipsum, velut fecem sanguinis trahit, quemadmodum vesica in hepate bilem, & renes vrinam. Sed dubium est, nam si vrina, & bilis, trahuntur pro tutella & conseruatione vesicæ vtriusque, & non pro expurgatione totius corporis, eadem facultate qua trahuntur, deberent contineri non expurgata, sic enim trahitur, & continetur ferrum à magnete. Dicendum est, quod bilis, & vrina retenta, acriora fiunt, & expultricem vesicæ stimulant. Ferrum vero, quale ab initio fuit perseurat, & magnes, non sentit irritamentũ vllum, vt vesica. Nec obstat etiam, quod sicut aqua in decensu, & ignis in ascensu, & omnia ea quæ sui tantum gratia agunt, non nouerunt suos vsus, sed agunt tantum, ob vsum creatori cognitum, ita etiam ea, quæ propter aliorum profectus sunt creata, agere & operari possunt, in aliorum gratiam, quanuis eam vtilitatem non cognoscant. Non obstat (inquam) nam licet verum sit, naturalia non habere sensum, nec vim agnitiuã suorum vsuum, habent tamen instin-

ctum,

ctum, insitam doctrinam & impetum innatum, quo feruntur in sibi cōmoda, & conue nientia quibus fruuntur, non autē in aliena, vbi deficit fruitio, cuiq; naturæ expetita, in quæ sine cognitione ferri nequibunt. Nec obstat similiter, quod graue suapte natura, ascendat ad implendum vacuum, cōmunis naturæ gratia, propriam violando: aut enim is motus est violentus, qui fit à trahente, aut vacuante vt quidam asserunt: aut si graue mouetur sursum, id facit pro se, non pro vniuersali natura, quin vniuersalis natura nulla est, præter naturas particulares. Graue ergo mouetur sursum, ad implendum vacuum, ne perdat continuitatem cum vniuerso, & cælestes influxus, quibus seruatur & fruitur, quosq; magis, quam inferum locum, & expetit & poscit.

Sed facit sermonis sequella, vt de nutritione vētriculi agamus, nutriatur ne ex chylo, an ex sanguine. Ratio enim Galeni adducta, qua tertio lib. de Nat. fac. probat, ex chylo nutriri (quoniā non trahit alimētum propter ipsum trahere, nec in gratiā membrorū, ergo restat quod ipsum trahat, ob propriā fruitionē, & nutritionem suæ substātiæ) non conuincit: siquidem propter aliam fruitionē, quæ nutritio non sit trahere posset, vt vesica fellea, trahit bilem qua nō nutritur, ob conuenientiā & similitudinē quæ est inter ipsa. Quod aduertens Barbarorū secta, qualitatiuā quandā nutritionem excogitauit, nomine nutritionis, fruitioni dato. Dicuntq;, ventriculū frui, & delitiari, cibo externo & chylo, quo præsente, qualitate afficitur gratissima, & maxime cōuenienti, qua fortior, robustiorq; redditur. Quod qualitatiue, seu refocilatorie, nutriri appellāt. Eo vero chylo, nō nutriri vera nutritione, sed sanguine in iecore confecto affirmāt. Ob id enim venas habet à iecore tributas, quæ sanguinē continent, non chylū, vt mostrāt ventriculi vlcera, è quibus sanguis prodit & euomitur. Huiusmodi autē venæ, & sanguis, ventriculo nō impartiuntur frustra, ergo nutritur eo. In vtero præterea vbi cibū infans ore nō accipit: sanguine per huiusmodi venas delato, necessario nutritur: quid ergo obstat, quo minus extra vterum, eodem nutriatur. Quin consentaneū est, vt vnius formæ vna sit materia, quare si sanguine cœpit nutriri, nunquā nutrietur chylo. Animantium etiam quæ terræ latebras diutissime habitant, & eorū hominum, qui diutissime sine cibo externo perstiterunt vētriculus, sanguine quod habet necessario nutritur, non chylo quo carent. Accedit iecoris cum ventriculo propinquitas, à quo promptissime potest ventriculus, sanguinem haurire. Omne præterea quod nutritur, aut semine, aut sanguine nutritur: vnumquodque enim, ea substantia qua primum genitum est, ali etiam perpetuo consueuit: quippecum nutritio nihil aliud sit, quam continuo effluentis substantiæ redintegratio, vt conceptis verbis scribit Galenus, primo libro de Semine in fine: sed nec vētriculus, nec aliud vllum mēbrum, ad initium gignitur chylo, ergo nec nutrietur ipso, sed illorū duorū altero. Plus insuper, distat sanguis ab osse, quā à ventriculo, ex sanguine autem os nutritur, igitur & ventriculus. Adhæc nihil nutrit vt autor est Galenus, 3. lib de Tēperamentis, cap. 2. ante quā in ventriculo, iecinore, & venis sit demutatū: chylus ergo, cui duæ alterationes posteriores deficiūt, nutrire nequibit. Nam per has coctiones separātur multiformia

excrementa alitioni inepta, a quibus cum chylus qui in ventriculo est, non sit absolutus, minime nutrire valebit. Omnia præterea membra, quæ materias alijs præparant, totas eas, atque integras, illis ipsis quibus præparant, solent reseruare, vt scribit Galenus, 6. lib. de placitis, ante medium. Vbi inter alia exempla, ventriculi & intestinorũ meminit, quæ chylum parant & transmittunt iecori. Nullam ergo chyli partem, ventriculus assummit ad nutritionem, sed sola fruitione qualitatiua vtitur. Quam videtur significasse Galenus, 3. lib. de facultatibus naturalibus, capite sexto, vbi vẽtriculo dixit, inesse appetentiam conuenientis sibi qualitatis: & capite decimo tertio, vbi chylum ventriculo apponi, in halitus, aut vaporis modum scripsit, vt nimirum hanc à vera nutritione distingueret. Vapor enim quoniam cito dissipatur, & eius substantia nõ permanet, magis qualitatiue, quam vere, nutrire dicetur, vt exponit Gẽtilis. Et infra Galenus aperte fatetur, ventriculum famescentem, trahere ex iocinore sanguinem pro nutrimento, cum negatur ipsi cibus externus. Quin nec cibum externum quærere, nec esurire, cum sanguine abundat ventriculus, scribit. Quippe venter (inquit) si melius, paratiusque, in iocinore nutrimentum habet, externum non postulat. Quibus verbis, nõ modo sanguine nutriri ventriculũ voluit, sed melius nutrimentum sibi esse sanguinẽ, quam chylus. Accedit, quod si vẽtriculus, nutriretur solo chylo, prius famesceret, quã reliqua corporis membra innanitionẽ paterẽtur: & sic nullatenus adessent quinque sympthomata, ceu necessaria memorata à Gal. 1. libro de sympthomatum causis. Si tria enim tẽpora nutritionis spectes, animaduersa à Gal. 3. lib. de fac. nat. in primo tempore, vẽtriculus apponit sibi, partem chyli sibi debitam: in secũdo apponunt intestina, & iecur, reliquum chyli quo ventriculus non indiguit, ventriculus autẽ affigit, quod primo fuit impositum: his tertium tempus succedit, in quo ventriculus nutritur, & prorsus assimilat quæ affixerat, iecur vero & intestina affigunt, quod sibi fuit impositum: quo tempore, mẽbris distribuitur, sibique apponitur alimentum. Quartum ergo nunc tempus, liceat nobis excogitare, in quo membra affigunt, iecur nutritur, & ventriculus caret chilo, quod sibi apponat. Quintum etiam, in quo mẽbra nutriuntur, iecur caret alimento, & pluri adhuc chylo ventriculo est opus. Quibus temporibus, ex sanguine sibi alimentum parare nemo diffitebitur, aut prius famescet, & cibũ externum attrahet, quam reliqua corporis membra inaniantur.


Galenus tamen longe aliud sensit, nempe ventriculum frui chylo, non modo fruitione qualitatiua, verum etiam vera ex ipso nutritione. Nam secundo libro Aphorismorũ, com. 18, ita scribit. In libris de facultatibus naturalibus ostendebatur, ventriculus prior proprium sibi ipsi ex cibis alimentum attrahere, & suis apponere tunicis, mox vbi hic fuerit saturatus, tunc ipsos emittere ad excretionem. Et sexto libro de placitis, capite decimo quarto, ita scribit. Constringitur enim venter ad cibos, accommodatum sibi alimentum ex illis eliciens, quoad saturatus, & perfecte repletus, quidquid superat excrementi in ieiunum expellat. Et tertio libro, de Facultatibus naturalibus, ita scribit. At vero si & appetentia quædam est, & attractio: fuerit

profecto

" *profecto & fruitio aliqua: cũ nihil in rerum sit natura, quod propter ipsum vt sic dicã*
" *trahere, siue trahendi functionem trahat: immo vt eo, cuius per tractũ fit cõpos frua-*
" *tur: atqui frui eo non licet, nisi retineat. Iam hic rursus retentrix vis, necessario geni*
" *ta esse probatur. Quippe ventriculus, manifeste conuenientes qualitates expetit, alie-*
" *nas respuit. Sed si expetit & trahit, & retinẽdo, ac vndiq; complectẽdo fruitur, erit*
" *vtiq; & finis illi quispiam fruitionis, postquem iam expultricis facultatis agendi tẽ-*
" *pus succedit. Verũ si & retinet & fruitur, etiam ad eum finem, ad quẽ sic retinet &*
" *fruitur abutitur. Porro is finis est, vt eius quod in qualitate conueniens, consentiens-*
" *que est, partem aliquam capiat. Itaq; quod in cibis optimum est, id halitus specie, &*
" *paulatim, sibi attrahit: atque in tunicis suis reponit, iisdemque adiungit. Vbi abunde*
" *saturatus est, quidquid reliquum nutrimenti est, veluti onerosum aliquid reijcit. Et*
infra eodem libro, in tria tempora corporis nutritionem partitur, in quorum primo ventriculus chylificat, & chylum sibi apponit ad saturitatem: in secundo agglutinat: & in tertio nutritur & assimilat. Quibus verbis, non aliud quam veram nutritionem, intelligere possumus, quæ tribus actibus constat, appositione, adglutinatione, & assimilatione, vt mox dicemus. Ratio quoque, quam hic, & alibi sæpe Galenus innuit, efficacissima est huiusmodi. Nihil quod trahit, propter ipsum trahere trahit, sed propter fruitionem attracti, & nihil quod commutat, propter ipsum commutare commutat, sed propter fruitionem commutati. Quare diuersa est fruitio, quæ facultati tractrici, & quæ commutatrici respondet. Tractrix facultas, sola fruitur adhærentia, rei similis attractæ vt succinum contactu palleæ, & magnes adhærentia ferri, & fellea vesica præsentia bilis. Commutatrici vero respondet nutritio ex cõmutato. Quod enim commutat sibi commutat, iecur sanguinem, mammæ lac, testes semen, ossa medullam, pulmo spumeum humorem, vt quinto libro Aphorismorum, commentario tricesimo nono, autor est Galenus. Cum ergo ventriculus, cibum attrahat non solum, sed etiam conficiat, coquat, atque commutet, duplici fruitione gaudeat est necessum, videlicet voluptate ex conuenentia attracti, & nutritione cocti ac commutati. Illa quidem statim ab ingestione cibi, quando ventriculus voluptuatur, & famis iniuriam sedat: hac vero post coctionem, & chyli confectionem, quando ventriculus necessariam sibi partem chyli assumit, in tunicis suis reponit, & sibi assimilat. Nec enim ex attracto, & prorsus inconfecto cibo ventriculus nutritur, nec ex iam cõfecto delitiam aliquam sentit, vt cuiuis mentem adhibẽti innotescit. Præterea cibum ore susceptum, desiderat ventriculus, & magna auiditate amplexatur, ita vt in eo melius coquendo, se ipsum vndique cogat, ac comprimatur, quod nisi ex eo nutriretur, vix credi posset. Quorsum enim traheret ex ore cibum, in subsidium suæ indigentiæ, si sanguine & nõ cibo esset reparanda? Frustra enim appeteret, traheret & coqueret cibum, cuius non est indigus. Adhæc cibo sumpto, statim cessat fames, quemadmodum sitis potu iam hausto, ergo sicuti in siti, humidum roridum reficitur potu, ita substantificum esca, ante sanguificationem vllam, alioqui fames (quæ erat substantifici humidi appetitio) non

sedaretur. Fames insuper non reddit, statim ac cibus descendit in intestina: ergo partem chyli, seruat sibi ventriculus, qua reficitur. Coctio præterea, est alteratio, in propriam eius quod nutritur qualitatem: ergo si per chylificationem, cibus ventriculi qualitatem & similitudinem sumpsit, eo nutrietur. Quod autem ingentem cum ventriculo, chylus similitudinem compararit, ex colore albo conijcimus, qui non potuit chylo impertiri, sine substantiæ & temperamenti similitudine acquisita: quoniã secũdæ qualitates, dantur pro mensura temperamenti consurgentis ex primis. Multa item dãtur animalia sanguine expertia, quæ alimento non sanguificato nutriuntur: nihil ergo habet absoni, quod ventriculus, intestina, & mesenterium: prima, rudia, ignobiliora, minime sanguinea, & impuriore succo constantia viscera: nutriãtur selectissima, & defecatissima totius chyli parte. Præterea si quæuis corporis pars, vna cum sit, ali potest cibis diuersorum temperamentorum, & substãtiarum, (fructu inquam, carne & olere) multo magis diuersæ corporis partes, nutriri poterunt eodem alimento, diuersimode apparato: Ventriculus nempe chylo, hepar sanguine, & molles corporis, rore eiusdem æduli, nunc prima, nunc secunda, & alias tertia coctione elaborati. Accedit quod defectus vnius coctionis, innutritionis causa esse nequit: Vt enim lactucæ crudæ, pariter & alia multa alimenta cruda, nos alunt: quæ si elixentur, familiariora nobis redduntur, & nutriunt melius: ita etiam de interna coctione credere oportet. Sic clysteres nutriẽtes nos alunt, vbi aut prima coctio deest, aut exiguam & pauci momẽti commutationẽ experiuntur. Sic qui canina fame laborant, ob validũ venarũ suctũ, ex alimento fere incocto nutriũtur: statim enim ac ingestum est rapitur ad mẽbra. Sic lac, & liquida, cum à ventriculo imbecillissimo non alterantur, possunt tum in sanguinem abire, tum etiã corpus nutrire, vt scribit Galenus, sexto libro de Placitis, in hæc verba Licet vẽtriculus, cibos conterere non valeat, modo succos aliquos assumamus, «
vt multis in nationibus lac solet, viuere possumus. Extra quoque imposita nutrire «
possunt, licet parum & exigui momenti id sit, vt voluit Hippocrates, libro de alimento, in hæc verba. Forinsecus alimentum, ab extima superficie, ad intima peruenit. Et «
sexto libro Epidemiarum, parte sexta, sententia prima, Carnes attractrices sunt, ex «
ventre, & extrinsecus. Quod in ijs qui gestantur vtero, carne assa, aut ouo, matris vmbilico apposito experimur: Pariter & in becticis, per balnea, ac perfusiones, ex lacte & vnguentis resumptiuis: in quibus prima coctio prorsus deest: Secũda quoq;, aut nulla est, aut exigua aliqua fit, à vi venarum sanguifica. Huiusmodi autem attractionem, quæ extrinsecus, per cæcos meatus, ad interna fit, sensus testimonio explorat Galenus, in cõmentario, vbi ita scribit, Nõnullos profecto vulgares audiui, quod ipsis ex «
potabilium aquarum balneis acciderat admirantes. Prius enim per calentem solem «
confecto itinere, domum reuersi, squalidum corpus, osque aridissimum se habẽre dice- «
bant, nec non & ardentissima siti cruciari: à lauatione autem sitim extinctam esse, os «
humectatum, pariterque totum corpus, molle atque humidum effectum, priorem depo- «
suisse squalorem fatebantur. Alij vero, & in solijs corpus suum aquam attrahere, «
indu-

indubitanter se percepisse affirmarūt. Quibus verbis constat, aquam per carnis meatus, attrahi in vniuersum corpus. Quanto igitur magis, attrahetur & conficietur succus alimentitius. Quod enim Galenus, 3. lib. de Temperam. cap. 2. nutritionem per extra posita negat, de vberiori & effatu digna nutritione intellexit. Arteriæ etiam multæ, ad ventriculum & intestina terminatæ, dum distenduntur, rapiunt partē chyli tenuem, ad alitionem spirituum, & sanguinis arterialis, citra aliquam in iocinore elaborationem, vt scribit Galenus, 3. lib de Natutalib. facult. capite vltimo, in hæc
„ verba: Non est ergo mirandum, si ex ventre prorsus exiguū, quantum scilicet exqui-
„ sitissime est cōfectum, in arterias venit, ceu leuiore prius impletas. Si chylus ergo spirituū nutritioni valet, multo certius ventriculum nutriet. Et eodem libro infra, dum chylus conficitur, aliquid eius scilicet inconfecti ad iecur ascendere tradit: & cum ad intestina & iecur, chylus confectus transit, portiunculam etiam eius exiguā, in omnem corporis partem ferri scribit. Ex priore autē iecur nutritur sine prima coctione, & ex posteriore vniuersum corpus, sine iecoris elaboratione: quanto igitur magis ventriculus chylo poterit nutriri? Ex anatome etiā manifeste constat, nullam à caua, in ventriculum, intestina & omentum, venam ferri, sed ex porta omnes deriuari: porta autem cum suis exortis, sanguinis distributioni, in iecore elaborati, non seruit, sed tractioni, & introductioni chyli, ex dictis membris ad iecur. Quod præter exortum, docet etiam implantatio venarum, in dictis membris, non enim expanduntur, per ventriculi & intestinorū longitudinem, more earum quæ alimentum deferunt, sed recta feruntur, penetrantia intestina & ventriculum, vsque ad internam cauitatē, ex qua chylum hauriunt. Quod si membranam spectemus, cuique extremitati harū venarum adnatam, ei persimilem, quam natura in vesicæ cauitate, extremis vreteris apposuit (vt notat Columbus, lib. 6. de Re anatomica) facile intelligemus, admissioni chyli, nō autē reductioni sanguinis, huiusmodi venas fuisse creatas. Nec aliud colligemus ex succo, quem huiusmodi venæ continent, chylus enim est, nonnihil in rubeum mutatus à vi sanguifica, quam huiusmodi venis tribuit natura, ne in transitu otiaretur: nam vera sanguinis forma, substantia, & color, in hepate dantur. Ventriculus ergo, fruitur qualitate, & conueniētia attracti cibi, quo deliciatur: fruitur etiam substantia chyli iam confecti, vera (inquam) ex ipso nutritione, nō voluptuosa, aut refocilatoria, quam volunt. In ipsa enim nutritione, & chylo iam confecto, nulla afficimur voluptate, sed in ipso tractu, & ingestione cibi, ob conuenientiā & similitudinē cibi cum ventriculo. Sic enim ventriculus natura calidus, gaudet cibis calidioribus, frigidus frigidioribus, humidus humidioribus, & siccus siccioribus, vt libr. 2. Artis medicæ autor est Galenus. Sic etiam qui præter naturam calidus est, gaudet cōtrarijs: quoniam ea contraria, sunt conuenientia, & reducentia ventriculum ad naturam, vt autor est Galenus, lib. 1. de Causis sympthom. cap. 6. & lib. 4. Simplicium medicament. cap. 10. Nisi aut intemperies præter naturam sit facta, ea enim ceu iam naturalis, similibus gaudet: aut prauus humor, vniuersam vētriculi substantiā vndique peruaserit: quod



in pica morbo contingit, vbi extranea, & humori prauo similia, ob id appetuntur, non autem contraria, perinde ac in morbis factis & cõnaturalibus redditis appeti solent. Quinimmo eiusmodi affectiones, quãuis ab humore dependentes sint, factas more hecticarũ appellat Gal. 1. Prorrhetici. com. 33. vbi phrenitides factas esse scribit, cũ bilis vniuersum cerebri corpus peruadit, exemplo lanæ, quæ vndiq; tincturam accepit: vere tamẽ factæ huiusmodi dispositiones nõ sunt, repente enim à primis prægnationis mensibus, pica vtero gerẽtibus succedit, & post tertiũ mensem decedit magna ex parte: quorũ neutrũ morbo vere facto cõuenit, hic enim multo ante fieri, & vix deleri assolet. Adhæc mẽbra quæ trahunt, & gaudẽt qualitate aliqua, indigent ea, aut tanquã simili, qua conseruentur, aut tanquã contraria, qua curẽtur, & redeãt ad naturã: quorũ vtrumq; deest ventriculo sano, & bene tẽperato, vt voluptatem percipiat ex chylo, ab alimentis natura calidis, aut frigidis confecto. Et ex consequenti voluptuosa, & qualitatiua illa, ex chylo nutritio, quam excogitarunt, friuola est & inepta. Nec placet Auerrhoi interpretatio, qui secundo colliget, cap. nono, inquit, quod nutricatio, qua vẽtriculus ex chylo reficitur, qualitati potius quã quantitati pertinet, quoniã adeo parua est, vt ex chylo, qualitate potius affici videatur, quã quantitate qua vel augeatur, vel quod perdidit resumat. Ventriculũ enim saturari, & plene, ac abunde refici, ex Gal. diximus. Nec etiã placet Zoar, lib. 2. trac. 5. cap. 1. qui addit, quod superior ventriculi pars mẽbranosior, pluri chylo nutritur, & pauciori sanguine: ima vero carnosior, pluri sanguine quam chylo: media autẽ æqualiter vtroq;. Nam totus ventriculus, omni sui parte chylificat, & ex chylo quẽ conficit abunde saturatur. Vẽtriculum quoq; non esse in fundo magis carneum, quã in parte superiori (secus ac Galenus scripserit) nostri dissectores testantur. Nec etiam placet Auicenna, qui prima primi, doctrina quinta, summa quinta, capite secundo, externam tunicam ventriculi sanguine, internam vero chylo quem tangit, nutriri scribit: eiusdem enim naturæ sunt ambæ tunicæ, & ambæ chylificant in sui gratiam, eadem etiam vasa vtraque recepit, quare de vtriusque nutritione, similiter est pronunciandum. Nec etiam placet Galenus, qui quarto libro de Vsu partium in fine, tres modos nutritionis ventriculi memorat: vnum ex vasis omenti, quæ à vena caua exorta, omento inferuntur, & ab omento in ventriculum, ad subsidium nutritionis eius deriuãtur: alterum ex chylo quem propria actione conficit: & tertium indigentiæ tempore, ex venis meseraicis à porta ortis, per quæ sanguinem à iecore repetit ventriculus, sicut chylum ante permiserat. A quo etiam transcripsit Auicenna, decimatertia tertij, capite primo, in hæc verba. Et scias quod stomachus nutritur tribus modis, vnus eorum est, eius quo fouetur cibo adhuc in eo existente: & secundus est, eius quod ad ipsum venit, ex nutrimento in venis prædictis in anotomia venarũ: & tertius est eius quod ad ipsum effunditur, in tempore famis vehementis, ab hepate ex sanguine rubeo puro, & nutrit ipsum. Locus autẽ ad quem se refert, scribitur eodẽ capite, in hæc verba. Et loco stomachi vehementioris gibbositatis, superponitur vena magna, procedens in longitudi-

ne

" ne ipsius, & mandat ei ramos plurimos, qui cum eo ligantur, & diuiduntur in ramos
" subtiles, constituti in ordine vno. Et adhæret ei arteria similiter, & procedit ex arte-
" ria sicut illud: & innititur vnaquæque earum, super reflexionem siphac, & cōtexitur
" ex summa earum zirbus. Quibus verbis constat, quod sicut ventriculus, recipit ar-
" terias ab aorta, ita recipit venas à caua, interuentu omenti. Ne vero Auicēnā id fin-
" xisse existimes, locus Galeni, à quo transcripsit Auicenna, ita habet. Præterea sum-
" ma ratione, ac solertia, modum instituit, quomodo omnia quæ ad vētriculum, atque in
" testina pertinent, non solum alijs partibus corporis nutriendis subseruirēt: sed & ipsa
" nutrirētur. Primū namq;, toti mesenterio, venas effecit proprias, intestinis nutriēdis,
" ipsi dicatas, haudquaquam ad hepar traijcientes. Verum vt & Herophilus dicebat,
" in glandulosa quædam corpora desinunt hæ venæ, dum cæteræ omnes, sursum ad por-
" tas referātur. Deinde eiusdem vsus potissimū gratia, in omento quoq; quamplurima
" numero vasa construxit, quò omnia propinqua nutrirentur. Porro vtrūque hoc com-
" mentum naturæ ipsi subsidio est, ad perfectam intestinorū & vētriculi nutritionem.
" Erant sane & alia duo, nutritionis eorū auxilia: vnum quidem in ipsa cibi concoctio-
" ne, de quo antea sumus loquuti: alterum cum per longiores inedias, infernæ partes, at-
" trahunt quidam, etiam ex ipso hepate, iam distributione ad hepar, & distributorum
" ipsorū exacta elaboratione, ac separatioue absolutis: eo enim casu, instrumēta esurien
" tia, attrahere sanguinē benignum possunt. Quæ Galeni verba, si eis quæ ex Auicēna citauimus conferātur, eandem plane sententiā personant. In vtroq; autem, is modus nutritionis, qui ex venis proprijs, à caua ductis additur, ficticius est, siquidem nulla vena ad vētriculum, intestina, mesenterium, & omentū ducitur à caua: sed omnes ex porta trahunt originem, vt omnes docent Anatomici. Nec etiam placet Dinus, qui in quæstionibus quibusdam à se conscriptis, chylum in vētriculo confectum, prius quam ventriculum nutriat, virtute venarū ventriculi, in sanguinem cōmutari tradit. Contra vero est, quod chylum quem pro nutritione assumit ventriculus, tunicis suis reponit (vt dixit Galenus) reliquum permitens venis, vt deducant ad iecur. Venæ etiam illæ, chylum continent, nōnihil in rubeum mutatū, sanguinis enim forma, & substantia, non datur ante iecur.

Nec obstant, quæ in oppositū adduximus, ratio enim Galeni firma est, si intelligatur de trahente simul & cōmutante, & non de solo trahente, vt diximus. Ventriculus vero, venas habet à porta ortas, quæ non tribuūtur ipsi frustra: sed vt à ventriculo sugant, & ad iecur deferant, vtq; per magnas inedias, atq; indigentiā, sanguinē à iecore repetere possint, pro alitione ventriculi. Sanguine enim vētriculum nutriri posse, non negamus: nam eo nutriebatur in vtero, sed familiarior eius nutritio, ex chylo est: quo deficiente, sanguinem repetit ex iecore benignum, vt libro quarto de Vsu partium in fine, scribit Galenus: aut rubeum purum, ex Auicenna decima tertia tertij, cap. 1. Quod tunc solum contingit, quando iecur, plurimo benignoque sanguine abundat: qui status raro iungitur, cum ventriculo famescente, quoniam iecur prius

quam ventriculus solet inaniri, inanitum autem, non permittit ventriculo benignum sanguinem rapere, sed virulentum & excrementitiũ, vt autor est Galenus, lib. 3. de Natural. facult. cap. 13. in hæc verba. Estque nõnunquam, quominus animal esuriat causa, nutrimenti in iocinore abundantia, quippe si venter melius, paratiusque nutrimentũ habet, externum non postulat, sin aliquando postulat, nec eius copia est, excrementis impletur. Ea sunt sanies quædam biliosæ, pituitosæq; atque serosæ, quas solas trahenti illi, tum scilicet, cum nutrimento indiget, iecur remittit. Vnde Auicenna. 3. prim. doctri. 2. cap. 7. dixit, quod famen tollerare, ventriculum replet humoribus putridis, aut virulentis, ex emendatione belunensis. Tripliciter igitur sanguis, fertur à iecore in ventriculum: aut cum iecur plurimo sanguine benigno abundat, à quo redundat in ventriculum, pariter & in omnes corporis venas: aut cum per longiores inedias, võtriculus trahit ex iecore benignũ sanguinem, quoniam caret prauo: aut cum trahit prauum, iecore retinente benignum. In vtroq; horum modorũ sedatur fames: in primo, quoniam venter vt dixit Galenus, melius paratiusque alimẽtum habens (puta benignũ sanguinem abundantẽ) externũ cibum non procurat. Non quoniã is sanguis, sit võtriculo melius alimẽtum, quam chylus: sed quoniã absolute is sanguis, melius alimentũ est, in cuius abundantia, ventriculus non quærit externũ cibum, etiã si ipsi futurus sit familiarior. In secundo quoq; fames sedatur, breuiori tamen tẽpore, nam iecur inanitũ, rursus à ventriculo repetit, ingensque inter hæc duo membra bellum cõmittitur. In tertio fames sedatur, magis aut minus, pro ratione sanguinis, aut cacochimiæ confluentis. Si enim crudior sanguis, aut pituita confluat, fames maxime sedatur, ob familiaritatẽ quam hic succus habet cum chylo: minime vero si sanguis confluat biliosus, aut biliosi aliqui ichores, nam quanuis huiusmodi succi, appetẽtiam dissoluant, indigentiam non reparant: quin potius ventriculum mordent, & cardialgiam inferunt, vt ijs contigit, qui consuetã cibationis horam præterierunt. E quibus quidam (quibus scilicet crudior sanguis, aut pituita confluit) fame sedata bene habẽt: alij vero syncopizant: quoniam exiguũ, aut nihil, eo succo nutriũtur, mordentur autẽ multum. Quanuis autem sanguine benigno aut vitiato nutriatur ventriculus, id non facit nisi dealbando, & in substantiã chylo similem conuertendo: Sicq; vnius ventriculi, licet plures materiæ remotiores statuantur, vna tantum propinquior est, chylus nempe, qui vlteriori alteratione, in alteram magis immediatã cõmigrat, nimirum in semen, quo nutriuntur omnia membra radicalia, nam eo vna quæuis pars nutritur, quo genita est succo, seminalia ex semine, & carnosa ex sanguine, vt è libro primo de Semine, obijciebatur. Ventriculus autem ex semine, ad initium fuit formatus, ergo ex semine debet nutriri, & substantiam suam redintegrare: nam cum seminale membrum sit, & vim habeat aßimilandi sibi alimentum, in substantiam seminalem commutet necessarium est. Galenus vero, libro tertio de Temperamentis scribens, quod nihil nutrit, antequam in ventriculo, iocinore, & venis, sit demutatum, de nutritione molis corporis, est interpretandus, non autem de organis nutritionis. Idque

ipsa

" *ipsa indicant Galeni verba, quæ ita habent. Porro id quoque in concoquendi instru-*
" *mentis, ventriculo, iocinore, & venis, prorsus aliquandiu traxerit oportet, in quibus*
" *scilicet præparatū, nutrire corpus iam queat. Ante vero, quam in his sit demutatum,*
" *fieri non potest, vt animalis corpori sit nutrimentū, ne si per totum diem, ac noctem,*
" *extrinsecus super corpus, sit impositū. Multoque minus panis, vel beta, vel maza, fo-*
" *ris imposita nutriat. Vbi si quis verba illa, Nutrire corpus: & illa rursus, Animalis*
" *corpori sit nutrimentū: & exēplum etiam eorū, quæ forinsecus imponūtur aduertat, manifeste intelliget, de nutritione carnis, & molis corporis eum loqui: non autem de nutritione organorū coctionis. Ea enim cum imperfectiora sint, & rudem materiam tractare, & conficere deberent, ex ipsa ante omnium excrementorū secretionem, nutriri nihil vetuit. Cum vero Galenus. 6. de Placitis dixit, quod membra præparātia alijs, totas materias & integras illis tradunt, noluit nutritionem membrorū, ex materijs quas præparāt, totiens ab ipso, tum alibi, tum eo etiam libro concessam adimere: sed id tantū voluit, quod quæ alijs præparāt, non sunt instrumēta distributionis, illius materiæ in corpus, sed eam sic præparatā, tribuunt parti in quam præpararunt, à qua fit distributio in omnes. Sic ventriculus præparans iecori, non distribuit chylum, sed iecori transmittit: Iecur vero sanguificat ipsum, & vniuerso corpori distribuit. Quare non præparat cordi, nam si ei præpararet sanguinē, non fieret distributio ipsius è iecore, sed prius traderetur cordi, & à corde fieret distributio. Cum vero Galenus dixit, ventriculo inesse appetentiā, conuenientis sibi qualitatis, per conuenientem qualitatem, totam substantiam intellexit, vt sæpe alibi. Et cum dixit, in halitus aut vaporis modum, ventriculum nutriri chylo, noluit significare diuersam nutritionem, à nutritione reliquorum membrorū, sed modum quē natura seruat semper, in appositione nutrimenti, ad partē alendam. Facit enim tantā cōminutionem, sparsionē, & attenuationē alimenti attracti, per partē nutriēdam, vt merito euaporationis vocabulo, ad id significandum vtatur. Libro enim. 3. de Sympthom. causis, ante finē, ita scribit.*
" *Appositio fit, cum id quod nutrit, halitus speciē in se recipit. Et lib. 1. de Semine post*
" *mediū, hæc habet. Deinde post proprij humoris in singula mēbra attractionē, id quod*
" *est attractum, in multas particulas dissolutū, paulatim quasi exhalationem, attrahen-*
" *tibus membris adiungitur, ac quadam temporis mora immutatur, assimilatur, & con-*
" *corporatur. Quinto etiam lib. de Vsu part. cap. 6. renum nutritionē, sequenti expli*
" *cat oratione. Renū vero vterque, multū quidem bilis flauæ attrahit, ac propemodum*
" *omne id, quod venæ & arteriæ, quæ in ipsis sunt cōtinuerint: multum vero & san-*
" *guinis, quod scilicet in eo est tenuius, ac humidius. At biliosi quidem excremēti, quid*
" *quid non admodū crassum fuerit, cum vrinis permeat: sanguis vero carni ipsi renum*
" *aspergitur, instar fecis cuiusdam: inde iam paulatim, vaporis modo in totam ipsam*
" *dispergitur, adhærescit, vnitur, atq; demum alimentū fit renibus. Quod vero sanguis, melius, paratiusque, sit alimentum, quam externus cibus, ventriculo nutriendo, dixit Galenus: imparatius tamen est, quam chylus iam confectus, qui paratissimus est, vt in*

ventriculi substantiam cõmutetur. Ad aliud vero dicendum, quod ventriculus, licet prius refici occipiat, posterius famescit, quoniã plurimũ chyli, seruat sibi, in rugis & cauitate sua, quo alatur. Idque significauit galenus, per verba illa, Saturatus, Abũde saturatus, Et perfecte repletus, quibus vtitur locis citatis. Et etiam quoniã externa, citius inaniuntur, ob externum aërem, in quem euaporãtur, vt scribit Galenus lib. 1. de Causis symptbomatũ, cap. 7. in hæc verba. Nam quoniam cute tenus, vnumquod que animal, in ambientẽ aërem digeritur, accidit vt membra quæ sub ea sunt, prima vacuẽtur. Quare quod quidam existimãt, cum mẽbra affigunt, iam indigere ventriculum, & magis indigere cum nutriuntur, eamque indigentiã resarciri per sanguinem ab hepate ad ventriculum, non minus quam ad alia membra distributũ, præter Galeni mentem est. Primo, quoniã vt diximus, externa citius innaniuntur. Secundo, quoniam cum membra affigunt, iecur nutritur, & cum nutriuntur indiget alimento, ergo iam præteryt distributio sanguinis ad membra, quare ad vẽtriculum tunc non ibit ex iecore, quod iam est alimenti indigum. Tertio, quoniam non quotidie, sed per longas tantum inedias, voluit Galenus, sanguinem à iecore in ventriculum remeare.

Pars vero vtilis alimenti, per coctionẽ separata, in qua elementorũ iusta mensura, situs, & ordo, parti nutriendæ similis, iam habetur: altrici facultati subiacet, non coctrici. Non enim confunduntur coquens, & alens facultas, neq; sola ope, quatuor facultatũ ministrãtium, cõpletur omnis nutritio, vt magno errore, doctissimus sentit Fernelius, 5. Physiologiæ, cap. 4. Primo, quoniã coquẽs facultas, est ex ministris, alẽs vero ex principibus, nihil vero sibi ipsi ministrat: nec in diuerso ordine facultatũ constituitur. Secundo, quoniã coctio est alteratio, vel mutatio nutrientis, in nutriti qualitatẽ, 2. lib. de naturali. facult. autore Galeno. Vbi in qualitatẽ dixit, non in substantiã: quoniã substantialis transmutatio, nõ est coctio, sed nutritio: Quæ definitur à Galeno. 1. de Naturalib. facultat. ad id quod nutritur, eius quod nutrit aßimilatio: vel eius quod euacuatur repletio, vt lib. 1. Aphorismorum, comment. 15. idem testatur. Coctio ergo qualitatem affert, & elementorũ commistionem, ac dispositionẽ similem ei, quæ in parte nutrienda reperitur: Alitio vero, elaboratũ atq; confectum à coctrice alimentum, in vsum & substantiã corporis vertit. Exemplum est, nam chyli confectio, coctio est ventriculi, per quam cibus qualitatẽ, & commistionem nutriendo ventriculo opportunã accipit. Ex parte autẽ chyli confecti, ventriculus nutritur, actione altera, quæ substantiã affert, & partẽ ventriculi exhaustam reponit: hæc autẽ alitio est, non coctio. Sic sanguinis in iocinore confectio, coctio est, qua sanguis prouenit, ex quo iecur alitur, altera actione & cõmutatione substantiali. Sic etiam existimare oportet, quod in tertia coctione, quæ in membris agitur, membra cõmutant sanguinẽ, in alimentũ sibi opportunũ: & alens facultas vertit ipsum, in substantiã membri, actione quadam, quæ non est coctio, sed alitio, & substantiæ reparatio nũcupata: Ita vt semper coctio, dicat viam quandã, & perfectionẽ in membrũ, non tamen ipsam postremã mutationem. Hinc apud Gal. 3 lib. de Natur. facult. & 4. lib. de Sanitate tuenda,

da, capite vltimo. Alimenti coctiones tres sunt, chyli confectio, in ventriculo: sanguificatio in iecore, & venis: & tertia quæ in vnaquaq; agitur particula, ex qua nutrimentum prouenit, simile parti nutriendæ: diuersum pro partium nutriendarũ varietate. Ex quo genere est medulla, in oßibus: spumeus humor, in pulmone: in compagibus articulorũ, humor quidam glutinosus: in testibus & parastatis, semen: in lingua, saliua: in mammis, lac: vt lib. 5. Aphorismor. comment. 39. Galenus est autor. Hæc enim in vnoquoq; membro, pro suæ substantiæ ratione, proueniunt alimenta per tertiam coctionẽ: quã sequitur postea eiusdem membri nutritio, ex tali alimento genito. Hanc vero nutritionem, Galenus non appellat coctionẽ, nam quatuor, non tres, statuisset: cum Auicenna prima primi, doctrina 4. cap. 2. qui non modo venia, sed & laude dignus est, quod solo nomine à Galeno discesserit: rem autẽ exacte & vt decet enarrauerit. Nam & Galenus, solo nomine coctionis, in alterationẽ mutato, lib. 3. de Causis sympthomatum, ante medium, quatuor agnoscit alterationes, nomine alterationis, dato etiam nutritioni. Sunt autem hæc Galeni verba. " Naturalium actionum " prima, ac propemodum omniũ maxime necessaria, nutritio est: quæ alteratricis actio- " nis, quædam est species. Est enim & coctio, quæ in ventre agitur alteratio: non secus " autem & quæ in venis: quibus accedit ea, quæ in quaq; est particula: post quã quarta " est, quam aßimilationẽ vocant: nomine quidem à nutritione dißidens, re autem non " dißidens. Ex quibus Galeni verbis, plane constat, quod quanuis coctio, quæ via est in membrum, sit triplex: alteratio tamen est quadruplex, vt nomine alterationis (præter coctionem triplicem) includatur etiam nutritio, quæ vera est membri repositio: cui tres dictæ coctiones ministrant.

Nomine autem nutritionis, tres actus intelligit Galenus, appositionem scilicet alimenti vtilis, quod in roris formam, è vasis excidere apud Galenum, diximus libro nostro de humoribus, cap. 2. Excidit autem non suo pondere (nam vndiq; fertur, vbi nutritione est opus, sursum, deorsum, & in latera) sed à facultate tractrice, partis nutriendæ. Sicut enim tractionẽ, ab apetitu (ceu à termino à quo) incipere diximus: ita " in appositionẽ (ceu in terminum ad quem) tendere arbitramur. Quod voluit Galenus " lib. 3. de Naturalib. facultat. in principio, vbi ita scribit. Indicatũ præterea est, & " quod ante aßimilationẽ agglutinatio sit, hanc vero præcedere quæ græce πρόσθεσις " latine appositio, vel adiunctio dicatur. Hæc (vt sic dixerim) finis est actionis, quæ ab " attrahente vi perficitur, siquidem ipsa nutrimẽti, ex venis in singulas particulas ad- " ductio, agentis adhuc, attrahentisq; virtutis, est opus. Adductũ vero iam esse, ac par- " ticulæ apponi, ipse est finis, cuius scilicet causa, eiusmodi actio est desiderata. Quippe idcirco est attractio, vt sit appositio. Quibus verbis, luce clarius constat, ab appetitu, aut desiderio alimẽti, in alimentũ appositũ, tractricis operationẽ perductã fuisse. Vtq; tractio terminatur, in appositionẽ, sic ex appositione incipit nutritio, ita vt inter nutritionis actus, ceu ipsorum primus cõnumeretur. Hũc sequitur agglutinatio, quæ cõmutatio quædam est, appositi alimenti in nostrã substantiã, loco eius quæ effluxerat,


non enim aliter, vniri possunt alimenta apposita, nisi forma substantialis, ipsius partis quæ nutritur, informet ipsa. Huiusmodi vero commutatio, facultatis altricis est operatio, cui cõtinens facultas ministrat. Hæc enim alimenta apposita firmiter tenet, donec eam cõmutationem perpetiantur, vt autor est Galenus, lib.3. de Naturalibus facultatibus citato. Hinc detegitur error Valesij, lib.2. Controuersiarum, cap. 17. vbi agglutinationem (inquit) non facit facultas aliqua vitæ, sed vt in reliquis etiam inanimatis, quæ suo modo substantiæ, facile affiguntur, cum coniuncta aliquo tẽpore morantur, affiguntur sua sponte: vt cera ceræ, pix pici, breui tẽpore, si simul sint, & nihil impediat vniuntur: potissimum in ipsa agente igne, vt in alimenta agit noster calor. Quod vero omnia affigantur in nostro corpore, ex dispositione ipsius materiæ probat, quoniam Galenus scripserit, 6. Methodi, cap.5. dura ossa non posse coalescere, mollia vero posse. Sed contra est primo, quod alimentum appositum forma roris, cõmutatur in nostri corporis substantiam, & formam nostri induit, sic enim adglutinatur & vnum fit nobis, non vt cera, quæ ceræ iuncta, maiorẽ ceram, coagmentatione quadam efficit: sed vt corpus viuens, quod ex non viuenti reparatur, & nutritur, ac in sui substantiam, appositum alimentum commutat. Materia autem, quantunuis sit mollis, ac cerea, se ipsam cõmutare non valebit: quamuis facilius à facultate commutetur, quam dura: Sic enim mollia ossa coalescunt, quoniam facultati formatrici, minus reluctantur, mollia quam dura. In demortuo autem animante, quantunuis molli, ac recenti, nunquã ex sola materiæ dispositione coalescent, quoniã vitæ facultates desunt. Secundo, quoniam diutius cohærere vult, vt adglutinentur, quod sine facultate aliqua vitæ, puta contentrice non fit, autore Galeno, lib. 3. de Naturalibus facultatibus in principio. Contentrix vero, non sibi seruit, sed commutatrici: ergo ad agglutinationẽ, nõ modo est opus simplici, sed etiam duplici facultate. Tertio nam eum, qui solius materiæ dispositione, agglutinationem fieri tradit, sine facultate aliqua vitæ, ridiculum appellat Galenus, 2. lib. de Facultatibus naturalibus, non longe ab initio. Qui sane locus, hominem ne à Galeno irrideretur, à sua sententia nescio cur non reuocauit: nisi forte ita furtim, & cursim eius vorat libros, insaciabili quadam scribendi auiditate, vt fructum ex tanta vbertate, capere nequeat. Sunt autem Galeni verba huiusmodi. Nisi enim à natura, facultas quædam naturalis, vnicuiq; instrumento, statim ab initio sit tributa, durare animalia non poterunt, non modo tantum annorum, sed nec paucissimorũ dierum numerum. Quippe si nullius ea curæ mandemus, arteq; & prouidentia destituamus, ac solius materiæ momentis gubernari velimus: nulla vsquam potẽtia, vel trahente quod sibi est commodum, vel amoliente quod est alienum, vel alterante, agglutinanteq; quod se est nutriturum: nescio quo pacto non ridiculi futuri simus, si de naturalibus actionibus disputemus: multoq; magis, si de actionibus animalibus, totaq; vita. Quarto, quoniam palinodiam videtur recãtare, cum subdit, potissimũ in ipsa agente igne, vt in alimentum agit calor noster. His enim verbis ex sola materiæ dispositione, coalitum fieri, veretur sine agente

aliquo

aliquo statuere: & in corpore nostro, innatū calidum, agēs id, esse decernit. Quod tamen est omnium facultatū instrumentū, non modo nutritoriæ, sed omniū etiā quæ in nostro corpore cōtinentur: quare velit, nolit, incidit in id, quod vetare studet. Primus ergo nutritionis actus, appositio est alimēti, qui forma roris apponitur membris. Secundus adglutinatio, in qua ipsum alimentum, cōmutatur in nostram substantiam, appellaturq; cambiū arabibus, exemplo eius in quo vnum pro alio redditur. Quanuis autem hoc alimentum, recens commutatum, membrum iam sit, & non simpliciter alimentum, sed alimentū vnitum appellari debeat, nondum exactam firmitudinē, soliditatē, & similitudinem cum parte cui adhæsit, adipiscitur: donec vlteriori facultatis nutritoriæ actione prouehatur, vt exemplo vitiliginis (hispanis aluaraz appellatæ) monstrat Galenus. Ibi enim adglutinatum alimentum, vlteriorem mutationem desiderat, qua simile prorsus reddatur, parti quæ nutritur, non autē albidius aut nigrius. Vnde hunc tertium actum, assimilationem appellat Galenus, quoniam exactam per ipsum, similitudinem cum membro, alimentū fuit adeptum. Dicti autem tres actus nutritionis percensiti: in vnā actionem, & operationē vnam, incidunt & conspirāt: Vnius enim facultatis vna est operatio, quare facultatis nutricis actio, vna erit, ab alimenti appositione, in exactam assimilationē, per ipsius alimenti adglutinationem progressa. Hæc appellatur nutritio, aut alitio, à facultate nomine dato functioni: appellatur etiam assimilatio, ab actionis fine, sicut dealbatio, ab albedine, quæ conquiritur. Atq; ea significatione summitur, lib. 1. de Naturalibus facultatibus, vbi dixit,
" *quod nutritio est eius quod nutrit, ad id quod nutritur assimilatio. Quibus verbis, noluit appositioni, nec agglutinationi, nutritionis nomen adimere: sed actionem quæ tria illa cōprehendit, finis nomine insigniuit. Hic etiam monendus lector est, assimilationis vocabulo nonunquam abusum fuisse Galenum, pro tertia coctione, quæ in membris agitur, & appositionem antecedit: quoniam per eam alimentum redditur simile, & idoneum nutritioni partis. Sic enim 5. libro Aphorismorum, cōment. 39.*
" *ad hunc modum scribit. Quantum igitur alimenti, ab ipsa alterati, fuerit nutrito cor-*
" *pori exquisite assimilatum, illi apponitur parti, ac nutrit eam. Vbi alimenti assimilationem, antecedere appositionem voluit, nomine assimilationis dato tertiæ coctioni, non actui postremo nutritionis, nec ipsi etiam nutritioni. Quod volui monere, ne vocabuli significatione varia, quispiam sibi imponat.*

De instrumentis facultatum.

CAP. VIII.



OMO ex anima & corpore constans, suarū actionum, est causa princeps, atq; prima. Licet enim ab anima, vires habeat, & potentias agendi: Ipsa anima non net, nec flet, nec intelligit, sed homo per animā, vt libro primo tractationis de Anima autor est Aristoteles. Anima vero per facultates, quas diuersas, diuersis actio-

nibus accomodat, operatur. Facultates vero huiusmodi, diuersis vtũtur instrumẽtis, neruis, arterijs, venis & fibris istorum, complexione, innato calido, & spiritu. Quæ cum agentia sint immediata, & proxime ad effectum accedant, medicis qui sensum sequuntur, magis sunt causæ, & per se, ac primæ appellantur. Nam licet sint postremæ in causando, sunt primæ quæ effectui iunguntur. Hinc libro de Differentijs symptho matum, cap. 1. idem est inquit Galenus primo & per se, tametsi aliqui atticizãtium seccus loquãtur. Vbi Aristotelem insinuat. Sed de nomine hoc videtur dissidium & tãtis viris indignũ. Quod tamen vulgus medicorum, magis barbare quam inepte com ponit inquiens, quod per se summitur dupliciter, contra mediate & sic summitur à Galeno, & contra per accidens & sic ab Aristotele.

Facultas procreans (quæ in gignentẽ & conformantẽ est diuisa) vtitur spiritu gig nitiuo, in quo habitat, & omnium aliarum facultatum & partium instrumentis. Omnium enim vsus nouit, & omnia naturalia, in eximia cõtinet doctrina. Si vero aliud præter hæc, peculiare instrumentum habet, in discernendo & separando: abditum id est, & medicis ignotũ. Quod tamen inquirendum esse, monet Auerrhous lib. 3. Collectionum, cap. 16. vt capite sexto huius tractationis diximus, vbi hanc facultatem à separatiua non esse diuersam monuimus.

Alens vero facultas, in commutando & assimilando alimentum, vtitur complexione innata, non influenti. Alioqui enim, pars reposita ab osse, & à cerebro, nõ esset frigida, si ab influente à corde calore commutaretur. Nam cum innata complexio, quorundam membrorum sit calida, & aliorum frigida: oportet vt in nutritione & reparatione ipsorum, alimentum partium calidarum incalescat, & frigidarum infrigidetur, à natiua frigiditate. Et profecto si pars cerebri reponenda, eadem debet constare tẽperatura, & essentia, qua reliquũ cerebrũ: nõ video cur eius partis ag genera tio, à tẽperatura cerebri, talem alterã, qualis ipsa est producente, non consurgat. A temperatura (inquam) idest calidi ac frigidi, humidi ac sicci cõplexione, omnibus his qualitatibus, simul ad actionẽ cõcurrẽtibus. Primo quoniã rationi magis est consonũ, simile à simili produci quã à dissimili: Temperies ergo cerebri quæ reponitur, à temperie cerebri producitur, & non à solo calore, aut calore simul cum humiditate, partibus tẽperiei constitutiuis. Quomodo enim calor cerebri, nihil agente frigiditate eiusdem, sanguinẽ ad talem frigiditatẽ, qualis in cerebro reperitur alterabit? Secundo quoniam etiã si daremus, à solo calore cerebri, vniuersam cerebri tẽperiem posse induci, quis ibit obuiam eiusdem frigiditati, quominus infrigidet sanguinem appositum? Agens enim passo proximum, necessariam infert passionem. Aut ergo ea infrigidatio, est conformis nutritioni, aut ipsi contraria. Si conformis, cur naturam dicunt, non vti frigiditate? Si cõtraria, naturæ absurditatẽ accusent, que cerebrum enutrire volens, actionem alteram ipsi innexuit, nutritionis eiusdem corruptiuã. Tertio nam ex contrarijs in vnum coëuntibus, commista semper procedit actio, quanuis non ex natura conueniãt. Sic enim fit suppuratio à calore natiuo & extraneo, lib. 1. Prognosti-

nosticorum, commentar. vlt. & 2. lib. Aphorismor. comment. 47. autore Galeno. Multo ergo melius fiet, cum contraria ex naturæ ordine conuenerunt, in vnam temperiem, vt actio vna resultet, quæ ad certum gradum, caloris & frigiditatis terminetur. Quarto quam habet ratione, morbus ad lædendum operationes primo & per se, eandem habet sanitas ad perficiendum easdem: omnium vero quatuor qualitatum mediocritas sanitas est, non modo caloris, sed etiam frigoris. Ergo omnium mediocritas actiones perficit, & non vna earum sola. Dum febriens præterea, vacuato humore, ad pristinam reddit temperiem, à quo alio reducitur quam ab innata frigiditate? Dicunt à calore innato hæc omnia fieri. Sed si per calidum innatum, intelligant substantiam aëream & aqueam, ex calido & frigido, humido & sicco natam, vt Galenus. 1. lib. Aphorismorum commentario 14. vere id enũciant: Nam calidum innatum hæc facit, ob innatam frigiditatem quam habet vt diximus. Si vero solum calorem intelligant, interpretentur nobis, quomodo huiusmodi calor quãtuncunq; sit temperatus, infrigidet, nihil agente frigiditate comite, qua temperatur. Libro insuper de Rigore & tremore, ad medium, innatum calidum, duplicem motum, ex natura, suæ conseruationi necessarium, habere dixit: vnum ad extima, ob calorem, & alium intro, ob frigiditatem qua constat: Ea ergo vtitur natura, ad vitã, & innati calidi conseruationẽ.

" *Sunt autem Galeni verba huiusmodi. Qua enim semper mobilis est innatus calor, nõ*
" *intra tantũ, extra ve mouetur, sed alius, alium motũ semper excipit. Et infra. Quod*
" *autem extrorsum exeat & efferatur, & (vt sic dicat aliquis) explicetur à principio*
" *proprio, quia calidum natura est obtinuit: interiorem autem, & infernum statum pos*
" *sidet, quod frigoris alicuius sit particeps: quandoquidem, mistum ex calido & frigi-*
" *do existit.*

Accedit, quod frigiditas, naturalem appetentiam iuuat. Vnde ventriculus frigidus, libro Artis medicinalis, apud Galenũ, bonus est ad appetendum, A qua item edax est, ob refrigerationem, 6. lib. Epidemiarum. Nam inepta est Valesij responsio, lib. 5. cap. 11. quod frigida causa, non iuuat appetentiam per se, refrigeratione inquam sola: nam hac ratione (inquit) cum stupefaciat, & tollat sensum, potius extinguet famem: sed corrugatione & adstrictione: qua ratione, sentimus acerba omnia famem inferre. Sed multipliciter errat Primo, nam stupefactio non est effectus frigoris per se: sed consequitur naturam partis sensiuæ, quæ cum vehementi frigiditate nequit operari Secundo, nam pari ratione argumentaberis, nullam actionem calore iuuari per se, calfactione (inquã) sola: nam hac ratione cum comburat omni actioni erit impedimento. Forte enim non minus calor, sui ratione comburet, quam frigus stupefaciat. Tertio, nam corrugatio, & adstrictio, sunt effectus frigoris per se, quatenus ei conuenit ex natura, omnia congregare, ergo fames per se sequuta, ad hos effectus per se, non erit accidua. Quarto nam diuersa est actio frigiditatis, & acerbitatis in ventriculo: illa enim est qualitas prima, hæc secunda: illa congregando, quod habet ex natura, agit: acerbitas vero rodendo, & persimile quid suctioni venarum ventriculo inferendo: nam aliter profecto, aqua est edax ac sorba. Adde quod frigiditas

con

contentrici opitulatur, hunc enim vsum, præbet melancholicus succus ventriculo, apud Galenum. Nec valet solutio Auicennæ, prima primi, doctrina .6. cap.3. vbi dixit, quod frigiditas, accidentaliter iuuat, quoniam tenet villos, secundum figuram bonæ compræhensionis. Hoc autem (inquit) est instrumentum præparare: & non est, in ipsamet operatione, auxilium ferre. Sed contra est, quod contentio quæ villis fit, nihil aliud esse videtur, quam ea villorum contractio, & instrumenti applicatio, ad rem quæ retinetur: similiter enim continet villi, ac manus, & digiti, contractione quadam. Autor ergo contractionis, erit contentionis causa perse: Et ex consequenti, contentio quæ villis fit, iuuatur per se à frigiditate: sicut quæ manu fit, à virtute animali motrice. Sic etiam expultrix, maiori vtitur frigiditate, quoniã maiori villorũ contractione opus habuit: & per vehementer refrigerantia exercetur, vbi materia violentius irruens, est repellenda. Sicut vbi plus trahere conuenit, calorem augere curat: quantum enim sunt contraria, tractrix & expultrix, tantum contrarijs instrumentis, opus habuerunt. Nec tamen mihi plurimum arridet, quod Christophorus à vega medicus insignis, noster olim præceptor, censuit frigiditatem natiuam, agere quidem, sed naturam non vti ea, vt instrumento facultatum naturalium. Nam si actio eius, est naturæ conformis, cur non vtatur ea, non videmus. Altrix præterea facultas, ex sanguine calido, cerebrum facit, atq; os frigidum: quod tamen sine frigiditate natiua, facere nequit: ea ergo vtitur, ceu idoneo instrumento, ad id munus obeundum. Quid ergo, sibi voluit Galenus, lib.3. de Causis sympthom. prope finem, qui omniũ facultatũ naturaliũ, instrumenta declarans, ita scripsit? Calor adauctus valentius alterat, modo tamen non eo incrementi perueniat, vt iam colliquet. Tum enim primum, omnino inutilis est. Frigus vero, nulli functioni est ex vsu. Ego sane dixerim, in impetum orationis hæc esse referenda, quo vtimur, dum quidpiam euehere, & contrariũ deprimere est animus. Quare tantũ significat nobis, huiusmodi Galeni verba: quod multo magis vtitur natura calore, ad functiones, quam frigiditate. Quodq; ea qualitas, naturæ magis est conformis, & intima, quã frigiditas. Id enim cap. 1. eiusdem libri, mihi dixisse, est visus, dum ita scribit. Quum enim huiusmodi quandam temperiem, quæ ex quatuor constat elementis, & quæ proprietatem corporis ventricali constituit, causam alterationis ciborum esse sciuerimus: & quod ad hanc rem, plurimũ confert calidum elementũ, ad inuentionem causarũ cruditatis, quasi manuducti sumus. Quibus verbis, nemo non videt Galenũ, vniuersæ temperiei, ex calido & frigido, humido & sicco constitutæ, primariam actionẽ chylificandi tribuere. Et quod calor, est ex omnibus constituentibus, qui plurimum confert, & valet, ad eam actionem obeundam. Ex quo principio, causas cruditatis, inuenire docet. Quæcunq; enim, hanc temperiem turbant, cruditatem pariunt: & quod calorem ventriculi adimit, maioris cruditatis est causa: quoniam plus alijs ad coctionem conferebat. Ipsa præterea Galeni verba, impetum ipsum præ se ferunt: quoniam nec calor, tum primum est inutilis, cum colliquat: siquidem ante colliquationem, in febrientibus vtcunq;, læduntur

tur

tur eius actiones: nec cum eo peruenit, vt iam colliquet, prorsus est inutilis: per eum enim tūc fiunt omnes nostri corporis functiones, quanuis læsæ & parum firmes. Sic ergo frigiditatē, nulli functioni fore ex vsu, apud Galenū audire oportet: quasi velit, parum vtilem esse, comparatione caloris, qui plurimum ad omnes functiones confert: præsertim ad eas, quæ sunt toti corpori communes, de quibus ibi agit Galenus: hæc enim calore magis, quam quæ vnicuiq; parti sunt propriæ obeuntur. Nam in coctione ventriculi, duplex alteratio est, vna per quam nutritur, & fit à temperatura ipsius ventriculi innata: & altera, per quam toti corpori seruit, nempe conuersio alimenti in chylum, quæ fit, ab innata temperatura dicta, & à cordis calore influente, & à calore membrorum circumiacentium, iecoris, lienis, & omenti. Fuit enim opus, omnium horum membrorum calore, ad comminutionem alimenti, fusionem, efferuescentiam, & ad separationem partis excrementosæ, quæ pluri calore obeuntur. Sic vinum ebibitum, & calida medicamenta, atq; indumenta, admota ventriculo: & exiguus recessus per calidum, coctionem hanc iuuant. Sic ventriculus calidus, plus coquit. Sic ex quouis frigore addito, aut vestium detectione, aut pedum refrigeratione offenditur. Sicq; Galenū audire oportet, libro cui titulus est, Quod animi mores corporis temperaturam sequantur, ante medium, vbi frigiditatem dixit, omnibus animæ officijs incōmodare. Quæ sententia, de frigiditate excedente, & de animæ officijs cōmunibus, intelligenda est. Hinc lapsus ad frigidum, est deterior, quam lapsus ad calorem: quoniam per eum, calor qui qualitas est, magis familiaris, & amica naturæ, destruitur: præsertim cum lapsus est extremus, & calor ac virtus extinguitur. Ratione cuius, dixit verissime Auicenna, 4. prim. cap. 3. quod extremus lapsus frigoris, difficilius in calorem adducitur, quam extremus lapsus ad calidum, refrigeretur: Quanuis lapsus (vt inquit) exiguus ad frigidum, facilius incalescat, & sanetur: quam persimilis alter, ad calidum refrigeretur: ob caloris maiorem efficaciam in agendo. Nec obstat, quod eodem capite dixerat, tempus refrigerandi, & calfaciendi esse vnum. Id enim, comparatione ad qualitates passiuas, in quibus, magna est temporis differentia, intelligendum est. Vnde Galenus, libro septimo Methodi, non vnum esse dixit, nec æquale, sed quodammodo æquale, ac si modica interesset differentia, & qualitatibus passiuis non respondens.

Auctricis facultatis instrumentum, abundans calor est, & impetu quodam actus spiritus. Caloris enim, proprium est, materiā extendere, ac dilatare: Vnde quæ augentur corpora, plurimum habent calidi innati: Spiritus vero commotio, & impetus, partes cauat, & extendit vndiq;. Auctrici autem, nutrix facultas, ministrat alimentum, quo cauitates replentur, & membri substantia, per eius conuersionem reparatur. Id autem alimentum iam commutatū, rursus à facultate auctrice, cum reliqua membri substantia, cum qua coiuit, extenditur: & à nutrice, tandiu repletur, quandiu mollis materia, paret extensioni. Habet enim ex naturæ ordine augmentum, nutritionem semper comitem, adeo vt dicta extensio, nunquam esset verum augmentum,

sine

sine coniuncta sibi nutritione, quanuis sine vberiori nutritione, quam pro ratione deperditi, consistere posse dixerimus: exemplo puerorum, qui diutinis morbis emaciati, augentur interim: in quibus, rugosæ, foraminulentæ, & semiplenæ, defectu alimenti, redduntur partes: & talem statum seruant, qualem vigentia corpora, quæ euidenter augeri desierunt, dum emaciantur consequuntur. Nam cum minora non reddantur, nec vbere nutriantur, graciliora & magis foraminulenta euadant, necessum est. Et sicut hi, in pristinũ reddire habitũ, nũquã possunt, nisi multo plus sit quod apponitur, quam quod vacuatur, autore Galeno lib. 2. de Naturalib. facultatib. ante medium: ita etiam pueri emaciati, habitum naturalem nunquam consequentur, nisi dicta foramina, pluri alimẽto postea repleuerint. Quo tempore, non dicetur augeri, sed nutriri, & refici, pro ratione auctionis, tum temporis factæ, cum solida membra extendebantur. Ob hanc autem nutritionem comitẽ, sine qua auctio consistere nequit, dixit Galenus, lib. 1. de Naturalib. facultatib. in principio, quod augmentatio, est motus compositus, ex latione & alteratione. Nam extensio motus localis est, nutritio vero alteratio, apud Galenum, vt diximus.

Tria autem secundum communem conceptum, necessario inesse ei quod augetur, voluit Aristoteles, libro .1. de Ortu & interitu: quamlibet scilicet partem, eius quod augetur, augeri: Et aliquo extra adueniente, intus suscepto, fieri augmentationẽ: Et manere, ac seruari, quod augetur, secundum priorem formam. Quod enim augetur, vndiq; extenditur, & fit maius: hæc autem extensio, augmentatio non esset, nisi comes ipsi inesset nutritio, quæ ab externo cibo intus attracto fit. Nisi enim quæ extenduntur corpora, id à nutritione nanciscantur (vtiq; ab alimento probe refecta) non augeri, sed extendi potius iure dicentur: tum enim, speciẽ quandam augmenti præbẽt, verum autem incrementum adepta minime sunt. Quinimmo, distendi in omnem partem, ea tantum possunt, quæ per naturam sunt adaucta: quæ enim à nobis distenduntur, sicut vna dimensione id patiuntur, ita reliquis minuũtur, vt experientia docet, & confirmat Galenus, lib. 1. de Naturalib. facult. cap. 7. Fit autem semper, hæc extensio, & crementum, pro ratione partis, aut corporis quod augetur. Si enim longiora sunt, quã latiora, & latiora, quam profundiora, magis augẽtur longitudine, minus latitudine, & minime profunditate: ita vt cuiusq; ratione, & proportione seruata, pristina semper seruetur forma, & figura, in parte aut corpore maiori, quæ erat prius in minori. O quot sophismata, quot deliria, quot dissidia expositorum Aristotelis, hac nostra expositione redduntur irrita: cum enim eius quod augetur, omnẽ partem augeri dixit, non aliud voluit, quam secundum omnem dimensionem augeri, id quod augetur. Quare non obstat, quasdam in corpore partes, interdum non augeri, interdum vero plus, quam pro ratione aliarum, vt de vtero & mammis voluit Galenus: quædam quoque, non modo non augentur, verum à natura exsiccantur, & tabida redduntur, vt vena vmbilicalis, & quædam cordis anastomoses. Vt autem id quod augetur, in omnem dimensionem diffunditur, nulla eius quod augetur parte, dilatationem

fugiente:

ita alimentum, in omnem partem transsumitur, & nulla nec minima, nec minor ipsa pars reperitur, quæ alimentio humore non alluatur: sicque natura, tam vacuum, quam corporum penetrationem, summa arte vitauit. Si enim natura dilatante partes corporis, neq; alimentum, neque quidpiam aliud succederet, vacuum daretur: si vero in omnem partem, traheretur alimentum, nulla dilatatione facta, corpora penetrarentur: quorum vtrumque ceu impossibile, natura vitauit, omnem partem extendens, & in omnem, alimentum ea ratione alliciens, vt omnem augeat dimensionem, priori proportione seruata. Vnde fit, vt omni parte crescente, consimilis semper seruetur figura, quam speciem, aut formam, appellauit loco citato Aristoteles: cum manere, & seruari, quod augetur, secundum priorem formam adstruxit. Et eam sententiam, ab Aristotele mutuatus est Galenus, primo libro de facultatibus naturalibus, in principio, vbi auctionem definiens, & diminutionem, dixit: quod
" *illa est, cum ex minore maius fit, hæc cum ex maiore minus, propria scilicet vtrobiq;*
" *seruata forma. Nā nō aliter quam si omnes partes, iuxta proportionem augeantur, forma eadem potest seruari. Vnde omnium expositorum Aristotelis error detegitur, interpretantur enim, formam substantialem eius quod augetur, seruari eandem, materiam non itidem. Quod tamen falsum esse constat, Primo, quoniam quod attinet, ad actiones naturales, nihil differt homo, aut aliud animal, à planta: dum autem planta augetur, forma plantæ, quæ antea erat in minori planta, non extenditur ad alimentum quo augetur (vt existimant) sed pars formæ, aggeneratur in materia præparata: vt cum ignis ex ligno producit ignem, non extenditur forma ignis generantis, ad ignem genitum, sed denuo producitur in ligno, & fit ignis: quoniam non minus diuisibilis est, forma vegetans, quam forma ignis. Secundo, nam non omnis materia fluit, pars enim terrea, prorsus digeri, & abire non potest (aliter facile esset, vnicuique reiuuenescere, & perenne fieri) quantum autem manet materiæ, tantum maneat formæ opus est: & quantum carnis & ossis difflatur, tantum de forma carnis & ossis adimatur par est. Tertio, nam vere & ad sensum, compositum est quod augetur, non forma, aut materia seorsum. Quod vero per formam, partes quasdam, quas appellant formales, alijs materialibus contradistinctas intelligant alij, delirium est: siue enim per partes formales, intelligant minima naturalia, quæ vim formæ habent, & per materiales, horum minimorum partes, quæ præ sui paruitate nequeunt agere: siue vt volunt alij, formales appellentur organicæ, materiales vero ipsæ similares: siue vt alijs placuit, per formales intelligant porosas, & per materiales solidas, quæ inter porum & porum interiacent: nunquam conficient, augmentum fieri, penes partes formales, & non penes materiales: nam omne quod augetur, secundum omnem sui partem augetur, naturali partiū proportione seruata, vt diximus. Secundo, nam organicæ partes, non aliter nutriuntur, quam similaribus ipsis probe nutritis. Tertio, nam quanuis, pars quæ minor minima est, seorsum sumpta, nec haberet formam, nec vim formæ: à corpore tamen indi-*

uisa, & cum alijs comparibus sumpta, formam habet, & vim eius, non minus quam aliæ. Quarto, nam si nutritio, fieret solum in poro, alimento ibi attracto & adglutinato, & pars quæ poros interiacet, non caperet alimentum, vt existimant: non omnis pars, eius quod augetur, augeretur, sed persimilis esset auctio, cremēto quadrati, ex additione gnomonis: quod summopere cauit Aristoteles. Tantum ergo pars omnis crescit, & in omnem tantum affluit alimenti, quantum ipsa actione caloris, vndiq; valet extendi. Quod tamen ante nos aliquem intellexisse non lego.

Facultates ministrantes, tractrix, continens, coquens, & expellens, quædam sunt priuatæ, in gratiam solius membri, cui insident tributæ: aliæ communes, in gratiam totius corporis, aut plurium partium eius. Ventriculus, iecur, & venæ, trahunt, continent, & coquunt alimentum, toti corpori: intestina vero, vterus, & vesica, totius corporis recrementa depellunt. Os autem, neruus, aut cartilago, sibi tantum trahunt, continent, coquunt alimentum, & nutritionis recrementū deponunt. Istis quoniam sibi tantum seruire erat opus, suffecit cōmodum temperamentū; illis vero præter tēperamentum, accesserunt corporea quædam instrumenta, quas fibras, aut villos appellamus: tractrix longis, expultrix transuersis, continens obliquis vtitur, sibi & coctrici opportunis, per eos enim cōtinet alimentū, donec coctrix suā obeat functionē. Vtitur quoq; continens facultas, ad contentionem, omnibus simul fibris, vt autor est Galenus, lib. 14. de Vsu partiū in fine. Vtræq; tamen facultates, tam quæ generales sunt, quā quæ vni membro destinantur, diuerso vtuntur tēperamēto. Tractrix pluri vtitur calore, nā calor ipse, etiam sine facultate, habet vim trahendi: eo ergo cōmode vtetur facultas, ad tractum familiariū. Eius tamē poscit certam mensurā, quam vbi excedit, magis obest tractioni, vim tractricem deyciens ob excessum, quam prosit, eo quòd calor sit vna ex causis trahentibus. Calor enim, sui ratione nō trahit familiare, sed quoduis obuium: à facultate vero gubernatū, tantum quod familiare est allicit. Si ergo calor præ nimietate, facultatem infirmam reddat, ad inutile diuertet, & loco alimenti, bilem & alia recrementa attrahet. Quo sane modo, erysipelata fiunt, in parte plurimū calfacta: & causus generatur, venis tēpore æstiuo, attrahentibus biliosam superfluitatē, lib. 4. Acutor. sententia. 1. Hippocrate autore. Siccitate præterea tractio iuuatur, tum quoniam calorem acuit, tum quoniam instrumentum firmat. Continens facultas, vtitur calore, pariter atq; siccitate: quæ enim alimentū ad partē alliciunt, ea ipsum ibi continere est credendum. Vt autem tractrix, pluri indiguit calore, ad tractum: ita continens, pluri siccitate opus habuit, ad contentionē attracti: semper enim siccitas, confert ad firmitatē, nisi reddat præ nimietate corpora rigida, lib. 3. de Causis sympthomatū, cap. 3. autore Galeno. Expultrix vero, licet maiori contractione obeatur, minus indiget siccitate, quam trahens, & cōtinens: quoniam nec opus habuit, simultanea partiū quiete, vt cōtinens: nec magna fixione alicuius partis, sicut tractrix. Pars enim prior, quæ alimentū quod trahitur appræhendit, fixione & quiete opus habet, donec pars altera attrahat ab ea: fixio autē & quies siccitatē poscunt.

ex

expultrix vero, solo motu, & cõpressione instrumenti opus habuit, quare quadantenus molle, & minime rigidũ sit oportet. Vnde Auic. 13. 3. tract. 2. cap. 4. expultricẽ humiditate iuuari dixit: Qua sentẽtia, noluit aduersari Gal. 2. Aphor. com. 20. vbi expulsiuam, fortiorẽ fieri propter siccitatẽ scripsit: nec sibi, cũ fen. 1. 1. dixit, expulsiuam iuuari pauca siccitate: vtraq; enim qualitas, expulsioni est necessaria, siccitas, vt firmitatẽ aliquã habeat, in expellẽdo necessariã, & humiditas, vt facile cõprimatur instrumentum, & facile labatur excrementũ per lubricũ. Accedit, quod per medicamenta humida, continens facultas redditur imbecillior: quare expultrix, opus suum promptius perficiet. Hinc detegitur error cardani, qui libro de malo medendi vsu, cap. 82. Olea, pinguedines, & humectantia, ac emollientia exterius apposita, dãnat in colica, quoniã vim (inquit) expultricem, imbecillã reddũt. Fallitur tamẽ: Primo, quoniam minori siccitate, opus habet expultrix, quam retentrix, quare tardius & minus imbecillitabitur, ex adhæssu emolliẽtium. Secundo, nam in omnibus ætatibus, facultas expultrix, est validior retentrice, autore Galeno, 3. libro de causis symptihomatum, cap. 10. ergo maius semper impendet periculum, contentrici, quam expultrici. Tertio, nam non solam siccitatem, sed humiditatẽ etiam poscit expultrix, tum in suo instrumento, tum etiam in excremento, vt diximus.

Alterãs, aut coquens facultas, in cuius gratiã, tractrix attraxit, & continens retinet, abundãtibus vtitur calore, & humore, ad coctionẽ peragendã. Est enim quæ in nostro corpore agitur coctio, elixationi similis, apud Galenũ. Minor tamen tũ calor, tum etiã humor, coctrici, quã auctrici sufficit: nã quoad viuimus nutrimur, augemur vero solũ ad certum tẽpus, donec scilicet calor, humorẽ ex quo cõstamus, extendere potest. Auctrix præterea calore vtitur, magis qua calor est, eius enim propriũ est fundere, & extẽdere, subiectã materiam: coctrix vero vtitur calore, magis vt naturalis est, & vt proprietatẽ quandã substantiæ habet, quã vt calor. Sic enim vniuscuiusq; mẽbri calor, in substãtiam ipsius mẽbri, vertit alimentũ. Sic strutionis calor, ferrum, & colũbæ lapillos exterit: quod tamẽ calor leonis, qui acrior est, & vehemẽtior non potest. Sic febricitans, deterius, & minus coquit, vt refert Gal. 9. lib. Meth. in historia iuuenis, febre cõtinente præhẽsi, qui tarde & ægre, ob febrẽ, solitos cibos cõcoxit, vnde sanguinis missio, ei fuit procrastinata. Nã quod Gal. scribit. 5. Aphor. com. 70. quod calor febrilis coquit, causam conuulsionis, aliter audire oportet, coctionis scilicet vocabulo sumpto, pro reductione humoris intẽperati, ad tẽperamentũ, vt docet Gal. 6. Epid. parte. 5. com. 6. qua etiã significatione, dixit ibi, ætatẽ senectæ, concoquere morbos calidos. Et Auic. 3. 4. de cura phlegmonis dixit, quod psiliũ maturat phlegmonẽ calidũ. Et Tralian. 7. lib. cap. 14. & actuarius. 5. Meth. cap. 2. potionibus refrigerãtibus, calidos succos coquũt, idest, contẽperãt. Ad eumq; vsum, nobis sunt frequẽtissimi atq; vtilissimi refrigerãtes syrupi, in febribus ante expurgationem: quantumuis reluctetur Manardus, libro 13. epistola prima: non quoniam aliud aliquid, ab innato calido, vim habeat coquendi; nomine coctionis

f dato

dato alterationi, quæ via est in nutritionem. Sed quoniam calor febrilis, crassos, viscidos, & frigidos humores, calfacit, fundit, extenuat, & dissipat: & frigidæ potiones, feruentissimos succos refrigerant, vt naturæ coquenti, sua immodica qualitate, minus reluctentur. Crassos præterea humores, salsos, & tophaceos, qui calore concreuerunt, bilem etiam vitelinam, & æruginosam, quæ adustione crassiores sunt redditæ, liquant atque dissoluunt: nam quæ calido concreuerunt & sicco, frigido atque humido liquari, autor est Aristoteles, quarto libro Metheororum. Ob idq; refrigerantes atque humectantes syrupos, frequenter præmittimus purgationibus: quoniam huiusmodi humores, nisi dissoluantur, nequeunt expurgari. Vera autem coctione, quæ via est in nutritionem, solus calor innatus, vim habet coquẽdi. Nam quod scribitur. 5. Aphor. com. 22. calorem externum concoquere, & primo Epidemiarum, parte. 2. com. 44. maturationes efficere, mediocriter calfaciẽtia, tũ « cibos, tum fomenta, & cathaplasmata, frictio modica, & balneum: intelligendum est « quatens fouent, augent, & conseruant, quantitatem calidi innati, non qualitatem, vt autor est Galenus. 5. libro simplicium, cap. 5. Et ob id suppurantia, ibi requirit Galenus prorsus similia, in temperato temperata, in calido calida, & in frigido frigida. Vnde nihil est, quod æque ventriculi coctionem promoueat, ac corpus humanum illi impositum, ob familiaritatem & similitudinem caloris: Coctioni enim debili, valde confert puellus accubans, addita Galeni limitatione, è libro. 7. Methodi post medium, ne scilicet puellus humecta sit cute, qui enim noctu sudore perfundũtur, refrigerant potius quam calefaciant. Ob eandem causam, prodest plumaceolus, nam in pluma, seruatur innatus calor auium, sicut & in lana pecorum: Tanto autem magis in pluma, quanto aues sunt calidiores pecoribus. Sic pueri, coctione præstant iuuenibus. 2. Prognost. com. 33. autore Gal. vbi aquosam vrinam, esse pueris omniũ deterrimam, vt nigrã iuuenibus adstruxit. Et. 1. lib. de Sanit. tuenda, cap. 5. naturales operationes, in pueris robustiores esse ait. Et libro sexto, capite secundo, actiones corporales, pueros præcipuas obtinere scribit. Vbi per σωματικὰς hoc est corporales, non alias, quã naturales intellexit, quæ quoniã corpori sunt insitæ, & nõ aliunde fluẽtes, merito nomẽ corporaliũ meruerũt. Primo præterea Aph. com. 14. pueri (inquit) qui calorem innatum plurimum habent, promptiores sunt ad cibos assumendos, & ipsos magis possunt coquere, & si non assumpserint plus offenduntur. Nam vt ex eodem Galeno cõstat, libro aduersus lycum; calidum innatum puerorum, vincit calidum innatum iuuenum, quantitate, & efficacia ad operationes. Quantitate quidem, quoniã in mistis, plus vel minus de vno simplicium, semper intelligitur, in comparatione ad alia simplicia, quæ mistum componunt. Pueri autem, plus habent calidi innati, quam iuuenes in comparatione ad ea, quæ nõ sunt calida innata, sed post genita. Nam caro puerorũ, recẽs cõcretus sãguis videtur, & ossa ipsorũ, colore & mollicie sanguinis vitũtur: ipsorũ quoq; mẽbra solida, tenera, & seminali materia, vix dũ cõcreta apparẽt. Plus ergo est in pueris de calido innato, sanguine scilicet & semine, in comparatione

ad

ad post genita quam in iuuenibus. Efficacia vero, ad eas operationes naturales, quæ motu corporeo, & instrumenti fixione, non indigent, vincit calidum innatum puerorum, qualia sunt coctio, appositio, agglutinatio & nutritio: de quibus loca Galeni nuper recensita, intelligere oportet: non autem de Practicis actionibus: quæ motu corporeo, & firmitate instrumenti obeuntur, Ad quas durum, & calidum instrumentū, magis idoneum est, vt 3. lib. de causis sympt. cap. 10. autor est Galenus. Sic tractio, retentio, & expulsio, melius fiunt iuuenibus, vt nutritio & coctio pueris. Sed cōtra est, quod in vētriculi concoctione, quæcunq; humida & mollia sunt, perinde ac ætate florētes, concoquunt pueri: quæ autē dura, deterius conficiunt, vt autor est Gal. 3. de causis sympt. cap. 10. absolute ergo melius concoquūt iuuenes. Dicendū, quod coctio iocinoris, & mēbrorū, atq; vniuersa nutricatio, melius perficitur in pueris: in vētriculo vero, alimēta dura, ac plurimum solida, deterius iuuenibus conficiūt pueri. Nā siccus calor, ob acutiem, alimēta dura liquare est potis: quod minime potest facere, calor puerorum, humidus ac vaporosus. Siccus præterea, ac solidus, iuuenum venter, ob similitudinē, auiditate magna apprehendit, & coquit, solida alimēta: quæ puerorū venter, laxus & mollis respuit, & reformidat. Vnde merito Azarabius, tract. 26. suæ practicæ, cap. 2. infantes etiā ablactatos, ab omni carne arcet, nō enim eas coquūt, od duritiem. Humida vero, & mollia alimēta (dixit Galenus) perinde coquūt pueri, ac ætate florētes. Nos vero, nō id modo, sed melius ea cōficere arbitramur: Calidus enim ac siccus venter (qualis iuuenū est) humida, mollia, & quæ facile alterantur, adurit atq; corrūpit, vt libro artis medicinalis, cap. 62. idem Gal. scriptum reliquit: Pueri vero, ea ipsa alimēta, prōpte conficient, tum propter similitudinē substantiæ, tū etiam propter temperati caloris abūdantiā: quo vt opportunissimo instrumēto, alteratrix nostri corporis facultas, semper ad suam functionē, prōpte obeundam vtitur. Nulla enim effectricium qualitatū, ita celeriter, quod apropinquat alterare videtur, atq; calor, vt scribit Gal. 3. de causis sympt. cap. 10. Si calidi ergo innati, substantia abundans, tantum valet coctioni obeundæ: ea quæ innatum calidum fouent, atque augent (cibi inquam fomenta, cathaplasmata, frictiones modicæ, & balneum, externaq; omnia mediocriter calfacientia) merito maturare dicentur, vt è 5. Aphor. & 1. Epidemiarum retulimus.

An sentiens facultas sit a meningibus, an *a cerebro.* *CAP. IX.*



VOD animalis facultas, cerebro, non autem cordi, sit tribuenda: quodque ab eo oriantur nerui: & diffundatur vis omnis sentiendi, & secundū arbitriū mouēdi, capite 3. huius tractationis demōstrauimus. An vero ab ipsius cerebri corpore, an à membranis ipsum obtegentibus, dicta viriū distributio fiat, dubiū facit, quod Fernelius, lib. 5. Physiologiæ, cap. 10. vim mouendi à cerebro

in neruos, & vim sentiēdi à meningibus, oriri tradit. Primo, quoniā cerebri corpus, motu agitatur aßiduo, nullo tangendi sensu præditum. Nam in sopore, & lethargo, & phrenitide, quæ cerebri inflāmatio est, caput non dolet: meninges vero, per se im mobiles cū sint, exactū sensum habent : quod ostendit, grauis dolor excitatus, vbi aut humor, aut acris vapor, ipsas meninges ferit: Ergo facultas motiua, in cerebro est, & ab eo deriuatur: sensiua vero, in meningibus. Secundo, nā nerui sensus, à meningibus plurimū suæ substantiæ receperūt, à cerebro minimū, adeo vt nonnulli, à solis meningibus prodijsse cēsuerint. Nerui autē motus contra, plurimū cerebri habent: ergo à cerebro motus, in nerui substantiam, & à meningibus sensus, in ipsius nerui tegumenta deriuatur. Addunt quidam, quod ex inflammatione meningum, fit delirium, & sensus aberratio, ergo in meningibus est vis sentiendi.

Contra vero est sentiendū, nam Gal. 7. lib. de Placitis, aperte vtramq; virtutem cerebro tribuit, nō meningibus: & ab eo in nerui substantiā, nō in integumenta deriuari tradit. Idq; non leui aliqua ratione, sed firma demōstratione suasus. Quod enim vtraq; vis cerebro, nō autem meningibus insideat, his verbis demōstrat. Si extracto " capitis osse, in viuēti adhuc animali, crassum inuolucrū denudaueris, idq; hinc inde, à " media illa recta cōpage, qua duplicatū in cerebrū penetrat, eiq; connectitur, hamato " ferramēto sustuleris, & vel solū secueris, vel totū etiam exēptum detraxeris, sen- " su & motu, orbari animal minime videbis. Idē contingit, si pars ea, qua totū cerebrū " posterius integitur, vel præcidatur sola, vel tota excidatur. Quin etiā, si cerebrū ip- " sum, quomodocunq; incidas, nō prius sensum & motū amittet animal, quam ad aliquē " ventriculorū, vulnus penetrauerit. Quod vero per nerui substantiā, & non per tegumenta, animalis vis feratur demonstrat huiusmodi verbis. Cū igitur nerui à cere- " bro, cerebrumq; operientibus mēbranis oriantur, per interiorē partem quæ à cerebro " exit, sensus & motus, omnibus animalis mēbris suppeditatur. Reliquæ duæ exterio " res à mēbranis progerminātes, idē officiū neruis exhibēt, quod ipse membranæ, cere " bro præstāt. Vnde quāuis vtrasq; neruo detraxeris, nullā noxā contrahet membrū, " in quod neruus pertingit. Idem etiā fiet cerebro, vtrisq; mēbranis denudato. Nullū " enim inde animal, quod quidē statim accidat, patietur nocumentū. Nam quod per cō " tagionem, tēporis processu, postea sequatur periculū, nihil ad rem. Sed iam hic hæsi- " tat Valesius, qui lib. 2. Controuers. cap. 13. ita scribit. Certe hæc Galeni ratio, monstratio erit, si semel quod in propositione accipitur, experimento exploratum sit. Est tamen quantū iudico, exploratu difficillimū, quis enim meningē tenuem, à neruo separet, fibris nihil læsis? Id itaq; ego, nondū exploraui, neq; an verum sit satis scio. Hæc Valesius, sed certe calligat in luce, Primo, quoniā non minus demōstrat; ratio prima Galeni, vbi meninges à cerebro eximit intacto cerebro, quam hæc altera, quæ neruū delibrare docet. Secūdo, nā in neruo, dextera dissectoris manus, cur votum, in vno aut altero, nō consequetur? Tertio, nā ex aliquali nerui læsione, nō adimitur sensus, & motus, sed ex præcisione: Neq; ex cerebri qualicunq; incisione, nisi ad aliquem

ventri-

ventriculorum cerebri, vulnus penetrauerit. Ego sane, quanuis neruorum fibræ, omni læsione non careant, dum modo à meningibus denudatus neruus, sensum & motũ habeat, non video minorem vim demõstrationis, in contextu Galeni: nã is sensus & motus, qui seruatur in neruo, quãtunuis læso, nõ potest esse, ex meningibus quæ perierunt, sed per ipsius nerui substantiam necessario deriuatur. Præter Galeni vero demõstrationes, quæ certißimæ sunt, licet nobis rationes alias addere, quæ vim sentiẽdi, cerebro insidere, & non membranis suadeant. Id enim vel ex ipso constat Fernelio, qui sensus internos, fingendi, cogitandi, & memorandi ponit in cerebro: in eo ergo vim sensiuam, vel inuitus agnoscit. Secundo, nam quanuis nerui motiui, plus habeant cerebri, non habent minus de membranis obtegentibus, quam nerui sensus: quare æque sentire deberent ac illi, si sensus pendet, ex maiori aut minori portione, è meningibus deriuata. Tertio, nam quanuis meninges, sensum tactus efficacem habeãt, vincuntur tamen acumine sentiẽdi, ab innumeris corporis partibus: quare ratio sumpta à sensu meningum, ineficax est, vt credat quispiam, ob id sensum à meningibus deriuari, quod doleant plus cerebro. Quarto, nam cerebrum esse sensus expers, male assumit Fernelius, quanuis hebetem sensum habeat: libro enim de Plenitudine, capite quinto Galenus, cerebrum (inquit) & spinalis medulla, inter ea censentur, quæ sensum obtinent. Et libro de instrumento odoratus, ventres cerebri anteriores, sentiunt odores. Quod autem sensum tactus hebetem, habeat cerebrum, ex pluri ipsius humiditate pendet: ex ea enim supra modum crescente, fieri solet paralysis. Nec tamen oportuit, commune sensorium, actione sensuum particurarium pollere: sed vim, organis proprijs, tantũ transmittere. Virtutes enim in organis proprijs, non alibi suas edunt functiones. Inepte enim, in cerebro visionem fieri requiras, sed in crystalloide, virtute à cerebro delata. Imaginatio vero, cogitatio, memoria, & intelligentia, in cerebro obeuntur, quòd opportunum ad ea obeũda organũ sit: & sentiens facultas, atque præter eam intelligens, in ipso habitet. Nec obstat similiter, quod nerui motus, plus cerebri acceperint, quam nerui sensus: id enim eo factum fuisse constat, quod pluri facultate, opus est ad motum, quam ad sensum. Vnde fit, vt nerui qui è secunda coniugatione feruntur ad oculos, quanuis molles admodum sint, ob cerebri abundantiam motum præstent oculis, nam & cerebrum ipsum mollius, motum habet respirationis, quo trahit aërem, & expellit fulligines: & intentiori quandoque motu, sternutamentum. Nerui vero tangentes, qui in crura, in cutem, & in corporis extrema, è sexta coniugatione protenduntur, duriores cum sint, motum præstare nequeunt, ob cerebri inopiam: sensui tamen sufficiunt, quoniam paßione fere sola perficitur. Nec tamen hic decipiatur quispiam, cum Fernelio credens: hos neruos qui è secunda coniugatione ducti, oculorum motui destinantur: molles admodum esse, quoniam à cerebro molli nascantur: duri enim sunt, & ex superficiarijs cerebri partibus, quæ profundioribus sunt duriores, oriuntur: vt autor est Galenus, octauo libro de Vsu partium, ante medium.

Tertium vero non obstat, nam ex meningum inflammatione, compatiente cerebro, delirium fit: nec enim aut Fernelius, aut vllus vspiam, internos sensus, à cerebri substantia exemit.

An virtus sentiens, & mouens, sint vires distinctæ: & quomodo concedatur motus, in membro quiescente: & an possit sensus amitti, motione superstite. CAP. X.



Cerebro vim tum sentiendi, tum mouendi, in neruos deriuari, ex dictis apertum euadit. Quod vero diuersæ sint, huiusmodi vires, sicut & earum actiones, & opera edita, secundo capite, huius tractationis, diximus. Neq; huic veritati obstat, quod primo de causis sympt. capt. 5. Gal. nonnunquã lædi motũ, illæso sensu, quòd minus virtutis influat, quam vt sufficiat admouẽdum, tantũ autem vt valeat ad sentiendum affirmauerit: quoniã duarũ virium diuersarum, facta exigua & æquali in neruos distributione, lædetur motus, illæso sensu, quoniam plus roboris, requiritur ad motum, quam ad sensum, vt ibi diximus. Nec sequitur, quod si omnis neruus motiuus, sit etiam sensiuus, vis mouendi & sentiendi sit vna. Primo, quoniam nerui motiui, parum sentiunt. Secundo, quoniam sufficit ad harum virium diuersitatem, quod nerui sensus non mouent. Nam id non pendere, ex sola mollitie instrumenti, est manifestum: quoniam cerebrum mollius, mouetur atque respirat, autore Galeno, libro de instrumento odoratus. Epiphysis præterea vermiformis, cerebri mollitie constans, motum habet, quo extenditur, vt totum meatum glutiorum obstruat: motum etiam habet, quo retro in orbes reflexa, eundem meatum aperiat, per quem transeant animales spiritus, ad cerebri ventriculum posteriorem, vt autor est Galenus, octauo libro de Vsu partium in fine. Molles ergo nerui, cerebro ipso, & epiphysi vermiformi duriores, si vim haberent motiuam, motum melius ipsis præstarent. Accedit quod in somno (vbi sentiens facultas, aut otiosa est, aut non nisi à magnis obiectis excitatur) facultas motoria, sua munera exercet: facit enim naturalem respirationem, sine vitio, aut intermissione vlla. Transferunt præterea dormientes membra, & varie se conuoluunt, loquuntur etiam, clamant, surgunt, & alios vigilantium motus excercent alij: qui omnes tonicam quandam actionem custodiunt: quam maxime ostendunt, qui manibus aliquid seruant, manent enim eorum digiti, exacte flexi, circa aurum, aut lapidem, aut numum. Non obscurum præterea tonum seruant, qui dormiunt sedentes, aut iter agentes, vt & Galenus de se retulit, secundo libro de motu musculorum, dum stadium fere integrum, dormiendo peregisse memorat: nec enim prius fuit excitatus, quam in lapidem impegerit. Ipsorum quoque discumbentium, pauci omnino, mediam figuram, quæ paucissimo labore

bore obitur, in vnaquaque particula habent. Quod præterea inferiori maxillæ accidit, nonne & id manifestum est? Non enim discedit à superiore, nisi si ebrius aliquis, aut valde ignauus, aut summe defessus dormiat. Ob idq; Hippocrates .1. lib. Prognosticorum, damnat supinum iacere, & hiare dormientem, tanquam signũ resolutionis facultatis animalis, quæ impotens est, tonum aliquem seruare. Musculi præterea, qui ne effluant recremẽta, præsunt podici atq; vesicæ, nonne in somno, orificia illa claudunt, donec ratio aperiri iubeat per vigiliã? Quomodo autẽ, motus sit cõcedendus, in corpore discũbente, & mẽbro quiescẽte, quod tonũ aliquẽ seruat, respondet Vgo .1.1. de mẽbris & alij, quod æquiuocatio est in nomine motus, qui frequentissime & apud Aristotelem, significat acquisitionẽ successiuã termini motus: sed alio modo, dicitur etiã moueri, quod limitatur passiue, ab aliquo mouẽte, ita quod secluso impedimẽto, ab illo moueretur. Quomodo dicitur moueri, qui pari impetu, cõtra graditur nauim, & qui cõtra natat vndæ, & formica, æqualiter descẽdẽs, per baculũ ascẽdentẽ. Auis etiã & manus in äere quiescẽs, dicitur moueri à musculis, quoniã ab ipsis limitatur passiue, ita vt, nisi mutuo se impedirent, à quolibet ipsorũ moueretur. Sed inepta est interpretatio, Primo, quoniã Galenus, tractaret quæstionẽ de nomine, lib. de rigore & tremore, & .1. lib. de motu musculorũ. Secũdo, nã male interpretãtur, fixionẽ mẽbri (apud Galenũ) esse motũ, idest passiuam quandã limitationẽ in mẽbro: quia aperte lib. de tremore & rigore, iacere actio est, in pedes vero decidere passio. Vnde Hippocrates, iacentẽ in pedes ruere, deterrimũ inditiũ esse censuit. Tertio, nam corpus discũbens, & manus verbi gratia extẽta, nõ mouentur vt putant: nã 2. lib. de causis symp. cap. 2. inter differẽtias mẽbri quiescẽtis, memorat tẽsionẽ Gal. & .1. lib. de motu musculorũ, aperte manũ extentã, dixit quiescere, musculũ vero moueri. Corpus ergo discũbens, cum tonũ aliquẽ seruat quiescit, musculi vero operantur, atq; mouẽtur, tonica quadã tũ actione, tũ motione, quã cognoscere oportet, ne otiosos esse musculos existimemus. Nã vt autor est Gal. 2. de causis sympt. cap. 2. re vera, ex genere tũ actionũ, tũ motionũ huiusmodi est vna. Quod si motũ cõcedere his nolis (inquit Gal. lib. de rigore & tremore, non lõge ab initio) actionẽ saltem vtiq; cõcedas, & simplicis actionis, duplicatũ esse robur. In simplici enim actione, vnum lacertorũ genus agit, flectentiũ scilicet mẽbrum, aut extendentiũ: cũ vero corpus cõtinetur tentũ, lacertorũ genera ambo pariter laborãt. Quare hic status, apud Gal. 2. de causis sympt. citato, alio modo motus (quoniã scilicet musculi mouẽtur & laborãt,) alio vero immobilitas (quoniã membrũ scilicet quiescit) dici potest. Si ergo facultas mouẽs, tot ac talia operatur per somnum, sensitiua virtute ligata, quis iam dixerit vires non esse diuersas? præsertim quod cũ minor virtus, requiratur ad sensum, quã ad motum: & dormientes, tot motibus mouentur, sentirent vtiq; multo melius, si vires non essent diuersæ. Sed dubiũ est, si dormiẽtibus saluatur motus, ligato sensu, cur nõ continget per morbos quosdã, sensum perdi motu manẽte? Dicendũ, quod cũ sensus sit de ratione animalis, natura de sẽsu, magis quã de motu solicita, dispositionẽ nerui necessariã

ad sensum, fecit amplam, ita vt omnis dispositio, quæ sufficit ad motum, sit in latitudine dispositionis, quam poscit sensus. Motus vero, angustiorem poposcit apparatū: Si namq́ siccitate, & firmitate non exigua, neruum priuaberis, motu quoque eum destitues, non sensu. Certa quoque laxitate, in neruo opus est, ad motum voluntarium, quam si neruum tendens ademeris, motum & non sensum sustuleris: Neruus enim conuulsus, motu voluntario moueri nequit, huius laxitatis defectu, dolet tamē atrocissime. Pluri præterea facultate motiua, opus est ad motum, quā sensiua ad sensum: quoniam sensus passione, & motus actione magis obitur. Vnde siue facultatem, siue nerui dispositionem spectes, nunquam per morbum potest amitti sensus, seruato motu in eodem neruo. Nam si dispositio qua sensus obitur, est amplior: & minori facultatis influxu sentimus, quam moueamur: impossibile est manente motu, sensum eiusdem nerui adimi. Eiusdem (inquam) nerui, nam quod de pausania, syro sophista, refert Galenus, primo libro de locis patientibus ante finem, & tertio eiusdem operis in fine, & 3. lib. de Anatomicis administrationibus in principio, triginta diebus, sensificam facultatem, trium digitorum manus amisisse, illæsa seruata motione: de diuersorum neruorum læsione, & integritate, audire oportet: nerui enim qui ab initio spinæ, in cutem veniunt pro sensu, ipsi fuerunt affecti: qui vero in musculos, mouentes digitos deriuantur, persiterunt incolumes: qui si vulnerarentur, proculdubio dolerent. Cur ergo per somnum ligatur sensus, seruato motu? Dic primo, quod in somno, magis ligatur cerebrū, à quo nerui sensus oriuntur, quā spina a qua nerui motus deriuantur. Habet enim spinæ medulla, vim motricē, aut sibi insitā, aut quæ exiguo influxu cerebri suscitatur, & præualet in ipsa. Quare ex neruorum sensus, & motus, differentia, huiusmodi effectum pendere, non est absonum. Dicendum secundo, quod vt fuit opus, maiori vi ad motum, quam ad sensum: ita natura machinata est, maiorē vim & conatum, ad influxum virtutis motiuæ, quam ad influxum sensitiuæ. Vnde vis motiua, ex vehemētiore influxu permeat ad neruos, per somnū, nō penetrāte sensitiua, ob remissionē conatus. Nec necessarium esse puto, idē per morbos neruorū cōtingere posse, ob nerui indispositionem, quæ deest in somno. Adde, quod in somno ligatur facultas, tā motiua, quam sensiua, ad exigua obiecta, quæ imbecilliter mouent, non ad fortia, & vehementia, quæ valide irritant. Vtque auditus dormientis, excitatur ex sonitu bombardæ, & tactus ex punctione, ita vis motrix ex phantasia, quæ licet torpida, validius mouetur per somnum, quam per vigiliam: tum quia somnus, caret alijs obiectis, diuertentibus phantasiam: tum etiam quia phantasia, per somnum, non habet rationem repugnantem sibi, quare potenter homines, agere potest, brutorum more. Hinc qui lumbricis infestatur, dentibus frendet per somnum, non per vigiliam. Hinc etiam fiunt terrores, & tremores infantium, in somno, ex lacte corrupto, aut stomachi repletione, aut vermibus: quoniam virtus sensiua, ventriculi & intestinorum, mouet phantasiam sensu tristi: ex quo somnia terrorē inferentia contingunt, & ex terrore tremor, vt autor est Auicenna, prima tertij, doct.

prima, capite tertio. Hinc venereæ pollutiones, per somnum frequentes, per vigiliã vero, etiam si intente venerea quis cogitet, non contingunt: quoniam validius, & nullo cohibita freno rationis, imaginatio nos turbat in somno. Sic plurimi dormiẽtes opera edunt vigilantiũ, si somnio, & intenta imaginatione ducantur. Et per somnũ omnes respiramus, & artus quoquo modo mouemus, vsu respirationis vrgẽte, mouẽte phantasiam, quæ iubet respirare & artus quomodolibet mouere. Hæc si cuipiam nõ placeant, meliora inueniat & tradat ipse, nobis enim etiã diligentißime quærẽtibus, non succurrunt probabiliora. Id vero vnum (vt cumque res habeat) nos probasse credimus, vim motiuam, atque sensitiuam, vires esse diuersas: Quod ex abundanti monstrat etiam altera ratio. Nã virtus sensiua, necessario operatur, & vt in omnium dialecticorum ore est, ex obiecto & potentia, necessaria paritur notitia: virtus vero motiua, subiacet arbitrio, ita vt nunquam operetur, nisi voluntas iubeat, & ea solũ parte operetur, qua volũtas præcipit, etiã in remotißimo pede, & nobis ignorãtibus quibus musculis ad singulas motiones sit opus. Sed si nos præterit, quomodo nostra volũtas id præcipit? Et si præcipit, eiusque præceptũ audimus, & seruamus, quomodo nos præterit præcepisse, ita vt neq́ iussisse sciamus? nec cui imperauerimus recordemur? Dicẽdũ quod celeritas interdũ, motionũ alias vero inaduertẽtia causa est, vt nec imperare nos dũ fiũt sentiamus, nec imperasse recordemur. Oculorũ enim subitus nictus, & non præmeditata respiratio, facillime ex ipsarum motionũ natura obeũtur, ob idq́ ne te imperasse dices. Citharœdus etiã, non aduertens, digitorũ internodia cõposite mouet, ob consuetudinẽ, quæ ne tũc mouere voluisse dicit. Homo præterea, qui locum quo tendebat prætergreditur, voluntarie mouetur, etiam si alijs rebus detentus, non percipiat se prætergredi. Ex quibus manifesto patet, quanto in errore versetur Auerrhous, secundo colliget, capite decimo octauo, & decimo nono, respirationem, & superciliorum subitam nictationem, & quosdam alios motus, qui per musculum obeuntur, non esse volutarios contendens. Non minus quoque errat (vt id obiter admoneamus) cum motus quosdam volũtarios, sine musculo fieri tradit, qualis motus linguæ est, cũ extra dẽtes & labia exeritur. Cum enim musculus, vnũ tantum habeat motum, contractionis ad suam originem: lingua contrahi, non autem extendi posse videtur, musculi ope. Penis quoque extenditur, & sine mulculis voluntarie mouetur. Sic præterea multa animalia, quæ nec sanguinea, nec musculosa sunt, voluntarie mouentur, citra musculorum opem, lumbrici nempe, atque vermes, quibus musculi non adsunt. Errat vero, nam in animantibus perfectis (quod & ipse attigisse est visus) non fit motus voluntarius sine musculo, ob maiorem arbitrarij motus perfectionem, & quoniam ita natura sanxit. Non sunt autem omnes motus manifesti & euidenter à musculis facti, sed quidam sunt obscuri, adeo vt libro de motibus obscuris, capite quinto, miratus fuerit Galenus, quomodo lingua, extra dẽtes & labia exeratur, cum nullum ad id musculum repererit. Duos tamẽ postea musculos, diligẽs dissectionum obseruatio reperit, à medio mento ortos, qui recta ad linguæ radicem

dicẽ proficiſcuntur, ipſique implantantur, & linguæ radicem ad mentum adducunt, cum linguã ipſam exerere eſt animus. Penis vero motus, non eſt prorſus voluntarius, citra voluntatem enim inflatur, & tenditur, ob multas arterias quas habet, libidini ſeruientes: Iuuatur tamen in ſuis motibus à muſculis quos habet. Duo enim muſculi a ſphinctere ortum ducunt, qui longiuſculi ſunt, & ſubtus incedunt, ac media ipſius parte, plus minus, in meatum vrinarium implantantur, vt meatum illum dilatent, cum lotium aut ſemen emittendum eſt. Duo alij muſculi à coxendicis oriuntur appendice, ſub ipſius penis exortu, qui ab inferiori parte oſsis pubis, initium ſummit. Sunt hi quidem breues, at prædictis craſsiores, in ipſumque penis corpus deſinunt, qui præterquam, quod mictum iuuant, maiorem in coëundo opem afferunt, nã penem eleuant cum volumus, ſuſtinẽt, erectum que detinent, donec opus abſoluatur. Sicque inuiolatum manet Galeni axioma, quod omnis motus, qui per muſculum obitur, eſt voluntarius. Et quod nunquam motus aliquis voluntarius, fit niſi per muſculum. Semperq́; ſeruatur, ordo poſitus à Galeno, primo libro de Vſupartium, capite tertio, quod ſcilicet, inter motu arbitrario mouentia, primum eſt cerebrum, inde neruus, quem muſculus ſequitur, & muſculum tendo. In quo ordine, nomine mouentium, comprehendit Galenus, omnes partes quæ arbitrarium motum conficiunt, ſiue ſint corpora mouentia, vt muſculus & tendo, ſiue facultatis origo vt cerebrum, ſiue delator vt neruus. Quare locum hic non habet, altera obiectio Auerrhoi, qua Galenum reprehendit, eo quod cerebrum & neruos corpus mouere ſtatuerit. Inſtat autem ſic. Omne quod mouet, neceſſe eſt vt moueatur: Cerebrum vero & nerui, non mouentur, non ergo mouebunt. Quæ quanuis ipſi concedantur, nunquam colliget, facultatis motoriæ originem, non eſſe cerebrum, neque ipſius delatorem neruum, quòd contendit. Hinc error veſalij explodendus eſt, qui quoſdam muſculos carere neruo adſtruxit, quod ipſe non repererit. Facile tamen reperit Realdus Columbus, libro quinto de re Anatomica, cap. primo. Si nanque ſine neruo daretur muſculus, quis ei perferret, vim animalem motiuam è cerebro, vt motu arbitrario moueret. Omnis enim muſculus, vim habet à cerebro volũtarie mouẽdi, & eſt primũ, & immediatum mouendi organum, vt libro primo de Vſupartium, capite decimo, autor eſt Galenus: Quando nimirum muſculus, in tendinem non deſinit, multi namque muſculi, tendine carent: in quibus primum & immediatum motus inſtrumentum, muſculus eſt nõ tendo. Quando vero tendinem habet muſculus, primum & immediatum motus organum, tendo eſt: muſculus vero tunc antecedit, & mouendi inſtrumentum eſt mediatum, vt autor eſt Galenus, libro duodecimo de partium vſu, capite tertio. Nec pluri ambage opus eſt, ad locos hos, de primo mouendi organo conciliandos, quanuis difficulter, inter ſe cohærere poſſe, videatur quibuſdam.

Quod nerui omnes ſint caui, & quod per eorundem cauitates, *ſpiritus animales ferantur: Et quod vis animalis per ſpiritus, & non ſolum per nerui ſubſtantiam tranſmittatur.* CAP. XI.



ATVRA quæ nostra corpora fabrefecit, in omnibus admiranda, mirabilior in spinalis medullæ, & neruorum omnium fabrica euasit. Habet enim dorsalis medulla, foramina duo, septo intermedio distincta, tam exigua, vt nullus dissectorum ea perceperit, nec de ipsis quidpiam scriptis mandauerit. Ratio tamen ita habere suadet. Primo, quoniam cerebrum, in dextrum & sinistrũ est diuisum: quare medulla, quæ ab ipso mutuauit, cerebri substantiam, & meninges, in dextrum & sinistrum propagandas, huiusmodi diuisione non carebit. Id quoque docet euentus morborum, multis enim resoluitur integrum latus, altero nihil perpesso. Contingit quoque, in vno latere amitti motum, in alio sensum; quod se vidisse testatur zerbus: ergo in vnoquoque spinæ latere suus est meatus, & propria dispensatio. Vnde fluxiones, quæ à capite, per spinam procedunt, & neruos: secundum rectitudinem, magna ex parte fiunt. Nerui quoque caui sunt omnes, indiguit enim natura, ad longinquam spiritus animalis delationem, huiusmodi cauitate, ceu vase, non secus quam vena, aut arteria, qua transmitteretur. Sunt tamen huiusmodi cauitates, tam exiguæ, vt sensu fere non iudicentur. Opticorum enim foramina, vidit Galenus, non vident vero nostri dissectores: quorum tamen integrum argumentum, dilatatio est vnius pupillæ, dum alter oculus clauditur. Falsum namq́ est, quod argenterius, capite nono artis medicinalis, docet ad oculi pupillam, ferri spiritum, ex oculo clauso, per arterias, & non per neruos. Exigua enim spiritus quantitas, quæ ab vno oculo in alterum transilit, in arteriarum magnis inanitatibus, insensiliter reciperetur. Angustior præterea, atque latior, semper redderetur vtraque pupilla, per singulas arteriarum distentiones, & contractiones: in quibus non seruatur, par spirituum quantitas: hoc vero non fit: ergo pupilla non redditur latior, aut angustior, ob spiritus per arterias accedentes, aut recedentes: sed ob eos, qui per neruos illabũtur. Duæ insuper arteriæ, quæ ad oculos veniunt, non coeunt, nec meatum aliquem habent communem (vt optici) per quem spiritus, ab vno oculo retrocedens, in alterum possit migrare. Arteriæ præterea quæ ad oculos veniunt, non ad eos solum, sed ad musculos etiam oculorum, & superioris maxillæ defferuntur: in quæ loca, facile ibit spiritus, dũ ab arteria quæ in oculum recipitur retrocedit: Opticorũ ergo cauitates, negari non possunt. In neruis etiam qui ad exortum spinalis medullæ sunt, patentes meatus aduertit Galenus, septimo libro de Placitis: Quod vero ad certam distãtiam, is meatus finiatur: & quod nerui qui deinceps sunt, meatibus careant, tum ne facile discerpantur, tum etiam ne singulis momentis obstruantur, displicet apud Galenum ibidem legisse: natura enim quæ mollissimi cerebri ventriculos custodit (etiam in casu, & lucta) ne discerpantur: & minutissimas venas iocinoris, arteriasque, atq́ meatus exiguos, ne obstruantur: cur nõ, neruorum etiã minutissimas fibras, eorundẽque cauitatem, seruabit? Ex hoc errore, in alterum incidit, existimans facultates animales, neruis impertiri, per solam illustrationis, aut alterationis traductionem, quæ per

ner-

neruorum substantiam fit. Si enim cauitate carent, qua ferantur spiritus, restat sola substantiæ neruorum, à prima origine alteratio, quæ vim sentiendi, atque mouendi, ad corporis membra possit traducere. Cui obstat, quod si datur, vt vnus omnino neruus, sine vllo foramine, facultates inferioribus membris ab origine traducat, dabitur etiam vt omnes: siquidem eiusdem rationis, & speciei, & ad eosdẽ vsus sunt omnes: Aut quid quæso magis facit, quo minus visiua facultas, feratur per opticorum substantiam, quam tactilis per substantiam tactilium? optici nanq; nerui, aptissimi sunt ob mollitiem, alterationi suscipiendæ: quam si non suscipiant, nec reliqui nerui corporis receperint. Quod vero visiua facultas, non feratur, nec recipiatur in optici nerui substantia, sed in spiritu per nerui cauitatem lato, monstrat cæcitas, ex sola optici nerui obstructione nata, nerui substantia illæsa manente. Sic obstructo dorsalis medullæ meatu, resoluuntur partes infra sitæ: Non fertur ergo, vis animalis, per substantiam medullæ, aut nerui, sed per cauitatem, in spiritu animali, qui est animæ primum instrumentum, vt eodem septimo libro de placitis, idem dixerat Galenus. Huic etiam attestatur, quod vbi cerebri ventriculi comprimuntur, aut vulnerantur, sensus adimitur, & motus voluntarius, quoniam spiritus transitus intercipitur: Ex ea enim compressione, alteratio intercipi non debuit, per neruorum substantiam suscipienda. Refrigeratio insuper nerui, aut ligatura, sensum & motum adimunt, eo solum, quod meatum claudunt, & animalis spiritus transitum impediũt: alterationem enim, aut illustrationem, per nerui substantiam transferendam, non possunt impedire: siquidem nerui substantia, eadem permanet, ante ligaturã & post: sola vero cauitas variatur. Quare similitudo aëris qui obscuratur (cum nube, aut solido aliquo corpore occupatur) qua vtitur Galenus, hic non quadrat: aër enim, ex corporis interpositione, mutat perspicuitatem, & continuitatem, per quam fit alterationis traductio, neruus vero refrigeratus, aut ligatus, aut cuius meatus obstruitur, nullam in substantia sua mutationem recipit. Multa etiam alia, arguũt spirituũ, per neruorum cauitates delationem. Nam in animi deliquio, recurrentibus spiritibus ad sua principia, multo magis possent irradiare, & vim motiuam artubus præbere, quod non fit: quoniam ex spirituum in artubus præsentia, non autem ex illustratione, tonus & vigor neruorum seruatur. Sic etiam vertiginosis, ac ijs qui diutius in gyrum aguntur, vires motiuæ deficiunt, quoniam spiritus in orbem cõuolutus, & vehementer actus, non potest, recta per neruorum cauitates deduci: posset autem nõ minus illuminare, quin immo magis quam quiescens. Sic crus, aut manus, plus iusto laborans lassatur, eius spiritibus per laborem resolutis: nam simplex irradiatio, ex cerebro, aut dorsali, nunquam deficeret, nisi deficientibus spiritibus in ipso principio. Nec tamen huic facultatis animalis, in spiritu delationi, obstat repentina artuum motio, quocunque voluntas iusserit: nam quanuis citius fieri posset illustratio, non fit tarda spirituũ, per cauitates illas transmissio. Quod monstrat, momẽtanea pupillæ dilatatio, vbi alter oculus clauditur, spiritu in alteram affatim commeante. Accedit

cedit, quod dum voluntas, artum aliquem mouere deſtinat, id facit per ſpiritus qui ad ipſum ſunt delati, ſine repentina aliorum ſpirituum delatione. Nec tamẽ vt ſpiritus hos, denuo natura trãſmittat, ante præexiſtentium reſolutionẽ, opus eſt conſilio, aut præſenſione aliqua, vt credit Valeſius, 2. lib. controuerſ. cap. 14. Sed ſola ſufficit, membris & facultatibus inſita natura, & inſtinctus, impulſus ve, cuius ratione fuit creata. Adde tertio, quod facultatis delationem, illuſtrationem, aut irradiationem, à cerebro in artus non tollimus, ſed eam per ſpiritus & neruorum cauitates fieri, non autem per ſolidam neruorum ſubſtantiam arbitramur. Non enim ſeruatur in ſpiritibus trãſmiſſis, vis animalis, niſi per cõtinuã illuſtrationẽ, quæ a cerebro fit, & in ipſis ſpiritibus recipitur, per totã neruorũ cauitatem, vſque ad cerebrũ, cõtinuitatem ſeruantibus. Quod monſtrat neruorum ſectio, qua motu & ſenſu ſtatim priuamur, quoniam artuum cum cerebro continuitas, ſectione dirimitur. Cuius ratione, vis quæ à cerebro, in ſpiritus ſibi continuos irradiat, ſtatim vltra ſectionem extinguitur, ita vt ſpiritus illi dirempti, motum voluntarium edere nequeant, ſed alium potius motum, ex natura leuis interclufi, in graui atque denſa ſubſtantia, facere poſſint: manus enim ſecta, per ſpiritus ibi relictos, viſa eſt ſæpe ſalire, & ſubſultare, citra voluntatis imperium.

An vna & eadem virtus, a cerebro profluat *in quinque ſenſoria, an multiplex: & ſi multiplex, an omnis, feratur in omnia, an ſingulæ, in ſingula ſenſoria.*

CAP. XII.



IS ſenſiua diuiditur, in internam & externam. Externa, in tactricem, guſtatilem, olfactiuam, auditoriam, & viſiuam. Quas omnes in radice, eſſe vim vnam puta ſenſum communem qui in quinque ſenſoria diſtributus, pluralitatẽ accipiat (in oculis percipiendi colores, in auribus ſonorum, in lingua ſaporum, & in reliquis ſimili modo) voluit Ariſtoteles. Ipſe namq; communis ſenſus, in cerebro vnus exiſtens, omnia quinque ſenſilia noſcit, & inter ſe comparat. Nam ſicut centrum circuli, vnum exiſtens, & indiuiſibile, initium dat diuerſis lineis: & lineæ etiam diuerſæ, in vnum centrum, à circulo venientes terminantur: ita à ſenſu communi, vno atque indiuiſibili, in cerebri ſubſtantia habitante, facultates in quinque ſenſuum organa, ceu à fonte riuuli ducuntur. In cerebro ergo vna facultas exiſtens, non aliunde quam ex differentia organorum, pluralitatem accipit: ob organorum enim diuerſitatem, ſe varie gerit, & diuerſimode ſe, ad ſenſilia accommodat: in oculo ſplendido, cernens: & in aure aërea, & anfractuoſa, audiens: In lingua ſpongioſa & humida, guſtans. Hæ rurſus facultates, per eaſdem

vias,

vias, renunciant communi sensui, spectra & notitias, quas ab externorum sensibilium pulsatione acceperunt. Communis vero ipse sensus, per hæc spectra, quæ sibi inuruntur, rerum externarum varietates, & conuenientias internoscit, & iudicat. Visus enim, inter album atq; nigrum, splendidum & tenebrosum, differentiam aduertit. Gustus inter dulce & amarum. Inter album vero & dulce, discrimē statuere, aut conuenientiam, neuter potest: nam discernenti, ambo nota esse oportet. Hic ergo est, sensus communis præcipuus visus, dulce enim, ab albo discernit, & ambo in lacte coire iudicat. Neq; est quod quispiā existimet, intellectus operationem, istiusmodi esse, nam bruta, horum differentiam aduertunt: Canis enim, carnem quam nō gustauit cernens, tanquam dulcem, & gustabilem prosequitur: & lapidem quem non gustauit, nouit non esse gustabilem. Sensibilium ergo diuersorum sensuum, nec iudex est intellectus, nec particularis aliquis sensus, sed sensus potius communis appellatus, à quo sensus particulares, eiusdem cum ipso substantiæ diximus diffundi.

Hanc tamē Aristotelis sententiā, non probamus, Primo, quoniam facultates omnes, ab anima emicant immediate, non vna ab altera: nō ergo à sensu communi (si est animæ potestas) quinq; sensuum virtutes ducentur: sed omnes ab anima immediate profluent. Secundo, quoniam nihil specie vnum, in diuersa potest multiplicari, virtus autem visiua, & auditoria, genere distant, sicut sonus & color: quomodo ergo ab vno, atque indiuisibili sensu prodibunt? Tertio, nam Galenus, octauo libro de Vsu partium, quinque sensus externos, dixit differre, non modo sensorijs, sed etiam facultatibus. Quarto, de modo sentiendi, quo communis sensus, sentit colores, & sapores, sunt interrogandi, sit ne visio, & gustatus, an alter alius? Sensum sane communem, cernere aut gustare non dicēt. Si alio vero genere sensionis, sentire statuāt, eiusdem substantiæ vires esse, non decet. Quinto, nam (vt sequenti capite, aduersus Aristotelem dicemus) sensus communis frustra statuitur. Quare satius dicendū, ab anima sensiua, quæ in cerebro residet, facultates sensiuas, immediate in organa externa, per neruos, & spiritus animales emicare. Non influit autem omnis vis, per omnem neruum (vt male censuit Valesius, lib. 2. Controuersiarum, capite vigesimo secundo) sed certa per certos: tactiua scilicet per omnes, visiua per opticos, & auditoria per auditorios. Primo, quoniam frustra dixeris, vim visiuam, diffundi per neruos auditus, aut auditoriam per opticos. Secundo, quoniā nulla alia ratione dicimus, vim animalē, transmitti per neruos, & pulsantē, per solas arterias: quā ob operationes animales, quæ fiunt in neruis: & ob pulsus, qui solis arterijs contingunt. Pariter ergo dicemus, vim visoriā, non esse in aure, quoniā nemo per aures cernit. Tertio, quoniam similiter dicere liceret, vim animalem, distribui à cerebro, per omnes partes, quas contingit: per venas scilicet, & arterias, & ossa, & per omnes etiam partes circumuicinas: non tamen ibi operari, ob indispositionem ipsarum. Quarto, nam si nerui cutis indispositio, causa est, quod auditoria facultas, recepta in ipso, non operetur: multo prius causa erit, vt non recipiatur.

De numero facultatum sentientium internarum.

CAP. XIII.



ENSVM communem excogitauit Aristoteles, tanquam fontem & originem sensuum externorum, vt eo ligato, à vapore alimenti, per somnum, non deriuetur virtus, in sensus externos: sed quiescat animal & reparetur. Vnde somnum definiuit, ligamentum primi sensitiui, libro de somno & vigilia. Præcipua autẽ functio huius facultatis, est discernere inter sensibilia diuersorum sensuum, vt scribit 3. lib. de Anima, cap. 2. nam cum obiecta diuersorum sensuum, sint sensibilia, quorum conuenientiam, aut differentiam nosse oportuit: manca foret natura, nisi animantibus facultatem inderet sensiuam, quæ inter obiecta dicta, arbitra esset & iudex. Hæc autem facultas, inter ipsa iudicare nequiret, nec differentiam aut conuenientiam ipsorum statuere, ni ea omnia, inter quæ iudicium esset ferendum cognosceret. Ob hanc ergo cognitionem, omnibus externis communem, nomen communis sensus, fuit huic facultati ab Aristotele impositum: Ipsamque ceu necessariã inuexit idem. Videtur quoq; Galenus, sensum communem agnouisse, libro de differ. sympt. cap. 3. vbi postquam externorum sensuum sympthomata percurrit, concludẽs ita scribit. Atq; talia quidem, & tot, sensificarum actionũ sunt sympthomata. Adhæc duo etiam insignia, nempe vigilia & coma, in primo sensitiuo, quod omnium sensuum commune est, consistunt. Septimo quoq; libro de Placitis, ita scribit Galenus. Alteratio vero ipsa, ab vna eademq; facultate, omnibus sensorijs communiter impartita, à principio emanante dignoscitur: quod quidẽ principium, siue sensum communem, siue primum sensorium appelles, nihil refert. Hoc autem esse cerebrum, primus liber demonstrauit, à quo omnibus partibus, sensus & motus suppeditatur. Ex quibus locis, externos sensus, ab vna eademq; facultate, puta à sensu communi diriuari, apud Galenum: atque eius facultatis sympthomata, vigilia & coma, præternaturam haberi, credere posset quispiam. Quod si somnus, & vigilia præternaturam, ei conueniunt: ei quoq; conueniaat, somnus, & vigilia naturales, par est. Alexander vero Aphrodisiensis, inter Aristotelis expositores primus, aliam reperit sensus communis functionem: nempe deprehendere actiones, ipsorum sensuum externorũ. Cõmuni enim sensu (apud ipsum) sentio me videre, & audire: quare nõ modo cognoscit is cõmunis sensus obiecta sensuũ externorũ, verũ & ipsorũ operationes. Ipsequoq; Alexander, sensum cõmunem dixit, sensibilia cõmunia dignoscere per se, reliquos sensus ex accidenti. Visus enim (inquit) qui colorum arbiter est, communia sensilia non iudicat: sed hæc ad communem sensum functio pertinet. Eius quoq; opinionis, Aristoteles fuisse videtur, Dum tertio libro traditionis de Anima, capite primo, ita scribit. At communium, habemus iam communem sensum, non per accidens sane.

Sed Galenus, non distinguit sensum communem, à primo sensorio puta cerebro, vt ex locis citatis septimi libri de Placitis, & libri de differentijs sympthomatum est manifestum. Quare apud ipsum, sensus communis non est facultas aliqua, sed organũ primum, & sedes animæ sensiuæ, à quo ceu à fonte, in organa sensuum, facultas animalis deriuatur per vigiliam: & obstructis cerebri vijs, à vapore alimenti, ab eiusmodi influxu quiescit, fitq́ somnus secundũ naturam: Sicut cum à causis præternaturam, spiritus animales, & virtus sensiua, non possunt cohiberi, quin in organa sensuum meent, aut adeo coërcentur in cerebro, vt vix influere queant in sensus externos, tunc somnus atq́ vigilia præternaturam fiunt, sine sensu aliquo communi, qui animæ sentientis sit facultas. Vnde Galenus, libro de differẽtijs sympthomatum, capite tertio, postquam actiones animales diuisit, in sensificas, motrices, & principes, ita scribit. Sensilis igitur animæ actio, quinq́ in vniuersum habet differẽtias, videndi, odorandi, gustandi, audiendi, & tangendi. Motrix autem actio, continens instrumentum vnum habet, modumq́ motionis eius vnum: ita enim in libris de motu musculorum demonstratum est: variatur autem in particularibus instrumentis adeo, vt multiformis esse videatur. Reliqua vero animæ actio, quæ à principe facultate procedit, in imaginationẽ, ratiocinationẽ, & memoriã diuiditur. Quibus verbis manifesto cõuincitur, neq́ inter sensiuas, neq́ inter principes functiones, sensus cõmunis meminisse. Et eodem cap. cũ omniũ functionũ animalium noxas persequitur, nullas ponit, quæ sensus communis cognitioni, aut sensationi labefactatæ, conuenire possent: Si autem aliquid cognosceret, aut sentiret: diminutam, ablatam, aut corruptam interdum, eiusmodi cognitionem haberet. Ex delirij præterea speciebus, facultatum internarum diuersitatem, & numerum, venatur Galenus, in quibus, sensus cõmunis nullum habet locum. Sunt enim quidam, quibus visa apparent quæ non sunt, de cætero autem recte ratiocinantur, alij memoriam penitus amiserunt, cognitione & iudicio superstitibus, quorũ exempla refert Galenus. Nam Theophylus Medicus, cũ alioqui prudẽter se gereret, ac ad interrogata responderet, præsentes quoque exacte nosceret, tibicines tamen quosdam, angulum cubiculi, in quo decumbebat occupasse, & aßidue tibia canere, atq́ pulsare putabat: & se illos videre arbitrabatur. Alios autem illic stantes, alios autem sedentes, ita continenter tibia canentes, vt neque nocturna quidquam intermitterent, neq́ interdiu ne minimo quidem tempore quiescerent. Exclamabat vero aßidue è cubiculo, vt ipsi eijcerentur iubens. Atque vbi morbus abijt, & recte conualuit, meminit visi de tibicinibus, & singula quæ coram ipso, dicta atque acta fuerunt narrabat. Ex quo conuincitur, imaginandi potestatem, hic solum errasse, dum tibicines audire, & videre, alios stantes, & alios discumbentes putaret: Iudicium autem erat saluum, tum quoniam prudenter interrogabat, & respondebat: tum quoniam tibicines eijcere iubebat, qui si adessent, sibi fuissent molesti & damnosi: Memoria quoq́ constitit, siquidem omnium recordabatur postea. Huc etiã pertinet, quod Galenus quarto libro de locis, de se retulit, ita scribens. Cum per æstatem

" tem ardente febre laborarē, & festucas attro colore ex cubili è minere, & floccos si-
" militer in vestibus esse putabam, quos auferre tētans, nihilque sub digitis eductum
" inueniens, accuratius vehementiusq; id efficere conatus sum. Audiens itaq; duos ex
" amicis, qui tum aderant, dicentes: vides ne hunc iam & floccos euellere, & festucas
" colligere? statim intellexi, id ipsum quod dicebant me fecisse. Cum vero sic animo
" constarem, vt rationalis in me facultas non vacillaret: recte inquam dicitis, proinde
" ne phrenitis me arripiat, auxilio stote. Illi autem cum idoneis rigationibus, caput fo
" uerent, tota die sequenteq; nocte, grauibus insomnijs turbatus sum, vt interim & cla
" mare & exilire viderer. Verum postero die mitigata sunt omnia accidentia. At con trariam affectionem alij patiuntur, in qua ratio, aut cogitatio, siue mauis iudicium errat, cum tamen nulla appareant visa, vt constat ex historia narrata à Galeno. 4.
" libro de locis patientibus citato, vbi ita scribit. Cum Romæ quidā domi cum lanifici
" puero contineretur, surgens à cubili venit ad fenestram, per quā ipse videri, & præ-
" tereuntes videre potuit. Itaq; ex vitreis vasis singula ostendēs interrogauit, impera
" rent ne vt ea proijceret: illi vero ridentes, plaudentesq; vt ea proijceret rogabāt, tum
" ipse deinceps, omnia arripiens eiecit: at illi magnis acclamationibus riserunt. Postea
" iuberent ne, puerū quoq; proijci, cū eos interrogasset, atq; id illi iussissent illico ipsum
" deiecit. Quem ab alto cadentem videntes, suppresso statim risu accurrerunt, & con
" fractū iam puerū sustulerunt. Ex qua sane historia cōuincitur, iudiciū lædi quādoq; phātasia superstite: Nam puerū, & vasa nouit hic æger, & proprijs nominibus appellauit: iudicium tamē proijciendi, ea quæ custodiri deberent, prauū habuit. Quibusdā vero alijs, memoria fuit oblæsa, imaginatione, & iudicio superstitibus. Quod thucididis testimonio, confirmat Gal. 1. lib. de differ. sympt. citato, & 2. lib. de causis sympt. cap. vltimo, vbi retulit quosdam qui postquā euaserunt ex pestilentia, neq; seipsos, neq; suos agnouerūt: atq; visos esse quosdam refert Galenus, qui propter extremam senectutē, similibus correpti sunt sympthomatis: quosdā etiā se vidisse perhibet, & literarū & artium omnino oblitos, qui neq; suorū nominū meminissent. Tres ergo facultates internas, in cerebro statuere oportet diuersas, inter quas sensus communis non habet locum: Ipsi enim erranti, atq; à sua actione deficienti, aliquod delirium responderet, quod superstitibus reliquis, in conspectum veniret. Neq; obstat, quod aliam delirij speciem, memoret Galenus quarto libro de locis citato, in qua iudicium errat, & ficta quædam visa apparent: nam compositum est delirium hoc, ex primis duobus, erratq; in ipso, tam phantasia, quam ratio, & nō sensus communis. Hinc merito Galenus lib. de diff. sympt. internas animæ sentientis functiones, diuidit in imaginationem, ratiocinationem, & memoriam. Et. 8. lib. de Vsu partium dixit, quod etiam si instrumentum visus alteretur, nō fieret sensus, nisi alterationem cognoscat phantasia, ratiocinatio, & memoria, quæ sunt princeps animæ facultas. Quāuis autē principes sint huiusmodi tres facultates, nō pari dignitate tenētur: Nā imaginatio, sensibus est maxime vicina, ea enim est quæ cognoscit sensationes sensuū externorū,

ad quas si non aduertat, quãuis externus sensus alteretur, nihil ex ipsius alteratio ne assequeremur, vt octauo lib. de placitis, Galenus est autor. Seruit autem cogitationi & memoriæ aprime ipsa imaginatio, ipsis cognitiones exhibens, & spectra sensuum externorum. Vnde Galenus 2. libro Prognost. com. 6, non memorat eam inter principes facultates, sed sensibus potius subseruientibus annumerat, in hæc verba. Præcipua vero cerebri ministeria sunt, meminisse ac cogitare: subseruiẽtia vero, sentire, & moueri secundum desiderium. Et libro primo de ijs quæ fiunt in medicatrina, cõment. 4; ita scripsit. Sed à me in libris de communi ratione demonstratum est, tres esse omnes in nobis facultates, quibus ad constitutiones & artium & librorum vtimur, sensum vtique, mentem, & memoriam: Et libro. 4. de locis citato, delirium phantasiæ, in sensibus contingere dixit. Difficile tamẽ est, quod primo libro de motu musculorum, memoriam non distinxerit à phantasia: Pars enim animæ (inquit) imaginatiua, quæcunq; ea sit, eadem & recordari videtur. Nam si insignes impreßiones rerum, in imaginationibus acceperit, conseruat perpetuo: atq; id quidem est memoria tenere: sin vero obscuras, & penitus superficiarias, non conseruat, & hoc est obliuisci. Et ob hanc causam, in ira, curis, ebrietatibus, timoribus, phrenitidibus, & omnino in vehemẽtibus animi affectibus, nullius eorũ quæ egerint, in posterũ amplius meminerunt. Sic quãuis per somnum volentes respiremus, & membra cõuoluamus, & loquamur, nõ recordamur postea, ob imaginationis exiguitatem. Ex qua Galeni sententia multi credunt, memorandi, & imaginãdi facultatẽ, nõ esse vires discretas, sed vnã & eandẽ apud Galenũ: Quod tamen esse per quã falsum, ostendunt plurima Galeni loca adducta: & demõstratio eorũ qui amiserunt memoriam, salua manente imaginatione: & aliorum qui imaginatione errante, sanam memoriã habuerũt, lib. de differ. sympth. citato. Accedit quod memoria solum est reseruatiua, non cognitiua, aut iudicatiua, vt autor est Gal. 1. lib. de ijs quæ fiunt in medicatrina com. 4: imaginatio vero cognitiua facultas est. In quo sane à Galeni sententia, deerrat Valesius lib. 2. controu. cap. 20. vbi memoriã nõ modo ponit cognitiuã, sed quod cognitione, in seipsam reflectitur, & reminiscitur. Hæc tamẽ functio, rationis est nõ memoriæ: argumẽto quod solus homo reminiscitur. Adde quod vbi quispiã eius quod intellexerat recordatur, intellectu rursus intelligit, id ipsum quod antea intellexerat, nõ memoria, siquidẽ ea non est intellectus: nã profecto si memoria, vim haberet intelligẽdi, posset ipsa ab initio intellexisse, & frustra esset alter intellectus ab ipsa. Accedit quod si memoria, esset virtus cognitiua, ex eius offensa, fieret deliriũ aliquod, quod non fit. Nã. 4. de locis citato, tres tatũ memorat delirij species, duas simplices, & tertiam ex simplicibus ortã, vbi memoria nullũ locum habet. Sunt qui dicãt, Galenum non sensisse, eandem animæ partem, imaginari, & recordari, sed quod videtur eadẽ quoniã pro ratione imaginationis quæ præceßit, subsequitur firma aut debilis recordatio: & quod hoc Galeni verba (recordari videtur) personant. Sed contra est, quod ex idẽtitate partis animæ quæ imaginatur, & recordatur, tradit causam huius euẽ-

tus,

tus, quod cũ fortis imaginatio ſit recordamur, & cum debilis non recordamur: ex apparentia autem idẽtitatis, eum effectũ nunquam induces. Codex etiam Græcus, hãc tollit ambiguitatem, non enim habet δοκεῖ id eſt videtur ſed ἔοικεν id eſt cõſentaneũ eſt. Chriſtophorus vero à Vega (honoris gratia nomino) reſpõdet, quod tã memoratiua, quã imaginatiua, ſeruant imagines: memoratiua quidẽ cum ſenſu temporis præteriti, phantaſia vero ſine ſenſu temporis: quod apparet per inſomnia, in quibus imagines ſeruatæ, mouẽt phãtaſiã tanquã præſentes. Ex quo infert, quod ſi vtraq; ſeruat imagines, vtraq; etiam recordatur, & vere dictũ eſt à Gal., quod parte imaginatiua recordamur. Contra vero eſt, quod mouere phantaſiam, ſine ſenſu tẽporis præteriti, non eſt recordari: Galenus vero de vera recordatione loquitur, cauſam enim tradit, quare poſt ſomnum, non recordamur reſpirationis voluntariæ in ſomno factæ. Quare nos credimus, quod per partem animæ Galenus, non intellexit facultatem, ſed animam cerebri, ſenſiuam: vnam videlicet ex tribus partibus animæ, è quibus reliquæ duæ, cordi inſident & iecori. Harum autem partium quælibet, diuerſas habet facultates: & ſic pars quæ imaginatur in cerebro reſidens, eadem recordatur, diſcretis tamen facultatibus vſa. In ſumma ergo, facultates internæ ſentiendi (apud Galenum) tres ſunt, phantaſia, cogitatrix, & memoria. Inter quas cogitatrix, & memoria, principatum tenent, ſecundo libro Prognoſticorum, commentario ſexto, autore Galeno. Imaginatio vero, ad ſenſus externos comparata, vna eſt ex tribus principibus facultatibus, vt ſcribit Gal. lib. de differ. ſympt. cap. 3. ſi tamen ad rationẽ, & memoriam cõparetur, inter principes non numeratur, ſed loco ſenſuum habetur vt diximus. Quo fit, vt nec ſenſum communem, nec potentiam alteram exiſtimatiuam appellatam, ſtatuere ſit neceſſarium: Nã animãtia, per facultatẽ aliquã, elicere intẽtiones nõ ſenſatas, amicitiæ aut inimicitiæ, fugæ aut proſequutionis, ex ſpeciebus ſenſibiliũ verum eſt: Ouis enim ſimilitudine lupi in phãtaſia accepta, inimicum eſſe, & quod fugere expediat, cogitatione iudicat, nullius alterius facultatis interuentu: Lupi autẽ ſimilitudinẽ, accipit phantaſia à ſenſibus externis, viſu ſcilicet, auditu, & odoratu, ſine ſenſu aliquo cõmuni intercedẽte: nã functiones omnes, quas ſenſui cõmuni adſcribũt, ſine eo recte obeũtur: Sẽſationes enim externas, accipit phãtaſia, & inter obiecta ſenſuũ externorũ, diſcrimẽ cognoſcit. Nã eũ delirantẽ, qui ſingula vaſa, & puerũ lanifici, per feneſtrã eiecit, ob id imaginatione cõſtitiſſe voluit Gal. quòd ſingula cognouit, & proprijs nominibus nũcupauit: Ad imaginationẽ ergo pertinet, ſingula obiecta dignoſcere, & ab alijs diſtinguere. Fallitur ergo Alexand. cũ ſenſum cõmunẽ neceſſariũ ponit, vt apprehẽdat ſenſationes ſenſuũ externorũ: Tũ quoniã hoc munus particularibus ſenſibus tribuit Ariſt. 3. de anima, vbi dixit, quod viſu video colores, & ſẽtio me videre: auditu, audio ſonitus, & cognoſco me audire: Tũ quoniã tã Alexand. quã Ariſt. in eo errant: nã ſenſus ſiue particularis, ſiue cõmunis, nihil apprehẽdit niſi ſenſile: quidquid autẽ eſt ſenſile, eſt in corpore: operatio autẽ non eſt in corpore: nõ eſt ergo ſenſilis. Nec valet quod dicit Ariſt. quod viſus

sentit suam operationẽ, vt alia quæ nõ sunt color, puta lucẽ & tenebras. Nõ valet (inquã) nã colorem & lucẽ videt per se: tenebras vero noscit secundũ negationem, vnde neq; ab ipsis patitur: Nemo autẽ dicet, propriã operationẽ dignosci, vt ea quæ sunt secundũ negationẽ. Nec valet similiter, quod idem dicit Aristoteles, operationẽ quodãmodo coloratã esse, ipsa enim est incorporea, incorporeũ autẽ coloratũ esse non potest. Adhæc quid aliud erit, visum propriã operationẽ apprehendere, & ad se conuerti, quã sentientẽ animã, separabilẽ à corpore & perennem statuere? ratio ergo & mens est, qua cognosco me videre, ac audire: non sensus aliquis, aut cõmunis, aut particularis. Fallitur quoq; nõ minus idẽ Alexander, cũ sensilia cõmunia, à particularibus sensibus nõ sentiri, sed à cõmuni tantum asseuerat. Nam Aristoteli aduersatur, 2. de Anima, qui ob id eße cõmunia asserit, quod quædã ipsorũ sentiantur omnibus, & alia pluribus sensibus: Ob id autẽ per se, quoniã omnibus aut pluribus sensibus, paßionẽ inferant. Falso ergo, & præter Aristotelis mentẽ, dixit Alex. à sensu tantũ cõmuni, & non à particularibus sensibus, communia sensibilia dignosci. Neq; obstat, quod. 3. de Anima, ita scripserit Aristoteles. Cõmuniũ habemus iã sensum cõmunẽ, non per accidens sane. Nam vt Phyloponus in eius loci interpretatione scribit, per sensum cõmunem, omnes quinq; sensus ibi intellexit. Neq; obstat, quod cõmunia sensilia, à proprijs separata, in sensus nihil penitus agunt, neq; sunt apprehẽsibilia: Figurã enim visus nõ apprehẽderit, si quod figuratũ est, coloris expers fuerit: neq; tactus, si nullã ex tãgibilibus qualitatibus habeat: & in reliquis similiter: quare videri possent & ipsa, ex ijs quæ sunt per accidens sensibilibus, per alia enim sui apprehensionem præbent. Verum non sic res habet, nam sicut visus, sine lumine & perspicuo, non sentit colores: ita sine coloribus, nõ sentit figuram, magnitudinem, & reliqua communia sensilia. & sicut posito lumine, & perspicuo, colores fiunt actu visibiles, ita posito colore, tam figura, quã magnitudo, per se visibilia reddũtur: quoniam illa posito lumine, & hæc posito colore sensus nostros alterant, & afficiunt.

De numero sensibilium communium: & quomodo *sensus afficiant.* *CAP. XIIII.*



Ensibilia communia, quinq; numerat Arist. 2. de Anima, motũ, quietẽ, numerũ, figurã, magnitudinẽ. Ad magnitudinẽ vero, reducitur distãtia, quod nihil aliud ipsa sit, quã magnitudo interualli. Christophorus vero à Vega (honoris semper gratia nomino, noster enim olim fuit præceptor non pœnitendus) lib. primo de Arte medendi, capite quinto, situm addit sensibilibus communibus, & subrogandum esse censet, loco motus & quietis, quæ vere sensibilia apud ipsum non sunt: quoniam ea tantum ratione cognoscuntur, qua res cognita, locum aut mutat, aut seruat: situs vero (inquit) est, qui deprehenditur à sensibus externis. Numerum præterea, sensile cõmune non esse existimat, aut enim nihil aliud est quã

res

res ipsa numerata, aut quãta aut qualis, quæ ob quãtitatẽ, aut qualitatẽ sentitur, aut si quid aliud est, id intermedijs externis sensibus, ab internis sentitur, nõ ab externis. Sed cõtra est primo, quod locus est sensibile per accidens, non per se, quoniã à loco nihil patiuntur sensus. Secũdo, quoniã sensus non apprehẽdit, formam loci, sed locati. Tertio, quoniã locũ mutare, aut seruare, est de essentia motus, & quietis secundũ locũ. Si ergo sensus, ea ratione dignoscit motũ, & quietẽ, qua res cognita, seruat, aut mutat locũ vt dicit: sequens est, vt in sua essentia, & quatenus talia, motũ atq; quietem sensus percipiat. Quarto, nã sitũ seruare, aut mutare, solius motus, & quietis localis est, nõ alterationis: sensus autẽ, non modo deprehendit motũ, & quietem in loco, sed etiam eã quæ in qualitate reperitur: sentit enim tactus calfactionẽ, & cessationẽ à calfaciẽdo. Quinto, nã motus & quies, omnes sensus externos alterãt, & ab omnibus dignoscũtur, vt Ioan. Alex. 2. de Anima docte edisserit: si enim ex eodẽ loco sonus ad nos peruenerit, sentit auditus id cõstitisse quod sonat: si autẽ nõ ex eodem, sed & alius ex alio, sentit moueri. Tactus quoq; manifeste sẽtit, id quod mouetur, & quod stat, sentit nãq; corpus quod est in aqua, eã vel consistentẽ, vel diffluentem. Si quis quoq; virgã melle vnxerit, deinde eã per os circunferat, apprehẽdet succũ non stantẽ, siue gustus, siue tactus, huius effectus sit causa: Cui enim tribui debeat, nõ magnopere contendo: Nã nobis nũc sat est, si motũ pluribus sensibus deprehẽdi monstrauerimus: siquidẽ de visu nemo id dubitauerit. Neq; obstat, quod motus successionẽ includat: hæc autẽ prius habet & posterius, sensus autẽ circa præsens versatur obiectũ, non circa præterita, aut futura: Vnde Gal. 3. de dignoscẽdis puls. cap. 1. omnem motũ ratione, nõ sensu dignosci adstruxit, quia vero sensui ratio cõiuncta est, & mẽtis est transcursus velocissimus, sæpenumero nõ ratione, sed deprehẽdi sensu videtur, vt ibi scribit. Sed aliter res habet, nã motũ percipit sensus, toto tẽpore quo à motu alteratur, ob nouitatẽ alterationis, quæ sibi à motu inducitur, quãuis nõ cognoscat essẽtiã motus esse successionẽ, id enim solius rationis est. Numerũ quoq; noscit sensus materialiter, idest quod vnũ, aut plura vno, sint sensibilia, formã vero, aut essentiã numeri, nõ cognoscit sensus: tres enim voces sonoras, percipit auditus, & duas, & vnã: numerare vero nescit, nisi sola mens, quæ numeri, formã tenet, & binarij, ternarij, atq; vnitatis naturã calet. Visus quoq; inter albũ & nigrum, & inter magis ac minus albũ, differentiã statuit: Olfactus, inter bene ac male olẽs. Et gustus similiter, absynthiũ cũ melle, vtrumq; simul sentit: quod sine vnius, & pluriũ notitia, non fit. Est ergo mẽtis trãscursus velocissimus (vt dixit Galenus) quoniã à materia aut motus, aut numeri, quã sensu cõsequimur: ad formã, & essentiã, transcurrit mẽs, quam sensus nequaquã cognoscere posset. Sic & in figura res habet, materiã enim figuræ, noscit sensus, quod nimirũ sensibile, certis terminis sit circũscriptũ, aut in acutũ, aut planũ, aut quadratũ, aut orbiculare (circũscribi enim quidpiã, sine figura nõ potest) rationẽ autẽ, & essẽtiã horũ, nõ nouit sensus, sed mẽs: quæ quid sit circulus, quid triãgulus, & quid quadrãgulus nouit. Irrationalia sane, quæ mẽte carẽt, eas vias fugiũt

quæ in acutam, vel concauum sunt figuratæ: & cum in valde altum, & arduum, & præcipitem locum casu venerint, ne transire quidem tentant: eligũt autem planam, & quæ facile transigi potest viam. Magnitudinem ergo sentiunt, & figuram, quanuis ipsorum rationes non teneant. Aquas præterea prætercurrẽtes, & lignum motum ad percutiendum, timent irrationalia: quod fieri nequiret, nisi sensus sine ratione, apprehenderet motum. Canis præterea familiarem noscit, & extraneum: numerum ergo, & reliqua sensibilia communia, cognoscit sensus, quanuis ipsorum rationẽ, & essentiã, sola mẽs teneat: In quã tamẽ, à sensu, citissimus fit trãscursus: ita vt quibusdam imponat, tam materiam quam formam, horum sensibilium, à sensu dignosci: quod tamen falsum esse, demonstrauit Galenus, 5. lib de demõstratione: vt idem Gal. refert, 7. lib. de Placitis, in hæc verba. Primus sane occursus, per acutũ & obtusum, " secundus per calidũ & frigidum efficitur, reliqui omnes per accidens constant, mag- " nitudine vtiq; figura, motu, numero, quos cum ratiocinatione, & memoria, non sensu " tantum, tum in visu, tum in tactu existere, ostendimus in lib de demonstratione. Qui " bus verbis patet, cõmunia sensibilia, nõ sensu tantũ, sed ratiocinatione etiam cognosci: sensu nimirum apprehendente materiam, & ratione tenẽte formam. Male enim per hæc Galeni verba, quidam intelligunt, sensibilia communia, non cognosci ab externis sensibus: nam sensu dignosci tradidit, & non eo solum, sed etiam ratione. Et eodem libro tradiderat ante, visum per se deprehendere magnitudinem, & figuram, in hæc verba. Quo fit, vt solus, vna cum colore rei visæ, & magnitudinem, & for- " mam etiam percipiat: quod nullus alius sensus, nisi quandoq; tactus, atq; id per acci " dens potest. sed hoc, in. 5. de demonst. satis pertractatum. Soli item visui, præter alia " concessum est, corporis colorati, & situm, & distantiam insuper discernere, nullo alio " sensu id valente. Hæc Galenus. Neq; vero quispiam miretur, isthæc per accidens sensibilia Galenũ vocasse, cum ex Aristotele dixerimus, ea esse per se: nam quod immediate non attingit effectum, Galeno dicitur per accidens: Aristoteli vero, causa per se appellatur ea, a qua pendet effectus, licet multa intercedant, inter ipsam & effectum, vt cap. 8. huius tractationis diximus. Quoniam ergo sensibilia communia, intercedentibus proprijs, sentiri est arbitratus, ideo per accidens ea sentiri dixit. Magnitudinem quoq; & figuram, per se à visu sentiri tradidit, & per accidens, à tactu, quoniam tactus ea deprehendit, intercedentibus calido, frigido, aspero & leni: visus vero quoniam ad obiectum tendit, & ipsam magnitudinem, atq; figuram, immediate contingit, per se ea sentire docuit.

LIBRI DE ANIMÆ FACULTATIBUS, FINIS.

INCLYTO

INCLYTO, AC MAGNANIMO PRINCIPI, DOMINO Illefonſo Perez de Guzman el bueno, Duci de Medina Sydinia, Comiti de Niebla, Marchioni de Caçaça, digniſſimoque Almadrauarum domino: Petrus de Peramato Medicus, de Semine librum nuncupat.

(❦)



NNVVM (vt omnes tui, ita & ego) cenſum, pro agnitione dominij, tibi reddere opto. Omnia quæ externa poßideo, à te accepi, & indies accipio. Hæc honeſte ad te, cum nequeant recurrere, de meo perſoluere ſemper cogito. Cœpit iam hæc tibi mea moneta placere: Maximumque mihi erit nunc, tibi huius libri nuncupatione placuiſſe. Quæ tibi vel eo gratior eſt futura (prætereo eius vtilitatem, ac difficultatem, & ingentem lucubrationem qua editur) quod tua eſt, de tuo ſolo ac de tuo ſeruo nata. Holera namque, fructus, poma, vel paulo etiam deteriora, magis nos conſuerunt delectare, ex proprio horto, quam alieno decerpta. Præcor ergo te, vt hoc qualecumque munuſculum, de me qui tuus ſum, læta fronte accipias, & tui Peramati fructum, inter amatos tuos libros reponas. Vale Hyſpaniarum decus digniſſimum.

LIBER

LIBER DE SEMINE, QVI CEV *præambulus est, ad librum de hominis procreatione.*



POST naturalium facultatum tractationem, de hominis procreatione, in qua omnes maxime vigẽt, præsertim formatrix, quæ ad miranda officia præstat, agere decreuimus: interim ac tractatum de animæ functionibus, quem in manu habemus absoluimus. Tũ quoniam multa quæ hic dicuntur, illic erant repetẽda, tum etiam quoniam si quid aliud in arte medica, & naturali Pphylosophia, difficile simul erat, ac scitu dignũ, in morali, atque Theologia vtile, & ad propriam cognitionem, Dei obedientiam, & gratiam comparandam opportunum, hoc de quo agimus, comprehenditur argumento. Phylosophus enim in hoc minori mundo, maioris illius, & totius naturæ, causas comprehensas cõtemplatur. Medicus subiecti circa quod versatur (cuius naturam, dum optime valet, seruat, reducit dum labitur, & pristinam sanitatem dum ægrotat, resarcit) exactam originem, fabricam, compositionem, & naturam comparat. Iam vero qui mores hominum componere studet, fragilem ex hac doctrina, & caducam nostram originem, & progreßionem prædicat, & Dei voluntati nos parere docet. In eam quæ contẽplationem, raptus aliquando Iob, Deum sic alloquitur, Manus tuæ domine fecerunt me, & plasmauerunt me totum, nonne sicut lac fudisti me, & tanquam caseum me coagulasti? &c. Vbi vt ad rem properare videar, sanctus vir, à semine, procreationis nostræ causas orditur. Quod etiam Aristoteles, Galenus, & alij naturæ sapientißimi, hunc lapidem voluẽtes fecerunt. A quo, & nos, huic tractationi initium damus, à seminis longiuscula quadã definitione, quæ eius naturam, & præcipua de eo dubia declaret ordientes. Nam cum singulas definitionis partes excuserimus, omnis quæ de semine habetur doctrina, ordine tradita erit definitiuo. Quo peracto, ordinem quem natura seruat, in suis motibus, ac progreßionibus, donec fœtum absoluat, & excludat sequemur. Hic autem Catones, & pudicos lectores, & opto & postulo, ne in opere, in quo Deus optimus maximus, maxime se exhibet, tum admirãdus, tum venerandus, sensuum illecebris, & blandimentis, inuerecunde rapiamur, & peccatis, aut verbis obscenis, polluamur. Nisi enim honeste hæc, & reuerenter legamus: Deum in his obscenis admirãtes, & venerãtes, merito erit nostra improbãda obloquutio. Ijsque similes reddemur ipsi, qui cũ Deũ per admirãda opera noßent, nõ sicut Deum ipsum glorificauerunt.

SEMEN est principium, & elementum, tam actiuum, quam paßiuum, corporis humani: ex parte sanguinis aërea, oleosa, & pingui: vi testiũ, in se, & seminarijs vasis elaboratum: & tanquam excrementũ, quantitate, & non qualitate degrauãs, expulsum: & intercedente concubitu, in vterum à mare, & fœmina, eiaculatum, & sibi inuicem permistum: vim habens tale quidpiam generare, quale est id à quo deciditur, ad speciei conseruationem.

Prin-

Principium quidem in animalibus, semen statuendum esse, perinde ac in plantis, scripsit Galenus, primo libro de Semine, cap. 5. & 1. de sanitate tuenda, cap. 1. & 1. Aphorismorum, com. 14. nihil enim ipso semine prius, in animantium generatione reperies. Nam quanuis, prior sit seminis, ex elementis constitutio, in generatione tamen animantis, quæ nobilior est, simplici constitutione mistorum, primum quod occurrit est semen.

Elementum quoque recte ipsum appellaueris, nã si quatuor humores, qui in sanguinea massa continentur, secunda elementa appellantur, cur non & semen, eandẽ appellationem subibit? ex eo enim & sanguine, prima constitutio est, apud Gal. 2. libro de Tẽperamentis, cap. 2. & actu semper in nostro corpore reperitur, ad testium & seminalium mẽbrorum nutritionem, autore Gal. 2. lib. de semine. Erit ergo elementum secundum, siquidem ex eo constamus, & nobis inexistit.

Principium actiuum esse, nemo it inficias, hæc est enim apud omnes, seminis natura, siue animalia, siue plantas spectes: vt tale quid, actu efficere posit, quale est, id à quo excretum est. Habet ergo vim gignentem, & procreantem: & ex consequenti animam vegetatiuam, cuius hæc est facultas. Semina item plantarum, cum styrpium partes sunt, animam habent plantalẽ, qua vt aliæ partes plantæ nutriuntur: & cũ denuo terræ mandantur, rursus aluntur, & augẽtur: quæ sine anima exequi nequeunt. Ergo intermedio tempore, animam non amiserunt, nam & plantarum partes decisæ viuunt: & semina si vetustate, aut elixatione, animam perdunt, terræ mandata, non germinant. Oua etiam quãdiu in corpore volucrũ sunt, nutriuntur, & proportionabiliter iuxta omnem dimensionem augentur: postea vero gallinæ supposita, procreant persimilia volucria, ijs à quibus fuere decisa: ergo vires habẽt altricem, auctricem, & procreatricem, animæ vegetãtis facultates, quæ sine ipsa anima consistere nequeunt. Vnde etiam fit, vt animantium perfectiorum seminibus, huiusmodi animam, atq́ vires, non adimamus. Nam si non fit ex sanguine caro, nisi caro ipsa animata, sanguinem cõmutet: multo minus fiet ex sanguine animal, si semẽ quod est principium actiuum, anima careat. Vnde Galenus libro de Marasmo, capite
« *primo, viuorum (inquit) tria sunt genera, animalia, plantæ, semina. Et Aristoteles*
« *secũdo libro de generatione animalium, cap. 3. ita scribit. Nihil minus semina, & cõ-*
« *ceptus animalium viuunt, quam styrpes, & aliquandiu prolifica sunt, ergo animam*
« *in ijs haberi vegetalem, palam est. Et eodem libro, cap. 1. ita scripserat. Omnia quæ-*
« *cunq́ aut natura, aut arte efficiuntur, ab eo, quod actu est fiunt, ex eo quod potentia*
« *tale est. Semen igitur tale est, motumq́ habet, & principium tale, vt motu peracto,*
« *pars existat quæq́, eademq́ sit animata. Et rursus sub capitis finem. Sed habeat*
« *ne semen animam, nec ne, ratio eadem, atq́ de partibus reddenda est. Neq́ enim ani-*
« *ma vlla esse potest in alio, nisi in eo cuius est, neque pars vlla esse potest, quod parti-*
« *ceps anima non est, nisi æquiuoce vt mortui oculus. Semen igitur, & habere animã,*
« *& esse potentia palam est. Quibus Aristotelis verbis, apparens se exhibet, contradi-*

ctionis phantasia. Cum enim semen, & conceptus, animatos esse, anima vegetali in actu, quoniam aluntur, & augentur tradiderit, postea animatos potentia esse statuit. Cuius tamen duplex solutio habetur, prima, quod semen est actu animatum, actu primo, qui est vt scientia: & est potentia ad actum secundum, nutricationem nempe, formationem, & augmentum. Reducetur autem ad actum hæc potentia, cum materiam idoneam inuenerit, circa quam operetur. Quod voluit Galenus, secundo libro de naturalibus facultatibus, in Hæc verba. Omnis facultas, si competens desit materia, otiosa est: & maris semen, facultates in se ipso possedit, actionem vero non, nisi circa materiam, fœmineum scilicet semen, & menstruũ sanguinem obit. At cũ non modo de Semine, verũ etiam de cõceptibus, qui nõ sunt separati, sed vtero gestantur, nutriuntur, & actum etiam habent secundũ, loquutus fuerit Aristoteles, ideo secunda solutio, nobis magis arridet: quod scilicet semina, atque conceptus, potentia animatos statuerit, quia licet viuant, non habent, viuendi modum perfectum, quenadmodum qui sunt separati: non enim attrahunt cibum per os, sed, vt pars animata ex matre nutrimẽtum summunt. Quod voluit per verba citata, cum dixit, Sed habeat ne semen animam, nec ne, ratio eadem, atque de partibus, reddenda est. Et apertius libro secundo de generatione animalium, cap. 3. vbi postquam semina, & conceptus, animam habere vegetalem, actu operantem scripsit, paucis interpositis hæc subdit. Animam igitur naturalem, in seminibus atque conceptibus non separatis, haberi potestate statuendum est, non actu & re ipsa, priusquam eo modo, quo conceptus qui iam separantur, cibum trahant, & officio eius animæ fungantur. Quæ sane Aristotelis verba, nihil aliud, quam nostram interpretationem, personare videntur. Sed quomodo semen, similare corpus existens, animatum statuitur, si anima est actus primus, corporis naturalis organici? Dicendum primo, quod semen vt est potentia animatum, ita & organicum: cum primum autem incipit exercere animæ opera, iam est præditum vasis ex vtero trahentibus. Dicendum secundo, ex simplicio. 2. libro de Anima, com. 6. quod anima est actus corporis organici, duplici ratione, vna secundũ quam organum effingitur, formaturq́, vt inde sit animæ organum, altera vero, secũdum quam vtitur iam organo formato: illa quidem est in seminibus, & conceptibus, hæc vero, in editis iam animantibus. Dicendum tertio, quod semen non prorsus est similare, partem enim æthereram habet, & spirituosam: quæ diuersæ rationis est, à craßiori, & magis corpulenta substantia. Quin in parte illa æthereа, verius residet anima, est enim apud Galenum, primo libro de Semine, cap. 10. Spiritus is, per se mobile principium: quare & animatum, siquidem anima, motionis fons atque origo est. Aristoteles insuper, 2. de generatione animalium citato, seminum fœcunditatem, in huiusmodi spiritum retulit: cuius natura, cum cælitus inseratur, diuinitatem præ se fert: & quoniam varia producit organa, videtur habere, quandam cum elemento stellarum similitudinem. Quenadmodum enim à cælo cuncta proficiscuntur in mũdo inferiori, varia quidem illa multiformiaq́, sic similitudine quadam, respondere

videtur

videtur virtus illa seminis cælo, quod varia difformiaq; organa in animali, vi sua producit. Vnde hũc spiritum seminis, appellat semẽ principij animalis, idest animæ, quoniam per ipsum, anima in totum animans propagatur. Ita enim scribit. CORPVS AVTEM GENITVRAE, idest, semẽ quod à patre decidit, IN QVO SEMEN ANIMALIS PRINCIPII, idest, spiritus qui est propagator animæ, quæ principium animalis existit CONTENTVM VNA PROVENIT, ita enim spiritus, parti seminis crassiori permiscetur, vt spumæ, multas bullas, præ paruitate inuisibiles habenti, ipsum semen recte assimilauerit. Rursus hoc principium animalis, idest animã in duas partes distribuit. Et opportet addere relatiuum quod (vt notat ex Michaeële Ephesio Simon Portius, libro de mente humana, cap. 17.) ad hunc modum. QVOD scilicet principium in semine contentũ: idest, quæ anima in semine contenta PARTIM SEPARABILE A CORPORE EST. Scilicet in ijs IN QVIBVS DIVINA PARS COMPREHENDITVR, idest in ipsis hominibus, in quibus comprehenditur per ipsum intelligere, facultas animæ, que mens dicitur PARTIM, scilicet hoc principium EST INSEPARABILE anima scilicet sensiua & vegetalis. HOC AVTEM GENITVRAE SEMEN idest corpus autem seminis, in quo diximus contineri spiritum, cum sit aqueæ & aëreæ naturæ, ipso spiritu in quo erat vis vegetalis dissoluto DISSOLVITVR idest diminuitur, & redditur aquosum VERSVMQVE IN SPIRITVM EVANESCIT idest difflatur, atq; resoluitur. PROPTEREA NON EST QVAERENDVM AN FORAS EXEAT id est egrediatur, vel remaneat, vt pars corporis generandi QVENADMODVM NEC DE COAGVLO, IN CVIVS VIRTVTE, ET SPIRITV, EST VNIRE LAC, quoniam corpus coaguli dissoluitur, & non fit pars casei & lactis. Huius Aristotelis sententiæ, longiusculam interpretationem, hic annectere voluimus, quoniã perdifficilis est, & in ea multi allucinantur: non exiguamq; lucem, in posterum dicendis est allatura. Nunc vero semen principium esse actiuum, ob idq; animatum intellexisse sit satis.

Quod vero, non modo actiuum principium sit semen, sed etiam passiuum & materiale, multis persuadere nititur Galenus, primo libro de Semine, aduersus Aristotelem, atq; Athæneum. Primo, quoniam semen (experimento fœminarum) vbi conceptio fit non exit, sed ab vtero trahitur auidissime, in eoq; manet & continetur: oportet ergo, vt aut in fœtum, coctione quadam permutetur, aut putrescat, aut in flatum vertatur. Non putrescere, constat ex defectu sympthomatum, quæ dum corrumpitur, aut putrescit, solet inferre: non verti autem in flatum, constat, quoniam vterus in conceptione contrahitur, cum tamen ex flatu deberet intumescere, atq; dolere non leuiter. Si enim ex aqua, decuplus aër gignitur, ex semine duplo crassiori quã aqua

vigecuplus flatus prodiret. Nec flatum per mulieris pudendum exire, dicere poßis, quoniam vteri osculum, tunc adeo conniuet, monstrantibus id dissectionibus, vt nec acus cuspidem admittat. Si vero raseraretur, vt transitus locum det flatui erumpenti, sonitum ederet in exitu, aliter enim copiam flatus, per angustum osculum exire, vix ratio capit, argumento ructus & crepitus: Quod si sine sonitu prodiret, iam non sine sensu: nam nec minimus flatus podicem exiens, sensum latet. Nec hic nos remoretur argēterij scrupulus, quo pacto scilicet in fœmina mortua, & dissecta, in qua retētrix vis, sicut & omnis animæ facultas, iā est extincta, potest vterus tanto pere constringi, & circa fœtum contrahi? si enim ad ea quæ contingunt respexisset, parum sibi foret hæsitandum: quam enim figuram, hominis partes habuerunt, in in corpore viuo, ante animæ exitum, eandem post exitum seruant in cadauere, nisi aliter nobis componantur: sic oculos, atque os, defunctis claudere assueuimus, ante quam frigeant & rigidi reddātur: nec enim defuncto homine, facultas in ipso est, quæ apertos oculos claudat, nec quæ contractum vterum reseret. Nec nos etiam perturbet, quod Auicenna nono libro de Animalibus, Aristotelem saluare studens, masculeum semen, non in flatum, sed in spiritum complātatum mutari tradit, qui membra format, & in membris formatis manet, ipsorum naturam seruans. Nam præterquā quod Aristoteli repugnat, nolenti semen in membris magis manere, quam fabrum in lectica: spiritus naturæ (qui flatu adhuc tenuior existit) repugnat tantam copiam, quanta ex vniuerso semine debuit creari, in exiguo genituræ corpore coërceri. Nec admittendus est Aristoteles, qui has latebras effugiens dixit, loco nuper citato, non esse quærendum, an semen foras exeat, vel remaneat, quoniam difflatur atq; resoluitur, quenadmodum nec de coagulo, in cuius virtute est vnire lac, nemo id interrogat, quoniam corpus coaguli dissoluitur, & non fit pars casei & lactis. Sed si semen resoluitur, prius tenuaretur, & vterum tumefaceret, quod non fit. Coagulū præterea, in caseo manere, quis dubitare potest, densum enim ac terreum corpus est, inidoneum vt resolutionē admittat: hoc casearij aqua dissoluunt, & calenti lacti permiscent, cuius vi lac concrescit statim, in ipsoq; manet caseo, & sero excuso. Ob id cū sero æger quispiā est refrigerandus, aut minimo coagulo, aut nō eo, sed aqua frigida, aceto, aut gnico, extrahēdū esse præcipimus. Quin si linguæ iudicio, penitus nō careamus, coagulum non nos latebit in caseo, ex maiori enim, aut minori morsu, plus aut minus coaguli, caseo inditum esse, solemus dicere. Sed iam semen, materiam fœtus esse, alijs rationibus comprobemus. Fœtus in vteri cauitate cōcipitur, in qua sanguinem corrumpi, & in grumum abire est necessum: vbi enim venas egreditur, tale quid pati semper assolet: Nec vis quæ à semine sibi impartitur, eam sanguinis concretionem, & corruptionem impedire potest: si enim cum semen ad vterum venit, sanguis is, iam cauitati inerat, prius cœpit corrumpi, quam à semine perfici: si vero erat in vteri vasis, quomodo à semine potuit alterari? & quo agente in vterum trahitur, in vnum fœtum accerruatur, & secundis vestitur? Tertio, non ob aliud, semen

esse

esse fœtus materiam negant, nisi quoniam semen se ipsum formare, student vitare: quod tamen nec sic euitant, nam postquam semen, in flatum dissolutũ est, & euanuit, sanguini vim impertiuit, qua se ipsum formet: Multo igitur fuit satius, quod in sanguine dicere coguntur post multas ambages, in semine ab initio statuisse. Venæ insuper, arteriæ, nerui, ossa, cerebrum, & aliæ partes radicales, albæ cum sint, & exangues, ex alba materia gigni debuerunt: & cum sint concauæ, & in longitudinem protensæ, lentam materiam, quæ distendi, & perforari posset, postularunt: Ex semine ergo constãt, albo pariter atq; lento, nõ autem ex sanguine rubro, atq; fluido: nisi sanguis prius, in illum colorem & lentorem commutetur. Temere autem ageret natura, si materiam albam, lentam & crassam, quam habet, eijciat: vt sanguinem postea mutet, in talem substantiam qualem eiecerat: siquidem eam non eiecisse præstiterat. Quinto, plantæ aperte vel ex ipso Aristotele, non solam vim, sed etiam materiam exhibent, in generatione ipsarum: animalia vero quantum attinet ad generationem, nutritionem, & augmentum, non secus ac plantæ proueniunt: Neq; enim quod triplicem speciem in animaliũ generatione vides, aliud quid esse quam plãtam: quæ modo est semini formis, deinceps sanguinea, aut carnea, & postremo è loco in locum trãsitura, debes existimare: cum vtraq; eundem opificem, eandemq; vegetabilem animã habeat. Illud enim considerandum est, plantam non hac amissa, quam habebat prius facultate, sed alia insuper acquisita, in animal esse euasuram, & vbi perfecta absolutaq; à vulua fuerit, è loco in locum transituram. Quocirca Aristotelem merito accusat Galenus, non modo quod neglexerit ea quæ non debuit, verum etiam quod suorum decretorum oblitus, naturæ opera, diuerso modo in plantis, atque in animalibus exponit: cum videret enim semen, in omnibus plãtis, materiale non minus, quam fabricatorium principium in se continere, aufert horum alterũ in animalibus. Atqui viro naturæ perito, id solum satis fuerat, vt vsum ostenderet genituræ: nam si seminis natura, non alijs facultatibus plantam, alijs animal creat, quæ in alijs contemplaris, ea ad animalia transfer: vtraq; enim in vtrisq; proportionem seruant. Plantæ semen, terra indiget, vt ex ea alatur, & augeatur: & radicibus, vt è terra hauriat alimentum: sicque nutritum, è se ipso emittit truncum, atq; è trunco ramos, eosq; in surculos diffindit, mox in virgas, easque rursus in alias, atque id tantisper quoad in summa flagella, ac cacumina deuenerit: Nostrum pari modo semen, vulua opus habet, quæ terræ respondet: & chorij vasis, quæ sunt radices fœtuum, per quas è vulua alimentum allicit, truncosq; tres, è tribus principijs, ab vnoquoque principio vnum producit: è iecore cauam venam, è corde aortam, è cerebro vero spinalem medullã: hi ex se propagines multas quasi ramos emittunt, qui rursus in alios minores scinduntur, ac rursus in minores, nec rursus desinit hoc fieri, quam in vltimis pullulationibus, opus absumatur: persimilia igitur naturæ opera, in animalibus ac plantis percensuisse debuit Aristoteles. Sexto, nam si iam genitorum animantiũ, nutritionem spectemus, non aliter quam ex semine & alba substantia, radicalia membra

bra constitisse credemus: tale enim quid per nutritionem sufficitur, quale fuerat absumptū: fuit autem absumptum seminale & album, tale ergo reponi debet, non sanguineum atq; rubrum. Quamuis enim ex sanguine ducat ortum, sanguinis qualitates prius amittat, & seminis candorem, atque crassitiem, induat oportet: vt verum semper sit, ex eisdem nos generationem & alitionem subire. Idem etiam docet, deficientium membrorum regeneratio, os enim & reliqua seminaria membra rescissa, non renascuntur: quoniam deest ipsis seminis abundantia, quibus vt carnosa regignantur: si autem ex sanguine prouenirent, non minus quam caro regigni possent. Ob idque, non infirmius huiusce rei argumentum, summitur ex regeneratione, item & ex nutritione, quam ex creatione prima. Quibus adde quod natura, tot semper vnicuique rei vsus, quot potest accommodat: magis ergo prouida erit, si ex semine, vim & materiam summat, quam si solam vim. Nec obstat, quod pisces fœminæ prius oua pariunt, & post à mare fœcundantur, ad oua ipsa accedente, & ea extrinsecus irrorãte: quo actu seminis materia nō manet in ouo, sed sola vis: nam præter quā, quod ouū iā est cōpletū, torrētes aquarū semē lauāt, & non permittunt oua albærere. In insectis etiā inquiūt, fœminæ nō admittūt genitale maris, sed potius immittūt maribus genitale, vt vi citra materiā, in fœminæ genitali recepta concipiāt. Perdices etiā, & gallinæ, oua subuētanea gerētes, si sui generis masculis coēāt, quamuis oua, præ corticis densitate, semen maris intus meare, non admitant: fœcundantur tamen, quoniam vim citra materiam recipiunt. Quin sæpe visum esse (inquiunt) oua ab vnius galli semine inspergi, priusquam ex luteo colore in album permutata sint: & post cum iam alba, & cortice vestita sunt, si generosior admissarius, eadem suo semine affecerit: pullos nasci posteriori gallo similes, non priori: Si autem semen, in materiam fœtus veniret, aut eadem pars duplex nasceretur, aut pulli priori gallo similes prouenirent. Non obstant (inquam) Primo, quoniam natura, dedita opera nos à reliquis animātibus separauit, sicut & animantia à plantis, in quibus sexus non sunt separati. Secundo, quoniam quæ de insectilibus, & aqua natantibus piscibus narrant, inscrutabilia & in abdito posita sunt: quæ vero de perdicibus & gallinis aperte falsa: maris enim semen, in ouo vmbellam facit intra corticem, cum intraneo humore permistum. Oua autem subuentanea, vmbella carent, incompleta sunt, & infœcunda. Vtque virgines, & clausæ, grauidari possunt, roris modo, ob vteri auiditatem tracto humano semine, ita in ouum, potuit galli semen, ante durioris corticis concretionem meare: si tamen vera narrant, ego enim oua iam cortice vestita, fœcundari non posse existimo. Ad id vero, quod de duobus gallis referunt, aut primus gallus ab ipsis coire visus, fuit tunc infœcundus: aut à diuersis gallis, diuersa oua fuerunt fœcundata: aut secundum gallum intente respexerunt, gallina & primus gallus cum ea congrediens. Nam quid obstat, quominus vtrūlibet horū fieri possit? vtrumq; enim ex ijs est, quæ fieri plane queunt. Sed iam his næuijs ipsorū relictis, alias siquas habent obiectiones audiamus.

Sanguis

Sanguis (inquiũt) mẽstruus, si partialis materia est, cur totalis esse nequibit? Præsertim quod præcipua membra, cor, & iecur, sanguine gignuntur, ergo ignobilium materiam, facilius idem præstabit sanguis. Sanguine præterea nutriuntur omnia membra. 2. lib. de naturalibus facultatibus, cap. 3. ergo eodem genita sunt: siquidem ijsdẽ sumus & nutrimur, vt scribit Gal. 2. libro de Semine. Idem præterea agens esse simul & patiens, natura non patitur, esset enim actu simul & potentia: agit namq; per id quod est actu, cuius potentiam habet id quod patitur. Facilis tamen est horum omnium expeditio, nam cum duplici membrorum genere constemus, seminali scilicet & carnoso, duplici quoq; opus fuit partiali materia ex qua conformaremur, semine scilicet & sanguine: nõ vnica. Cor, etiã & iecur, ex ambabus cõstant, ideoq; vtramq; materiã requisierunt. Omnia autem membra, ex sanguine nutriũtur, ceu ex materia remota, quæ in propinquam, cuiq; membro affinem transit: mammæ enim nutriuntur lacte, ossa medulla, pulmo spumeo quodã humore, testes perfectissimo semine, & radicalia cætera seminiformi quadã substantia alba, quæ quamuis exactum semen nõ sit, (quoniam vltimam testium elaborationem non recepit) semini tamẽ est quam simillima. Omnia autem dicta, ex sanguine genita sunt, qui omnium membrorum commune alimentum est, & vlteriori vniuscuiusq; coctione, in proximum, & immediatũ cuiusq; rorem transit, vt. 5. libro Aphor. com. 39. Galenus est autor. Iam vero quomodo semen, seipsum formare possit, & quomodo diuidatur in spiritum formatorem, & partem quæ formationem suscipit, & supra diximus, & infra repetemus. Nunc vero sat sit obtinuisse, semen esse principium, & elementum, tam actiuum, quam passiuum, corporis humani: nam quamuis reliqua etiam animantia, & plantæ, semine constent, solum corpus humanum, in medici cõsiderationem venit, reliqua vero aut non curat, aut eatenus tantum considerat, quatenus in humani corporis fabricã noscendam, seruandam, vel corrigendam nos manuducunt. Quare tam exacta piscium, & cæterorum animalium, plantarum, ac mineralium tractatio, ac nostro æuo quæritur, valde medica non est: & forte a vero artis fine nos auertit. Nunc vero ad reliquas, definitionis partes excutiendas reddeamus.

Ex parte sanguinis aërea, oleosa, & pingui, semen gignitur, vitæ siquidẽ principium erat futurum: hæc autem calido & humido seruatur, in eoque consistit: quare cum sanguis, ex omnibus constet humoribus, valdeq; sit dissimilaris, ex puriori & perfectiori eius parte gigni debuit semen. Quod ostendunt vasa seminaria, à vena & arteria magna orta, quæ purum sanguinem, & spiritum deferunt, gignendo semini aptum. Semen etiam ipsum ad sensum, valde spirituosum & spumeum visitur: Ob idque semine excreto, quamuis non valde multo, vires valde infirmantur, & mæsti redimur: cum tamẽ sanguinis largissimas vacuationes, innoxie interdum feramus per menses, æmorrhoidas, narium fluores, & venæ sectiones: tantum demque ob id referre voluit Auicenna, semel coire, ac quadragessies tantum de sanguine amittere.

Elaboratur autem vi testium, tum in se, tum in seminarijs vasis, non admodum angustis, valdeq́ ob id inuolutis, & varicosis, vt coctionem non subterfugiat. Cum enim natura ex materia coquenda, alium vsum intendit, præter alitionem membri coquentis: auctiora creat conceptacula, quam vbi solæ ipsius membri nutritioni incumbit. Sic ventriculi cauitatem adauxit, vt non modo ventriculo, sed reliquis etiã membris sufficeret. Sic mammarum vasa, ampliora fecit, pro nutriendo puero: & venas atq; arterias seminarias, capaciores pro gignendo fœtu. Vbi vero exactam materiæ coctionem intendit, viam ipsi parat nõ rectam, sed flexuosam, & multiplici plexu ac circunuolutione implicatam. Sic exacte coquitur lac, in vasis mammillaribus inuolutis: & animalis spiritus, in plexu choroide: & semen in testibus, & tortuosis vasis seminarijs, quæ vitiũ capreolis, non inepte ab anatomicis conferuntur: nam sanguis, qui ad horum vasorum initium ruber erat, sensim alterari, & albefieri incipit, & quo propius ad testes accedit, albior & craßior adeo euadit, vt minimus iam restet testibus labor, in semine perficiundo: in testibus enim postremã recipit elaborationem, animam vegetantem, & vim gignendi, quæ eiusce animæ est potestas. Quæ omnia ita docet anatomæ, vt nihil in ipsa exercitatis euidentius sit, quam semen ipsum in ipsis testibus procreari, in illis contineri, & ab illis per coitum emitti, vt Galenus adnotat, & oculorum fides ostendit. Quare errat Aristoteles. 2. lib. de generatione animalium, cap. 5. à septo venire affirmans, nusquam enim in septo contineri semen, aut ab illo meatus aliquos ferri in pudenda, quisquam fuit conspicatus. Simili errore tenetur Auic. 20. 3. tract. 1. cap. 3. vbi à tribus membris præcipuis, semen ceu à fonte & radice effluere, & ab alijs mẽbris (tertia coctione expleta) ad hæc præcipua resudare censet. Sed cum nulli appareant meatus, à tribus principijs ad testes, nec quomodo à singulis membris, ficta illa veniat resudatio seminis, nobis nõ admodum placet dictus confluxus. Minus placet Hippocrates, qui libro de genitura, è toto corpore colliquari, & spumescere existimat, propter motum venereum dissoluentem, ferrique in spinalem medullã: in quã ex vniuerso corpore, & ex cerebro, è quo magna seminis pars deciditur, viæ permultæ concurrũt: A spinali itẽ medulla ferri in renes, ad quos per venas via patet: à renibusque per medios testes, ad pudendum peruenire, alio quidem quam vrina itinere, sed ipsi contiguo. Quæ tamen erroris ex anatomis imperitia prodeuntis plena sunt. Nec enim ex vniuerso corpore, in spinalem medullam vasa aliqua ducuntur, sed ex ipsa potius medulla solidi nerui, motum arbitrarium corporis musculis afferentes nascuntur. Nec à spinali medulla, aut vena, aut arteria, aut neruus aliquis ducitur ad renes: A sextæ enim cerebri coniugationis ramis, ea parte qua illi in coxas diffunduntur, satis graciles neruos recipiunt renes, aliunde autem nullos. Nec à renibus in testes, quicquam deriuatur, præter vrinaria vasa, quæ in vesicam, non in testes inseruntur. Nec cõtigua sunt vrinaria vasa, vasis seminarijs, sed longo interuallo distantia: vreteres enim à renibus ad vesicã feruntur, seminaria vero vasa, semẽ præparãtia, quatuor sunt, duæ scilicet arteriæ,

& totidem venæ, ad testes delatæ. Arteriæ ex arteriæ magnæ trunco, sub emulgēti bus naſcuntur ambæ: ex venis autē quæ dextra eſt, è trunco venæ cauæ, ſub emulgē te prodit, ſiniſtra vero ab ipſa emulgēte, vt ſanguinē ſalſo humore aliqualiter permi ſtum, in ſiniſtrum teſtē deriuet, pro titillatione, & incitatione ad venerea, vt ana tomici ſuſpicantur. Quomodo ergo vaſa hæc, vrinarijs vaſis erunt contigua, ſi illa ex arteria magna ante renes naſcuntur, & ad teſtes vſq; extra corpus propendentes deſcendunt: & rurſus à teſtibus ad paraſtatas, ad penis radicē ſitas regrediuntur, ſe men exacte confectum illis deferētes? vrinaria vero vaſa, è renibus tantū in veſicā pertinent? In eo etiam errat, quod ſemē, corporis colliquamentum, propter motū ve nereum, ex vniuerſo corpore liquatū, & ſpumeſcentē eſſe arbitratur: eā ſiquidē opi nionem, ſatis ſuperq; expulit Ariſt. 1. lib. de Generatione animalium, ratione multi plici. Primo, quoniam ſemen ſecundum naturā eſt, colliquamentū vero præternatu ram. Secūdo, ſi eſſet colliquamentū, ſemper læderent actus venerei. Tertio, colliqua tio ſiue ex febre, ſiue ex labore, aut venere contingat, nullū locū deſtinatum habet, quo defluat: ſemen vero habet ſeminaria vaſa, teſtes & paraſtatas. Quarto, nā per febres colliquantes, plurimū ſeminis proueniret, & maxime incitarētur ægri ad ve nerē. Quinto, nā imbecilli homines, & pingues, qui maxime colliquantur, paucum habent ſemen, hi, quoniā totū alimentum inſummūt, in corporis nutritione, illi vero, quoniā parū reſiſtunt, cauſis colliquātibus: contra vero graciles, & fortes, qui vix colliquantur, pluri ſemine, eoq; fœcundo abundant. Sexto, nā corporis pinguedo, à corpore deciſa, atq; liquata, quo pacto aut animata erit, aut vim gignitiuā, & patri ſimilē fœtū procreandi habebit? His ſane rationibus, lucæ clarius conſtat, ſemen col liquamentum non eſſe: vnde colligit Ariſtoteles, excrementum eſſe, alimenti ſangui nei. In quo ſibi ipſi pugnātia ſcribere videtur, excrementū enim definit. 2. lib. de ge neratione animaliū, cap. 4. eſſe quod incoctū remanet, & terrenum ſimul eſt in cor poribus: Semē vero exacte coctū eſt, non terreū, ſed äereum & ſpumoſum. Si excre mentū præterea eſt, & quid incoctū, quomodo inerit ipſi, tā inſignis gignēdi vis, ac ipſe, ſibi ineſſe cōcedit? Excrementū ergo interpretemur, ſemē eſſe, ſola quātitate ſu perfluēs, quæ nihil aliud eſt, quā pars alimēti, proxime antecedens conuerſionē in mē bra: nec tamē id omne, verū ſemen eſt, ſed quod è teſtiū nutritione ſuperfluit, vt di ximus. Nā quanuis, ſeminaria totius corporis mēbra, ſubſtantia quadā alba, ſemini valde ſimili nutriantur, verū ſemē, maxime coctū, & animatū, vi præditum gigni tiua: in ſolis teſtibus, & inuolutis meatibus, ad id à natura dicatis generatur: quod enim infœcūdū ſemē eſt, ſeminis appellationē nō meretur. Quare quāuis ab vniuer ſi corporis mēbris, ſubſtātia alba, & ſemini valde ſimilis, ex ipſorū nutritione redū dās, iā iā in ipſa mēbra vertēda, ad teſtes pelleretur, à vi mēbrorū expultrice, aut te ſtes ipſi, venereis exhauſti, ipſam à mēbris allicerēt (vt ſæpe ſæpius, in ijs qui præter modū veneri indulſerūt cōtingit) niſi in inuolutis meatibus, & teſtibus morā cōtra bat, & elaboretur, ſemē nondū eſt, nec gignere poteſt, nec adſimile mēbrum, ei à quo

deciditur procreandum, quicquam valet, quoniam gignens seminis facultas, non aliubi quam in testibus viget. In ipsis vero testibus, hæc vis adeo præstat, vt animam vegetantē, quæ seminis est forma substantiæ, in alimentū ibidem elaboratū, prompte inducere possit. Quo circa reprehendendi merito sunt, qui ab omni parte, semen emanare contendunt: aliter enim nō vident, quomodo adunco, aut resimo naso, fœtus similetur parentibus, nisi ex parentum naso, semen similem nasum effingens, sit deriuatum: nec quomodo ex manco, generetur mācus, nisi deficiēte semine, eius manus qua carebat pater: nec quomodo, in cōcubitu, oblectamentū toto corpore sentiamus, nisi è toto corpore semen secedat: nec quomodo, vniuersum corpus venus debilitet, & maxime caput, nisi vniuersum corpus semine exhauriatur, cuius maxima pars sit à cerebro, vt voluit Hippoc. lib. de genitura, & Auic. 20.3. trac. 1. cap. 3. Nec quo modo incisio venarū quæ retro aures sunt reddat steriles, nisi intercepta via seminis, à cerebro venientis. Quibus tamen respondemus, quod testes in animantibus, talem vim habent, qualē persica, cerasa, & alij fructus plantarū, creandi scilicet in se, semen, quod formā, & naturam, singularū partium refert: Ac queādmodū horum arborum semina, citra hoc, quod ab omnibus plantæ partibus prodeant, generant ex se, persimilem arborē, ei à qua decisa sunt: ita in animalium semine, euenire est fatendum: quoniā vis formatiua, cuius admirāda sunt munera, datur plantarum semini in fructu, & animantiū seminibus in testibus. Hæc vero cū omnium mēbrorū sit effectrix, & eius similitudinis conscia: ex materia apta, simile formare potest, non modo in seminarijs, à quibus semen decidi posset, verū & in carnosis, quæ semē non remittunt, & in vnguibus, verruca, pillis, cicatrice & alijs, è quibus nemo, semen delabi speraret. Sic ex manco mancus creatur, nisi alterius parentis sani, & integri semen, vitiū alterius emendauerit: aut semen ex manco decisum, tā validum sit, vt seipsum emendare possit. Nam vt formans facultas, in nobis, deficiētia mēbra, interdū creat, & vbi non potest, supplet simillima defectis, quantū potest: ita & melius, cū in semine est, eadem creare studebit: materiā enim habet maxime obsequentem. Inde fit vt deauriculatus deauriculatum non gignat, quoniam exigua vitia corrigere est potis. Oblectamentum vero toto corpore sentimus, ob consensum ad pudenda, quæ valde oblectantur: sicut enim membra compatiuntur & condolent alijs, ita etiam oblectantur & commouentur ex aliorum delitia. Venerea vero dum temperanter obeuntur, mirā ad functiones omnes alacritatem aduehūt: à quibus calidi & humidi, si abstineant, non leuiter læduntur: retentum enim in testibus, & vasis seminarijs semen, corrūpitur, & praua sympthomata affert: Cum autē immodice, & procaciter veneri quispiam indulget, læditur & imbecillior euadit, quoniā testes exhausti, alimentū ab vniuerso corpore subtrahunt. Læditur autem magis cerebrum, & neruosæ partes: tum quoniam frigidæ sunt, & lapsu frigido facilius labuntur, tum etiam quoniam noxa magis deprehenditur, in organis sensuum quam alibi. Non minorem namq; noxam, contrahit ventriculus quam cerebrum, à quo tamen nemo seminis

copiā

copiam deduxit. Venis autem retro aures sectis, homines sterilescere, aut verum non est (quod credunt docti) aut alia de causa in naturæ arcanis reposita contingit, eæ enim venæ, prorsus sunt externæ, ad partium tantum externarum nutritionem datæ, non autem deferendo semini ex cerebro, quod non pertingunt. Constat ergo ex dictis, semen ab omnibus membris non decidi, vt Hippocrati & alijs antiquis placuit: quos præter ea quæ dixi argute satis reprehendit Aristoteles, cuius rationes primo libro de generatione animalium, cap. decimo octauo, diligenti lectori legendas relinquo. Sed vereor, ne dum suam opinionem inuehere studet, in hanc quam tam solicite explosit, recidat. Eo enim solo differt, quod alij solum recedere à singulis partibus, semen putent: ipse vero primum accedere ad illas, ex corde vbi fuit genitum, deinde recedere ab eis statuit: nam nihil referret, ad partes omnes semen accesisse, vt omnium similitudinẽ reportaret, nisi ab omnibus recessisset, vt omnium etiã similitudines in fœtu cuderet. Vnde quarto libro Problematũ, problemate. 22. ab ea opinione non recessisse, monstrãt verba sequentia. « *Quare qui concũbunt,* « *resolui atq; languere magna ex parte solent? an quod semen, omni ex parte corporis* « *secretio est. Itaq; vt ædificij constructio, sic corporis compactio quatitur, dum semen* « *decedit. Hæc Aristoteles, de cuius opinione non amplius: Nam præter pugnantiã, quã sua secũ claudit doctrina, innititur sentẽtijs aperte falsis: quod cor scilicet sãguinem toti corpori gignat: cum constet iecur esse autorem sanguinis, non cor: & quod semen in corde gignatur, in quo, nec seminis aliquod præludium, fuit vnquã visum; vt nec in testibus, ad id natura dicatis, verum semen defuit.*

Sed iam hic alia, hic vir iacula, in nos retorquet, non vult enim testes semen conficere, neq; necessarios esse ad generationem: quoniam multa animalia, pisces, & serpentes, sine testibus generant. Alios præterea vsus memorat, ad quos testes creauit natura, in quibusdã pendentes, in alijs dorso hærentes. Hos quidem ad castitatem, illos vero ad robur conciliandum: qui dorso enim hærent, semen in se recipiunt, & remorantur, ne crebra irritatione, excitet ad venerem ea animalia, quæ casta esse oportet: & retrahat ea, à præstantioribus munijs, quibus incumbere fuit melius: vtque cœcum intestinum, hunc præstat vsum, in remoranda fæcum excretione, ita testes eiusmodi, in coitione retardãda valent. Qui vero è corpore pẽdent testes, sunt (inquit) vt pondera, quæ vasa seminaria, sua natura flexuosa, & inuoluta, ne retrahantur tendunt, & recta reddunt. Primo, ne seminis morosa, perfrigerata, & infœcunda, reddatur eiaculatio, & si resecentur nulla: prorsus enim tunc occluditur via, tum defectu eiusce tensionis, tum etiam ob callum ad oscula vasorum genitum, in loco præcisionis, cuius ratione seminis descensus intercipitur. Secundo, vt cor, eorum pondere tendatur, atque firmetur. Hac enim tensione robur, audacia, & cordis firmitas, comparatur tauris: eiusque defectu adimitur bobus, & omnibus animantibus ex castratura. Ex quibus demum colligit, testes generationi necessarios non esse, sed ad dictos vsus creatos. Quod experimento iam

confirmatum esse, perhibet in tauro, qui statim à castratura, antequam occaluerit vulnus, vacam impleuit.

Hæc cum apud Aristotelem doctißimum, perlego deliramenta, humani intellectus fragilitatem demiror, & vlterius progressus, video nullam à vero tam auersam opinionem fuisse, quam multi sapientes non coluerint: Vereorque ne dum hæc scribo, in peiora dictis incidam imprudens. Nos tamen hic Aristotelis errores, prius à Galeno animaduersos ostendimus, alij nostros forte notabunt. Nam si animalia quædam imperfecta, sine testibus gignunt, cur non erunt necessarij perfectioribus, quibus à natura sunt dati? Plantis quidem suffecit fructus, vt in ipso suum proueniret semen: imperfectioribus illis, quibus testes sunt negati, suffecit pars quædam testibus proportionalis: perfectioribus vero animantibus, testes fuerunt valde necessarij, nā & in multis alijs, hæc ab illis, & nos ab vtrisque natura distinxit. Quod vero de bobe refert, qui vacam statim à castratura impleuit, ridiculum est: nam dolor ex castratione illatus, à coitu eiusque desiderio ipsum auerteret: aut quis fuit eius vacæ conscius custos, qui sciuerit ante aut post castraturam, alterius tauri congressum non sustulisse? Quod si certam adhuc historiam narrare contendant, argonque testem adhibeant: ex semine in parastatis, ad penis radicem, & vesicæ fines, congestum, in quibus plus seminis, quam ad tres, aut quatuor vitullos ferendos acceruatur, eam grauidationem contigisse dicemus. Quod vero testes dorso hærentes, castitatis causa tributos fuisse existimat, male quadrat gallis gallinaceis, & plurimis etiam passerculis salacißimis. Homo præterea, dorso hærentes, non autem pendulos, deberet habere testes, ob castitatem, quæ virtus eximia est in ipso: inter alia enim animantia, parum refert, hæc aut illa castiora esse. Deberet præterea sufficere, seminalium vasorum inuolutio, ad moram in irritatione & excretione seminis comparandam, quam per testes dorso hærentes comparare studet: sicque superflui essent hi testes. Adhæc si penduli testes, sunt necessarij ad tensionem vasorum inuolutorum, animalia quæ eosdem habent dorso hærentes, deberent habere pendulos, siquidem meatus etiam varicosos habent: Aut si his quidem non pendent, neutri indigent ea tensione: nec reliquis quibus pendent, ob tensionem sunt necessarij: sed in vtrisque, alter erit testium vsus, ab ijs quos memorat, communis pendulis, & hærentibus. Cui attestatur, persimilis in vtrisq́, seminea, alba, & mollis substantia, oniq́ figura: ad diuersos enim vsus quos ponūt, diuersa substantia, & figura conuenientior foret, vna quidē in pendulis, ad grauādum & tendendū: & altera ad recipiendū semē, & coitionem remorandā in hærentibus dorso. Vnam ergo cū vtraq́ habeāt substantiā, semini coagulato similem: vnam etiam vim, consimilis seminis autorem habeāt oportet: facultates enim apud Galenum, substantiarū proprietates consequūtur. Adhæc si seminalium vasorum circunuolutiones, inspexisset Aristoteles, vidisset eas nō posse tendi: quoniā hærent partibus circunuicinis, & quoniā si tenderētur, procederent

ad longißimum interuallum, quadruplo etiam maius, quam id, ad quod testes propē dent. Eunuchi præterea essent fœcundi, & valido corde præditi: nam contusi testes, parum minus & pendent, & tendunt integris: extracti vero, coëquari possunt, æquali pondere, ex ferro, aut ligno, ipsis meatibus appenso. Intemperies etiam testium, non posset animal reddere infœcundum, siquidem ex ea non mutatur pondus. Quo præterea nexu, testes nectantur, & copulētur cordi, vt illud tendant, declarare debuisset, nullum enim tale vinculum esse, docet anatome. Quod insuper est hoc robur, & firmitas cordis, ex tensione pendens, nisi arcus sit, aut balista, dicere nequibunt. Robustiores adhæc essent, & animosiores semper, qui maiores testes habent, quod non fit. Est ergo testium vsus, semen prolificum creare, pro sui nutritione, maiori tamen copia, quam indigeant ipsi: quemadmodum ventriculus, qui sibi tantum chylum conficit, tanta tamen copia, vt in vniuersum corpus poßit redundare. Ob idque excrementum quantitate, & non qualitate degrauans, semen appellamus, quoniam pars alimenti ipsorum est, qua non indigent testes, eo quod pauciorem in nutritione sui insumunt.

Intercedente autem concubitu, à mare & fœmina, in vterum semen simul eiaculari debere, & sibi inuicem permisceri (si semen, & animalis principium vocari debet) diximus. Deliciosum enim maris & fœminæ concubitum (vt animantia in procreationem alliceret) atque inuitaret, summo consilio, & arte, ordināuit natura: ne ex aqua balnei, in qua viri semen remanserat, mulierem concepisse dicat Auerrhous. Simultanea autem vtriusque futura esse debet eiaculatio, quoniam ex duobus maris, & fœminæ seminibus, vnum fit principium actiuum, & motuum conspiratio in vnum, autore Galeno, decimo quarto libro de Vsu partium, capite septimo: vnde est illud lasciuiētis poëtæ. Odi concubitus, qui non vtrimq; resoluūt. Et simile aliud, in quo tarditatem requirit à viro, vt simultanea fiat vtriusque eiaculatio. Crede mihi, veneris non est properanda voluptas. Quæ tamen si lasciue non audiantur, magnam ad conceptus vim habent: suntque tam vir quam mulier hortandi, vt studeant eodem momento ambo resolui.

Sed iam quis hic ferat Aristotelem, semen fœminis adimere volentem, primo de generatione animalium, capite decimo nono: & lib. 2. de generatione animalium, cap. 4. impoßibile enim putat semē ipsas generare, & mēstrua: menstruū enim ex incoctione, semen ex optima coctione fit: cū ergo mēstruis abūdent, semine careāt oportet. Humiditas etiā vterū madefaciens, ex cruditate pēdet: nec seminis nomē meretur, nec generationi est necessaria: si enim necessaria esset generationi, omnibus fœminis cōtingeret, cū tamē viragines, nigriores & fuscæ, nullū semē, nec humiditatē eiusmodi habeant. Adde quod fœminæ nō emaciātur ex concubitu, sed potius vegetiores reddūtur: ergo semē non excernūt vt viri. Mulieres etiā refert, non oblectari ab excretione seminis (quod nullū habent) sed ex frictione, & titillatū, rarefaciēte humiditates, in vtero cōtētas: argumēto quod pueri & eunuchi, quibus nō est semē ea

ratione oblectantur. Hoc tamē dogma, Galenus lib. 1. de Semine, magnis rationibus, & experientiæ fide improbat. Habet enim fœmina vasa seminaria præparantia, & sanguinem dealbantia: testes quoque, vltimam manum, ei coctioni imponentia: & vasa delatoria, ad vterum, coctam eam materiam deriuātia: ita vt tam vasa vtraq́, quam testes, multa, alba, & crassa substātia plena atq́ turgētia, in fœminarum dissectionibus, non aliter quam in viris reperiantur: qua cum abundant, procliues in venerem feruntur: eaq́ si non vtantur, vterinis molestantur affectionibus, à quibus releuantur, aut obstetricum titillatu, aut marium accessu semine excreto. In cuius excretione valde oblectantur, & ea peracta cesat libido: Quod magis adhuc quam mulieres, monstrant bruta, quæ statis temporibus concipiunt, & furētia mares quærūt, interno semine stimulata: quo tempore eorum testes, & seminaria vasa (vt monstrat dissectio) semine valde turgent: statimq́ à cōcubitu ipsa conquiescūt, ita vt mares amplius admittere nolint. Tantumq́ huiusmodi vasa, & testes semine turgentes, ad libidinem, & conceptus faciunt, vt quæ è brutis castrantur fœminæ, (quod in porcis quotidie videmus) in posterum non coëant, nec concubitum vlla ratione aut ament, aut sustineant. Quod sane nō fieret, si sine vsu essent fœminei testes, & eo tantum sœminis à natura tributi, vt essent nobis veluti nota eius membri, quod in maribus est vtile: perinde ac mari exiguæ tribuuntur papillæ, ceu notæ perfectarum mā marū in fæminis: Os etiā sacrū ad vltimū fastigiatū in hominibus, caudæ brutorū est index: & oculi talpæ occlusi, nota sunt quæ talpis inuritur nostrorū oculorū. Hoc enim Auerrhois subterfugium. 2. collect. cap. 10. locum non habet, in testibus, & vasis seminarijs fœminarum: quæ magna sunt, perfecta, & semine plena, libidinem, & conceptus promouentia, cum adsunt, & impedientia, cum desunt vt diximus. Inter viros præterea, raro inuenias quempiam, rei venereæ tam inexpertum, qui non sentiat, cum mulieres semen eiaculantur, penem sibi aspergi, & seminis profusione cale fieri. Ipsæq́ mulieres, id sentiunt incorporibus suis, ante excretionē, & in ipsa excretione, idq́ sponte fatentur, & sæpe fatentur, quibus de his quæ sentiunt, non est detrahenda fides. Et quanuis ex confricatione oblectentur, toto tempore concubitus perinde ac viri, maxima tamē in huiuscemodi excretione, oblectatione tenētur: & nō cesat libido, & delitia, donec excretio finiatur: quod sane euidens est argumentum, semen id esse quod excernunt: nam aliarum humiditatum, aut menstrui excretio, sine libidine & delitia ipsis contingit semper. Non modo autem oblectantur, in excretione seminis, iuncta confricationi, sed etiam dormientes, cum somniant se coire, vbi omnis deest frictio rarefaciens, non leui voluptate tenentur. Menstrui praterea, & aliarum humiditatum excretionem, nec tardare nec accelerare fœminæ possunt: seminis autem effusionem, & tardant & accelerant, maiori aut minori libidine, tardiori aut concitatiori motu actæ, perinde ac viri: simili ergo tenetur seminis excretione vterque. Viragines præterea, fuscæ & nigræ, quas semen non excernere dixit, vt minus de humiditatibus vterum madefacientibus habent, ita plus

seminis

seminis gignunt, ob bonam coctionem, & frequentius in concubitu illud eiaculantur. Quo fit Aristotelem, perperam intellexisse, vteri excrementum pro semine, cum reliquas mulieres eo redundare, & viragines prorsus carere scribit. Nihil præterea incommodi esse, menstrua simul ex incoctione prodeuntia: & summe coctum semen, ex vtilissima & bene cocta sanguinis parte genitum, fœminas habere notum est. Fœminæ vero in concubitu minus viris emaciantur, quoniam minus seminis excernũt: emaciari tamen ipsas dubium non est, quoniam semen & ipsæ excernunt. Quod quo modo negare posit Aristoteles non video, cum libro quarto de generatione anima-
" lium, capite primo, ita scribat. Maris autem semen differt, quod principium in se con
" tinet tale, quo moueat, & alimentum in animali vltimum concoquat. Fœminæ semẽ
" materiam tantum præbet. Quare fatetur fœminas semen emittere.

Iam vero maius nobis paratur cum Aristotele bellum, an scilicet fœmineum huiusmodi semen, sit efficax, vimq́ habeat agendi, in hominis procreatione: an solius materiæ vicem gerat: an vero vtrumq́ præstet, vim scilicet & materiam. Aristoteles enim, atque Athæneus, semper formidarunt, in semine vim agendi, simul & à se ipso patiendi statuere, ob idq́ masculeum semen, agere & formare fœtũ ex menstruo, cuius ipsum semen nõ esset pars: & fœminam nullam efficaciam præstare, sed idoneã tantum materiam generationi, exhibere voluit: partitamq́ esse agendi, & patiendi potentiam, illam masculo, & hanc solam, solæ fœminæ tribuit. Ob id, semen fœminas habere negauit, quoniam de ratione seminis esse fœcunditatem, vim agendi, & tale quid procreandi, quale est id cuius est semen, recte intelligebat. Nobis ergo, qui iam confecimus, fœminas semen habere album, & crassum, in testibus & seminarijs vasis, parum digladiandum restat. Cur enim in persimili semine, & à persimilibus organis genito, & per concubitum similiter, cum libidine & oblectatione excusso, per similes vires non ponemus? Præsertim cum mas, atq́ fœmina, eiusdem speciei sint, solis accidentibus & compositione variantibus: quibus persimiles esse facultates, & agendi vires, quoad sibi similem substantiam procreandam attinet, necessarium est. Nam accidentia in quibus differunt, dissidẽtia habere, nihil obstat, quo minus vnius naturæ sint, vnius speciei, & vnius facultatis agendi, & procreandi sibi persimiles fœtus. Accedit, quod supra etiam à nobis probatum est, semen non modo opificem esse, sed materiam etiam: quare si fœmineũ (vt mox diximus) verum semen est, vtrumque etiam principium præstabit. Similitudo etiã filiorum ad matres suas, manifesto conuincit, vim agẽdi, & interdum etiam superandi, habere fœminas. Non enim aliter redduntur similes patri, quam ob vim actiuam patris, quæ materiam euincit, & sui effigiem cudit: ob eandem ergo matribus similabuntur. Quo fit, vt sophisticam, & parum consentaneam, Aristoteles causam, similitudinis filiorum, ad suas matres, tradiderit, quarto lib. de generatione animalium, cap. 3. vbi ex tribus eam principijs deducit. Quorum primum est, omne agens excepto primo, agendo repati. Alterum, quod agens aliquando magis patiatur quam agat. Quæ duo principia vt vera sunt,

ita parum suæ opinioni suffragantur. Tertium principium est, agens degenerare in oppositum, cum supperatur: quare cum semen viri, vincere non potuit materiam mulieris, tunc fœtus redduntur similes matri, ob degenerationem in oppositũ. Quod sane principium apprime falsum est, & deceptorium: obtunditur enim & irrita fit vis agentis, cum in passum agere nequit: in naturã vero materiæ, & patientis nõ degenerat, nisi ab actione, aut reactione cõtrarij, actu operãtis, per vim cõtrariã, quã actu habeat oportet. Nã si ea vi careat quomodo aget? ergo si quod antea agebat, ei quod pati debet aßimilatur: necesse est, vt id cui fit aßimilatio, vim actualis agẽtis habeat: & ex consequenti materia, quam fœmina generationi præstat, efficax est, & vim actiuam habet, in suæ prolis procreatione. Adhæc aut reagit materia, quam fœmina ministrat, aut tantummodo patitur: si reagit, quo modo fœtus erit materiale tantum principium? si vero tantummodo patitur, masculeo semini agenti, reluctari nequibit: actione enim reluctaretur. Nec valet si dicas, huiusmodi reactionem, fœtus procreationem non attingere: sed per rebellionem, & qualitates à vi gignente diuersas fieri: si enim sanguinis interdum menstrui rebellio, tanta est, vt nec formam humanam, poßit à virtute formatrice suscipere: constat reactionem eiusmodi, non fieri per vim, & qualitates facultati procreatrici subiectas. Non obstat (inquam) nam eiusmodi resistentia, id vnũ efficiet, vt quod gignitur, non reddatur simile patri, vt vero reddatur simile matri, sine vi actiua, & motu matris, facere nequit. Hinc cum in similitudinis filiorum ad parentes, & auos, causa vestiganda laborat Aristoteles, motum hunc maternum, non negauit: Motus enim concipientis (apud ipsum) in motum soluitur aui, si non in eũ, in abaui: vbi vero maternus motus non soluitur, tam expressam matris similitudinem filius refert, vt minimas etiam maculas, & cicatrices, ea ipsa parte, qua eas mater habet exprimat, quas sine motu matris, & eius virtute actiua gignendi persimilem fœtum prodire posse, non capit intellectus. Nec obstat, quod terræ vitio, linum in lolium, triticum in typham, & ordeum in auenam degeneret, ex Theophrastro. 2. libro de historia plantarum, cap. 4. cum materia enim reluctatur formæ, quam natura expetit effingere, facile in proximam, cuius dispositionem accepit labitur: cicatrix autem, & minimæ etiam maculæ, ad hunc materiæ lapsum, nequeunt referri. Nec etiam obstat, quod mores tam matris, quam nutricis (quæ solam materiam aperte præstat) transeant in infantem: ergo & effigies matris, melius transibit. Non obstat (inquam) nam animi mores, temperiem sequuntur, quæ ex alimento variatur: effigies vero non tam sequitur temperiem, quam facultatem diuiniorem: vt scribit Galenus. 2. lib. de temp. cap. 14.

Sed adhuc multa, quæ Aristotelis opinionem probabilem reddunt, soluenda restant. Primum, quod agens à patiente debet esse diuersum, nihilque in seipsum agere potest: simul enim esset, & non esset, nam agit quoniam est actu, & patitur quoniam caret eo actu, à quo patitur. Secũdum, quod si fœmina præstat vtrumque principium, actiuum scilicet & paßiuum, posset fœmina sine viro concipere: nihil enim

præter

præter duo illa principia, ad conceptionem exigi ratio capit. Præsertim quod tam à viro, quam à fœmina, prodire potest semen muliebre & virile, validum & inualidum, victum & vincens, vt scribit Hippocrates libro de genitura, ergo vterlibet, sine altero sufficiet. Tertium, si vterq; sexus, vim præstat actiuam, aut idem producit mas, quod fœmina, aut diuersum: si idem alterum superfluit, & vnius duæ essent causæ proximæ, possetq; vnum, & idem, à diuersis prouenire: si diuersum, id ostendat Galenus oportet, vnius enim fœtus, effectricem causam quærit Aristoteles: nisi eius forte caput procreet mas, fœmina vero crura. Quartum vnica motio, vnicum etiam habet motorem, vt scribit Aristoteles, octauo libro Physicæ auscultationis, textu com.82. Ergo multo magis, vna generatio, ab vno prodit generante, cum instantanea sit, & in substãtialem formam, vnicam atq; simplicem terminetur. Nam si duo generantia proxima, & immediata habentur, duas quoque generationes, statuere est necessarium. Quintum, si fœmina minus agit quam patitur, & mas minus patitur, quam agit: plantæ in quibus sexus non sunt distincti, sed masculi simul sunt, atq; fœminæ, magis agerent quam paterentur: & magis paterentur quam agerent: Quod cum sit impoßibile, sequitur fœminam nihil agere, sed pati tantum, contra ac mas. Accedit vltimo, quod Galenus, in sua non constitit sententia, interdum enim Aristotelis opinionem sequutus esse videtur, nam.1.lib.de Sanitate tuenda, cap.1. ita scribit. Sanguis, semenq; genitale, generationis nostræ primordia sunt: ille ceu materies quædam apta, concinnaq;, & opifici ad quiduis sequax: hoc opificis rationẽ obtinens. Libro etiam secundo, de Naturalibus facultatibus, capite tertio, maris semen ponit opificem, sanguinem menstruum materiam, illud Phidiæ, hoc ceræ proportione respondentem.

Hæc vero omnia pro Galeno soluuntur, nã agens à patiente, diuersum statuimus in vtroq; semine: quod seipsum ob id format, quoniam vtriusque seminis vis agendi, viget in parte tenui, atq; spirituosa, & patiẽdi in parte corporatiori. Accedit, quod nemo vnquã fuit veritus statuere, quãlibet partem nostri corporis, seipsam nutrire, atq; augere, per vim vegetantem quam habet: cur ergo seminis in seipso actionẽ, tantum formidant? calidum sane, aut frigidum, seipsum calefacere, aut infrigidare nequit, actu enim, & potentia, haberet calorem: informe vero semẽ, se ipsum si formet, per vim quam habet informatricem, aut pars animata, si se ipsam nutriat, per altricẽ, nihil tale sequitur: sed potius fit, vt propter duorũ, agentis & paßi cohabitationẽ, facile vis illa formet, & hæc enutriat, materiam in qua sedet: quæ propter arctißimam coniunctionem, functionibus & motibus, virtutis in ipsa habitantis obsequitur. Quippe natura illa, quæ particulas effingit, & sensim adauget (vt scribit Galenus.2.libro de Naturalibus facultatibus, cap.3.) per eas totas est extensa, vt quæ totas eas, per totas, non tantum extrinsecus fingat, nutriat, atq; augeat. Praxiteles namq; aut Phidias, aut alius quispiam statuarius, foris tantum materiam ornabant, qua scilicet parte, licebat eam attingere: internam eius partem, illaboratam, otiosam,

artis

artisq́ immunem, ac neglectam reliquerunt: vt quibus in eam descendere, ingrediq́, ac omnes materiæ partes tangere, minime licuerit. Natura non ita, sed ossis partem quamlibet, os efficit, & carnis carnẽ, & adipis adipem, & in aliorum singulis, ad portionem facit. Nulla enim pars est, quæ ab illa nõ tangatur, aut operam eius, cultumve effugiat. &c.

Cur vero fœmina, habens vtrumque principium, actiuum scilicet & passiuum, sine masculo non concipiat? dixit Galenus secundo libro de Semine, quod fœmina concipit sine masculo, sed sterile, aues subuentanea oua, & animantia terrestria molas: destituitur enim fœmina, integra illa, fœcundaque seminali vi, nisi masculi caloris vigor accedat. Sed cur viragines non concipiunt, quæ calidæ & siccæ perinde ac viri sunt? siquidem viraginibus semen lentum, crassum, calidum & copiosum minime deest? Respondet Galenus, fœminæ temperaturam, si ad legitimum tempus partus est protrahendus, necessario frigidam atque humidam fore, vt alimentum subministret, nouẽ mensibus puero suffecturũ, tanto enim tempore ali, huiuscemodi fœtus debet. Viragines ergo dictæ, alimentum sufficiens non ministrabunt, licet concipiant. Hanc tamen sententiam, sic vt iacet intellectam, explosimus infra, in appendice Theologico: tum ob alia, tum etiam, quoniam frequenti & vera conceptione, pariter & aborsu, ante legitimum pariendi tempus, viragines infestarentur: quod tamen minime verum esse, experientia monstrat. Ob id masculositatis defectu, fœminas perfectum animal, sine viro nequaquam gignere posse, ibi diximus: quoniam vterque sexus, est necessarius ad verum conceptum. Quomodo autem, & qua necessitate, vterque sexus concurrat dubium est. Cui dicimus quod ex duabus partialibus, tum materialibus, tum effectricibus, generationis causis, vna totalis generationis causa consurgit: non enim vno, eodemque modo, vterque agit sexus, sed fœmineus, imperfectius masculeo: nec eodem modo vterque patitur, sed minus masculeus, quam fœmineus: Quorum modorum vterque, ex naturæ sanctione, necessarius est, ad integrum conceptum, vt vna generationis, ex vtrisque causis partialibus, totalis causa consurgat: nam quanuis muliebre semen, actum & efficaciam in se habeat, tamen perfectiorem alium, & minori passioni expositum, ex masculi semine, cum quo copuletur requirit. Neque obstat, quod tam à viro, quam à fœmina, possit prodire, semen muliebre, & virile, iuxta Hippocratem: quanuis enim ita sit, dicti duo modi non peruertuntur: Semper enim fœmineum semen, etiam si masculum procreet, minorem efficaciam, & plus de materia exhibet, sicut & virile, etiam cum generat fœminam, plus efficaciæ, quam materiæ tribuit: quoniam naturæ ordo, quo semper hæc duo semina concurrunt, talis est, vt vir semper sit actiuior, & fœmina magis passiua, siue masculus siue fœmina gignatur. Hinc est quod viragines, maiori ex parte sunt steriles, quoniam actiuiores, & minus passiuæ sunt, quam naturæ ordo postulat, nisi viro forte fœcundissimo socientur,


tur, huius comparatione inefficaces, & patiendo idoneæ reddantur. Hinc etiam cum apud Hippocratem aut Galenum legimus, fœmineum semen, interdum euincere masculeum: audiendum id non est, ob efficaciam maiorem fœminei seminis, sed ob copiam eius, quæ effingit, & superat vim masculei validioris, vt conceptis verbis,
" scribit Hippocrates libro de genitura, adhunc modum. Si parens quidem vterque,
" valentißimum semen contulerit, gignitur masculus: si imbecillum fœmina. Quod si
" alterum copia superarit, illi similis fœtus efficitur. Namq; si seminis imbecilli, mul-
" to maior copia, quam valentioris fuerit, id etiam quod valens est vincitur, & cum
" imbecillo remistum, ad fœminam compellitur. Hinc cum interrogant, agat ne aut producat fœmina, idem ac masculus, an diuersum? idem agere vtrumq;, diuerso tamē modo, & ordine à natura sancito, vnum nempe perfectius altero respondemus. Quare neutrum superfluit, sed ex vtroq; fit causa vna totalis, & integra: quæ ita fœtum producit, vt neutra per se separata, fœtum, nec fœtus partē, producere poßit. Quod sane Galenus, lib. 14. de Vsu partium, cap. 7. pulchre docuisse videtur, in hæc ver-
" ba. Noli igitur putare, semen ipsum, alia quadam ratione ad maris, alia ad fœminæ
" procreationem moueri: eo enim modo principium animalis, non esset simplex ac vni-
" cum, si motus haberet, omni ratione sibi pugnantes: verum quod nuper diximus, fœ-
" mina in motu est imperfectior, mas vero perfectior. Quem motum perfectum, aut cō-
" tra, inæqualitati in calido, & frigido, iure tribueris, ad quod vnum principiū (si mo-
" do plane es Physicus) particulares omnes actiones reuocabis. Qui igitur principium
" id, potest fœtibus ingigni? nam qui existimant, fœminam semen fœcundum emittere,
" ijs mirum non videtur, fœminam tunc cōcipi, cum seminis fœminini motus, masculi-
" ni motibus præualent. At hi non intelligunt, primum quidem, duorum motuū prin-
" cipia facere, inter se se pugnantia: quando quidem si semen fœminæ, motus potißi-
" mum habet principium, omnino eiusdem cum mare habet motus principium, ipsum
" que oportet cum semine maris misceri, actum demum velut vnū postea agere. Quod
" si id non oporteat, quid impediet quo minus fœmina, solo semine in se ipsam emisso,
" ita demum fœtum absoluat? atqui hoc accidere non videmus, constat ergo quod omni
" no semen maris flagitat: quod si ita est, misceatur cum eo est necesse, atq; ita vtrū-
" que semen, in vnum motum conspirent. Fieri enim non posset, vt si vtrumq;, motu
" inter se discrepante mouerentur, in vnius animalis procreationē conspirarent. Quibus Galeni verbis, aperte constat, vtrumque semen, vnum principium, & causam totalem vnam constituere: à qua vnus est motus, & progreßio, in fœtum vnum. Et perinde ac in plantarum seminibus, in quibus sexus non sunt separati, vnus est motus, & progreßio vna, ad formam plantæ: ita in vtroque animantium semine, inuicem commisto contingit. Et perinde ac in hoc, partem ponimus efficaciorem, & minus paßiuam, ex masculo: & aliam minus efficacem, & magis paßiuam ex fœmina: ita in plantarum seminibus, sine pugnantia vlla, vtramq; statuimus. Sic omnes quæ

aduer

aduersus Galenum rationes obijciebãtur, corruere existimandum est. Nec si alicui, pessime morigerato, alicuius è dictis solutio displiceat, ob id fœminas, à fœtus efficiẽtia is excludat: non n sunt enim quæ re vera extant, neganda, sed ratio potius quæ ea refutare nititur, cum euidentibus aduersetur, absurda est existimanda. Nam si tollere volemus (inquit Galenus. 2. libro de Semine) ea, in quibus causa probabilis nobis deficit, opus erit, vt & videre, & audire, & sentire omnino & reminisci, & somnia per quietem cernere, prorsus negemus: quippecum singulis his, abstrusa causa sit, vnde existant. Nec obstat, quod contrariam interdum sententiam, ceu vagãtem, & suo tempore famigeratissimam, dum rem tractat obiter, & per transcursum, sequi videatur, primo libro de Sanitate tuenda, & .2. lib. de Naturalibus facultatibus: ita enim per trãscursum scribentem, oportuit facere, ne sua scripta odiosa redderet. Sat fuit, cũ rem ex professo tractauit, libris de Semine, & .14. lib. de Vsu partium, veritatem multis rationibus, & demonstrationibus locupletasse: Aristotelisq́ sententiam explosisse. Sed iam quam rationem seruet natura, in homine ex semine pangẽdo, & quas ab initio in finem vsq́, progressiones sagax faciat natura, sequens liber dilucidius edocebit.

¶ LIBRI DE SE-
mine finis.

INCLYTO, AC MAGNANIMO PRINCIPI DOMINO Illefonso Perez de Guzman el bueno, Duci de Medina Sydonia, Comiti de Niebla, Marchioni de Caçaça, dignissimoque Almadrauarum domino: Petrus de Peramato medicus, librum hunc nuncupat.



N humana fœlicitate, animaduerti ego sæpe quosdam, quibus benigna fauit natura, alios quibus fœlix arrisit fortuna. Hæc ambo quam in te ipso magis expressa, nostra nunquam tulit Hispania. Corporis enim atque animi tui dotibus innumeris, nullus aduersæ fortunæ accessit liuor. Ita namque te amanter respexit, vt quinto partu editus, primus fueris in tuorum auorum, amplissima hæreditate adeunda, & Ducatu Methinensi, vel ab ipsis incunabulis obtinendo. Inter Hispaniæ magnates antesignanus, regia è styrpe natus, & post regem secundus es nemini: nec minor tibi cum Cæsare gratia, quam coniunctio. Coniugem adeo claram, ac principem accepisti, vt natam ex fortuna, fortunam ipsam accepisse credaris: ex qua vtinam talem prolem rursus suscipias, vt in posterum tibi fortuna, nunquam parere fortunas desistat: sic enim & tuæ semper virtuti, comes erit fortuna: & nobis qui in omni fortuna tibi obsequimur, bene consultum erit. Ne vero huiusmodi, quam tibi optamus fortunæ, desit ars, & diligentia nostra, lucubratiunculam hanc, de Hominis procreatione tibi dicamus, quam vt præcoces fructus, nunc ante tua connubia dono, serotinos in posterum parturiam. Vale, Hispaniarum decus dignissimum.

An

An fœmineum semen, eiaculetur in sinum, an in ceruicem vteri, & quid sit conceptio.

CAP. I.



N maris atque fœminæ concubitu, si frustraneus non est futurus, vtriusque semina, in vteri ceruicem eiaculantur, debite miscentur, & ab vtero in suos sinus, auidissime trahuntur. Malumus enim, hac in re Aristotelem, secũdo libro de generatione animalium, capite quarto, & actuarium sexto Aphorismorum, commẽtario vigesimo tertio insequi: primam eiaculationem seminis, tam virilis quam muliebris, in vteri ceruicem fieri, & inde ab vteri sinu trahi autumantes: quam Galenum, qui libris de Semine passim, existimat mulierem, semen per cornua, in vteri sinum eiaculare, non in ceruicem. Hoc enim falsum esse conuincitur: Primo, quoniam Aristotile autore loco citato, ceruix quæ primo madebat, mox resiccatur. Secundo, si viri & mulieris semen, debent cõuenire, & simul misceri, atq; ambo simul excerni, non vnũ altero prius: eodem etiam loco effundantur, est necesse: At semen viri, in ceruicem eiaculatur, ergo pariter etiam, quod procedit à fœmina. Tertio, nam grauida mulier, in concubitu semen emittit: quo tempore, vteri os non aperitur, vt inde exeat: nec manet semẽ, nã aut computresceret, aut superfœtaret necessario mulier: ergo in vteri ceruicem effundit vterque: sicque vterus, omni sui parte, miro seminis desiderio gestiens, ex sua ceruice, vtrumque semen, in suos attrahit sinus. Ex ea autem partium vteri tractione (quoniam omnes pariter vteri partes, semen affectant) extenditur, atque in longum quadantenus exporrigitur. Quod ita à natura institutum est, quoniam longum & non orbiculare, corpus nostrum erat futurum. Quanquam autem dum semen intenditur, periculum imminet, ne diuellatur (quod sæpe fit, cum & ipsum humidius, imbecillius que est, & fortiter à multis simul partibus distrahitur) si ita tamen extensionẽ illam tolerauerit, vt non discerpatur (lentum quippe esse oportet, multum ac crassum) statim continetur atque concipitur: nomen enim conceptio, id est cõprehensio, à retentione mulieres imposuerũt, vt refert Galenus primo libro de Semine, in principio. Quo fit vt deerrent, qui conceptionem, vteri actionem esse arbitrentur, ab attractione, & retentione diuersam. Sunt autem rationes eorum quæ sequuntur: Prima, quoniam sæpe vterus magno desiderio semen attraxit, biduo autem, aut triduo, siuit elabi: quo tempore, nemo concepisse putabit. Secunda, quia interdum inutiliter, semen ipsum diutius continet, quo tempore mola fit, non fœtus. Tertio, quoniam nisi potestas seminis, alterationem aliquam ab vtero posceret, qua in actum exiret, mas solus in se ipso generaret: quod cum non fiat, semen ab vtero alterationem quandam suscipere arbitrantur, qua seminis potestas exuscitatur, & in actum venit: hæc autem alteratio apud ipsos conceptio est. Primum itaque

vterus semen trahit, attractum continet, contentum concipit, haud secus atque ventriculus, tractum, contentumque alimentum conficit: vt enim concoctio ventriculi, sic conceptio vteri propia est actio. Vtque ventriculus, cibum grauem atq; immutabilem, quem tamen traxit & continet, non coquit: sic vterus semen infoecundum, quamuis magno desiderio traxerit, & deinceps contineat, non concipit: sed molam ex eo facit. Hæc tamen nihil obstant, primum namque soluitur, quoniam seminis attractio non est conceptio, sed ipsius contentio: si biduo ergo aut triduo elabi siuit, non continuit. Secundum vero soluitur, quoniam non cuiusuis seminis contentio, est conceptio, sed prolifici & conuenientis: seminis vero infœcundi aut disconuenientis retentio, non est conceptio, vt neque si flatus aut sanguinis grumus contineatur, concepisse dicemus. Tertium vero soluitur, nam seclusa alteratione quam vterus ex ipsorum sententia præstat semini, poterit semen actiones vegetãtis animæ exercere, nõ enim erat potestate animatum, sed actu. Fœmina quoq; sine masculo concipere posset, si conceptio est alteratio seminis ab vtero: nam quis vetat quominus fœmina suum semen alterare posset? cum ergo inquirit cur mas in se ipso non generat, si semen quod habet, nulla indiget actione vteri vt in actum veniat? cachinnum omnibus doctis mouet: nam mas non generat in se ipso, Primo defectu vteri, neque enim habet instrumentum aliud cauum, quo semen excipiat.
« *Secundo, ob defectũ materiæ, nam secundo de Naturalibus facultatibus, Omnis (in-*
« *quit Galenus) facultas, si competens desit materia otiosa est, & maris semen facul-*
« *tates in se ipso possedit, actionem vero non nisi circa materiam, fœmineum scilicet*
« *semen, & menstruum sanguinem obit. Quamuis enim semen viri, materiam præstet fœtui, exiguam tamen & defectuosam præbet. Tertio, nam sola vis, aut mascula, aut fæminea, non sufficit generationi, sed vtraque est necessaria: In plãtis enim in quibus sexus non sunt separati, vtramque vim coniũctam posuit Aristoteles, quoniam vtraque erat procreationi necessaria: & plantæ motu carentes, non poterant inuicem congredi: ea ergo quæ sexus habent separatos cõueniant oportet, vt ex ambobus semen vnum proueniat, procreãdis liberis aptum. Hinc ouis subuẽtaneis semper aliquid deest ad perfectonem: hinc quantumuis, calida fœmina atque virago sit, semenque crassum, calidum, lentum, atque fœcundum obtineat, nunquam sine viri congressu concipiet, alterius sexus defectu: hinc præter omnem naturæ legem, deipara virgo concepit, & peperit filium, vt Esaiæ septimo capite, fuerat prænunciatum: nam in naturali, & quæ omni miraculo caret generatione, vtrumque semen, masculum atque fœmineum, vterus prolectat & concipit, ac in sinus suos recondit, adeo cum eo toto sui corpore cohærẽs, vt nec spatium aliquod vacuum relinquat, nec acus cuspidem, per os valde occlusum, capere posit.*

De chorio & vasis ab eo vtrinque procedentibus, *extra scilicet ad vterũ, & intro ad infantem.* CAP. II.

Liber de hominis procreatione.



N prima hac seminis ab vtero comprehensione, ne nostra corpora fingens facultas, vel tantillum otietur, partes seminis tenuiores, calidiores, & spiritus magis participes, intro & in medium agit: crassas vero ac magis terrenas, in ambitũ, & circumcirca dispo- nit, vt ex istis obuoluentes fœtũ membranæ, procreentur. Quem admodum enim placẽtæ, & reliqua omnia, quæ pistores, in aliquo vase calido, amploq; conficiunt, crusta obducuntur: ita semen, in vterũ calidum inci- dens, ex craßiori, viscidiori, & magis terrena sui parte, tunica quadam, quæ ipsum ambit, vallatur, atq; vestitur, autore Hippocrate, libro de Natura pueri, & Galeno lib. I. de Semine. Nec tamen hic intelligas velim, à solo vteri calore, cogente, & in durante, hanc membranã generari, vt in pane, aut placenta cõtingit: Primo, quoniã membrana est, non crusta. Secundo, quoniam vterus ipse madet, quare non affatim desiccabit semen. Tertio, nam ventriculus, qui magis calet quam vterus, & humet minus, chylum, aut pituitã, in ipso contentã, non obducit crusta aliqua. Quarto, nam infra hanc, duæ aliæ tunicæ creantur, allantoides & amnios, quæ cum vterũ non con tingãt, non potuerunt, eius contagio siccescere. Formans ergo facultas, quæ in semi- nis ætherea parte, atq; etiam in vtero sedet, cum primũ semen vtrumq; eiaculatũ, est ab vtero apprehensum, tenuiores partes, calidiores, & magis spiritales, agit intro: extra vero craßiores, & minus nobiles: ex illis fœtũ, ex istis mẽbranas creat. Id autẽ nõ tentat facere, donec semẽ quadantenus obduruerit, lib. 2. de Semine, ante finẽ, au tore Galeno. Nam sicut liquidum lutũ (inquit) impreßionẽ, ac fictionem vllam, non admittit, mediocriter induratũ admittit: ita primæ ac recenti fœturæ accidit, quæ la cti recenter coagulato similis est, ac quẽadmodum illud casearij, nondum formare ag- grediuntur, priusquã satis idonea coagulatione concreuerit: eodem modo animal, na- tura non antea fingere conatur, quã conuenientem duriciẽ adeptum sit. Neq; etiam si conaretur, quicquã efficeret, cum materia nondum firma subiaceat, sed instabilis adhuc & tremula subterfugiat. Fictor quoq; lutũ vel ceram nõ adhuc liquidam, sed quæ mediocriter induruerit, formandam summit. Vteri ergo calor, crassam atq; te- rrenã, seminis partem calefacit, desiccat, & craßiorẽ reddit, primo aut altero die à conceptu: craßior, duriorq; facta, facultatis formatricis actionẽ, tum iam non subter- fugiens, membrana fit, quæ Græcis χόριον dicitur, quoniam coronæ, circuliq; modo, fœ tũ circundat. χόρος enim apud Græcos, κύκλον καὶ στέφανον hoc est circulum coronãq; significat. Appellant & χώριον per, ω, quod locum & spatium significat, quoniam in membrana illa, fœtus, vt in loco suo consistat: Latinis secundæ barbaris secundi- na appellatur, quoniam (vt quibusdam videtur) secunda à fœtu formatur. Sed cum Galenus & Hippocrates, ante fœtũ, procreari statuant, satius dixerunt alij, secun- dam appellari, quod natum infantẽ sequatur: quanquam non ea sola, sed & allantoi- des, & amnios simul decidant: inter quas tamen, quia chorion maxima est, & admo- dum insignis, sub eius nomine, alias quoq; duas, vulgus cõprehendit. Apud Aëtium vero sermone. 4. 4. tetrabili cap. 24. secũda ob id dicitur, quod velut secundum do-

mici-

micilium, ac receptaculum sit ab vtero & velut fœtus indumentum. Huius autem tunicæ vtilitas, fuit necessaria: Primo, ne semen, in quo animalis principium consistit, diffluerет, aut à diuersis vteri partibus distraheretur, ob idq; ante fœtũ fuit formata, tum enim seminis reliquam partem, proxime continet, impeditque quominus à quauis parte vteri, aut corporis cõmotione distrahatur. Secũdo, vtilis est hæc membrana, vt fœtũ matri nectat, atq; alliget. Est autẽ hoc vinculũ fœtus, cũ matre, per quã necessariũ: Primo, ne põdere ingrauescẽs, immature deturbetur infans. Secũdo, vt idonei alimẽti ex matre, sufficiẽs sẽper alliciatur copia. Quo modo autẽ, quo ve artificio, nexũ huiusmodi infantis cũ matre, fabrefecerit natura si aduertas, magis naturæ admiraberis industriã: cũ enim mollis inter initia mẽbrana hæc sit, ab vteri orificijs, quæ tũ tẽporis aperta sunt, tã valide trahitur, vt vteri vasa, quæ sunt polyporũ orificijs quã simillima, mẽbranã hanc tenerã, & seminalẽ, in se se, tã valida tractione recipiãt, vt totidẽ foramina contrahat mẽbrana, quot vteri vasa attigerit, ac subintrarit: atq; hæc chorij foramina, postea tẽporis processu, vasa efficiuntur, vteri vasis coalescẽtia, & copulata: quæ quidẽ cũ arterijs copulãtur, fiũt arteriæ, & quæ cũ venis, venæ. Per has sanguinẽ craßiorẽ, pro nutritione, allicit semẽ: per illas vero tenuis sanguis, spiritus, & aër, pro cõtẽperamẽto, ex vtero decurrũt: et attractione nullo tẽpore quiescẽte, manet semper pelliculæ foramẽ, coalescere nõ potẽs: ob eã sane causam, quod neq; aliud quicquã, alteri coalescere poteſt, vbi semper mobilia corpora, in mediũ eorũ interueniũt. Foramẽ itaq; pelliculæ, nõ solũ non coalescit, sed et semper ampliatur, pro ratione eius quod perfluit: perfluit autẽ semper alimẽtum, nõ semper autem pari copia, propterea quod, neq; ipsum quod alitur, æqualem semper magnitudinem seruat, sed crescit aßidue proficiẽs, vt necessarium sit, iuxta proportionem augmenti illius, materierum copiam influere: sanguinem quidem ex venis, spirirum vero, cum sanguine tenuium partiũ, modico & calido, per arterias: quin et temporis progressu, necesse eſt hanc viam in fistulæ modum cauari, ac vas fieri. 2. de semine cap. octauo, auctore Galeno. Hinc merito Galenus, Venas radicibus plãtarũ comparauit, vt enim planta per radices, è terra haurit alimentum, ita fœtus ex vtero, per chorij venas, trahit sanguinẽ, & spiritũ: vtq; radices plantarum, multifariam discissæ, copulãtur inter se, donec in vnum truncum veniant, ita vasa dicta, vteri vasis multitudine respondentia, per vniuersum chorium, vario deinceps modo implicantur, ac paulatim inter se coëunt, donec ex omni numero, quatuor tantũ vasa fiant, duæ scilicet venæ (apud quosdam vnica) & duæ item arteriæ, quæ in allãtoidem & amnium insertæ, vmbilicum infantis cõstituũt. Hinc Gal. 5. lib. Aphor. com. 60. vtero gerentium menſtrua, ex vasis quæ in vteri ceruice habentur; nõ ex ipso vtero prodire fatetur, quoniã fœtus omnibus vteri vasis hæret, quare nihil per illa poteſt in vteri sinum excerni. Contra vero eſt quod aduertit Vesalius, choriõ nõ omnibus vteri vasis hærere, sed lateribus tãtum: quare per vasa ad quæ nõ hæret sanguis duci poterit. Dicendum tamen quod quamuis aliquæ venæ & arteriæ vteri, liberæ sint à nexu venarum & arteriarum chorij, natura valde solicita de


i 3 fœtus

fœtus custodia & vteri occlusione, eas venas raro, aut nunquam aperiet, sed ad eas potius quæ in ceruice sunt sanguinem traducet. Nam etiam in non prægnantibus, menses per ceruicis magis, quam per cauitatis vteri venas purgantur: tum quoniã ibi magis terminantur venarum ora, tum quoniam ceruix, locus est expulsioni maxime vicinus, & excretioni paratior quam cauitas: quæ non vacat periculo ex sanguine concreto, vbi os vteri occluditur prægnantibus, ob fœtus custodiam: aut virginibus, ex hymene membrana, apud Auic. 21.3. tract. 1. cap. 1. aut per morbos & tumores præternaturam. Vt enim cum sanguis è naribus fluit, raro aut nunquam in capite reserantur venæ, sed ipsarum oscilla atque extrema ad nares porrecta: ita in vtero naturam consuluisse potiori ratione, credere par est. Præsertim si verum est, quod Realdus Columbus in sua Anatome adnotat, venas cauitatis vteri, ex vasis seminarijs: ceruicis vero non ex his, sed ex vena caua duci: Illis enim si ita res habet fœtũ ligari: & his superfluum corporis sanguinem excerni, fœtũq; nullatenus nectĩ in naturæ prudentia, atque sagacitate memoramus. Venæ quidem (vt libro de " Fœtus formatione, Galenus est autor) statim atque infantis cutem subierunt, in vnã " magnam venam coeunt, quæ rursus, non secus ac plerique trunci arborum, bifariam " scinditur, atq; ab earum vtraq; parte, germina multa, instar ramorũ exoriũtur. Al- " tioris partes progerminationes, iecoris conuexo, depressioris vero, eiusdẽ cauo finiũ " tur: eoq; loco, vtræq; aperiuntur, & ex sanguine quẽ effundũt, propria iecoris substã " tia, circũcirca agnascitur: ita vt ramullorũ interstitia, perinde atq; stæbe, impleat at " que obturet. Ac propterea duæ iecoris portæ, in fœtibus contigere: nã magnæ venæ, " quæ per vmbilicũ procedit, altior propago, simmæ partis iecoris efficitur porta, & " in omnes quæ ibi sũt venas partitur: ex depressiori vero propagine, porta altera fit, " quæ vtrinq; dispersas venas trãsmittit: dextra parte, ad iecoris concauũ multifariã " diuisa, altera vero, ad ventrẽ lienẽ, intestina omnia, & reliqua quæ infra septũ trãsuersum interanea consistunt, multiplicata. Absoluto autem iecore, ex venis quæ à chorio procedũt, ad eum quẽ diximus modũ, in gibbis partibus, quasi radicibus quibusdã disseminatis, styrps colligitur (hoc est maxima venarum, caua ob magnitudinẽ appellata) quæ vtrinq; per spinã, recta exporrigitur, & in vniuersa corporis mẽbra distribuitur: cuius integra notitia peculiare caput poscit, de venarum nostri corporis anatome. Arteriæ vero, non ita statim vbi cutem subierunt, substantiam aliquam, agnascentem sibi habent; neque in multas partes discinduntur, sed vlterius duæ permanent, vesicamque fœtus complexæ, ibique firmatæ, cum aliò, tum in profunditatẽ corporis feruntur, quoad ad latum & sacrũ os peruenerint, vbi in vnã arteriã magnam copulantur, quæ recta per spinã incedens, & cauæ venæ subtensa, sinistrum cordis latus, sicut caua vena dextrum attingit. Cur vero venæ, statim ac vmbilicum superarunt, in vnã copulẽtur, arteriæ vero longo itinere permaneant duæ, docet Gal. 15. lib. de Vsu part. Nõ tamen sicut in iecoris procreatione, nulla dubitatio relinquitur ex anatome, ita & in cordis cõstitutione contingit: nam iecoris

tam

tam caui, quam ſimi conſtitutio, ex dicta ad eam partẽ venarum diſſeminatione, quæ ſanguinem ibi effundit, vt à facultate formatrice gignatur, adeo eſt ex anatome notũ, vt id dubitare liceat nemini. Cordis vero procreatio, ex anatome, vnde, aut quãdo fiat, manifeſtũ nõ eſt: an ſcilicet ex vena, an ex arteria, an dextrũ ex vena, & ſiniſtrũ ex arteria, an neutrũ ex vena aut arteria fiat: quoniã nec vena, nec arteria magna, vbi cor pertingũt, in minutiſsimas propagines diffundũtur, ad eũ modũ, quo venã ab vmbilico prodeuntẽ, ad iecoris conſtitutionẽ diffundi protulimus. Quãdo etiã gignatur, an ſcilicet prius, an poſterius iecore, manifeſtum ex dictis non euadit: quin adeo difficilis eſt conſideratio, vt Galenus, ab Ariſtotele diſſentiat, & ſibi etiam correpugnantia dixiſſe ſit viſus. Quam nos diſputationem, ſtatim abſoluemus, ſi aliarum tunicarum, fœtum obuoluentium, procreationem & vſum attigerimus prius.

De reliquis a chorio membranis, deque recrementis fœtus. *CAP. III.*



Vanuis chorion, è ſemine primum generetur, non tamen generato iam fœtu, ipſi contiguum eſt, immo vero longiſsime à fœtu abſcedit, atq; vtero muliebri adhæret, nam inter ipſum & fœtum, duæ aliæ membranæ, allantoides, & amnios, intercedunt. Quæ vt autor eſt Hippocrates, libro de Natura pueri. Procedente » tempore producuntur, eodem modo, quo & illa prior formata eſt, » quod forte non aduertens Galenus, primo lib. de Semine, ante medium, allantoidem vna cum chorio oriri, & chorij etiam generationẽ adiuuare protulit. Veriſimilior autẽ, Hippocratis ſententia mihi videtur, Primo, nam allantoidis vtilitas (vt dicemus ſtatim) eſt, vt vrinam infantis excipiat, ab initio autem, non profert vrinam infans, ergo vſus minime poſcit, vt ab initio, ſimul cum chorio gignatur, allantois tunica. Secundo, nam ex ſemine craſſeſcente, hæ tunicæ generãtur, pars autem ſeminis, quæ vteri faciem contingit, ex qua generatur chorion, prius neceſſario craſſeſcere debet, vteri calore cogẽte, quam pœnitior ſeminis pars, ex qua allãtois prouenit, quæ ab vtero eiuſq; calore, magis diſtat. Ergo ſumpto argumẽto à cauſa agẽte, poſterius chorio, generãtur allãtois. Ex ſemine præterea tenuiore generatur allãtois, ipſo Galeno etiã teſte (vnde & tenuior eſt hæc mẽbrana quã chorion) pars autẽ ſeminis tenuior, tardius craſſeſcet, & in tunicã abibit: ergo materiæ etiã ratione, Hippocratis ſẽtentia eſt verior. Hic autẽ Galenũ maxime miror, qui loco citato, hanc tunicam, ex ſolo fœmineo ſemine generat, quod neq; demonſtrari poteſt, nec rationi conuenire videtur: nã vtriuſq; ſemina, varie in vtero cõmiſcẽtur, quare ex vno eorũ ſolo, nihil cõſtare decuit. Adde multo artificioſius naturã operari, ſi ex vtroq; ſemine, impurius & terreſtrius, in ambitũ traducat, pro mẽbranarũ generatione, purius vero, & æthe rea natura magis particeps, intro, & in medio totius molis, pro fœtus procreatione

colligat. Vtrumq; ergo semen, varie & vt decet commistum, ab vtero trahitur, tractum concipitur, & arcte continetur: contentum eatenus disponitur, vt crassiores, & impuriores eius partes, vterum contingant: sic dispositum ab vteri calore crassescens, crustacea tunica vestitur, chorion appellata: cuius interuentu fœtus nectitur matri, & alimentum ab ipsa trahit, per vasa quæ ab ipso in fœtum, ad eum quem diximus modum diducuntur. Quoniam autem fœtus in vtero nutriri debuit, & nullum tam syncerum, & fœtui simile alimentum reperitur, vt excrementis penitus vacet, nec vtero excrementa excidere expedit, tum ne fiat abortus, tum etiam ob vsum, quem huiusmodi excrementa præstant in partu, humectando, molliendo irrigando, & lubricũ faciendo: fit necessarium, vt excrementa, sudor (inquam) & vrina seruetur. Hæc autem in vtero, nullo alio vase conclusa, non possent contineri, nam & ligamenta laxarent, & vterum facile acrimonia sua roderent: atq; ille lacessitus, morsu ad aborsum compelleretur: Ideo consultius natura, huiusmodi excrementa, membranis quibusdã conclusit. Vrinã quidem excipiẽs mẽbrana (quæ veluti zona est, aut fascia lata) à mucronata cartilagine, vsq; ad ima ilia infantem cingit: Quæ cum angustior sit, quam vt vniuersum fœtum circundet, & vrina semper sit farcta, allanto, idest farcimini, & intestino farcto, similis habetur: vnde allantoides, idest farciminosa aut intestinalis dicta est. Hæc vrinã excipit, per meatum vrinarium, quẽ Græci, peculiari nomine οὐραχὸν appellant: qui sane, è fundo vesicæ ortus, ad eam vmbilici partem peruenit, quæ inter proximam fœtui tunicam, quæ amnios dicitur, & mediam allantoidem concluditur: vbi amnion perforat & vrinam effundit. Foret namq; minime tutum, vrinam in medio allantoidis spatio collectam, infantem contingere, quoniam eius cutem plane roderet, & vlceraret: Euidenter siquidem apparet, humor is, qui est intra intestinalem, tum tenuior esse, tum flauior, tum acrior, eo qui est intra amiculum: vt etiam hanc membranam dissecantium, olfactum angat, eisq; horrorẽ incutiat, lib. 15. de Vsu partium, cap. 5. autore Galeno. Quare consulto natura, amnion creauit tunicam, quæ vniuersum infantẽ, à summo vertice, vsq; ad immos pedes tegit: inter quam præterea, & infantis cutẽ, vtrumq; excrementi genus, quod ex toto corpore, per coctionem secedit colligitur, sudor videlicet & sordes. Iam enim ex hoc, nullum vlcerationis periculum, fœtui impendebat, quoniam sudor est vapidum excrementum, vltimi alimenti, concocti, & elaborati, & omnem insuper acrimoniã, in vrinis, & bile, tam flaua, quam attra reliquit. ἀμνίον autem hanc tunicam appellarunt, à mollitiæ agnorum deducto nomine, est enim mollissima, & alba adeo, vt seuum aut adipem representet, eaq; contectus (nisi difficilis & refractarius sequatur partus) infans interdum prodire solet (mantillo obstetrices, & vulgus, hoc inuolucrum appellant, & fœlicitatis futuræ inditium, sic nasci pleriq; credunt. Quin & eam tunicam gestare, fœlicitatem augere non sine superstitione credunt alij) eam obstetrices è corpore infantis deradunt, & seruant, vtunturq; ea, ad delendas cicatrices, & variolarum vestigia, quod non infauste, asse-

quũtur.

quuntur. Oportuit autem, hanc tunicam fuisse mollißimam, ne à chorio duriori, infans offenderetur. Mollis vero tunica, ab vrina quæ inter ipsam, & allantoidem colligitur, facile exedi, ac rodi posset, nisi adiposam, & fere pinguem substantiam, ipsi natura indidisset: pingue enim, humidi actionem non admittit, nec ipsi cohærere sinit. Consultißime igitur natura, tunicam hanc pinguem creauit, nam cum mollis sit, & vtraq; sui parte, sudore, & vrina alluatur, pinguitudine opus habuit, ne roderetur, & exederetur, sed fœtum proxime continens, seruaretur illæsa. Quanquam autem, omnes obuoluentes fœtum membranas, tenues, & telis araneorum similes, præsertim inter initia, natura fabrefecerit, ne fœtui essent oneri, vt quinto decimo de Vsu partium, legitur apud Galenum: oportuit tamen membranam hanc, quæ mollis & adiposa erat, valida quadam craßitudine constare, quoniam fœtum est contentura, & membrorum futuris motionibus, resistere debuit, vt primo libro de Semine, capite tertio decimo, Galenus est autor. Ob aquam autẽ, quam hæc membrana continet, minus grauis est fœtus, ijs vinculis, quibus cum matrice adhæret: quoniam fœtus in ea, quasi innatans, sursum tollitur, ac vehitur, quinto decimo libro de Vsu partium, autore Galeno: Vbi male (me iudice) reprehensionem quorundam medicorum subijcit, in hæc verba. Qui vero ipsæ matri, leuiorem aiunt esse fœtum, quod ipse, humori qui est intra amiculum innatet, ridiculi plane sunt, non intelligentes, ipsum quoque humorem à matre gestari. Sed ridicula magis est redargutio, nam si vinculis fœtus est minus grauis, quoniam innatat & se ipsum vehit vt dicis: cur non etiam matri, quod reprehendis? humorem enim, pariter ac fœtum, continent vincula: nec mater, nisi medijs vinculis, ea continebit vnquam. Hæc igitur aqua, quæ intra amnion continetur, præter vsum quem est exhibitura in partu, molliendi, laxandi, & lubricandi, alterum non contemnendum exhibet, ipso gestationis tempore, quod nimirum, & vinculis, & matri, minus sit grauis: magis enim deonerat, nandi apparatu, quam degrauet, suo pondere. Vrina vero in allantoide cõtenta, non potuit eum vsum exhibere. Primo, quoniam non circundat, infantem vndiq;. Secundo, ob sui paucitatem: nam quanuis editi in lucem infantes, mingant plus quam sudent, in vtero tamen, quoniam nutriuntur sanguine matris, ab vrina iam repurgati, minorem vrinæ copiã excernunt, quam sudoris: est enim sudor, tertiæ coctionis recrementum, à quo sanguis matris non potuit esse repurgatus. Fœtus etiam tenerrimus, calido in loco constitutus, vndiq; sudat. Non fuit autem opus, quarta tunica, quæ alui excrementa seruaret, quoniam nullum recremẽtum, ex aluo infans deponit, eo quod ore non nutritur, sed per vmbilicum tantum, alimentum summit ex sanguine matris. Amnion enim membrana, quæ vniuersum corpus tegit, ad os non aperitur. Nec obstat, quod protinus atque in lucem, editi infantes sunt, mammam appetunt, & sugunt, quod nescirent facere, nisi antea assueuissent: non obstat (inquam) nam docta est natura sine magistro, & facultas quæ nos formauit olim, in nostro corpore manet, membra suæ admonens operationis, libro de Fœtuum formatione, autore Galeno.

no. Neque item obstat, quod recens, editi in lucem, stercus excernunt ex aluo, crassum, nigrum, & lutulentum: nam sanguinis & iecoris recrementum est, ex cuius cauis, in intestina exciderat: in quibus cumulatum, seruabatur in pariendi tempus. Ob idque non male olet, vt alui recrementa, quæ ex alimento ore sumpto creantur: quod etiam ad vim formantem, & caloris natiui conseruantis virtutem, referri debet: alioqui hæc recrementa, pariter & vrina, ac sudor, in allantoide & amnio seruata, putrescerent ipsa, & fœtum putrefacerent. Nec obstat præterea, Galeni locus difficilis, primo libro de Semine, capite tertio decimo, vbi tot, ac talia excrementa: gigni perhibet in conceptu: quot, ac qualia, edito iam in lucem puero, fieri consueuerunt. Per hæc enim verba, solum voluit, æqualia esse recrementa coctionibus in vtroque, non inter se: nam qui tres coctiones habet, tria exterit excrementa: & fœtus, qui duas tantum obtinuit, duo etiam habere operepretium est, sudorem (inquam) & vrinam. Verba vero quæ statim sequuntur, corruptissime, & sine sensu aliquo leguntur, apud Fœlicianum, adhunc modum. Ac cum membra omnia, formata ac distincta iam sunt, non tam vrina quam stercus excernitur. Græcus autem codex sic habet. ἀλλὰ τούτων οὖρον τε καὶ ἀποπάτημα, διαπεπλασμένων τε καὶ διηρθρωμένων ἤδη τῶν μορίων. *quod verbum ex verbo sic vertit Cornarius. Sed ex his vrinam & stercus, formatis iam, & articulatis particulis. Vbi* τούτων, *idest, ex his refert proxime dictos, idest eos qui ab vtero sunt absoluti. Nec obstat etiam, quod quatuor membranarum fœtum obuoluentium, meminerit Galenus decimo quinto libro de Vsu partium, cum dixit. Non igitur est mirum, si quando membranæ quatuor sibi mutuo incumbunt, robur ex ea coniunctione acquirant. Non enim aliam, à tribus dictis agnoscit tunicam: sed chorium duplicari statuerat superius, vt per medium ipsum, vasa omnia ferantur colligata, simul ac ab ipso tecta. Hinc elicimus Realdum Columbum, Hippocratem falso erroris insimulasse, duodecimo libro de re anatomica, quòd statuerit fœtum per os nutriri, & alimentum exugere: tam crassumque, atque supinum in tanto autore errorem, satis mirari nequit. Hippocratis locum subticet, quem exhibere oporteret, ne mendatij crimen subeat ipse: siquidem non aliter, quam per vmbilicũ fœtũ nutriri, tam est Hippocrati peruium, vt nec librum de Natura pueri (prætereo alia eius opera) salutasse potuerit, qui in eo autore non aduerterit. Scit sane Hippocrates, amnium ad os infantis non perforari: Scitque infantis sudorem copiosum, inter cutem & amnium colligi: quem si ore vteretur deuoraret. Si ore quoque cibaretur, alui recrementa pellerentur, sicut vrina: ac in vtero conspurcati essemus, secus ac Hippocrates tradiderit. Locus certe quem vidit Columbus, aut corruptus & spurius est, aut male intellectus: Cuiusmodi forte esse posset, quod libro de Natura, pueri ita reperitur scriptum. Quod vero plus quam decem menses, fœtus vtero gestari nequeat, ego dicã. Alimentũ incremẽtumq́; quod à matre puerulus accipit, elapsis iam*

decem

decem menſibus, fœtuq́; aucto ſufficere non poteſt. Siquidem quod in ſanguine dulciſſimum, id ad ſe pertrahit, ſimulq́; lactis aliqua portione fruitur. Quæ ſi pauciora ſint quam conueniat, ipſeq́; puerulus auctior factus, pluſquam adſit alimenti deſideret, ſeſe iactat & membranas abrumpit. Quibus verbis falli forte poſſet quiſpiam, quoniam præter dulciſſimam, ſanguinis partem, lacte etiam frui puerulum voluit. Frui tamen dixit, non ore ſugere: nam vt ſupra ſtatuerat, in poſtremis mēſibus tumor vteri, partem menſium, ad eundem vterum venientium, ſurſum præmit ad mãmas, vbi in lac cõuertitur, & tandem per eaſdem communes venas, ad matris vterũ, & inde ad vmbilicum infantis retrahitur, vt eo nutriatur: quo etiam non ſufficiente puer calcitrat, & membranas abrumpit, vt naſcatur. Poſtquam enim ob vteri tumorē, mammas pecorum lacte repleri dixit, ita ſcriptum reliquit. Nec vero diuerſa in muliere ratio, namq́; pingui concaleſcente, & candido facto, quidquid matricum, calore dulceſcit, exprimitur, & conſcendit in mammas. At vero etiam in ipſas matrices, exigua quædam portio, per eaſdem venas refertur, ſiquidem tum hæ, tũ aliæ perſimiles venulæ, in mammas, atq́; vterum protenduntur: Cum autē peruenit in vterum, iam ſpeciem lactis induit, eoq́; exiguo puerulus fruitur. Quare coſtat eam Hippocratis ſententiam, Columbi reprehenſione indignam eſſe. Nam & Galenus eam citat, & recipit ad verbum. 5. lib. Aphor. com. 37. hoc vno dempto, quod ad finem addit. Initium partus matri affert. Quæ in noſtris Hippocratis codicibus nõ leguntur. Hec ſunt quæ de his tunicis, ex Galeno, Hippocrate, & antiquioribus colliges, quibus addere opportet recentium anatomicorum obſeruationes: Inter quos Veſalius choriũ caninũ pro humano, pinxit inſtar faſciæ: in qua tamen non pinxit catellum, ſed infantulũ. Colũbus vero allantoidem, vniuerſum fœtum in hominibus vallare, & vrinam inter ipſum & amnion vndiq́;, ſupra, infraq́;, ante & retro cõtinere ſcribit. Notat enim quod in brutis, bobe, capra, equa, & id genus alijs, facta eſt in modũ farciminis, non in homine. In quo etiã choriũ (inquit) non eſt mēbrana, vt in nuper dictis animantibus, ſed craſſa quædam materia inſtar excrementorum, aut viſcoſæ placentæ: quæ ita fabrefacta eſt, vt vaſa, quibus allantois cum vtero nectitur, vnita detineat. Amnium quoq́; in brutis craſſum eſt, vt pinxit Galenus: in hominibus vero tenuiſſima tunica eſt, in his enim & alijs multis, dedita opera, natura nos diſtinxit à belluis.

De prima membrorum, ex ſemine formatione. CAP. IIII.



Iximus ex vtroq́; ſemine, in vtero concepto, & varie permiſto, à facultate formatrice, membra omnia, & membranas fœtum cõtenturas, ceu ex materia gigni. Non gignit autem natura, indifferenter quodlibet membrum, ex qualibet parte ſeminis, ſed calidum ex calida, & frigidũ ex frigida, & de reliquis ſimili modo: oportet

oportet ergo, vt antequã mẽbrum aliquod, aut tunicam efformet, partes seminis suis locis disponat, craßiores, & magis impuras, circumcirca, & in ambitu, pro tunicarũ generatione: vtiliores vero, intus pro corpore efformando. Ex istis vero frigidas atque humidas, simul atq; crassas, ad locum cerebri: æthereas atq; spirituosas, ad locum cordis: Calidas vero atq; humidas, ad locum iecoris: & ad vnamquamq; partem, ex illo semine delineandam, eam partem mittere debet, quæ illi parti sit maxime familiaris. Inepte namque ageret natura, si ante huiusmodi partium dispositionem, efformaret: quod enim vtile est in semine, in tunicarum generatione consumeret, & partes cerebro idoneas, in corde cogeret. Vnde hæc partium seminis dispositio, simultanea necessario euadit: non enim minus oportet, à loco cordis, partem cerebro creando idoneam, separare: quam à loco cerebri, partem cordi creando aptam. Quod si contigerit interdum, vim formantem, in huiusmodi partium seminis dispositione errare, monstrosa multa contingent, homines bicipites, monoculi, hermafroditæ: & alia huiusmodi portenta. Interim vero dum natura, seminis partes suis locis digeßit, actione caloris fiunt magis solidæ, & fingendis membris aptiores: erat enim initio, semen instabile & tremulum, formandis fere membris ineptum, fit autem aptum concrescente magis, & solidiori facto. Concrescit & solidius fit tum calore vteri, tum nutritione propria, quam calor natiuus seminis, & vegetans quæ in ipso residet anima, in ipsomet semine ab initio operatur, ne dissolutum pereat: ante chorij enim, vmbilici, & venarum formationem, tenerrimum & fluidum semen existens exolueretur, si omni nutritione careret. Sed vnde nutritur, si alimentum deferentia vasa nondum sunt creata? Dicendum quod vt ex craßioribus & magis terrenis seminis partibus, tunicæ creãtur obuoluentes fœtum: ita etiam sunt in ipso præsertim in fœmineo, partes aliæ tenuiores, frigidiores, & minus efficaces, quam generationi conueniãt, ex quibus vtilißimum semen nutrimentum summit. Perindeque ipsi euenit, ac cepis: quæ toto anno in domibus suspensæ germinant, nutriũtur, & cauliculos ex se producunt, non aliunde quam ex interno alimẽto, in cepa ipsa reperto: puta ex partibus quibusdam inanimis ipsius cepæ, quas natura in alimentum summit. Nec aliud voluit Galenus, primo libro de Semine, cum muliebre semẽ, virili esse alimentum pronuntiat. Tenuius enim (inquit) ipso cum sit, & frigidius, accommodatius ad alimentum præstandum, quam quidpiam aliud est. Quibus verbis nolim intelligas, vniuersum fœmineum semen, in alimentum masculei cedere: quod enim in nutrimentum iam cesit, nec materiam, nec formam præstat, siquidem alterius virtute in aliud migrat non manet, quare nec materia est, nec efficiens: quorum vtrumque (apud Galenum) ambo semina præstare debent. Ad eum ergo quem diximus modum, semen quod initio fluidum & tremulum erat, ac instabile, nutritur, augetur, & crassescit. Ex eo autem hanc craßitudinem & aptitudinem adepto, natura corpus infantis creat, quadraginta aut triginta diebus: non enim certus, aut præfixus aliquis terminus, formationis est; sed quidam citius,

alij

alij tardius formantur, penes temperaturarũ, atq; sexuum rationẽ: frigido enim temperamento præditi, & fœminæ, tardius formantur, sicut calidi & masculi citius, quoniam ope caloris fit formatio. Incidit autẽ inter graues autores, Aristotelem (inquã) atq; Galenum discordia, de ordine quo membra generantur: Ille enim, cordis generationem, primam esse credit, corq; primum omnium viuere, & vltimum mori censet: Hic vero iecur, ante alia generari docet, & sunt pro vtraq; parte probabiles rationes. Iecur enim ante alia generari (vt Galenus voluit) videtur primo, quoniam est principium alimenti reliquorum membrorũ, quare omnia præsupponunt iecur, siquidem non possunt viuere, sine alimento. Secundo, nam ante animationem, viuit fœtus vita plantæ: ergo cor, nullius tum temporis vsus erat, est enim sedes facultatis vitalis, qua non indigent plantæ, sed solo iecore, in quo naturalis vis habitat. Tertio, nã vena, quæ sanguinẽ pro fœtus alimẽto trahit, recta fertur ad hepar, & postea locũ cordis conscendit. Quarto, nam hepatis facilior est generatio, quã aliorũ: fit enim ex sanguine fuso, qui perinde ac stœbe implet interstitia venarum, quæ ibi disseminantur. Quinto, nam experimentũ Hippocratis, libro de Natura infantis, ostendit sexta die formatũ esse iecur, quando nullum initium cordis fuit visum. Verba autẽ
« *Hippocratis, sunt quæ sequũtur. Ipse equidem, geniturã vidi, delapsam vtero, sex*
« *diebus postea quã concepta esset: quæ qualis mihi tum animo visa est, ab ea reliquo-*
« *rum omnium coniecturã desummo. Verum quomodo illam, sex dierũ genituram vi-*
« *derim, narrabo. Erat vxori meæ, elegans fidicina, quæ cum viris versabatur, nec ta-*
« *men decebat eam grauidam esse, ne minore in pretio haberetur: audierat autẽ illa,*
« *quæ mulieres inter se dicere solent, semen vtero non excidere, si mulier conceptura*
« *sit, sed intus manere: quod quidem audiens intellexit, semperq; animo tenuit. Itaq;*
« *cum forte sensisset, semen non egredi, rem dominæ aperuit: atq; ipse postea factus*
« *sum certior: Iussi protinus vt in terram dissiliret, quod cum iam septies fecisset, ge-*
« *nitura decidit, atq; in terram cum sonitu delapsa est: Illa videns mirari cœpit. Erat*
« *autem oui crudi instar, à quo exterius putamen exemptũ est, & in quo per internam*
« *membranulam, internus humor transparet: Illi sane (vt vno verbo dicamus) erat per*
« *similis, ac rubra præterea & rotunda. Apparebant autẽ in membrana, albæ crassæq;*
« *fibræ, cum sanie crassa & rubente, conuolutæ & implicatæ: ipsa autem exterius, ta-*
« *bo aspersa erat: In eius autẽ medio extabat aliquid tenue, quod mihi vmbilicus esse*
« *videbatur, eoque primum spiritum tum attraxisse, tum reddidisse. Atq; ab eo tota*
« *quæ genituram continet membrana protensa erat. Talem quidem sex dierum spatio*
« *conceptam vidi. Ex qua sententia constat, vmbilicum prius generari, non quoniam*
princeps sit, sed quoniam necessarius ad alimentum. Post hunc iecur, quod reliquis membris enutriendis, debet præstare materiã: cordis autem ne initium quidem, tum temporis apparuit. Nam si sigillatim, Hippocratis verba contemplemur, genitura quam vidit, erat instar oui, idest non prorsus rotunda, sed productior: instar (inquã) oui crudi, à quo exterius putamen delibratum est, siue enim ouum decoquas, siue ex-

ter

ternũ putamẽ non eximas, pellucidum esse nequit: in huiusmodi autem genitura, intraneus humor pellucebat, perinde atq; oui crudi, & à duriori cortice delibrati albumen transparet: albumini enim erat persimilis, intraneus illi humor. Rubra praeterea & rotunda quaedam substantia, intra chorium, praeter albumen ipsum apparuit: quae iecur erat, indistinctum adhuc, atq; informe: nam ex omnibus interaneis, nullũ reperies, quod sanguinem magis aemuletur: siquis enim sanguinem, in aquam modice calidam fundat, ex coagulato sanguine, substãtiam hepati omnino similem reddet. In membrana autem, seu chorio, albae, & crassae fibrae conuolutae, & implicatae: venarũ erant arteriarumq; delineatio, quae ab vteri vasis profectae, per chorium ipsum disseminantur. Sanies autem crassa, atque rubens, quae dictis fibris conuoluta implicabatur, sanguis erat ab vteri vasis, in vasa caepta delineari, tractus pro nutritione. Erat autem membrana exterius, atro sanguine respersa, forte quia (vt notat Gorrheus) ex sanguine in nutritionem accepto, puriorem & tenuiorem portionem assimilat: crassiorem autem & faeculentam excernit, & expellit, in medium vteri & chorij spatium: aut quoniam tunica haec, ob nutritionẽ ex sanguine, carnea & sanguinolenta fieri caepit. In eius autem medio, extabat aliquid tenue, à quo, tota quae foetum continebat membrana, protensa erat: Iudicauit autem Hippocrates, & merito, vmbilicum id esse, primo quoniam medium exacte corporis vmbilicum tenere, constat dimetienti, non cor, vt voluit Aristoteles. Secundo, quoniam nulla prorsus parte, chorion foetui adhaeret, quam vmbilici interuentu & nexu.

Haec quidem praecipua sunt argumenta, quae iecur ante cor generari suadent, quibus alia opponunt Aristoteles, & Auicennas, quae cordi primam originem concedunt: inter quae, princeps est hoc quod sequitur. Reliqua membra, adeo pendent ex corde, vt sine ipso nequeant constare, nec operari: cor enim omnium temperaturas seruat, & actiones vegetiores reddit: incalescẽte corde, febricitant omnia membra, frigente frigent, imbecillo facto imbecilla sunt, emoriente moriuntur, viuẽte vitam accipiunt: aliorum ergo nullum, sine ipso generari, consistere, nec operari quibit: id ipsum vero, sine alijs consistere, non repugnat. In tanta grauissimorum autorum cõtrouersia, audacissimi hominis erit, litem componere tentare, satiusque forte foret, causam vt accepimus reliquisse, quam inter Philosophiae ac Medicinae parentes, sententiam ferre. At malumus cum aliqua vtilitate legentium, audaciam nostram nouisse, quam quae animo concepimus conticere. Prima post semen vtero cõceptum, naturae nostrum corpus fingentis actio (vt dixi) partium seminis dispositio est, qua aetheream mittit ad locum cordis, frigidam ad locum cerebri, & calidã ad locum hepatis, crassas, terrenas, & minus vtiles, circũcirca: ex quibus proueniũt tunicae, & vmbilicus, & venae quae tendunt ad iecur, & arteriae, quae verisimile est, quamuis nõ vsque adeo certum, ad cor pertinere: venae item, vbi iecur fieri debet aperiuntur, & sanguinem illic effundunt, qui postea concrescens iecur est. Apparẽt autem haec, & certa sunt ex anatome, & ex historia Hippocratis recẽsita. Sed interim quaero,

dum

dum hæc fiũt in iecore, venis, chorio, & vmbilico infantis, sint ne otiosæ, nec ne, æthereæ & spiritosæ partes, quas natura misit, ad locum vbi cor fieri debet? esse sane otiosas natura non patitur: si vero operantur, quid aliud quam cor operentur, nõ video. Id ipsum, de partibus cerebro creando, à natura dispositis, deq́ alijs omnibus solidis partibus, quæ tardius formatæ conspiciuntur, inquiro? censeo hercle, omnium generationem simul esse cœptam, diuerso tamen tempore finitam: quòd formationis actio, non sit omnibus æque celer, sed quibusdam tardior. Pendet autem celeritas aut tarditas formationis, sicut & alterius cuiusq́ actionis, ex proportione causæ agẽtis, ad causam quæ resistit. Causa porro agens, calor natiuus est, saltem vt instrumentum, quo formans vtitur facultas: causa vero resistens, seminis est tenuitas, & fluxibilitas: fingi enim solidum, ex diffluente humore, nisi prius concrescat non potest. Hinc ex causa agente, membrum calidius, citius formatur, quam frigidius: ex causa vero resistente, durius & siccius, formatur citius, quam molle humidum atque tenerum. Cor sane quoniam omnium est calidißimum, & ex solida constat materia, ante omnia formari existimo: cerebrum tardißime, plurimum enim & friget atque humet, quæ ambo formationi sunt contraria: chorion, venæ, & arteriæ quæ ab ipso disseminantur, ex terrena constant materia, citæ cõcretioni apta, quæ quãuis calidum, formationis autorem exiguum habeant, ab vteri calore, cuius faciem contingunt, iuuatur adeo, vt statim fere ac iniectum est generentur. Iecur vero, harum venarum generationem sequitur, siquidem eæ (vt diximus) aperiũtur, & sanguinem illic effundũt ex quo generatur: quare quãuis eius esset generatio facilis, quoniã ex sanguine constat, qui citißime coit: quoniam tamẽ per venas, huiusmodi sanguis deriuatur, non fit nisi præmissa generatione venarum, quæ ad eum pertinent. Quo sane tempore, cor fere formatum esse, tam exigua magnitudine, vt non appareat, est verisimile: nam vt autor est Auicenna, nono libro de animalibus, in quibusdam dum primo exoritur, veluti punctus est. Quin ex dictis apparet, omnia radicalia membra, prius formari cœpisse quã iecur: præeuntes enim venas requirit iecur, quæ dũ generabantur, radicalia cætera nõ erãt otiosa. Postquã vero sanguis, ad locũ iecoris effunditur, citißime formatur, quoniã sanguis facile coit, & exigua cõmutatione, in iecur vertitur: citiusque, in cõspectũ venit, quam cor, & alia quæ prius cœperũt fingi. Hinc nos non parum probabile censemus, necessariũ non esse, vt ordo procreationis mẽbrorũ, seruetur in omnibus idẽ, forte enim in eo, qui frigido corde, & hepate valde calido cõstat, generatur prius hepar quã cor. Nã vtriusq́ opinionis autores experimenta afferunt: Galenus historiã ancillæ refert, Auic. vero. 21. 3. trac. 1. cap. 2. ita scribit, « & sermo iste ostenditur esse corruptus, ex via experimenti, quoniã studiosi « in hac re, non testificantur rem esse, secundum quod existimauit omnino ex ratiocinatione. Et Aristoteles. 3. de Partibus animalium, cap. 4. postquã cor in generatione, omnium primũ consistere dixit, subdit. « Hæc ex cõceptione animaliũ perspici « possunt, atq́ etiã ex generatione, cor enim statim omniũ partiũ primũ consistens, « sanguinolentum est: ipsumq́ in prima partiũ generatione, statim palpitare asseuerat.

Si ergo experimenta sunt contraria, ordo non seruatur vnus in omnibus. Nam fœmina quoniam frigidior, decem diebus tardius formatur masculo : non minus autẽ distat cor calidum, à frigido, & iecur calidum, à frigido iecore, quã masculus à fœmina : ergo totidem dies, & plures, cordis aut iecoris formatio, tardari aut accelerari est operepręcium. Nec vtriusque sectæ argumenta, nostræ obstant sententiæ : Quid enim prodest Aristoteli, atq; Auicennæ, quod corde indigeant reliqua membra, & sine ipso nequeant suas actiones obire: si ante animationem, nec verum cor est, nec facultatem habeat vitalem, nec pulsum aliquem, nisi fort e à matre. Formari præterea non est actio membri, sed passio : quanuis ergo sine corde, reliqua membra non possent agere, posset formari & perpeti, ab spiritu formatore. Si simul præterea omniũ radicaliũ cœpit formatio, quantũuis vnũ altero perficiatur prius, aut posterius, vnũ nõ est sine altero, cor inquam sine iecore & cerebro, nec iecur sine cerebro & corde, nec sine corde & iecore cerebrũ: Ab initio enim plasmatis, cor neruũ habet & venã à cerebro, & iecore oriunda, cerebrum venam, & arteriam, & iecur arteriam & neruum. Quid quoque prodest Galeno, iecur esse autorem sanguificationis, & principium alimenti, si fœtus nutritur, ex sanguine matris vtiliori, in ipsius matris iecore elaborato. Quid præterea prodest ipsi, quod vena ante ad iecur, quam ad cor feratur, si cor ex semine, & non ex sanguine erat formandum : si item arteriæ ad cor perueniant, & non ad iecur. Quid præterea ex historia Tibicinæ ab Hippocrate memorata, colligere potest, quam cor ibi non apparuisse, sed iecur : quod cum ex sanguine constituatur, vel ab ipso initio fuit magnum, & visum latere ob magnitudinem non potuit : rubrum quoq; in albo humore translucet maxime, cor vero pusillum, & ceu punctum, vix apparet: quod etiam cũ albũ sit & semineũ, in ipso semine non translucet, sed cum semine facile confunditur. Accedit quod in aborsu, vesica cordis facile rumpitur & dispparet. Dictis addit fidem quod in ijs animalibus quæ ex ouis nascuntur, primum quod oritur, & in conspectum venit, cor est, vt notat Realdus Columbus, lib. 12. de re anatomica.

Nec miretur quispiam, quod cum Galenum aliâs maxime veneremur, hic displiceat nobis, nã nec ipse, sibi fidit hac in re, quæ enim particula sit, quæ primo cõsistit, dum fœtus formatur (vt libro de fœtus formatione scribit) ipse nouit euidenter, qui formauit eam creator. Vnde quanuis eo libro, decernat hepatis generationem antecedere, id non tradit tanquam certum & euidens, sed quoniam probabilius, ob memoratas supra rationes sibi tunc fuit visum : & ob id palinodiam ibi recantat, quoniam in contraria semper steterat sentẽtia. Sic libro primo de Semine capite decimo, cor atque cerebrum, similiter vt hepar, circa primos gestationis in vtero dies, quasi fundamentum quodam generationis obtinere tradit, quanuis non appareat præ paruitate: cui sententiæ nos magis stamus. Et insuper eo tempore, seminis reliquas partes, & spiritus earundem formatores, non otiari arbitramur: quãuis adeo tenuis & inconspicua, quorundam membrorum formatio incipiat, vt vix post multos dies finiatur. Quod quo ordine, qua ve ratione, fabrefecerit natura, explicatius audi.

De

De spiritu formatore, & tempore totius formationis, in quatuor minora tempora diuiso.

CAP. V.



Emen vt Galenus est autor, lib.1.de Semine, cap.7. spiritu vitali, plenũ est, accepit autem ibi Galenus, vitalem spiritũ, pro spiritu gignitiuo, formatoreq́, in quo trium spirituũ, vitaliũ, naturalium, & animaliũ vis est, vt tractatu de Spiritibus, & innato calido dicemus. Ob id recte Aristoteles, semen spumæ assimilauit, multas bullas præ paruitate inuisibiles habenti, & fabulã non improbauit, quæ venerẽ ex spuma natã esse tradit. Ob id si extra effusũ aliquãdo fuerit, paulo post diminutius multo apparet, ob spiritũ inde spirantẽ & abeundẽ, lib. 14. de Vsu part. autore Gal. Hic sane spiritus formator, per vniuersum semẽ abundãs, partes seminis, cuiq́ parti formandæ idoneas, in locum suũ distribuit, vt diximus: in ea autem partiũ seminis dispositione, multæ bullæ rũpuntur, ex quibus intro & ad profundum, spiritus se ipsum seruare cupiens, cessit: neq́ enim velut vapor erat, sed per se mobile principiũ animalis, lib.1. de Semine, cap.10. autore Galeno. Quod sane nihil aliud est, quam spiritũ huiusmodi, animatum statuere, est enim anima in phædro apud Platonẽ, motionis fons, aut origo, aut principiũ: animatum vero per se mobile, id est in se, & non aliunde, habens motionis originẽ: Nam profecto si spiritus animatus non esset, cum sit leuis, & ceu vapor quidam, bullis ruptis euaporaret, & non reciperet se intro, pro sui custodia. Nec vero solæ receptioni sui ad intra fidit, nam tota seminis substantia, cum spiritu introcluso, facile difflueret, nisi chorion dictum crearet, vniuersum semen (vt diximus) vestiens. Nec etiam introclusioni, & chorij operimento fuit contentus, cum enim tenuissimã simul, ac calidissimã substantiã habeat spiritus, facile dissiparetur, nisi alimentũ ex spiritu vitali, per arteriarũ delineamenta acciperet: ob idq́, non inutilem operã insumpsit, in fictione chorij, vmbilici, & vasorũ, quæ hæc ipsa nectunt vtero, & spiritibus ab vtero veniẽtibus, aditum præbent. Spiritus vero formator, ex bullis ruptis introcoactus, non fortuito huc atq́ illuc se recepit, sed vbi vtilior & magis necessarius erat futurus, ad locum nempe cordis, cerebri, & iecoris: vbi tres bullas creauit, cordis, cerebri, & iecoris, ex partibus seminis, ijs mẽbris creandis, inibi ab ipso dispositis, vt autor est Auicenna, Fen.21. 3. tractatu. 1. cap. 2. Hæ sane bullæ, ad initium, etiam ante chorij generationẽ fiunt, præ paruitate tamen non apparent: quæ autẽ ex eis citius apparet, ob causas superius memoratas iecur est, post vero apparent reliquæ duæ, licet omnes simul fieri cœperint. Quando vero primũ apparere incipiunt, ex vicino inter se sita, & se mutuo contingentia sunt: cerebrũ in altiore sede locatur, subiacẽt autẽ ipsi cor & hepar mutuo se contingentia: tempore vero progrediente, hæc iam dicta tria principia longius disparantur, & à se ipsis diducta, manifeste ea videre licet. Quo tempore reliquarũ omnium partiũ designationẽ, & lineamenta, & quasi adũbrationem,

videbis: euidentiorẽ quidem, in partibus quæ circa tria principia generãtur: obscuriorẽ vero, in partibus circa ventrẽ, & multo adhuc his obscuriorẽ circa artus, hi enim posterius apparent. Spinalẽ namq; medullã à cerebro ortã, & craniũ cerebro circũdatũ, venã quoq; cauam à iecore, & aortã à corde prodeuntem, & thorax circũ cor sitũ, euidẽtius quodãmodo perspicies: obscurius quæ circa ventrẽ sunt, & obscurissimã artuũ delineationẽ iudicabis. Iam vero cũ omnia in artubus, sunt plene articulata, corpusq; tot instrumentorũ harmonia effictũ est, anima Dei beneficio accedit rationalis (est enim anima, non cuiusuis corporis forma, sed organici, vt lib. 2. de Anima cap. 1. autor est Arist.) quando & pedibus calcitrare, & velut perfectũ animal moueri dicit Hippocrates. Hæc ergo ad hũc vsq; terminũ, animationẽ, & motũ, perducta formatio, in quatuor tẽpora digessit Gal. 1. de Semine, cap. 11. Primum, cũ seminis species exuperat, & dominatur in cõceptu, & appellatur ab Hippocrate tũc tẽporis genitura, qualis fuit ea, quæ sex dierũ fuit elapsa. Secundũ, cũ carniformis, & nõ amplius seminiformis est cõceptus: quo tẽpore, cor, cerebrũ, & hepar, firmitatẽ aliquã, & magnitudinẽ memorabilẽ habent: rudia tamẽ sunt, & informẽ adhuc articulationẽ, sunt nacta, quo tẽpore, iã nõ amplius geniturã sed fœtũ appellat. Tertiũ deinde tẽpus est, quãdo tria illa principia, sunt manifeste articulata, & reliquarũ omniũ partiũ, obscura quædã & inarticulata adũbratio, & delineatio cõspicitur. Quartum atq; vltimũ tẽpus, exactã habet dearticulationẽ mẽbrorum, animã, & motum: quo tẽpore, puerũ iã appellat Hippocrates, quia vt perfectũ animal, & palpitat, & mouetur. Tria priora tẽpora à semine habet (omnẽ scilicet generationẽ, ac formationẽ) vt plãta: quartũ vero tẽpus, ab anima, & trium principiorum progerminationibus obtinet: vt scribit Gal. 1. lib. de Semine, vbi posuit fœtuum duplex principium, quorum vnum habent velut plantæ ab ipso semine: alterum vero velut animal, à tribus præcipuis membris, cum iam perfecta sunt & absoluta.

Quot autẽ diebus, vnũquodq; tẽpus duret, prætermisit dicere Galenus, ob rei forte incertitudinẽ, nõ enim fœtibus, neq; expressæ formationis, neq; motionis, neq; absolutionis, atq; egressus in lucẽ, vnus præfinitus terminus est, vt Gal. scribit, ad initiũ libri de fœtuũ formatione. Vbi medicũ etiã quendã reprehẽdit, qui cum semel abortiuũ fœtũ, duorum & triginta dierũ, expressa iã, formationis delineamẽta, habere vidiset, id quasi in omnibus ita fieret, asserere nõ est veritus. In vtero calido & in eius dextra parte celerius formãtur pueri, mares quoq; prius quam fœminæ: sicut si victu vtatur calido vtero gestãs, si iuuenis sit & valida, celerius formabit. Cõtra vero tardius, quæ frigidũ vterũ habẽt, & quæ in sinistra parte gestãt, & quæ iuuentutẽ trãsgressæ, inclinantẽ, ætatẽ agunt, & quæ frigido atq; humido victui aßueuerũt. Hæc sane omnia si iungãtur, tardißima fiet formatio: & forte quædam mõstrosa, indistincta, & male articulata, prodibũt: sicut si priora illa iungas, celerrime formabitur fœtus: Scribũt enim autores, visum esse fœtũ, omniũ mẽbrorũ habẽs delineationes, magnitudine apis, & alij magnitudine formicæ magnæ, qui sane nunquam apparuisset, nisi celerrime figuraretur. Contra vero refert Nicolaus Florentinus, quod Iacobus

de Monte caluo, abortũ fœmineum vidit, tertio mense, sine vlla membrorum extremorũ formatione, & aliũ prope mensem quartũ, nullam manifestam formationẽ habentem. Similia forte experimenta, vidit Arist. qui. 7. lib. de historia animaliũ, cap.
" *3. Fœmina (inquit) quæ ante tertium eruperit mensem, indistincta est, nec ante nona-*
" *ginta dies, in vtero sentitur. At in tãta varietate, est frequentiã & raritatem reperire: celerrimã, & tardißimam formationem, rarius videmus, mediã vero frequenter: hanc ceu magis doctrinalem, & cui magis est standũ, pingit Hipp. lib. de natura pueri, vbi distingui quidẽ ac discerni fœminæ artus, intra duos & quadraginta dies vt longißimum, maris vero intra dies triginta docet. Quod probat ex purgatione post partum, & ex aborsibus. Ex aborsibus quidem, nã multæ (inquit) mulieres*
" *puerũ abortiuum, paulo ante trigesimũ diem edidere: sed eũ prorsus indistinctũ, atq;*
" *inarticulatum: qui vero post eum diem, aut illo ipso die eiecti essent, visi sunt om-*
" *nes, cõpositis membris articulatisq́; : sic vero res habet, etiã in puella, ad portionem*
" *duorum & quadraginta dierum, si quando abortu perierit: siquidem vt ante istud*
" *tẽpus, aut postea, vtero fœtus exciderit, sic mẽbra distincta & cõposita merito necessarioq́; habet, puella quidem die secũdo & quadragesimo, puer vero trigesimo. Ex purgationibus vero post partũ, idem probat: nam quæ filiam peperere diebus duobus*
" *& quadraginta purgantur: quæ certe purgatio, vt maxime est diuturna, sic perfecta*
" *est, attamẽ etiam periculo vacauerit, si viginti quinq; diebus peragatur: verum quæ*
" *marem genuerunt, triginta diebus purgantur, estq́; longißima eiusmodi purgatio, ple*
" *na, perfectaq́; : quæ tamen si viginti modo dies duret, nihil prorsus habet periculi. Ex copia ergo sanguinis expurgandi, relicta in matre, cõformationis tarditatem, colligit Hippocrates: nã filia ob frigiditatẽ, & humiditatẽ, minus alimenti absumit, quã mas, qui calidiore et sicciore tẽperamẽto est præditus: quæ vero minus absumit, plus relinquit in vtero expurgãdũ: ob idq́; merito ex multitudine expurgationis, colligitur paucitas calidi innati, & ex paucitate calidi innati, tarditas cõformationis.*
" *Auic. vero. 21. 3. trac. 1. cap. 2. sic scribit. Determinatio autẽ dispositionis, masculi,*
" *& fœminæ, in distinctione spatij, est res, quã quedã pars Medicorũ, indicat audacter,*
" *& stulte: nam multæ fœminæ citius, & masculi etiã plures tardius formãtur Celeriorẽ autẽ formationẽ, siue maris sit, siue fœminæ, agnoscit triginta quinq; dierũ: tardiorem quadraginta quinq;: & mediã quæ frequẽtior est, dierũ quadraginta. Hanc autẽ quæ quadraginta diebus finitur, partitur sic. Primis sex diebus fit spuma, id est ex ruptione quarundam bullarũ, quæ fit, cum partes seminis suis locis disponuntur, spiritus non exhalat, sed introcedit, & vesicas facit cerebri, cordis, & iecoris, ac si in eis partibus spumesceret semen. Deinceps sequitur delineatio mẽbrorũ, quæ exoriuntur à principalibus, quæ fit tribus diebus sequentibus. Sex diebus qui deinceps sunt, delineationes factæ, replentur sanguine, vt membra fiant. Duodecim diebus proximis, sanguis qui lineationes repleuerat, vertitur in carnem. Nouem diebus sequentibus, separatur caput ab humeris, brachia & cubiti à costis, crura ab inuicem separantur, nerui ad articulos deferuntur, nasus, & aures extra*

carnem eminent, & perforantur, oculi humore puro replẽtur, pudendum quale nam sit, manifeste apparet, viscera conformationem accipiunt, venter spiritu attollitur, à ventre & intestinis, in podicem, foras via patet, atque ab ipsa similiter vesica. In summa omnium fere membrorum, conspicuam formationem videbis, pauciorum vero quorumdam obscuram: quæ tamen euidens fit, quatuor diebus sequẽtibus, in quibus vltimum apparatum, obtinuit anima rationalis, cuius merito introducitur. Tardior autem illa formatio, quæ quadraginta quinque dierum est, hac ratione partitur ab autoribus (quam partitionem in Augustinum referunt) primis sex diebus, est seminiformis, nouem sequentibus, sanguiformis: duodecim post hos, carniformis: decem & octo sequentibus, vniuersa conformatio perficitur. Et carmina extant, quæ hæc tempora memoriæ subijciunt huiusmodi.

Sex in lacte dies, tres sunt in sanguine trini,
Biseni carnem, triseni membra figurant.

Quæ sane à quatuor temporibus, in quæ Galenus, vniuersam conformationem diuisit, pene non differunt. Est ergo iam tibi conceptus in vtero conformatus, variorum instrumentorum apparatum, & dispositionem habens necessariam, introductioni animæ rationalis. Anima enim vegetans, & plantatitia, in semine residens, suis facultatibus eo pertraxit semen, vt aptum esset vlteriori formæ, ipsa non abeunte. Nam quorsum abiret, dum propria se actione, in meliorem statum euexit? An interitum suum curauit vegetans anima seminis, dum in vtero sata, altius egit radices, & pabulum ex matre habuit copiosum, ipsaque firmior nutritione facta est? sunt ne contrariæ dispositiones, quas ipsa sibi inuexit? non equidem. A quo ergo corrumpitur? nõ sane ab alio quam ab autoribus quibusdam, qui quoduis monstrosum nobis potius dabunt, quam duas substantiæ formas, in eodem subiecto manere permittant, quantumuis vna, sit alteri, necessaria & præuia dispositio. Quin non modo animam plantatitiam interiment, sed vniuersam hanc organizationem, nexum, formam, structuram & magnitudinem, quam natura, summo artificio quadraginta diebus effinxit, momento pessundant, & sola animæ præsentia reparant, quoniam accidenti repugnet mutare subiectum. Sed male affectis & prauis opinionibus addictis, nec si plura dicantur sat erunt. Fœtus animam accipiens, omnes eius potentias recepit, sentiendi, mouendi, & intelligendi, sunt enim ab anima inseparabiles. Hac non vtitur in vtero, nec extra vtrum recens natus, donec cerebrum madens exsiccetur, & intellectioni aptum fiat. Sentiendi præterea potentia aliqua interiori, eadem ratione non vtetur, nisi ex grandi Dei miraculo huiusmodi duæ potẽtiæ, actiones suas anteuertãt: cuiusmodi fuit, exultatio Ioannis in vtero, de conceptione dñi. Externis sensibus nõ vtitur, nisi tactu, quo calida, frigida, humida, sicca, pungẽtia, cõtundentia, blãda, voluptuosa & dolorosa percipit. Motiua quoq; vtitur in vtero, non tamẽ vt simul, ac animatũ est sentit, ita etiã moueri potest, nam sensus passio est, motus actio: & ob id maiori facultate opus est ad motum, quam

ad sensum, & neruorũ duritie maiori, quæ non statim, sed temporis spatio comparatur. Quantũ autem sit id spatium, ex ijs est quæ exacte sciri nequeũt. Auicẽna vero ne videatur ignorasse, tempori formationis, bis tantũ addit, vt tẽpus motus diuinet: siquidem quadraginta diebus formatur, centũ viginti mouetur: si mas formatur triginta diebus (vt voluit Hippocrates) nonagesimo die, postremo scilicet tertij mensis mouebitur: & fœmina quæ tardius formatur, tardius quoq; mouebitur. Quod sane non placet, nam mulieribus, non est detrahenda fides, de ijs quæ in suo corpore sentiunt, multo autem ante hoc tempus, motum fœtuũ, & quasi volitantis muscæ titillationem, ipsas deprehendisse ex fide dignis accepimus. Nec est ratio aliqua formationis ad motum, quæ certo aliquo temporis spatio, animãtia impediat quominus moueantur, Fortuna vero perpetua esse nequibit.

Quando infanti vngues & pili sucrescant, & an pili & vngues sint animati.

CAP. VI.



Onceptus ætate vlterius labente augetur, & magis ac magis perficitur, adeo vt excremẽta quædam, in vsum corporis conuertat: pilos enim & vngues, ex recrementis, ad corporis decorum, & vtilitatem, ante partum natura creat. Quorum tamen (vt inquit Galenus libro Artis medicinalis cap. 9.) nullum est regimen, sed generatio tantum, hoc est non nutriuntur, nec vere augentur, nec vitam in se continent, nec actionem, nec facultatem, nec gubernationem vllam habent, sed ortum tantummodo ex recrementis, quæ à natura in eam formam protruduntur. Est autẽ vnguium generatio huiusmodi, nerui, ligamenta, tendines, arteriæ, & venæ digitorum, crassius & magis terrenum recrementum, quam carnosæ aliæ partes relinquũt, quod tamẽ proter crassitiẽ non resoluitur, sicut recrementũ carnosarum partium: sed à facultate expultrice, in vnguiũ sedes pellitur, vbi magis resiccatum, magnam duritiem & soliditatem comparat. Pilorum generationis, idem modus est, qui & vnguium, generantur enim, ex crasso & fuliginoso vapore, qui in angustis meatibus cutis detentus, siccatus & vstus, formam oblongam ipsius meatus assumit: hunc autem impellit alter, à tergo illi adhærens, qui tum resiccatur, vnde quod in pilo modo est radix, postea medium, & tandem extremum efficitur: & vulnera ac cicatrices, circa radices vnguium, paulatim abeunt in extremum. At in ijs quæ vere augentur, & viuunt, atq; gubernationẽ, seu regimen aliquod obeunt, posterior pars, nullo modo priorẽ propellit, sed vniuersis partibus, natura semper aliquid adijcit. Hinc pili & vngues præscißi, omni ætate, vel decrepita & præcipitata recrescũt. Hinc etiã hecticis, & tabidis (quibus reliquũ corpus, nõ modo non augetur, sed etiam plane exhauritur & liquescit) ac etiam cadaueribus, vngues & pili succrescunt: quoniã non naturæ attrahentis beneficio, sed excrementi redundantis vi, &

egressu ab radice, duntaxat augentur. Neq́ obstat, quod pueris, vna cum digitis, vngues quoq́, in longum atq́ latū increscunt, pariterq́ in profundum, & ætate crassiores, durioresq́ euadunt: pili quoq́, prouectis, quam pueris longiores, crassiores, ac rigidiores sunt, sine nutrimento intro subeunte: quod enim in latū spargantur, facit partiū à quibus prodeunt amplitudo maior: quod vero fiant crassiores, excremento sicciori, adustiorią facto, est referēdum. Neq́ obstat item, quod pili & vngues, non crescant in immensum, sed definitā incremēti legem & metā habeant, quā non prætergrediuntur: causam enim hoc habet naturalē, quāuis Fernelius vir apprime doctus, lib. 2. Physiologiæ, cap. 2. vnum hoc esse ex his, in quibus non aliud quā mirari liceat, Dei & naturæ prouidentiā scribat. Sed si pilus & vnguis: eo augentur, quod à simili materia propelluntur ab radice, ad eam magnitudinē veniendum est, quæ propelli minime possit: hinc derasi atq́ præcisi citius & crassiores subnascuntur, ob minorē in propellendo resistentiā: quo vero sunt auctiores, tardius, & imbecilliores ꝓdeūt, tandēq́ eā attingūt magnitudinē, quæ nequit propelli. Galeni tamē locus, hic non est prætereundus, qui sui forte immemor, lib. 2. Anat. administ. in fine, de vnguibus agēs, ita scribit. Cæterum in radicē ipsam, non modo neruus, sed etiā arteria, venaq́ porrigitur, vnde sensum, vitā, & alimentū, sicut aliæ partes accipiunt. Quæ sane verba, præterquā quod sunt contraria, ijs quæ tradiderat libro Artis medicinalis citato, falsa videntur. Primo, quoniā licet vena, arteria, & neruus, ad vnguis vsq́ radicē perueniant, non tamen per vnguem, nec per eius radicē propagantur: sed cum radicem attigere, ibi terminantur, vt ex ipso Galeno parum infra elicitur. Secundo, quoniam constat, vngues carere sensu, pulsu, & nutritione: de pulsu ambiget nemo, de sensu monstrat experimentū, quanuis enim vnguē prope radicem incidas, nunquam dolorē mouebis, donec carnē subiectā detegas. Constat quoq́ experimēto Galeni, quod dum neruus aliquis, laqueo circūplectitur, pars nerui quæ infra laqueū est, nō sentit, facultate animali vltra laqueū non delata: si ergo ad radicē vnguis, finitur neruus, vnguem ipsum non reddet sensiuū: non enim est minus neruum finiri, quam laqueo necti. Vngues autē, vera nutritione non ali, constat expirimento à nobis allato, quod vulnera, & cicatrices, circa radices vnguiū, paulatim abeunt in extremū, & quod modo est radix, fit interdum medium, & postea extremū, non enim aliter ac capilli augentur, & renouantur vt idemmet Galenus, eodem. 2. de Anatomicis, parum infra scribit, his verbis. Verum in vngues hæc non dispensantur, eo quod pilorū modo, ab radice exeuntes augētur. Satius enim erat & hos, sicut pilos quoq́ semper renouari, & cum atteruntur, nunquā incrementū suum intermittere. Hinc detegitur error quorumdam, qui dum hæc duo Galeni loca componere student, scribunt: quod radices vnguium sunt animatæ, nutriūtur, viuunt & sentiunt: extremi vero vngues, multum iam à radice recedentes, neque viuunt amplius, neque nutriuntur. Et quod illud voluit in Anatomicis, hoc in Arte medicinali Galenus. Non vident tamen, quod id quod modo est extremū, fuit antea radix, quare aut animā nunc etiam habet

extre-

extremum existens, aut quam habebat amisit. In tanta quoque breuitate, quantam habet vnguis: ridiculum est, extremum à radice multum recedere. Vanum quoque experimentum, ipsos afferre iudico, de vnguium cum ex vulnere deciderunt regeneratione: Regenerantur enim (inquiunt) non aliter, quam reliquæ partes quæ deficiunt, expurgata carne subiacente, & siccata mediocriter: & in pueris citius (vt quibus fortis est facultas altrix) subcrescunt. Sed frustra ex hoc animatos esse vngues colligis, siue enim animati, siue inanimati sint: materia ex qua proueniũt, siccãda est, sicci enim ac duri sunt futuri. Quod vero in pueris regenerẽtur citius (quãquã nec id verũ existimo, propter puerorum humiditatem) potius in abundantiam materiæ excrementosæ, ex qua generantur vngues, quam ex facultate altrice nascitur: rationi enim consentaneum est, vt corpora quæ plurimum alimenti conficiunt, qualia puerorum sunt, plurimum quoque exterant excrementi. Repentinæ autem canitiei causa propter metum, sine nutrimento pilorum est, quod calor natiuus atque humor, qui pilis ex natura conuenit, simul cum reliquo corporis calore, ad arcem recurrens, pilos marcidos, & arescentes relinquit, cuius ratione albescunt, quemadmodum herbæ plurimum exsiccatæ. Quod nostris fere temporibus cõtigisse Didaco de Osorio fama est, qui præ metu, vnius noctis spatio, è iuuene prorsus canus & capite & barba euasit: tantus fuit præ metus violentia caloris, atq; natiui humoris ad interiora regressus.

De situ infantis in vtero.

CAP. VII.




" *E situ infantis in matrice, ita statuit Hippocrates, libro de natura pueri, cæterũ puer vt est in vtero collocatus, manus habet ad genua, caputq; pedibus proximũ: nec vere iudicare possis, ne si in ipso quidẽ vtero puerũ videas, supra ne an infra sitũ caput teneat. Ab Hippocrate mutuatus est Auic. 21. 3. tract. 1. cap. 2. in hæc verba. Et fœtus quidem ante motum suum ad exitum, est sustentatus cũ facie sua super pedes suos, plãtis manuũ superpositis genibus suis, & naso ipsius intra ambo genua, & oculis super ea ambo, & colligit ea ambo ad anteriorẽ partẽ sui. Et est positũ collũ eius & facies ipsius ad dorsum matris eius, defendendo cor: & hæc quidẽ præparatio cõuenientior est ad conuersionẽ faciendã. Licet quidã dixerũt, quod faciei mulieris præparatio, est secundũ contrariũ huius præparationis, & hoc nõ est nisi masculi. Parcant aures delicatæ, quæ sermonis inelegantia offenduntur: ex omnibus enim Medicæ artis autoribus, nullum reperias, qui adeo expresse & ad viuum, situm infantis in vtero depingat. Ijs enim verbis quãtuncũque barbaris, intelligimus totum fœtum, in vtero sic contrahi, vt pedibus nates, manibus genua contingat: ipsique insuper oculi, manuum pollicibus incumbant, & nasus, atque os, & mentum genibus interiaceant, & vniuersa facies, à pedibus non distet plurimum. Quod masculus præterea, anteriore corporis parte, in matris suæ abdomnen, & posteriore in dorsum versus sit: fæmina vero anteriori*

parte dorso innitatur, & posteriore respiciat abdomen, non prætermisit, quod sane verissimum esse monstrāt partus: masculus enim facie in matris abdomen, & fœmina in podicem versa, nascitur magna ex parte. Hunc sane situm infantis in vtero elegit natura, nam magis contractum, ob extremam figuram, laboris & molestiæ plenam, non decuit eligere: nec magis erectū eum collocasse par foret, nam præmeret vētriculum, & diaphragma matris: & etiam instante partu, infans facilius inuertitur, vt in caput ferri possit, quam si esset erectior. Quanuis autem adeo contractam figuram, iuuenis aut grandior puer, præ labore ferre non posset, fœtus tamen qui vtero geritur, ob mollitiem in omnem partem est magis ductilis, & sine labore eam tollerat contractionem, vsq; in tempus partus.

De partibus breuissimis, ante septimum mensem contingentibus, vita superstite.

CAP. VIII.



Vantum autem temporis, insummat in vtero fœtus, à conceptu in partum, disquisitio est, quæ magnos semper viros exercuit: reges, imperatores, pontifices, iurisconsultos, medicos, philosophos & astronomos: adeoq; lubricus semper fuit omnium labor, vt Deo potius quam homine, ad eam rem exacte docendam, opus esse videatur. Nam cum cætera animalia omnia, singulari ac simplici modo, partum suum perficiant (vnum enim pariendi tempus statutum omnibus est) homini vni, multiplex datum est, atq; variū: nam & septimo mense, & octauo, atque etiam nono, parere potest, & quod plurimum decimo, nonnullæ etiam vndecimū attingunt, vt autor est Aristoteles. 7. lib. de historia animalium, cap. 4. & Plinius libro. 7. naturalis historiæ, capite. 5. Quibus verbis, nolim intelligas, cætera animantia ab homine, nullam varietatem pati, inter equas enim, aut asinas (si dijs placet) calidiores, & validiores, & calida regione constitutæ, pariunt citius: frigidiores, minus vegetæ, & frigidā regionem habitantes tardius. Si quis quoque oua plura, gallinæ ad excludendum supponat, non eodem die omnes nascentur pulli, sed quidam decimo nono, alij vigesimo, alij vigessimo primo. Eadem ratione si plantarum ortum, & prouentum spectes, quibusdam annis plures dies anticipant, & postponunt, tempus quo prouenire solent. Quod notat Ioannes Picus Mirandula nepos. 3. lib. de prænotione. cap. 5. vbi refert, quod anno à natiuitate millesimo quingentesimo quinto, mense Ianuario, in agro Bononiense, violæ floruerunt, coccyx & cicadæ cecinerunt, ordea, & frumenta, spicas: arbores, folia, gemmas, & flores emiserunt. Varietatem ergo omnia patiuntur animantia, & plantæ: sed homine multo minus: Cuius forte varietatis in homine maioris, causa est, frequens concubitus, toto gestationis tempore: Perinde enim ac semen, quod herbam ex se cœpit emittere, si rursus aratro proscindas

das disperditur: & gemmantium arborum fructus, si ligone percuseris corrumpitur, ita fœtum in vtero conceptum, si crebro concubitu agites, facile decuties. Cætera vero magna ex parte animantia, vbi vno altero ve maris congressu conceperũt, marem amplius non admittunt. Ob idq; fere nunquam abortiunt, mulieres vero frequẽter. Alijs quoq; causis abortum facientibus, magis se exponunt mulieres, quam bruta, equitationibus, vectionibus, curris, lecticis, plaustris, cingulis arctißimis: quin & animi motibus, plurimum aguntur, ira, timore, desiderio, quæ corpus turbant, humores agitant, & fætum corrumpunt: à quibus bruta, conceptus sui obseruantißima abstinent, & in tempus à natura constitutum, fœtus suos in vtero fouẽt: secus ac mulier, quæ dictis ex causis omni mẽse visa est abortire, & ante nonũ mẽsem exactũ parere. Sexto die aborsus, talis apparet, qualis in historia Hippocratis, de muliere Tibicina supra apparuit. Post diem trigesimam, aut trigesimam quintam, qua iam animam accepit infans, vere ac prorsus conformatum aduertes, in semidigiti magnitudine: in eo autem omnes fere partes, excepto iecore, albas ac spermaticas videbis, caput par auellanæ, & maius quam pro reliqui corporis ratione, oculos vt cancris exertos, nasum, auriculas, brachia, manus, crura, pedes, hisq; digitos secretos, penẽ cõspicuũ, & sub eo scrotũ milij magnitudine, superiora inferioribus maiora, ossa flexibilia quocũq; ducũtur: omnia quoq; cernes cõtecta cute tenuißima, & pellucida, per quam interiora translucent. Secundo mense partes illas solidas, vberius nutritas, & capacitates, quæ fibris seminalibus interciderant, carne mucosa, & lenta, impletas videbis. Tertio mense grãdior est fœtus, carne solidiori præditus, & iniurijs tollerandis validior existit: nam & .1. Epidemiarum, parte.3. com. penult. trimestres, & quadrimestres, iniurijs plurimum resistere dixit Galenus. Quarto mense, firmitatem habet fœtus maiorem, adeo vt nocumentis illatis, à medicamẽto expurgãti valido, resistere iam valeat hoc mense, vt.4. lib. Aphor. com.1. Gal. est autor. Quãuis autem validus, iniurijs plurimum resistens, & pharmaca valida adhibita matri, tollerans sit hoc mense fœtus: nec vidi tamen, nec legi apud autorem aliquem, quempiã eo mense natum superuixisse, nec viuere vlla ratione posse: quin ceu miraculum, inter inditia vniuersalis iudicij, quadrimestrium vita memoratur, libro 4. Esdræ,
" cap.6. in hæc verba. Anniculi infantes loquentur vocibus suis, & prægnantes im-
" maturos parient infantes, trium & quatuor mensium, & viuent & suscitabuntur.
Quarto vero mense transacto, quinto scilicet, sexto, & septimo, qui abortiuntur, viuere possunt: septimo quidem mense frequẽter, quinto, & sexto, adeo rarus est euẽtus, vt ob raritatem, omnes fere, & Medici, & Philosophi, & iuris prudentiæ periti, minime vitales esse statuerint. Hippocrates sane libro de septimestri partu, septimo mense natum, pro ratione natum esse dixit & viuere. Libro quoque de car-
" nibus, in fine, ad hunc modum scribit. Cæterum inexpertus quispiam mirari queat,
" quod septimestris puer nascatur, ego quidem igitur hoc ipsum vidi, & quidem fre-
" quenter. Si quis autem hæc deprehendere vult, facile est obstetrices adire, quæ pa-

rientibus adsunt, & ex ipsis percunctari. Et eodem libro Partum septimo mense, ad perfectionis principium peruenire affirmauit. A quo Aristoteles septimo libro de historia animalium, cap. 4. scripsit, quod qui maturius quam septimo mense prodit, nullo pacto vitalis est: qui septimo vero vitalis primum exit. Ne vero in mensium computatione (quod fieri solet) error aliquis subesset, dierum numerum apposuit Hippocrates, libro de septimestri partu, in hæc verba. Septimestres nascuntur, diebus centum & octuaginta duobus ac dimidio, & insuper accedente diei particula. Galenus item libro quē de septimestri partu inscripsit. Septimestris (inquit) fœtus editionis primus terminus, esse dimidij anni tempus reperitur: quippe cum nulla citra hoc, omnes vltra parere conspiciantur, quod sane tempus centesimo & octuagesimo secundo post conceptum die, & quindecim horis expletur. Hanc Hippocratis sententiam, insequuti imperatores, lege intestato iuxta finem. ff. de suis & legitimis, hæc habet. Post decimum mensem mortis natus, non admittitur ad legitimam hæreditatem: de eo vero qui centesimo octuagesimo secundo die natus est, Hippocrates scripsit, & diuis Pontificibus rescripsit. Et in lege septimo mense. ff. de statu hominum, ita à Paulo Sancitum legimus. Septimo mense nasci perfectum partum, iam receptum est, propter autoritatem doctissimi viri Hippocratis: & ideo credendum, eum qui ex iustis nuptijs, septimo mense natus est, iustum esse filium. Hactenus Paulus. At ex illis quæ multis ante seculis, antiquissimi autores inuenerunt, nihil tam est absolutum, quin dies, ætas, tempus, & nouus labor additus, diutinaque circa ea quæ contingunt obseruatio, aliquid apportarit noui: quod certe tum in alijs, tum maxime in partubus est videre. Nam Auicenna, qui dictis est multo posterior, nono libro de natura animalium, capite vltimo, puerum sexto mense natum, bene vixisse refert: quare septimus mensis, primus vitalium nō existet, sed ante illum sextus. Nos vero certo certius scimus, quosdam superuixisse, non solum sexto, verum & quinto mense natos: quorum miranda quædam exempla, refert Hieronymus Cardanus primo libro contradictionum, tractatu tertio, contradictione octaua, quæ hic ipsissimis autoris verbis referam. Vxor (inquit) magistri Petri Sormani, venditoris maluatici, in via vexillorum Mediolani, ostendit mihi filiam nomine Clarā, quā diebus centū sexaginta octo, post abortū masculi fœtus quadrimestris, Venetijs peperit, & in puerperio lac apparuit, ipsa autem puella exilis, palida & macilenta est annos agens decem & octo. Mater Augustini abduæ patricij inclyti, narrauit vidisse puerū natū sexto mēse, filiū Thomæ Suighi, qui superuixit, cū primis diebus lac nō sugeret, sed immiteretur infūdibulo, & tamē peruenit ad ætatē perfectā, cū nec digiti manuū, nec palpebræ essent separatæ, dū natus est. Hic puellus nepos erat, mulieris famosæ de via lata, medicā artē excercētis. Eufragia virgo deo dicata, in æde beatæ Rodogōdæ, cū mater eius abortisset puerū, quinto nonas Iulij, profecta vero ad coniugē decimo kalēdas augusti, ipsam eufragiā peperit septimo idus Ianuarij sequētis anni: quare cētisima septuagesima die nata est

morbo

" morbo perpetuo natalium iacturam atteſtante, ne quis ad ſuperfœtationem refugiat:
" quanquam nec hæc, minus intẽpeſtiuo partu miraculum afferat. Comitiſſa etiam de
" triuultijs, iuuenculam retulit eſſe, in domo comitis ſancti ſecundi: capite admodum
" paruo, inſanamque natam, vt palam fertur quinto menſe. Quibus verbis patet, quintum atque ſextum menſem, interdum fuiſſe vitales: & forte frequentiora ſpectarentur huiuſmodi experimenta, niſi diffidentia vitæ, & negligentia, multos ſuperſtites futuros, occideret. Accedit quod cum ſæpe initium conceptus lateat, multi forte ex ijs qui ſuperſunt, ſemeſtres & quinque menſium ſunt: ſeptimeſtres autem eſſe creduntur, quoniam viuunt: nam minores nullatenus ſupereſſe poſſe, in opinione erat. Nos vero cum pro comperto habeamus, quinto & ſexto menſe natos, viuere poſſe, ætatẽ ex ipſiſmet qui naſcuntur infantibus, non ex vita metimur. Sex enim dierum geniturã, dignoſcimus ex notis, quas Hippocrates tradit: & fœtũ qui in ſemidigiti magnitudine, prorſus conformatus eſt, triginta dierũ, aut paulo plurium eſſe ſcimus: & vbi paulo grandior factus eſt, & capacitates quæ fibris ſeminalibus interciderãt, carne mucoſa & lenta impletas videmus, duorum menſium eſſe arbitramur: & cum à palmi magnitudine, parum aut nihil deficit, ſolidioremque carnem habet, trium menſium eſſe nouimus: cum vero vnius palmi cum dimidio, menſuram, aut æquat, aut parum ab ipſa deficit, firmusque admodum eſt, quartũ menſem expleſſe dicimus: hanc magnitudinem ſuperant, quinto menſe: ſexto vero auctiores facti, ad eam magnitudinem & firmitatẽ, quam ſeptimeſtres habere ſolent, prope accedunt. Quæ ſane ratio certiſſima eſt, ex ipſo naturæ opere, ipſaq́ infantis ſubſtantia deſumpta: ea vero quæ ex vita pẽdet, ambigua eſt: cum enim organizatũ, animatum, auctum, & roboratum corpus, quinto menſe habeat fœtus, ſi viuat miraculum non eſt, ſed naturæ legibus continetur, quanquã magna ex parte intereat. Sic nos Guadalupe nouimus honeſtam virginem, filiam Antonij Gonçalez argentarij, quæ poſt patris obitũ, quo honeſtiorẽ vitam ageret, in domum religionis obſeruantiſſimæ ſe recepit, in qua per biennium fuit cõmorata, inde vero egreſſa fuit ad nuptias, quas cum viro quodam medico (cuius ſi recte memini cognomen erat Lezcano) contraxit: & quinto menſe a primo hinnitu, filiam abortiuit, quæ quãuis magno labore ſuperuixit tamẽ, & viuit adhuc (vt credo) annum agens decimum octauum. Omnem tamen admirationem excedit, quod mulierem nouimus, ſupra omnes caſtas pudiciſſimam, & chriſtianiſſimã, quæ decima nona die Februarij, vtero cõcepit, & toto prægnationis tẽpore bene habens, die viceſima ſecunda Iunij, cum animi delectandi gratia, lectica veheretur, iumentum lecticarium furia quadam excandeſcens, & anteriores pedes ſublimius eleuans, huc atq́ illuc lecticam tanta violentia concuſſit, vt venter non leuiter ab ipſa fuerit ictus lectica. Ex leui ea animi atque corporis turbatione, leui ſtatim diarrhœa fuit correpta, cœpitq́ lumbos dolere, & media nocte, largum ex vtero ſanguinis profluuim ſuperuenit: dieq́ ſequenti viceſima tertia Iunij, ſeptima hora matutina, dolore magis aucto, abortiuit corpus quodam, figura prope ſphærica, & magnitudine

dini humani capitis: quod linteo obuolutum sub lecto cubiculari, tanquam inutile re posuerunt, donec matri male habenti fuit consultum. Crassam tunc atq; carnosam admodum membranã, quæ totius molis erat extima, & quæ sub ea latebant, forcipe secarunt famulæ, curiositatem magis, quam vtilitatem ex eo actu sperantes. Aqua tunc multa profluxit, in qua innatans apparuit puella, longitudinis decem & octo digitorum, & admodum gracilis, tantaque teneritudine, vt quadantenus per cutẽ, interiora quædam, obscurius pellucerent: & ex quibusdam partibus tenerioribus, ichores sanguinei manarunt, præsertim ex eius pudendo: minus enim solidas habuit venas, quam sanguini exacte cõtinendo, opus foret. Inde extracta, singulari Dei beneficio atq; ope, accedente christianißimorũ parentum, & auorum diligẽtia, industria, & sedula educandi cura, quæ nullos nõ modos, reperit charitate plenos, fuit seruata. Primis duobus diebus, lac infundibulo obtulerunt: A tertio vero die, ex muliere hausit, quæ forte fortuna, mammarum extrema, tam habuit tenuia, vt ne quid in suo genere gracilius, excogitari posse videretur. Vomuit postquã extracta fuit, à tunicis obuoluẽtibus, aquã viridem, ab ea quæ ex tunicis profluxerat, parũ absimilem. Exceremẽta alui, nigra, & viridia, & fœtidißima, frequẽter ex aluo, per plures dies deposuit. Pustulis fœdis ipsius caput cœpit scatere, ipsaq; male sana diutius permãsit: atq; in eius medella & educatione, nullos non labores, nutrices fuerunt perpessæ. Adolescentiam est ingressa, bene sana, ossa (vt audio) habet gracilia, paucæ quoq; carnis est, cursu velox, subnigra, iracunda, inquieta, prompti sensus atq; intellectus, nullos quantũuis duros cibos, non conficit: quæ biliosæ tẽperaturæ, firma inditia sunt, & non parum ad citam conformationem, & integram exarticulationẽ contulerunt. Doctus sane fuit Galenus, doctus Hippocrates, atq; Aristoteles: doctior tamen est ipsa natura, quæ indies nos plura docet. Sic partum semestrem, vidit Auicenna vitalem: semestres, & quinq; mensium, viderat Cardanus. Quinto mense natam, viderunt opidum de Guadalupe habitantes, ex muliere pudica, & domum religionis nuper egressa. Historiam Illustrißimæ & Christianißimæ Virginis audistis, quæ tam certa est, vt ne quid certius excogitari poßit: Vbi tantum valuit, sancta parentũ diligentia, & pietas, vt puella abortita, & per vim exclusa, chorio atq; tunicis obuoluta, centesimo vicesimo quinto die à conceptu, quod spatiũ quatuor mensium solarium, & quinque dierum est, superfuerit. Nec parum ad huius vitam, profuisse existimo, quod chorio, atq; tunicis obuoluta, huiusmodi puella exciderit: nam si in membranarũ disruptione laborasset, vt exitum sibi pararet prius, accedente rursus labore & fatigatione partus, plane interijsset: Ob id enim septimestres, nonimestribus, infirmiores redduntur, lib. 7. de historia Animalium, cap. 4. autore Aristotele: Causa autẽ quæ septimestres reddit infirmiores, quintũ mẽsem agẽtes plane interficeret, infirmis iam ipsis, suapte sponte existentibus. Hæc audiant, & decernãt Legislatores, vt partus quosdam semestres, & quinque etiam mensium, ad legitimã hæreditatem admittant: & insontes pro sontibus, non deinceps ab ipsis iudicentur. Nec enim placet,

cet, quod tacitus, sub casij persona dicit, in omni lege oportere, vt aliquibus iniuria fiat, nam legi ipsæ sufficit, vt multitudini ex ea bene consulatur. At certioribus etiam inditijs, leges vti debent: hæc autem ex fœtus substantia, opere scilicet à natura edito, & ex alijs circunstantijs certioribus, atq; ex negatiua interdum ad locum & tempus præcisa, potius quam ex vita summuntur.

De octomestri, nonimestri, decimestri, duodecimestri, terdecimestri, & quatuordecim mensium partu. CAP. IX.



Ensis octauus, infœlices partus aduehit, & fœtui & matri, apud Aristotelem septimo libro de historia animalium cap. 4. quod voluit etiam Hippocrates, libro de septimestri partu, vbi inquit. " Quod mulieres quæ iuditio præditæ sunt, semper dicunt, ac testantur nasci septimestres, & octimestres, & nouimestres, & decimestres, & vndecimestres, & ex his octimestres non superesse. Idq; voluit Hippocrates obscuris & aduersis verbis, libro de alimento, vbi ita scribit. " Ad partum ducenti quadraginta dies, nō est, & est. Quo ænigmate significat, quod natus mense octauo (nam ducenti quadraginta dies, octo menses conficiunt) aliquo quidem modo est, atque natus videtur, sed re vera non est, quoniam Paulo post intereat. Hinc Alexander Aphrodisiensis, quinto libro Problematū, problemate. 46. merito inquirit, cur septimestres vitales sunt, octomestres vero minime? ex qua oratione nolim intelligas, octomestres nullatenus viuere posse, sed raro fieri vt viuant. Nam Aristoteles, septimo libro de natura animalium, cap. 4. adhunc modum scribit. " Qui autem mense octauo nascuntur, viuere ac adolescere in terra Aegypto possunt, & quibusdam alijs locis, vbi mulieres fertiliores sunt, multosq; simul, & ferunt & pariunt, etiam si monstrosi sint. Sed locis Græciæ multi intereunt, nec nisi per pauci seruantur. Vnde fit vt siquis seruetur, non octauo mense natus existimetur, sed mulierem sui conceptus initium latuisse. Viuunt ergo apud Aristotelem in Aegypto, & alijs locis quibusdam, octomestres fere omnes, in Græcia perpauci. Christorhorus vero Marcellus, vir apprime doctus. 2. libro traditionis de anima, cap. 143. in Italia quoq; octomestres superesse affirmat. Et Auic. 9. lib. de natura Animalium, idem in Hispania contingere meminit. Cordubæ sane vidimus dominā Antoniam de Bernui, octauo mense filium superstitem peperisse, cum tamen nouem mēsibus gestare quotānis sit solita. Et ex certa historia accepimus, quod domina doña Blanca, virgo deo dicata, filia illustris Comitis de Baylen, octauo mense nata, agit nunc annum suæ ætatis vicesimum. Et plura quotidie incidunt experimenta istius modi, quanuis ijs quæ intereunt cōparata, rara admodum sint. Hinc merito legislatores, nunquam hunc mensem a legitima hæreditate exclu serunt.

Nono

Nono atque decimo mense, maxime naturales partus fieri, nemo est qui dubitet, eamque ob rem, Varro duabus parcis, ab his duobus mensibus, inditum esse nomen prodidit. Parca enim (inquit) immutata vna litera, à partu nominata est. Sunt autem tres, morta, nona, decima: quarum quidem prior sic dicta est, quod qui octauo nascitur, magna ex parte moriatur: posteriores autem duæ, à partus tempestiui tempore nomen traxere, nam & apud Maronem legitur.

Matri longa decem tulerunt fastidia menses.

Et Salomon decimo mense ab hora conceptionis in lucem prodiuit, vt ipsemet testatur, lib. de Sapientia, cap. 7. Non sunt autem omnes decimi mensis dies, æque tẽpestiui, sed primi decem reliquis præstant: quod voluit Hippocrates libro de carnibus, in hæc verba. Editur vero in lucẽ partus, mense nono, diebusq́ decem, qui & vitalis, vt qui legitimum hebdomadarum numerum (quatuor scilicet Decadas hebdomadarum) sit consequutus. Quin priores decem dies mensis decimi, nono mense præstare est verisimile, nam naturalissimus partus, & maxime tempestiuus, fit nono mense expleto, consentaneum ergo est, vt fiat primis diebus decimi. Hinc Hippocrates lib. de Natura pueri, decimum mẽsem probat, vt maxime naturalem, & à natura destinatum partui humano: quod nõ de toto decimo, sed de primis decem diebus intelligo: nam qui post priores decem dies nascuntur, serius editi mihi videntur, siquidem ad mensem vndecimum, partum nunquam producit Hippocrates. Ita enim eo loci scriptum reliquit. Quod vero plusquam decem menses, fœtus vtero gestari nequeat, ego dico, quoniam alimentum, incrementumq́, quod à matre puerulus accipit, elapsis iam decem mensibus, fœtuq́ aucto sufficere non potest. Et rursus ibidem ita scribit. Quod si quibusdam visum est, se vterum plusquam decem menses tulisse (id enim iam sæpe audiui) falsæ quidem illæ sunt, eo quem mox dicturus sum modo. In summa autem dicit, flatum vtero receptum, aut menstrua etiam suppressa, vterum in tumorem solere attolere, vnde se tunc grauidas mulieres arbitrentur, quæ si postea concipiant, putant se plus quam decem menses vterum gessisse, non à conceptu, sed à tempore, abs quo, vterũ intumescere, vel flatu, vel mẽsium suppressione senserunt, prægnationẽ supputantes. Non obstat autẽ huic Hippocratis sententiæ, quod libro de septimestri, & libro etiam de octomestri partu, vndecimestrium meminerit: nam per eos, non intelligit rem diuersam à decimestribus: iuxta diuersam enim rationem supputandi menses, naturalissimum tempus partionum, (quod ducẽtis octuaginta diebus cõstat) in mensem cadit decimũ, pariter atq́ in vndecimũ, vt mox dicemus, si Hippocratis prius verba retulerimus, is enim libro de septimestri partu, ita scribit. Porro mulieribus de partubus fidem derogare non oportet: dicunt enim omnia, & semper dicunt, & semper proferunt: neq́ enim aut opere, aut sermone, persuasæ sunt, sed ex eo quod cognouerunt accidisse in corporibus suis: quæ vero iudicio præditæ sunt, & victoriã de hac sententia pronuntiant, semper dicunt, ac testantur, nasci septimestres & octimestres & nonimestres, & decimestres, & vndecimestres.

Libro

Libro quoq; de octomestri partu, adhuc modum scribit, qui decimo, & vndecimo mẽse, edũtur partus, ex septies quadragenis, eodẽ modo cõstituuntur. Atq; hæc ipsa verba, siquis recte aduertat, monstrãt eosdẽ appellasse decimestres, & vndecimestres, eos nimirum qui septẽ quadragenis, id est diebus ducentis & octuaginta eduntur: tot enim dies resultant, si quadraginta per septem ducas: & si in menses solares partiri velis, nouem menses, & dies decem cõpones, quem terminum maxime naturalẽ, & tempestiuũ esse diximus ex Hippocrate, quoniã quatuor decades hebdomadarũ, dies sunt ducẽti & octuaginta. Hunc ergo terminum nouẽ mensiũ solariũ, & decẽ dierum, cõprehendentẽ dies ducẽtos & octuaginta, maxime naturalẽ, tẽpestiuũ, & efficacẽ esse, voluit Hippocrates, quoniã legitimũ hebdomadarum, & quadragenariũ numerum cõprehendit: fit enim omnis actio, & cõmotio valida, in vteri gestatione, atq; partu per septenos, & quadragenos dies. Sed quorsum dices, hunc terminũ cõmunẽ posuit decimo atq; vndecimo mensi, si simul hi duo mẽses cõstare nõ possunt? Hoc sane fecit Hippocrates, vt varietatẽ mensium notaret, nã si menses solares, qui triginta diebus cõstãt cõputes, ducenti octuagina dies, incidũt in decimũ diẽ mensis decimi: si vero gestationem, & partum, metiri malis, mẽsibus lunaribus proprie dictis, qui definiuntur profectione lunæ, ex vno puncto Zodiaci, atq; in idẽ redditu, quod viginti septẽ diebus, & horis octo fit: ducenti & octuaginta dies, incidũt in septimũ diẽ mensis vndecimi: quod si mensem ciuilẽ, qui est à cõiunctione in cõiunctionẽ spectes, qui cõstat diebus viginti nouem, & horis prope tredecim, mulierq; post plenilunium cõcipiat, ante scilicet quã ipsa purgetur (solitæ enim sunt purgari decrescẽte luna, apud Arist. 7. de hist. anim. cap. 2.) ducentis & octoginta diebus natus, vndecim lunas attinget, & decies menstrua sibi defecisse oportet, quare vndecimum mensem agere arbitrãtur mulieres, tum ex menstruorum cohibitionibus præteritis, tum etiam ex lunis quas attingunt. Atq; hoc est quod cõceptis verbis, voluit Hippocrates, lib. de octomestri partu, vbi ita scribit. Ex his igitur omnibus, necessariũ est plerasq; mulieres, circa plenilunium, & vltra in ventre concipere, vt ducenti octuaginta dies, sæpe vndecimum mensem apprehendere videantur, tot enim dies septem quadragenarios cõstituunt: nã cum vltra plenilunium mulier concipit, necesse est cum conceptũ vndecimum mensem attingere, ac apprehendere, quoad vltimum circuitũ perueniat. Merito igitur cõmunem hunc terminum fecit Hippoc. siquidem diuersi, diuersa ratione supputãt, & ex varia supputatione, in decimum, & in vndecimum mensem, idem dies cadit. Ex quibus luce clarius apparet, vndecimestres nullatenus recipi ab Hippocrate, si per menses solares fiat cõputatio. Aristoteles præterea 10. sect. problematũ, problem. 41. & Alexand. Aphrod. sect. 5. problem. 46. vltra decimũ mensem, nõ progrediuntur. Idẽ tamen Arist. 7. de natura animalium, cap. 4. plerasq; mulieres vndecimũ tangere adstruit. Et Plin. lib. 7. naturalis historiæ, cap. 5. vestiliã refert, Caij Herdicij cõiugem, Gillum rufum vndecimo peperisse mense. Et conciliator diff. 49. qui vndecimo (inquit) nascitur mense, quia tunc ad potestatẽ reuer-

reuertitur solis, poterit viuere, licet partus non sit naturalis omnino, Et Aulus Gelius libro tertio Noctium acticarum, cap. 17. de Varronis sententia scribit, vndecimo mense aliquando nasci hominem posse: idque à Varrone libro 14. rerum diuinarũ proditum esse. Quin & vsu hoc quoq; venisse Romæ cõperit, fœminã bonis ac honestis moribus, nec dubia pudicitia, in vndecimo mense post mariti mortem peperisse, factumq; esse negocium, propter rationem temporis, quasi marito mortuo postea concepisset: quoniam decem viri, in decem mensibus gigni hominem, non in vndecimo scripsissent. Sed causa postea ad diuum Adrianum delata, ac cognita, decreuisse: in vndecimo quoq; mense, partum edi posse, idq; statuere se, requisitis veterũ Philosophorum, & Medicorum sententijs. Cui tamen decreto, contrariũ factum est aliud, ab Imperatore Iustiniano, qui epistola quadam, quæ in nouis ipsius constitutionibus habetur scribit, idem suis accidisse temporibus, natumq; mulieri filium, anno post mariti mortẽ, nondum quidem confecto, sed affecto, sub finẽ videlicet vndecimi mensis: de quo cum apud eum quæstio esset instituta, pronunciauit partum illum non esse legitimum, nec dici posse ex defuncto viro susceptum, quoniam fœturam in tam longum tempus, trahi posse non existimaret. Sed Iustinianum maxime demiror, atque omnes Legislatores moneo, ne quod fieri potest, impossibile fore dicant: Gaudet natura sæpe huiusmodi varietate, quasi nobiscum ludens, & non solum vndecimo mense, verum & duodecimo, & decimo tertio, & decimo quarto, interdum partus profert, siue ob imbecillitatem, ante perfici fœtus nequiuerit: siue ob frigiditatẽ temperaturæ, aërem externum non ante postulauerit, nec respirare statuerit: siue copia alimenti, non defuerit, sed sibi suppetierit abunde. Quod si cum his, facultas vteri retentrix iungatur valida, & expultrix imbecilla, serius quam aliter edetur in lucem infans. In summa quod fuit olim, & nunc contingere poterit non minus, idq; natura duce, & hac in re si qua in alia, maxime est credendum historijs, & mulieribus probatæ virtutis, & pudicitiæ non ambiguæ. Ad duodecimum autem mensem partum produci posse, visum fuit Homero, summo non modo Poetæ, sed etiam Philosopho, scripsit enim Neptunum dixisse, puellæ à se recens compressæ,

Gaude hoc complexu, nam cum se voluerit annus
Formosum puerum paries, haud irrita diuum
Connubia.

Et Hieronymus cardanus lib. 1. Contradictionum, tract. 3. cap. 8. refert patrem suũ, decimotertio mense natum fuisse. Et Auicenna lib. 9. de Natura animal. cap. 5. ita scribit. Iam dixit mihi vnus fidelis, quod vna mulier peperit post decimũ quartum mensem, & bene dixit. Et Plinius secundus, lib. 7. cap. 5. refert, Lucij papirij prætoris edicto, bonorũ possessionem infanti datam esse, contra secundum hæredem, cum tamen mater, partum se quatuordecim mensibus diceret tulisse, quoniam nullum certũ tempus pariendi statutum videretur. Et hercle si mulier honestis moribus, & probatæ pudicitiæ, de qua nemo ambigat, ante aut paulo post mariti mortem

tem, vel absentiã, concepisse se perhibet, & vterus indies, magis ac magis attollitur, postea vero partus producitur, in vndecimum, duodecimũ, decimum tertium, aut decimum quartum mensem, iniuste admodum vocabitur in ius, aut à marito redeunte, aut àb agnatis, ipsam ab hæreditate mariti excludere volentibus: ratio enim naturalis, præponi debet, cuicumq; quantumuis frequenti supputationi.

Tempestiui partus causa ex astrologia petita irridetur. CAP. X.



ED ne huic tractationi aliquid deficere videatur, quatuor sunt inquirẽda. Primũ, qua de causa tempestiuus partus, nono fiat mense & decimo. Secundũ cur quidã partus anticipent, & alij postponant, legitimũ pariendi tempus. Tertiũ, cur octimestres raro viuant, cum tñ cõstituantur, inter septimestres & nouimestres, vitales vtrosq;. Quartum, sit ne supputatio in vteri gestatione, facienda per menses solares, an per lunares. De primo, diuersi diuersa sentiunt, & vnusquisq; ex professione quam tractat, causam tradere studet: Astrologi ex astris, arithmetici ex numeris, medici atq; philosophi ex natura. Astrologi sane, qui nec meiere nos, nisi ad id nos astra vocent existimant, omnium septem planetarum vim, atque actionẽ, per singulos menses, fœtũ debere experiri tradũt: & incipiũt à saturno, qui primo mẽse, semen vtero cõceptũ, frigiditate atq; siccicitate sua cogit, & firmat, ne sine eius actione difluat ac excidat. Secũdo mense iupiter afflat, & calore atq; humiditate tẽperata, genituram fouet, dilatat, & eius augmento præesse dicunt. Tertio mẽse mars, calore atq; siccitate, intẽperatioribus, humidũ superfluum absumit, & depascitur: cuius ratione formatis magis membris, motũ cõcedere statuunt. Quarto mẽse accedit sol, cuius beneficio & efficientia, ossa excauãtur, meatus corporis euadunt ampliores, & vniuersæ formationi, postrema manus imponitur, & anima atq; vita fœtui largiuntur. Quinto mẽse venus, tẽperata sua frigiditate, atq; humiditate, tẽperat martis, atq; solis, calorẽ ac siccitatẽ fœtui impreßã, simul & venustatẽ, decoremq; cõciliat infanti. Sexto mense cũ nihil reperissent, quod ageret mercurius, ne infantẽ insalutatũ relinquat, iubent ei vt solidas partes vehementius exsiccet, & motus instrumenta expoliat, quo agilior reddatur ad motũ. Postrema accedit luna, mense septimo, quæ frigiditate atq; humiditate sua, infanti copiosius nutrimentũ ministrat, humores, & humidas partes, carnẽ pinguedinẽ & medullas auget, vterũ humectat & partioni præparat. Superiorũ quoq; astrorũ vires, quoniã infima est recipit: & quoniã nobis valde ꝓxima, cumulatius ipsas in fœtũ regerit, & refundit. Hoc ergo tẽpore si nascatur infans, quoniã omniũ planetarũ beneficiũ sensit, & per singulos profecit, & auctus est, vitalis prodit: qui si nõ exeat, ad saturnũ rursus redit imperiũ, nõ quoniã saturno indigeat cõceptus, frigidus enim ac siccus, et vitæ cõtrarius est: sed quoniã ita postulat circulationis, aut ordo, aut verius ludus ridiculus. Ob id sane inquiũt, octauo mẽse natũ nõ viuere, quoniã afflatũ habet ex regnãte planeta, vitæ cõtrariũ: donec mẽse nono, nostri misertus Iupiter, calorẽ et humiditatẽ, vitæ cõgruas, rursus aspiret.

Quæ ſane omnia erroris plena ſunt, quoniã planetis imperãt, vt volũt: & ſane impe rite ac ſtulte. Nã cõceptio calore perficitur, nõ frigore, male ergo ſaturno, vt concep tionẽ ineat primũ imperãt: Semẽ ſane quod eiaculatur, in vtero calido cõcipitur, & caloris ope chorio veſtitur, quemadmodum placentæ, & reliqua omniaquæ piſtores, in aliquo vaſe calido, amploque cõficiunt, cruſta vallantur, vt ex Hippocrate libro de natura pueri, & Galeno priori lib. de Semine ſuperius diximus: hanc ergo actio nem, ab ipſis miſſus ſaturnus impediret, nõ iuuaret. Ioui quoq; præcipiũt ſecundo mẽ ſe, vt humiditatẽ impertiat, qua ſane, non indiget cõceptus, humidiſsimus exiſtẽs: & nihil æque primis menſibus, formatrici facultati impedimẽto eſt, ac humiditas & flu xibilitas, quæ quo magis exiccatur, eo prõptius ab ſpiritu formatore tractatur: Di ximus enim ex Gal. 1. de Semine ante finem, quod ſicut liquidũ lutũ impreſsionẽ, ac fictionẽ vllã nõ admittit, mediocriter induratũ admittit, ita primæ atq; recẽti fœtu ræ accidit, quæ lacti recẽter coagulato ſimilis eſt: ac queadmodũ illud, caſearij nondũ formare aggrediuntur, priusquã ſatis idonea coagulatione cõcreuerit, eodẽ modo, ani mal, non antea natura effingere conatur, quã cõuenientẽ duritiẽ adeptũ ſit. neq; etiã ſi conaretur, quicquã efficeret, cum materia nondũ firma ſubiaceat, ſed inſtabilis ad huc & tremula ſubterfugiat. Videant ergo ne iouis humiditate, relaxent & delite rent, quæ ſpiritus noſtra corpora fingens, ſiccitatis ope procurat effingere. Martis quoq; actio, qua ſuperfluã humiditatẽ exiccãt, neceſſaria nõ eſt, ſi iouẽ humefacientẽ non præmiſſerũt: & ſi exiccãda eſt, non affatim, & per vehemẽtes qualitates, qua les tribuũt marti, ſed paulatim, et modice (quod à calore natiuo fit) deſiccãda veniet: Omne enim nimis, etiã in redditu ad naturã, naturæ eſt inimicũ. Nec multum facit mars, ſi tertio iã menſe, motũ concedat infanti: ſecundo enim menſe, ante martẽ miſ ſum, mouentur plurimi, ſi matribus (ſe ſe velut muſcæ titillationẽ, aut paſſerculi vo litationẽ exiguã in ventre deprehẽdiſſe dicẽtibus) fides eſt habẽda. Solis efficientiã, non modo quarto mẽſe, verũ & toto geſtationis, atq; vitæ tẽpore agnoſcimus: qui ve luti cauſa vniuerſalis, particularibus omnibus, & proximis cauſis, motu & lumine eſt adiumẽto, & hæc fere inferiora regit, acceſſu atq; diſceſſu: quod voluit Ariſt. ſe cundo phiſicæ auſcultationis dicẽs: ſol & homo generãt hominẽ. Et libro de genera tione: accedente ſole fiunt generationes, & recedẽte corruptiones. Ver enim, æſtas, autũnus, & hyems, à ſole ſunt: ex quibus & nos, & noſtra omnia pendẽt: agens autẽ immediatũ, nunquã eſt ſol, ſpiritus enim formator eſt, qui oſſa proxime excauat, et meatus corporis reddit ampliores, & qui fœtus formationi & gubernationi, primã & poſtremã manũ imponit, nõ ſol. Animã quoq;, & vitã, ſenſum, atq; motũ, ante hũc menſem, habuit fœtus. Venerẽ duo facere ſtatuũt, tẽperare calorẽ, atq; ſiccitatẽ à mar te impreſſã, & venuſtatẽ, atq; decorẽ conciliare: quorum primum ſuperfluum eſt, ſi martẽ non præmittãt: ſecundũ vero impoſsibile, nã venuſtas, & decor, ex cõpoſitio ne pendet, & qualitas eſt quæ cõſurgit, ex proportione partiũ adinuicẽ: quare quã do partes primo menſe fuerunt formatæ, tũc venuſtas aut deformitas acceſsit: nec

enim

enim ad eas qualitates est motus, nec aliqua actio per se, vti nec ad sanitatē, sed alio rū mutationes, sequūtur necessario. Mercurium dixerunt sexto mense, nihil aliud agere, quā expolire, exsiccare, & postremā manū imponere, ijs quæ ab alijs planetis acta sunt: quare si priores ab efficientia destituas, aut si sua forte opera perfecisse statuas, otiosus accedet mercurius. Lunæ efficientiā, vti & solis, cū primis, tū postre mis mensibus nō negamus, vt causa enim vniuersalis, agit & generat astrū, interuē- tu scilicet particulariū causarū, quæ nobis sūt proximæ: natura namq; statutū est, vt vniuersalia agētia, adiumēto sint particularibus, & proximis causis, sine quibus ta- mē nihil efficiunt: demōstratum siquidē est à philosophis, quod vbicunq; vnius effe ctus, plures sunt causæ eiusdē generis, certo ordine illū efficiūt, gignūtq; ita vt alia prior sit, alia posterior (Alioqui hoc sequeretur incōmodū, quod vnius effectus, sint duæ causæ eiusdē generis, per se proximæ & immediatæ, & sic vnū à pluribus pro- ficisceretur, in eodē genere, ac modo causandi) Sol aut luna, aut quoduis aliud astrū, nō generat, non format, non auget, nec fœtum immediate attingit: sed in genere cau sæ vniuersalis, causas magis proximas mouet, calidū scilicet innatū, & spiritum for matorē, qui nos à principio format, & in posterū auget, atq; gubernat, vt. 1. Aphor. com. 15. Gal. est autor. Reditū saturni octauo mense, & aliorū planetarū suo ordi ne, per mēses qui deinceps sunt, diximus ridiculū esse, & valde iocosum: nā si primū mensem, ob id cōcesserūt saturno, quoniā semen tenue & fluidū, eo indiguit ad cōcre tionē, idq; sapienter à natura, sic fuisse institutū prædicāt, insulse & imprudēter ad- modū, mense octauo redire cōfiteantur oportet: siquidē vsum aliū nō præstat, præ terquā, quod septimestrē naturæ in homine formādo, atq; expoliēdo artificiū, vnius mensis spatio pessundat. At reditus hic saturni, nō prodijt necessitate, nec vtilitate aliqua, sed ne astrologi viderentur ignorasse causam, quare octomestres intereāt, sa- turnū interēptorē statuere satagerūt. Hæc præterea astra, cū sint agentia naturalia & semper adstent, semper operabuntur, prout cuiusq; natura tulerit: ita vt ab initio & per singulos menses, in semine atq; fœtu, omniū astrorū actio reperiatur simul, nō per vices, aut per menses quod volunt: nam primo mense cum operatur saturnus, cur non operabitur sol, aut quis eius actionem remorabitur?

Tempestiui partus causa, ex arithmetica & pythagoreis *exploditur: & vera causa ac naturalis traditur.* CAP. XI.



SSENT sane astrologi, maxime omniū deliri, nisi gens alia accederet, quæ multo minus congrua, & naturæ conuenientia traderet. Arithmeticos dico, qui effectricem vim, adscri- bunt numeris: minorem paribus, imparibus maiorem, atque frequentiorem: eo quod impar, perfectio est pari: partim quia est principium paris, partim quia diuiditur in par & impar, quod par non facit. Hinc imparem celebrantes, finitum, masculum, perfectum,

& formam esse prædicant: Contra parem, infinitum, fœminam, imperfectum & materiam esse definiunt. Ac proinde factum est, ex septenarij, atque nouenarij natura cum impares sint, ac proinde perfecti, vt partus perfecti, atq; vitales, septimo, atque nono mense edantur: octimestres contra, imperfecti & qui mox intereant, quoniam octonarius sit par. Cum vero de mense decimo, illis obijcitur, quod sit par, & vitales ferat: & de tertio quod sit impar, & perfectior septenario, & nouenario, minime tamen vitales edat: Respondent, decimum inter pares, maxime perfectũ esse, est enim numerorum omnium perfectio, & complementum: vnde omnes per denarium numerant, continetque omnia numerandi genera, par, impar, quadratum, lõgum, primum, compositum, & nescioq; alia vocabula ab ipsis effictа. Ternarius vero licet sit impar, & perfectior, non edit partus vitales, propter materiæ indispositionem: neq; enim vt crisis fiat, satis est diei naturã adesse, sed materiã etiam coctam, & præparatam esse oportet, vt tuto morbus iudicetur. Hinc dierũ decretoriorũ rationẽ, & efficientiã in numeros ipsos referunt: & quod crises in imparibus diebus, magna ex parte contingãt, ob imparis perfectionem: & quod febris quæ diebus paribus reliquerit, rediret soleat, quæ vero in imparibus, certiorem salutẽ ostendat: & quod morbi qui repetunt per pares, sint lõgiores, qui per impares breuiores. In summa numeris tantũ tribuunt Pythagorei, vt ex illis constare omnia dicant, & in ipsis mirã quandam vim, & facultatem, tam ad bonum quam ad malum, inesse prædicent: mundum enim, quatuor cubalibus numeris constare aiunt: animam quoque, & vnamquamque rem, certis numeris constituunt. Hinc superstitiosa multa orta sunt, pentaphylum enim herbam, quinarij virtute venenis resistere, & pellere demonia existimant: eiusq; folium vnum, bis quotidie ex vino sumptum, ephemeram, tria folia tertianã, quatuor quartanã sanare existimant, virtute vnitatis, ternarij & quaternarij. Itẽ masculum quemq; septimũ, sine fœmella intermedia editum in lucem, solo tactu, vel verbo, curandarum scrophularum facultatem habere, & septimam quamq; filiã, nullo masculo intermedio natam, mirabiliter partum sua præsentia adiuuare, virtute septenarij. Huc etiam referũt, dies clymacterios, qui sunt vitæ, fortunarumq; hominum, difficilia pericula, qui per ternos, septenos, & nouenos, vitã hominis quasi per κλίμακας idest gradus quosdã agunt: Inter quos annus vicesimus primus iuuenibus, & sexagesimus tertius senioribus, cũ periculo vitæ, aut morbi grauioris, venire obseruarũt antiqui, vt scribit Gellius lib. 15. cap. 7. quod nõ alia ratione venire affirmant, quã numerorũ efficacium vi valida: Fit enim vicesimus primus, ex ductu septinarij per ternarium: & sexagesimus tertius, ex ductu septenarij per nouenarium, & ex ductu vicesimi primi, per ternarium. Quin si recte aduertimus, omnes grandes mutationes, recipit homo per septenos: si septem horis à concubitu, fœmina semen contineat, certum est concepisse. Hic autem conceptus, primis septem diebus figuratur. 7. libro de historia animalium apud Aristotelem. Septimo mense completur fœtus, & si partu fuerit eiectus viuet. Septimo die à partu, grandem obitus euasit

euasit periculum, vt Arist. loco citato: septimo mense dentiunt, vt refert Paulus Aegineta, lib. 1. cap. 9. septimo anno redentiunt: Quarto decimo pubescunt, & hircire incipiunt, semen emittentes infœcundum: Vicesimo primo, grande vitæ subeunt periculũ, & semen fœcundum, vsq; in decimum septeniũ accipiunt, quãdo iã vitæ periodus adest vltima, reliquũ enim vitæ tẽpus, labor & dolor est, apud psalmistã, psal. 89. Numerorum præterea efficientia, nõ paruam fidẽ accipit, ex musicis consonantijs, nulla enim alia ratione diapason, diatesaron, & diapente consonantiæ sunt, nisi ob numerorum proportionem, duplam, sesquialteram, & sesquitertiam: sicut ergo cõsonantias efficiunt, certa proportione, & dissonantas si ab ea excesserint, alia quoq; multa efficere, absonum non erit. Mirum sane est, quod ob numeri & consonantiæ cõuenientiam, festuca decidat ex chorda, in eodem puncto temperata: quod nisi ex numero contingat, non vident. Hanc numerorum præstantiam, & efficientiam, agnouit præter Pythagoram, Plato in Epinomide, & Parmenide: hanc recepit Arist. 1. lib. Cæli, cap. 1. vbi numero ternario tantũ tribuit, vt ipsum appellet, legem quandã naturæ, secundum quam naturalia omnia disponantur: in hanc etiam admirationem, ductus Virgilius dixit, Numero Deus impari gaudet: & alibi in laudem septenarij, O terq; quaterq; beati. Quin si Hippocratis sentẽtias, de tempore partus expendamus, vniuersam rationem partuum vitalium, in quorundam numerorum vim, & efficaciam ipsum reiecisse comperiemus: eius autem sententiam, melius fortasse, Hippocratis verba nobis recitantibus, quã aliter omnes intelligent. Sic ergo scribit lib. de carnibus ad finẽ. "Puer septimo mense natus, pro ratione natus est, & viuit: habetque rationẽ ac numerum, ad hebdomadas vere & exacte respondentem: mense autẽ octauo, nullus vnquam vixit. Nouem vero mensiũ, & decẽ dierum, partus fit & viuit, & habet ad hebdomadas, numerum exactum. Et lib. de septim. partu, ad hunc modum: "Septimestres nascuntur, diebus centum & octuaginta duobus ac dimidio, & insuper accedẽte diei particula. Eodẽ præterea libro de carnibus, in hunc modũ scripsit: "Quatuor denarij hebdomadum, dies sunt ducenti & octoginta: in denarium autẽ hebdomadum, septuaginta dies incurrunt. Habet autem & septimestris partus, tres denarios, siue decades hebdomadum: & in vnaquaque decade septuaginta dies: tres vero hebdomadum decades, ex toto sunt dies ducenti & decem. Libro quoq; de octimestri partu, sic scribit. "Cæterum decimestres & vndecimestres partus, ex septẽ quadragenarijs eodẽ modo fiũt, velut ex dimidio anno septimestres. Ex quibus locis manifestũ est, vniuersam partus rationẽ, referri in numeros, & quanti faciat quadragenos, & decades septimanarũ Hippocrates. Multo vero apertius id edisserit libro de septimestri partu, vbi acutorum morborum liberationem, partum, & maxima quæq; in natura, septenario numero perfici docet, & alijs numeris alia. "Morbi (inquit) & sanitas, & mors, conceptus, abortus, & partus in mulieribus, hæc omnia partim secundum dies, partim secundum menses, partim secundum dierũ quadragenarios, partim secundũ annũ significationẽ sui præbent. Et eodẽ lib. In omnibus his tẽporibus

insunt ad vnumquemque & vtilia multa, & hostilia multa. Et infra, dies (inquit) maxime insignes in plurimis sunt primi & septimi, multũ potentes in morbis. Et eodem libro, Menses (inquit) mulieribus sanis singulis mensibus apparent, tanquam peculiarem in corporibus vim mensis habeat. Et paulo post subdit, eadem ratio est etiã in decretorijs diebus. Id est sicut menses, peculiarem in corporibus vim ac potestatẽ habent, qua immutare corpora, certa quadam ratione poßint, & menstrua deturbare: ita decretorij dies, eandem in morbis potestatem habent, quoniam par in mensibus atq; diebus ratio subsit. Et eodem libro ita scribit. Medicum qui ægrorum salutem recte coniectare volet, animaduertere quidem oportet, & contemplari omnes dies: ex paribus vero decimum quartum, & vicesimum octauum, & quadragesimum secundum: hic enim terminus ponitur à quibusdã pro harmoniæ ratione, & integer ac perfectus numerus: verum ob quã causam longius fuerit in præsenti exequi. Qui sane Hippocratis locus vel eo maxime est aduertendus, quod à causa tradenda dierum decretoriorũ abstinere decreuit (& vtinam ita fecisset Galenus) quoniam longum, laboriosum, & inutile id fore est arbitratus.

Sed hæc Pythagoreorum sententia de numerorũ efficientia, adeo est ridicula, vt Galenus. 3. libro de diebus decretorijs, cap. 8. miretur: quo modo pythagoras, huiusmodi nugas numeris tribuens, in tantam sapientiæ venerit opinionem. Et cap. 11. deridet eos, quòd in tantam venissent insaniam, vt numeros, Mineruæ, Dianæ, atque Apolinis nomine, pro vt quemq;, minus magis ve laudare, vel etiam vituperare libitum est, insignirent. Eoque stupiditatis venerunt, vt septenarium magnifacientes dicant, pleyadas septem, & vtramq; vrsam septistellam, immo & thebarum septem portis, & septem ostiorum nili meminerunt: ac si Dion pleureticus, aut theon perimneumonicus, septimo ob id die fuisset iudicandus: at hic interdũ quarto & quinto, ille nono aut decimo iudicabitur. Sed rationibus istorum opinionem præterea cõuellamus, ne aliquid hic deesse videatur, primo sane, si imparitas esset ratio & causa efficiendi, nunquam perfecta crisis fieret quarta die, nec in decima quarta, nec maximæ naturalis partus, fieret decimo mense, deficiente imparitatis ratione. Secundo, quoniã impares etiã horæ diei, creticæ essent, tũ ad iudicãdum morbos, tũ etiã ad excludẽdum partus, & ad quiduis aliud faciẽdum: & cũ vndecumq; posset incipere numerus, fierent omnes horæ efficaces, simul & inefficaces ad effectũ. Tertio, nã ex numeri paritate, nõ recte demonstratur imperfectio numeri: octonarius enim, de quo nõ ob aliud sinistre sentiunt, & loquũtur, quã vt ponãt eum interẽptorẽ partuũ octomestrium, iuxta ipsorum dogmata maxime perfectus est, nã ijsdẽ ipsis autoribus, solidum ex eo corpus, & vere perfectũ cõponitur: ergo singulariter quoq; plenus perfectusq; iure dicetur, propter corporeæ soliditatis effectũ. Est enim ille de his (vt ipsi dicũt) qui nec generãtur, nec generãt, ex monade & septẽ cõstitutus: et ex eo quod tũ generatur, tũ generat, nẽpe quaternario duplato cõsistit: quin etiã octonariũ pythagorici, iustitiã vocauerũt, quia primus omniũ, ita soluitur in numeros pariter pares,

hoc

hoc est in bis quaternas, vt nihilominus in numeros æque pariter pares, diuisio quoque ipsa soluatur, in bis bina: eodem etiam modo contexitur, bis bina bis, octo componunt: quare cum eius compositio, pari æqualitate procedat, & resolutio æqualiter reddeat vsq; ad monadem, merito propter æqualem diuisionē, iustitiæ nomen accepit: qui ergo tam iustus est, non erit fœtui tam iniquus vt volunt: & hercle si Galeno credimus 3. de diebus decretorijs, cap. 11. non modo octonarium, sed quēuis etiam numerum, iuxta ipsorum dogmata, aut laudare, aut vituperare, ipsi perfacile fuit, & promptum. Quarto, nam pares statuunt imperfectos esse, & ob id exigua aut nulla vi agendi præditos: non pauciores autē decretorios, pares quam impares obseruabis. Quinto, aut per numerū qui vim habeat efficiendi, intelligunt numerantem, aut numeratum: si numeratū nihil noui tradunt, numeratus enim numerus non est aliud à rebus numeratis, quibus nemo est qui actionem auferre tentauerit: oporteret tamen res ipsas prosequi, & ordinem causandi earū declarare, quod nec faciunt nec tradūt: si vero de numero numerante intelligāt, qui proprie numerus est: nequibit agere, nullam enim habet extra animam existentiā: anima enim est, quæ ipsum à rebus abstrahit, & eo ipso anima numerat: ens autem in anima agere, & res ipsas extra animam immutare, dicet nemo. Sexto, nam accidentia non agunt, nisi recta à substantia, & veluti substantiæ instrumenta: numerus ergo cum sit accidens, non potest agere qua numerus est, & seorsum, sed tanquam instrumentum substantiæ alicuius: hanc ergo nobis interpretentur substantiam, quæ numeris tanquā instrumentis indiguit ad actionem. Omnia præterea quæ aliquid efficiunt reducuntur ad primas qualitates, & eas quæ ex primis ducunt ortum: numerus vero nihil horum est, sed in cathegoria quantitatis constituitur: quantitas autem licet necessaria sit ad actiones, ipsa tamen omni actiuitate caret. Si numeri præterea agunt, deberent communicare in materia, cum rebus in quas agunt, & ab eisdem aliquid repati oporteret, ex principijs philosophicis: Cum ergo omni careant materia, & repaßione, omni quoque efficientia destituantur oportet.

Sed age quid in causa fuerit, vt præter Pythagoreos, probati autores, vim agendi numeris concedere videantur, consideremus: Fit magna ex parte (ita volente natura) vt perfectiores numeri, perfectiorum rerum, causarum, ac euentuum sint comites: Causas quoque rerum, ob ignorationem, & tenuitatem nostram nescimus, ob idq; ad comites numeros confugimus: non quoniā ipsi sint earum rerū causæ agentes, sed quoniā coniuncti sunt cū causa ignorata. An putas quoniā natura, corpus omne triplici dimēsione creauit, longitudine, latitudine, & altitudine, numerū ternariū aliquid in ea creatione fuisse operatum? minime sane: sed fuit hic numerus lex, regula, comes, & exemplar naturæ corpus creantis: quod voluit Aristoteles primo cæli, capite primo. Mutationes & euidentes progreßiones, quæ in corpore nostro per septimum apparent, à nostri corporis natura fiunt paulatim, per septenos vero euidentius emergunt: nec id semper, quæ enim concipiunt, statim a concubitu

concepiſſe dicemus. Multis quoq; poſt ſeptē horas, ſemen ab vtero decidet inconceptum, licet frequentius, quæ ſeptem horis continuerint, concepiſſe credamus: nec tamen cui ſex horis contigerit continuiſſe, ſemen facile corruet, nec ſenarium ob id magis, minus ve commendamus. Ante ſeptimum quoq; diem, iecur, vmbilicus, & venarum atq; arteriarum lineamenta, rudem formam habuerunt, in genitura quam puella pſaltria, iuſſu Hippocratis corrupit: poſt ſeptimum vero, vſq; in triceſimū diem, nemo eſt, qui integram conformationem acceperit, vt ſupra ex Hippocrate retulimus. Multi quoq; recens nati, ante ſeptimum moriuntur, poſt ſeptimum non pauciores: nec tamen veto, ſeptimum diem permutationem aliquā afferre, fœtui, & matri, ſicut & in morbis ſolet afferre. Pueros quoq; nouimus, qui poſtquam annū exegere, dentitioni, & nono ætatis anno, redētitioni principium dedere. Ante annū præterea decimum quartum, ſemen fœcundum quoſdam habere, teſtis eſt beatus Hieronymus, qui refert, puerum decem annorum, nutricem propriam impleuiſſe: natura enim eſt, quæ huiuſmodi facit progreſsiones, non numeri. Si in his, vbi manifeſtior cauſa eſt, nobis cedis: in alijs vbi ignoratur, cur non cedas non video: Quorſum enim ſeptenarius numerus decernet de morbo? Lunam ſane, aut naturam, aut cauſam aliā ignotam nobis, quæ vires habeat agendi, & per ſeptenos aut quaternos progrediatur, & immutet magis, ponere nihil eſt abſoni. Cauſam quoq; aliam eſſe, quæ vitam noſtram per gradus agat, & annum viceſimum primum in iuuenibus, & ſexageſimum tertium in ſenioribus, faciat magni diſcriminis, alienum non erit, ſi modo de obſeruationis veritate conſtet, mihi enim fabuloſa huiuſmodi ſcala videtur, & quoad mihi licuit obſeruare, non infrequentiora pericula, & mortes, contingunt annis extra ſcalam, quam in ipſa ſcala. Quod præterea dicunt, numeros conſonantiam efficere falluntur: nam conſonantia pēdet ex ſonis, certo numero & proportione, à proferente aut concinente diſpoſitis: vbi ſonus aut aër ſonans, eſt materia: numerus & proportio certa, eſt forma, & ratio conſonantiæ, ſicut improportio diſſonantiæ: concinens vero, eſt eiuſdem efficiens, & autor. Feſtucam vero non deijcit numerus ex chorda, ſed aër percuſſus tali ſono, qualē ederet altera chorda ſi percuteretur, & ob cōuenientiā mouet ipſam, qua mota facile decidit feſtuca: quāuis adeo chordæ motus ſit, exiguus, quòd ſenſum maxime lateret, niſi ex feſtuca decidēte, chordā moueri, & affici coniectaremus. Reliqua vero omnia ſuperſtitioſa ſunt, & proculdubio falſa, & à medico præſertim Chriſtiano reijcienda, niſi cum ob cauſæ manifeſtæ ignorationem, numeris comitibus vtimur, clarioris doctrinæ gratia. Qua licentia ſæpe vtimur in creticis, in partubus, in repetentijs febrium, & ſi placet in climactericis, res tamen probe & vt decet eſt intelligenda. Sic Hippocrates nullam efficientiam numeris tribuit, ſed cauſis alijs, quæ numeris quibuſdam, lege quadam, atq; naturæ ſtatuto, coniunguntur: Non enim exiſtimat numerum eſſe cauſam, aut partus, aut criſis, aut permutationum in vita contingentium: ſed quod cauſæ immutantes, quanuis abditæ, & abſtruſæ, agunt ex natura ſui, ſecundum illos numeros atque periodos.

Non

Non enim mensis, operatur in mulieribus menstrua, virtute tricenarij, aut alterius cuiusquam numeri, sed quoniam aut luna, aut expultrix facultas, aut causa alia ignota, eo spatio, secundum naturam suam mouet. Septimus quoq́, & omnes septeni, similiter & quaterni, licet magnam vim habeant in iudicandis morbis, itidem & in numeranda vteri gestatione, per septimanarum decades: non id habent ex vi septenarij, sed quoniam causæ quæ id habent efficere, per septenos ex sui natura progrediuntur. Plura autem huiusmodi in natura esse, quæ per septimum, & mouentur & immutent, non dubitamus: id enim obseruauit Hippocrates, & vniuersi qui de natura scripsere. Quod vero non ad numeros quos memorat, sed ad causas comites retulerit Hipp. constat primo ex loco citato, libri de septim. partu, vbi abstinet à traditione causæ dierum decretoriorum, ob longitudinem & difficultatem eius: si autem causa esset tradenda, ex vi numerorum, nec longa esset, nec operosa nimis. Et eodem libro, naturæ necessitatem, cur septenario numero, tam magna in natura dispensentur, alijs locis declaraturum pollicetur, quod tamẽ aut non præstitit, aut eo caremus: non ergo ex vi septenarij, id esse censuit. Pythagorici præterea, numerum agere ob imparitatem (in qua eius consistit perfectio) tradunt. Hippocrates vero non pauciores ponit decretorios pares, quam impares: & tamen quando causæ aliquam mentionem habet, non ad paritatem aut imparitatem numerorum recurrit, sed ad varia naturæ opera, quæ illis diebus fiunt. Dixit enim libro quarto de morbis, quod febris dimittit in imparibus diebus, quoniam videlicet in diebus paribus, trahit corpus de vẽtriculo, in imparibus vero dimittit. Et libro de natura pueri, causam tradit naturalem, quare partus nono, atq́ decimo mense fiant, & vltra decimum non progrediantur: Quod sane primum erat quæsitum, & hucusque eius interpretationem protraximus. Sunt autem Hippocratis verba, longiora quam vt hic commemoremus, eorum tamen summa est, quod omnia animantia, terminum habent statum, atq́ præfixum, quo fœtui parcius suggerant alimenti, quam pro nutritione sit opus: quod ad nonum, & primos dies decimi mensis, in mulieribus extenditur: puer enim tunc multum adauctus, cũ mater satis alimenti, ipsi suppeditare non possit, se se iactando mẽbranas abrumpit, & foras prodit. Eadem ratio est & pecoribus, & feris, cur secundum naturam partio instet, quibusdam maturius, & serius alijs: nam quæ diutius nutrimentum præbẽt, serius gestant vtero: quæ vero breuius, tẽporius pariunt. Auis quoq́ intra ouum, eadem nascẽdi ratio est, cum enim auis testam contundit, & foras prodit pullus, nihil penitus in ea humoris, cuius ratio vllo pacto haberi debeat, inesse videtur: quippe qui totus in pullum, viginti dierum spatio absumptus sit. Hinc vnicuiq́ animantium generi, & gestationis & partus, certa assignat temporum spatia Aristoteles. 6 libro de natura animalium, cum de brutorum partu, ex professo agit. Animal ergo quod vtero gestatur, cibum vberiorem postulat, quoniam grandior, firmior, atq́ calidior euasit, quod cum non reperiat, penuria laborat, & ob id vehementer dimouetur, & calcitrat donec membranas abrumpat, & matri det initiũ

pariendi. Sed quomodo puer, sentit penuriam alimenti, vt ea victus calcitret? nam alia membra à ventriculo, eo sensu carent, 4. lib. de Vsu partium, autore Gal. pueri vero in vtero, cum non capiant ore alimentum, eius defectum, non ægre feret ipsorum ventriculus. Respondet Thadeus, vir apprime doctus 5. Apho. com. 38. quod sine sensu indigentiæ, naturali appetitu more plantarum, puer conatur ad attrahendum, & præ conatu rumpit membranas. Quod sane non placet, quoniam nisi ægre ferret, & moleste sentiret, non calcitraret, & varijs motibus moueretur. Quare satius dicendum, quod hæc naturalis indigentia, cuius sensu carent reliqua membra, mouet sensum tristem, in pueri ventriculo, quem famem veram appellamus. In eius autem famis remedium, & exitum, & cibum externum procurat infans. In fœtu enim grandiori, ventriculus iam requirit alimentum externum, perinde atq; cor externum aërem, per respirationē thoracis attrahēdum, quæ altera causa est naturalis partus, apud Auic. 21. 3. cap. 2. Sic ergo pepigit natura, quòd toto gestationis tempore, cuiuis animanti, alimentum, & spiritus ex matre, per vmbilicum, sufficeret nutritioni corporis, & attemperationi caloris, vsq; ad eam magnitudinem, firmitatem, & consistentiam, quam pro sui naturæ ratione, vnumquodq; animal postulat, vt suo regimine viuere possit, & augeri sine magno labore: quod in muliere septimo quadragenario (quod comprehendit nouem menses, & decem decimi mensis dies) contingit. Tuncq; partus est maxime naturalis, quoniam puer ipse nulla actus violētia, sed ex natura iam indigus alimento, & aëre externo, calcitrat, membranas abrumpit, & expultricem vteri facultatem incitans, initium partus matri affert. 5. lib. Aphor. com. 37. autore Galeno. Qui sane locus est aduertendus, nam partus nō tam est actio infantis, quam matris, vteri scilicet & musculorum ventris pellentium, quod sibi molestum est, & graue, ob molem & pondus, vt autor est Gal. 3. lib. de naturalibus facultatibus: puer vero ipse ob motum, calcitrationem, & membranarum rupturā, dat matri initium pariendi, factus grādior, atq; molestior. Tria ergo ad partum prorsus naturalem, requiruntur, statutū à natura tempus humanæ partioni, motus infantis, & vteri degrauatio. Motus quidē infantis necessarius est, tū vt inuertatur, tum vt membranas quibus obuoluitur disrumpat. Debet autem hic motus oriri ex causa naturali, puta ex necessitate alimenti, aut aëris externi vt diximus. Vteri autem degrauatio necessaria est, non quæuis, sed ea quam facit fætus suo pondere, & mole, quamq; auget fœtus, ob commotionem, ita vt pariendi ob id præstet initium, vt diximus. Statum quoque tempus requiritur, nam quamuis fœtus quinto aut sexto, aut septimo, aut octauo mensibus moueatur, & ob agitationem vteri expultricem incitet, adeo vt fœtum excludat, partus non erit naturalis omnino, nec legi naturæ tribuendus, sed illatæ violentiæ, aut ab externa aut ab interna causa: quoniam vt natura no iudicat morbos perfecte, nisi cocta materia, & in die crisimo, ita nec partum prorsus naturalem, nisi vbi fœtus maturierit, & in tempore à natura præfinito, operatur.

Vnde

Vnde fiat vt quidam partus anticipent, alij postponant, tempus à natura statutum: cur etiam octimestres non viuant examinatur.

CAP. XII.



Ed vbi externa causa deficit, quod inquirit secũda dubitatio, vnde est quod quidã partus anticipãt, alij postponunt, tempus à natura statutum. Alimenti copia & vbertas, non deficiens in matre: frigidior pueri natura, quæ ventillatione per aërem externum nõ indigeat: fœtus imbecillitas ad calcitrandum, se inuertendum, & rumpendum membranas: vteri sensus hebes, ad percipiendam degrauationem: & eiusdem imbecillitas in expellendo, & robur in retinendo, faciunt vt vltra legitimum tempus, partus extendatur ad vndecimũ, duodecimum, & quod monstrosius est, ad decimum quartum, vt superius nos ex Auicenna retulimus. His prorsus contrariæ causæ, facere possunt, vt legitimum tempus anteuertant: alimenti inopia, quæ cibum, ante tempus statum poscat: calidior pueri natura, quæ ad respirandum incitet: pueri robur ad calcitrandum: acumen sensus in vtero, qui ex quauis leui molestia irritetur, & prouocetur ad expellendum: imbecillitas retentricis, & robur expultricis ipsius vteri. Non parum etiam facit, vteri ante tempus expletio, aut ob fœtus magnitudinem, aut vteri breuitatem. Præterea causas externas, concubitum, cingulum, motus corporis, & animi perturbationes, de quibus egimus superius: talem enim naturam hæc omnia habent, tam interna quam externa, vt ante legitimum & statum pariendi tempus, partus excludant. Adde quoque si placet priuatam naturam, & proprietatem seminis, cuius ratione citius, aut tardius maturescit: sicut enim in tritico est trimestre appellatum, quoniam terræ iactum, trium mensium spatio prouenit, & aliud quod in annum fructum proferat: sic inter hominum semina, non repugnat semen quodam esse, quod septimo mense, & aliud quod nono, aut decimo maturescat, ex seminis ipsius proprietate particulari, quod notat lib. de Sympathia Hieronymus Fracastorius: nam vestilia, ex diuersis maritis, fœtum alium octauo, alium septimo, & alium vndecimo mense genuisse, testatur Plinius libro. 7. naturalis historiæ, capite. 5. priores tamen causæ, hac posteriore, sunt magis cõsentaneæ.

Hinc tertij quæsiti expeditio, non est difficilis. Septimestris enim ob seminis, proprietatem, & particularem naturam prouenit mense septimo, & nouimestris nono: ob idq́ merito viuit vterq́. Octimestris autem raro viuit, quoniam cum nullum sit semen, quod octo mensibus maturescat: qui octimatu nascitur, aut anticipat nonum, aut retardat à septimo, quorum vtrumq́, innaturale est. Dicendum secundo, quod septimestris, licet non sit naturalissimus, vt nonimestris, & decimestris, qui septem constãt quadragenarijs, est tamen naturalis & viuit: habetq́ rationem ac numerũ,

ad hebdomadas vere & exacte respondentem, vt libro de carnibus, autor est Hipp. Vtq. in morbis septimo die fit crisis, & nono, non autem octauo, sic septimo & nono mensibus, fit partus naturalis: octauo autem si fiat, erit ex violentia, & non lege naturæ, quare raro viuet: eandem enim rationem, quanquam occultam, esse in partubus & decretorijs diebus, conceptis verbis docuit libro de septimestri partu, idem Hippocrates. Nec magis mirandum est apud Alexandrum Aphrodisiensem. 5. sect. problematum, problemate. 46. quod octimestres non viuant, quam quod non viuant mōstra: neutrius enim ortus, ex naturæ prouidentia fuit: sed vt hæc propter redundantiam, & materiæ fluctuationem, in aliam formam fuere conficta, ita octimestres ex violentia, alio tempore quam natura decreuerit, fuerunt eiecti: neutrum enim à natura fit, quare ne diuturnū quidē est. Respondet tertio, vniuersa schola medicorum, propterea octimestres mori, quoniam fieri nequit, vt duas sibi inuicem succedentes afflictiones, pueri tollerent: mense enim septimo, ab vteri conceptabulis, exitum affectat, & sibi parat, ac in id plurimum colluctatur puer: qui si tūc non excidat, & rursus mense octauo, non refectis viribus, eundem petat conatum, imbecillus, fatigatus, & oblæsus nascitur, & intermoritur: superstes futurus, si octauo mense quiescens, in nonum produceretur partus. Hanc causam recepit Auicenna. 21. 3. tract. 1. cap. 2. in hæc verba. Mouetur ergo tunc apud septimum ad exeundum, cum in eo completur virtus, & cum deficit, aduenit ei debilitas quædam, & non salit ad ipsum, cum ea virtus vsq. ad nonum: quod si egrediatur in octauo, egreditur & est debilis, & non exprimitur à virtute faciente nasci, immo ex causa alia exprimente, lædente debile. Huic tamen videtur obstare experimentum, mense enim octauo, non quiescunt infantes, nec matres, sed inquieti magis vagantur: quod nos in plurimis mulieribus obseruauimus, & ab Aristotele atq. Hippocrate accepimus: libro enim de octomestri partu, Octaui (inquit) mēsis gestatio, onerosa, molesta, ac perdifficilis est, tum matris ratione, grauiter ob pueri intus conditi, perturbatos motus affectæ: tum ratione vteri incommodius se habentis, ac quodammodo ingestabile onus respuentis. Et Arist. 7. de hist. animaliū cap. 4. Octauo mense agitari, & infestari mulieres summopere dixit: sique pariant & moriatur fœtus, ipsas quoq. facile perire, quoniam eo mense sunt debiliores, & intraneo sanguinis profluuio, plurimum agitātur. Quæ sane nō improbabilis, sed tanquam experimentis plurimum respondens, mortis octimestrium causa est aduertenda: nam si ad bonum partum (vt scribit Galenus. 5. lib. Aphorismorum, com. 55.) duorum corporum vigore est opus, & grauidæ mulieris & infantis, si eorum vterq. male habet octauo mense apud Hippocratem, Aristotelem, & quotidianam obseruationem, merito qui octauo nascitur mense interit, superstitibus septimestri & nouimestri: quamquam causam cur octauo mense, peius quam septimo & nono habeant infantes, & mulieres intraneo, sanguinis profluuio, tunc agitentur magis, inexploratam habeamus. Sunt qui causæ, ab Auicenna traditæ addant, quod pueri ex fatigatione, quam septimo mense contraxerunt, laborant

morbo

morbo, quodam quadraginta diebus terminãdo: si igitur (inquiunt) illis quadraginta diebus (quibus totus octauus mensis continetur) prodierint, moriuntur, nouo labore partus, adueniente pristinæ ægrotationi. Quæ sane mihi salua doctissimi hominis pace, non placent. Primo, quoniam septimo mense, omnes infantes moueri ad exitum, & plurimum in conuersione laborare, necessarium esse non iudico. Secundo, quoniã etiam si in id maxime colluctentur omnes, non oportet omnes, ex defatigatione ægrotare. Tertio, quoniam etiam si omnes, ob laborem & luctam, in cõuertẽdo se se ægrotent, non eodem morbo corripientur omnes, sed vnus lassitudine tensiua, alter febre ephemera, alter biliosa, pituitosa alius, & alter altero morbo occupabitur. Quarto, quoniam quanuis in eundem morbum inciderent omnes, quadraginta diebus nõ semper duraret, ex differentia enim temporum, regionum, naturarum, & victuum diuersos terminos acquirũt morbi: sic æstiuæ quartanæ magna ex parte breues sunt, autumnales vero longæ. Quinto, nam si ex abundanti demus tibi, omnes infantes septimo mense, in vnum met morbum incidere, qui quadraginta diebus, in omnibus terminetur, non modo octauum mensem, sed decem etiam primos dies, mensis noni infœlices reddis ad partus, si morbi principium à fine septimi mensis cõputare velis: quod si à septimi mensis initio, puerum dicas ægrotasse, iam omnes octaui mensis dies, præter decem priores, fœlices statuas oportet. Hic tamen prætermittenda non est ratio, quam Auicenna, & Arabicæ familiæ viri recipiunt, & ab Hippocrate manasse videtur, libro de alimento. Nam cum tempus conformationis sit varium (masculi enim & calida natura præditi, citius: fœminæ & qui frigida cõstãt temperatura tardius formantur) ex eius varietate, totius reliquæ gestationis varietatem, pẽdere existimant: par enim est, vt qui citius formantur, citius quoq; ab eodem agente absoluãtur, & edantur in lucem: contra vero qui tardius. In hac autem ratione, statuunt, tempus motus infantis in vtero, duplum esse ad tempus formationis: & tempus absolutionis & partus, esse triplum ad tempus motus: qui ergo triginta quinque diebus formantur, septuaginta mouebuntur, & ducentis & decem (septimi scilicet mensis fine) nascentur: qui vero quadraginta diebus formantur, mouebuntur octuaginta, & nascentur ducentis & quadraginta, scilicet ad initium noni mensis: qui vero quadraginta quinque diebus formam accipiunt, nonaginta mouentur, & ducẽtis & septuaginta prodibunt in lucem, scilicet ad initium mensis decimi. Ex qua supputatione, nullus partus naturalis, incidit in mensem octauum. Hæc autem ratio quãuis probabilia dicat, non placet: Primo, quoniam ex ea ratione, in diem certum semper incideret partus, magna autem est latitudo: septimestris enim est, qui quotocumq; die mensis septimi nascitur, & nonimestris, qui nascitur aliquo die noni. Secundo, nam si quidam fœtus formantur triginta quinq; diebus, quidam quadraginta, & alij quadraginta quinq: necessarium quoq; erit, vt alij formentur diebus intermedijs: qui ergo trigesimo sexto die formam acceperit, septuagesimo secundo mouebitur, & ducentis supra sexdecim diebus edetur in lucem, & ex consequenti incideret partus natu

ralis

ralis in octauum mensem. Tertio, quoniam vt monuimus supra, multo ante duplum id tempus, fœminæ quædam, infantis motum deprehendunt. Quarto, quoniā fœmina & qui frigidā tēperaturam nanciscuntur, tardius formantur, & mouentur, ob imbecillitatē calidi innati, & spiritus formatoris: non tamen ob id tardius edentur in lucem. Nā si calida natura & masculositas, est lōgæuior suis cōtrarijs, lōgiores omnes ætates habeat par est: longiorē pueritiā, longiorē adolescentiam, iuuentutē atq̃ senectā, & longiorem quoq̃ eam ætatem quam in vtero agunt: frigida vero contra, omnia post formationem, & animationē, habeat breuiora oportet. Nec est quod subterfugias, hæc extra vterū, non intra vera esse: idē enim calor natiuus, qui puerū extra vterum format: alit, & auget fœtum in vtero: si ergo extra, citius ad suum peruenit finē, cur intro nō perueniet? Vnde si quæ nos oculis vsurpauimus, fidē faciūt, fœminarum quam masculorū partus, breuiori tēpore accelerant, quòd citius ad suū terminum perueniant: sicut enim breuiores sunt fœminæ maribus, nec in tantā proceritatem assurgunt: ita etiam minores nascuntur, & citius minorem illam quantitatem, sibi debitam, maiori ex parte consequuntur: qua sane in re, nos rationi & experimento, nostro, malumus credere, quam dictis quorumcumq̃ autorum.

An in vteri gestatione, computatio sit facienda, *per menses solares, an per lunares.* CAP. XIII.



N vero in vteri gestatione, computatio sit facienda, per menses lunares, an per solares, dubium est non contemnendum: quod vltimo disquirēdum duximus. Existimat autē maior medicorū pars, ex lunæ motu gestationem esse metiendam. Primo, quoniam lunæ motum menstrua sequuntur, & quibusq̃ lunationibus renouantur, solitæ enim sunt mulieres purgari decrescente luna, apud Aristotelem. 7. lib. de hist. animalium, cap. 2. Et apud Gal. 3. lib. de diebus decret. cap. item. 2. luna stato tempore menstrua mulieribus solicitat. Adhæc conceptus per lunæ quadras commoueri, autor est Gal. 3. lib. de diebus decretorijs, cap. 5. Nam si luna (inquit) in tauro existente, genitura retenta fœtus concipiatur, vel in lucē partus edatur, vel etiā alia omnino res, tunc capiat initiū: certe cū in leone, scorpio, & aquario, zodiacum percurrens fuerit, insigniter ipsa eā rem immutabit. Tertio, eandē rationem, quanquā occultā esse in partubus, & decretorijs diebus, conceptis verbis docuit Hipp. lib. de septim. partu: decretorij vero gubernantur ex luna, vt constat ex Gal. 3. lib. de diebus decretorijs: ergo partus & vteri gestatio, pendet ex luna. Quarto, nā luna, in re humida, qualis est cōceptus, qui vtero gestatur, dñiū suū exercet, & maxime in homine animaliū humidissimo, vt latius in tractatu nostro de lunæ efficiētia & causa creticorū diximus. At si Hippocratis sentētiæ standū est, per mēses solares, qui triginta dies impleāt, metiri vteri gestatio debet: nā sicut luna omnia quæ

intra mensem fiunt, per quadras suas, septimo quoque die commouet, ita & sol quæ mensem excedunt, & annuo spatio geruntur gubernat, & per quadras suas commouet. Sic anni temporis mutatio, diuturnos affectus discutit, adeo vt hyeme genitum, ver dissoluat: in vere excitatum, æstas: in æstate, autumnus: in autumno vero ortū, hyems. Vteri ergo gestatio, ad partum vsq́, cum mēsem excedat, & tribus anni quadris, nouem scilicet mensibus expleatur, nō ad lunam, sed ad solem spectat: quanuis nec luna sit prorsus negligenda, ex commotione enim quam in humido suapte sponte facit, partum interdum accelerare erit potis: Cum præsertim aut retētrix vteri est imbecilla, aut fœtus præ alimenti inopia, vel caloris copia, exitum affectat. Nō erit tamen adeo naturalis hic partus, ac si solis integrum cursum et benignitatem experiretur. Hinc Hippocrates, vt omne dubium tolleret, numerum dierum apposuit: Libro enim de alimento, triginta quinq́ soles, ad figurationem poscit: ad motum septuaginta: & ad perfectionem ducentos & decem. Et libro de carnibus, Septimestrus (inquit) partus, tres habet decades hebdomadum, & in vnaquaq́ decade sepuaginta dies: tres vero hebdomadum decades, ex toto sunt dies ducenti & decem. Ex quo loco aperte constat, septimestrem septem mēses habere, quorum singulus triginta diebus constat: nā si ducentos & decem, per septenarium partiri velis, triginta ex partitione surgent. Apertius vero hoc idem docet, libro de octomestri partu, cum dicit, nouilunium quod dies vnus extitit, esse trigesimam mensis partem, duos autem dies, quindecimam, & tres dies partem esse decimam, & reliquos iuxta horum rationem.

Quod partus initium puer afferat, & quod ossa *pubis & caudæ, non ex articulentur matri.*

CAP. XIIII.



VM dies iam partionis instat, fœtus ore nutriri, atq́ respirare amans, ægre fert vtero contineri, membranis obuolui, & vtero illigari: manibus ob id ac pedibus calcitrat, & amnion tunicam sibi proximam rumpit: qua rupta, reliquæ fiūt imbecilliores, & rumpuntur etiam vt illa. Quādo à vinculis iam puer est absolutus, & in caput vertitur, foras prodire curans, sudor & vrina intra amnium & allantoidem conclusa, sanguis quoq́ & sanguinei ichores, ex ruptura membranarum, & vinculorum copiosius emanant: atq́ collum matricis, & partes circumuicinas humore perfundunt, & laxant, vt facilius fœtus elabatur. Fertur autem in caput, quoniam supernæ ipsius partes, ex vmbilico tanquam ex libra appensæ grauiores sunt, autore Hippocrate libro de natura pueri: quæ tamen grauitas, quanuis tanta non sit, vt per se ad inuertendum fœtum sufficiat: (sic enim toto gestationis tempore, fœtus in caput propenderet) motus infantis & matris accedit, qui naturæ prouidentia, non modo in caput ducit, sed manus etiam atq́ pedes ita coniungit,

iungit, & reliquo corpori applicat, vt nusquam in hanc aut illã partem diducantur. Magnum enim periculum erant incursuri, atq; matri incussuri, si aliter prodirẽt infantes. Hinc ex fœtus imbecillitate, & ad se se inuertendum impotentia quadã, difficiles interdum partus fiunt, apud Auicennam. 21.3. tractatu. 1. cap. 2. non valente scilicet, superiorum partium grauitate per se, puerum inuertere: nascunturque aut in pedes, aut in latus, aut in duplum, autore Galeno, in definitionibus medicis: ad eas enim tres, omnes innaturales partus figuræ reducuntur. Omnium innaturalissima figura est, quæ fit in duplum, à qua nemo forte euadit, quæ in latus, huic est proxima, & à docta obstetrice sæpe reducitur: quæ in pedes, innaturalis quidem est, & frequentius secundum eam nati viuunt, enecta vi enixus matre, & cæsares aut cæsones, à cæso matris vtero appellãtur: aggrippas quoq; eos qui in pedes nascũtur appellant, ac si ægre partos dicerent.

Quantumuis autem partus sit naturalis, & feratur in caput, mater in enixu toto corpore laborat vehementissime, & præcipuæ lumbos coxasque dolor occupat: siquidem coxæ illi diducuntur, vt scribit Hippocrates libro de natura pueri. Mirum autem est quod vterus, qui adeo erat occlusus, vt nec cuspidis magnitudinem admitteret: in partu tantum aperiatur, vt totum animal per eum exeat, non vulnerata aliqua particula, nec osse aliquo exarticulato. Qualiter hoc fiat nescimus (inquit Galenus. 15. libro de Vsu partium) nec aliud quam admirari possumus naturæ sapientiã, & potentiam, quæ huiusmodi sophismata atque commenta, circa parturitionem animantis machinatur. Nec contrarium est quod scribit Auic. 21.3. tract. 1. cap. 2. in hunc modum. Et quando separatur, aperitur matrix apertione tali, cuius similem efficere non valet in suo simili: & necessarium est vt separentur quædam iuncturæ, & sustententur adiutorio Dei excelsi post illud, & propter illud redeunt in proximo ad continuationem naturalem: & est operatio illã de operationibus fortibus naturalibus. Quæ sane verba, Galeni sententiæ non sunt aduersa vt aliqui existimant, nam per separationem quarundam iunctarum, intelligit ipsarum laxamentum, non exarticulationem: quod declarant verba illa & sustententur adiutorio Dei excelsi, ne scilicet exarticulentur: ita namq; ossa caudæ, cum osse sacro articulantur, vt reflecti possit cauda in partem exteriorem, & foramen in partu, Dei beneficio sine exarticulatione latius reddere, nec aliud maius in hac separatione Dei adiutorium percipimus, quanuis multa in partu mirabilia præstet.

In partu ergo naturali, infantis caput primum prodit, facie si fœmina sit in matris podicem, & si masculus in abdomen magna ex parte versa: deinde mẽbra alia consequuntur, omnium autem postremus vmbilicus est, ex vmbilico, secundæ propendent: post hæc sanguineus humor, qui ex vniuerso corpore ad partem dolẽtem accurrit. Hic apud Hippocratem libro de natura pueri, purgamentorum eductioni parat, sicut aqua in mensam effusa, reliquæ aquæ fluxuræ viam sternit, quidquid enim postea superfuderis, iisdem ductibus defluet, quos aqua primum effusa designauerat.

Ad

Ad eundem modum, prima hæc vacuatio sanguinis, ad partem dolentem accurrẽtis, ductum & viam parat purgationi vitiosorum recrementorum, quæ gestationis tempore in venis aceruata sunt. Quæ quantum expediat vacuari, & quanta mala inferant, si retineantur docet elegãter Hippocrates .1. lib. Prorhetici, parte .2. sent. 48. & in commentario Galenus. Quot præterea diebus purgari debeant, tum quæ fœminam peperere, tum quæ masculum, vt plena perfectaque, & nihil habens periculi sit purgatio, desuper ex Hippocrate docuimus. Hic iam vmbilicum lõgius protensum, & peritonæo plus satis hic crassescente obuolutum, obstetrices considerant, & nodos computant, totq; filios, deinceps nascituros promittunt, quot nodi fuerint reperti: quod etiã Nicolao Florentino, video non displicuisse. Fabulã tamen narrãt, quoniã huiusmodi nodi, sunt venarum atq; arteriarum vmbilicalium contorsiones, factæ vt sanguis ad fœtum deductus, cunctetur, & ceset quodammodo in ipso cursu, ne subito incursu, fœtum obruat, sanguinis accurrentis multitudine: vnde non pauciores sæpe nodi in postremo, quam in primo partu reperiuntur. Tanta autem est horum vasorum, quæ vmbilicũ constituunt longitudo, vt per sinistram scapulam ascendentes, ad infantis ceruicem tendãt, quam cõprehendentes, & per alteram rursus scapulam descendẽtes, laqueũ collo inditũ repræsentẽt, & male ob id quidam infantibus, ominãtur: quos tamen ita nasci magna ex parte curat natura, vt exiẽs infans, secundam cum aliis tunicis, secum attrahat.

Vnde sit, vt a partu lac feratur in mammas, & *puer vbera statim sugere sciat.* CAP. XV.



RECENS exclusus infans, ab vtero iam, & matris regimine absolutus, sui iam iuris prorsus factus, alia ratione dispẽsatur: ore enim, & spiritum, & alimentum summit. Alimentum autẽ sibi idoneũ, lac cõparauit natura, cum enim tenera adhuc sint, atq; imbecilla, recens nata animalia, edulia solida, non dum possunt conficere. Ob idq; natura, perinde ac si vtero adhuc gererentur, alimẽtum ex matre, ipsis artificiose comparat, & eadem die, in mammas eius quæ peperit, lac ducit. Cuius sane causa fortuna nõ est, sed docta & artificiosa natura, quæ
" *ob hanc vtilitatem, communibus vasis, vtero & mammis est vsa. Cum enim partes*
" *vtrasq; ad vnum opus obeundum comparasset, ipsas per vasa coniunxit: atque sola*
" *hæc in animalibus vasa, partim quidem ex partibus quæ sunt supra phrenas profe-*
" *cta, ad inferna corporis feruntur: partim ex inferioribus sursum, quod prædictas so-*
" *las particulas, per vasa coniungi erat necesse: vt quando in matricibus fœtus auge-*
" *retur, ac conformaretur, illi soli, venæ communes ex vtrisque, alimentum affun-*
" *dant: quando vero natus fuerit, mammis rursum alimentum totum adfluat.*
Hinc mutuus & multiplex, vteri atque mammarum, per vasa dicta consensus

m... pendet.

pendet. Apparet enim perspicue quotidie, mammarum cum matricibus communio, non modo cum fœtus intereunt, de quibus Hippocrates nos docuit. 5. Aphor. sent. 37. & 38. verum etiam ante id, cum adhuc animal habet secũdum naturam: semper enim vtero crescente, augentur mammæ, & decrescente, decrescunt. Ab anno duodecimo, vsq; ad quinquagesimum crescunt, & roborantur, vterus & mammæ fæminarum, non ante, nec post. 7. lib. de hist. anim. cap. 1. autore Aristotele: quia (vt ait Galenus. 14. libro de Vsu partium) in iunioribus, sanguis consumitur in nutritione, & augmento totius corporis, in senioribus, solæ nutritioni sufficicit ob paucitatem, in medio autem tempore, quod à duodecimo, vsq; in quinquagesimum annum protenditur, cum iam corpus parum, aut nihil augetur, multus sanguis auget dicta membra. Sed quare vterus & mammæ, ante duodecimum annum, non augentur ad proportionem reliquarum partium? nam si animalia attentius dissecueris, reperies ante annum duodecimum, vesicas multo matricibus esse maiores, in perfectis autem matrices vesicis? Huic sane dubitationi, respondet Galenus, quod vesica ad portionem aliarum partium augetur, quoniam omnibus ætatibus æqualiter seruit: matrix vero, neque dum augentur adhuc animalia, neque cum iam consenuerunt, rite potest, actionem suam obire: Cum primum vero duodecimum attigit annum, in quo vteri magnitudine fuit opus ad cõceptus, vterũ confestim auget natura, & ad perfectionẽ præpropere trahit cum quo pariter, auctiores atque pulchriores redduntur mammæ, ob dictum consensum & communitatem vasorum. Sic dum fœtus augẽtur, exiguæ sunt mãmæ, quomodo & matrices: cum autem perfecti fuerint, & pariendi tempus institerit, simul cũ matricibus, quod satis est intumescunt, Nã venæ quæ ad matrices sunt (autore Gal. 14 libro de Vsu part.) latitudine ac longitudine sunt tantæ, vt fœtum non modo affluenter nutriant, verum etiam superfluum quidpiã semper congerant. Quod cum toto conceptus tempore, in his communibus vasis, ceu promptuarijs alimenti, acceruatum ea attollit, ac omnino distendit, & veluti exundat, locum in quem transferat se se requirit: quem reperire non potest nisi in pectore, in quod simul venæ distentæ ac grauatæ id immittunt: simul autem ventris totius moles, quæ propter conceptum, ipsis incidit ac premit, ad locum cedentem propellit. Quæ sane tam docta Galeni sententia, non placuit Vesalio, non enim ei videtur sufficiens ea cõmunio vasorũ: quoniã vasa (inquit) ascendẽtia, ab vtero ad mãmas, gracilia sunt & ascendunt: grandia autem vasa, & descendentia, sunt rami cauæ venæ descendentis ad crura, cum ergo eadem sit cõmunicatio inter vtraque vasa, superfluus vteri sanguis, magis regurgitabit ad crura: & tumor vteri, postremis mẽsibus, sanguinem deorsum magis premet. Sed dicendum est, quod communicatio vasorum, est causa partialis augmenti & decremẽti mammarum: præter quam est altera causa, instinctus scilicet naturæ, vel insita doctrina in vtero, excernendi magis in mammas, quam in crura: quem instinctum, communicationi vasorum addere debuisset Vesalius, nam & membra principalia, per venas maiores possent euacuari in venam cauam facilius, quam per minimas in propria emunctoria, in quæ frequentissime se exo-

exonerant, ob instinctum naturæ iunctum communioni vasorum. Vtq; plantæ, hyeme radicum curam gerunt, vt vbere ipsæ nutriantur, vere vero germinant, & ramos folijs vestiunt, inde ad flores gignendas prodeunt, quas postea negligunt, & deciduas relinquunt, ad fructus versæ, quibus demum ornantur, ob instinctum atque doctrinam insitam, qua creatori parere didicerunt (non enim sine hac, sufficeret, hyemis frigus, quod natiuum plantarum calorem ad radices detrudit, nec vernus calor, qui eundem ad ramos euocat, ad tanta tamq; mirabilia præstanda opera) Ita vteri tumefactio, sicut & vberum inanitas ac laxitas, quam etiam huius euentus, causam ponit Aristoteles quarto libro de generatione animalium, capite tertio, sine hoc instinctu nō sufficeret ad mām̄as sanguine implēdas, in prægnātibus: quoniā vteri tumefactio sola, infra magis detruderet, tum quoniam venæ quæ ad crura feruntur, sunt maiores, tum quoniam fœtus degrauans, deorsum magis quā sursum premere est aptus: ob idq; in hydropicis deficiente hoc instinctu, vteri tumor ad pedes reprimit humorem non ad mām̄as. Instinctu vero, & naturæ nomine adiuncto, nec si maiora & magis admiranda fiant, causa alia est requirenda. Si enim post partum, cū abundans adhuc sanguis, ex vtero decurrit, & purgatur, mammæ affluenti sanguine replentur, ex sola hac lege naturæ, cur non magis, ante partum repleri incipient, accedente vteri tumore, simul & sanguinis abundantia? Vis etiam quæ ad fœtum, dum vtero gestatur, sanguinem mittit pro alimento, cur cum idem fœtus iam exclusus, ex vberibus pendet, sanguinis cursum ad vbera non conuertet? Et si vis eadem, ad duodecimum annum, & non ante, mammas simul cum vtero auget, & in senecta diminuit, contrahit, atque spernit: quoniam in iuuenta, vsque ad senectutis initium, cœperunt ex vsu esse: cur non eisdem, lac dabit, ante partum incipiens, & post partum exhibens affluenter? Quod enim nihil referat, siue vim formantem, siue discretiuam, siue regitiuam, siue instinctum, siue naturæ impetū, siue naturalem sensum eā appelles, lib. de animæ facult. cap. 6. docuimus. Hæc est quæ summa sagacitate, & eximia doctrina, animātia gubernat, quæ greßibilibus lac præbet, alitibus vero, nō minori prudētia negauit, ob naturæ siccitatē, quæ lac gignere nequiuit, vt scribit Gal. 14. de Vsu part. cap. 4. Quæ sane causa, partialis est, & citra hāc facultatē, & instinctū, minime sufficeret: multa enim greßibilia, sicciora quibusdā alitibus, lac habēt, quare minor siccitas, huic instinctui iūcta, lac impedire valuit in alitibus, ne lactis & vberū grauitate offēderetur volatus: qua etiā ratione alites destituūtur vesica, et multitudine intestinorū: eorūq; vsum alijs natura suppleuit: multitudinē nēpe intestinorū, suppleuit eorūdē cœcitate, quæ difficilē trāsitū, præstat alimētis, donec à iecore sugātur: defectū mingēdi, suppleuit plumis, exercitio, & excretione stercoris humidioris, vt scribit Alexand. Aphrod. problemate. 111. lib. 4. lac vero suppleuit alis, rostro, & amoris stimulis, quibus vndecumque volantes, aduehunt alimenta, quæ prius ore conterunt, & rostro in filiorum ore indunt. Quod vero apud Hippocratem, libro de natura pueri, lac prægnantium, ex adipe omenti, ab vteri tumore, ad mammas presso gignatur, verum non est. Nec enim omnia scire, primus ille

medicinæ parens, potuit solus. Fuit autē deceptus, ex similitudine lactis, ad liquatū adipem, in pinguitudine, albedine, & suauitate, & quoniā mulieres, pinguescere credidit, dum vtero gestant, ob alimenti abundantiā, ex cibis, & retētis mensibus, ortā: quare ex omento pinguiori facto, ab vteri tumore presso, pinguitudinē nō paucā, in mămas regurgitare, fuit ratus. Sunt autē Hippocratis verba, quæ sequūtur. Est autem hæc gignēdi lactis causa. Quum vterus fœtu tumens, ventrē mulieris presserit, si cōpressio illa, eo pleno fiat, pinguissimū quodq́, tam à cibis quam à potibus, in omētum & carnem resilit. Nam quemadmodū siquis, pellem copioso oleo inunxerit, ipsumq́ inibi siuerit, ac postea pellem presserit, illa hoc compressu oleum resudabit: sic certe vbi venter, continens in se, quidquid in cibis, & potibus, pinguedinis erat, premitur ab vtero, in omentū, & carnem. Pingue resudat: ac si mulier quidē, carne sit rariore, celerius, eo quod inde resilit, fruitur: sin autē minus, tardius. Quin & pecora ipsa prægnātia, nisi morbida fuerint, potu ciboq́, eā ob causā pinguiora reddūtur: nec vero diuersa est in muliere ratio. Namq́ pingui cōcalescente, & candido facto, quidquid matri cū calore dulcescit, exprimitur, & conscendit in mămas: siquidem tum hæ, tū aliæ persimiles venulæ, in mămas atq́ vterū protenduntur: quum autem peruenit in vterū, iam speciē lactis induit, eoq́ exiguo, puerulus fruitur. Mămæ vero, vbi lac exceperūt, replentur & extuberāt: atq́ postea quidē, quam mulier pepererit, principio motus facto, lac se se in mammas recipit, si mater puerū lactet. Quibus verbis, quam parum, solæ antiquorum autoritati, in scientijs liberis, sine experimento, & vrgenti ratione, sit tribuendum, legentium relinquo iudicio. Quod eo magis fatebere, quo idem Hippocrates, senior factus. 5. Aphor. sent. 39. ab hac recessit sententia, in hæc verba. Si mulier quæ nō concepit, neq́ peperit, lac habet, menses ei defecerūt. Quibus verbis, lac ex mēstruo gigni, ad mămas ab vtero cōfluēte, significat: idq́ absq́ vllo cōpressu, siquidē nec grauidā esse, nec peperisse mulierē statuit.

Frustra natura, lactis alimentum pueris comparasset, & tam mirando artificio ad mămas conduxisset, nisi pueris etiam ipsis, conatū, instinctum, & doctrinā insitam, ad huiusmodi succū capessendum indidisset. Nam si quis papillā ori infantis indiderit, confestim quidem eam suis labijs costringet, protinus autem buccis dilatatis, succum attrahet: post autē curuata lingua, in fauces propellet, perinde ac si id multo ante tempore didicisset. Inde autem stomachus, in ventriculum deducit & ipse velut edoctus. Deinde ventriculus vbi eo est vsus, mittit intestinis, quod sibi est superfluum. Hæc autem deinceps sibi mutuo dispertiunt, vsq́ ad postremū. Producuntur autē postea in infante dentes, ne is semper matri esset molestus: & cum dentibus mādendi actio accedit, quæ & ipsa vt cæteræ actiones à nemine est edocta, vt lib. 15. de Vsu partium doctissime Galenus edisserit. Sic puer digitum vnūquemq́ porrigit, & inflectit, linguā conuoluit, & membra contorquet, etiam si nec norit, nec didicerit, quibus musculis, ad singulas motiones sit opus. Et animal vnūquodq́ videmus, ea se parte corporis tueri, qua præ cæteris plurimū valet: cornu enim petit vitulus,

etiam

etiam ante nata cornua, & equinus pullus calce, nondum satis firmis vngulis: sic & catellus mordere conatur, etiam si adhuc infirmos habet dentes: & auium genus omne volatum molitur, & si per infirmitatem non dum potest. Quæ sane Galenum libro de fœtuum formatione, cogũt fateri, quod facultas quæ nos formauit olim, in nostro corpore manet, membra suæ admonens operationis, vnde prodit instinctus, conatus, & insita quam diximus membrorum doctrina.

An fœtus in vtero, nutriatur menstruo sanguine: & lac post partum, an ex eodem ad vbera recurrente gignatur. CAP. XVI.



AC maternum, vtile alimentum pueris existit, ipsis enim est quam simillimum, & sanguini quo in vtero nutriebãtur finitimũ: de quo an menstruus fuerit, an alter dubium est. Sunt enim quidam, qui menstruo sanguini, tantam perniciem, & vim tam pestiferam tribuunt, vt nunquam credant, in fœtus alimentum cedere posse: nec hunc (inquiunt) natura, in prægnantibus intus contineret, nisi ob periculum, ne cum eo vtile alimentum, & fœtus deturbarentur: ob idque eum purgãdum in horam partus custodit in venis, quæ circa vterum sunt, & in reliquis etiam vasis puriori sanguini permiscetur. Hinc menstruo sanguine purgatã, facilius cõcipere posse rẽtur, quoniã scilicet vitiosa & maligna qualitate praeditus erat: Hinc ex eius cohibitione in prægnãtibus malacia, varices, lienis tumores, corporis grauitas, fœdus faciei color, & innumera fere mala succrescunt: à quibus tãdem liberantur, dũ post partũ statuto tempore purgantur. Quod si cuiuis minus perfecta succedat purgatio, ea mala oriuntur quæ memorat Hipp. 1. Prorhet. parte. 2. sent. 48. & Gal. in eius sententiæ cõmentario, in hanc aperte videtur ire sentẽtiam
" *his verbis. Absumpto quidẽ in fœtus alimẽtũ, vtili qui in ipsis erat sanguine, sed per*
" *manente vitiosiore, qui singulis mẽsibus, antea per vterũ excernebatur. Cũ igitur is*
" *vacuatus non fuerit, à mulieris puerperio, aut vterũ ipsum in phlegmonẽ agit mag-*
" *nam, aut ad superiorẽ aliquã sedẽ delatus, parti excipienti propriũ affectũ, periculũ*
" *infert. Quinto quoq; Aph. com. 37. cõceptũ nutriri, dulcissimo quod in sanguine est,*
" *Gal. scribit. Nõ ergo nutrietur mẽstruo sãguine, adeo veneno so, vt de eo referãt Plinius & alij, eius cõtactu acescere musta, sterilescere fruges, mori insita, exuri hortorũ germina: & quod mulier prægnãs si alterius mẽstrua supergrediatur, aut illis circũlinatur, abortũ facit: quodq; ei quæ vterũ nõ gestat, concipiendi spẽ adimat. Mulierum quæ purgãtur spiritus, & vapor ab ore, specula obscurat. Gustatus hic sanguis, canes in rabiem agit, & homines miris cruciatibus affligit, comitialẽ morbũ, pilorum effluuiũ, effascinationem, præstigiaturã, obliuionem, amentiam, aliaq; elephanticorũ vitia infert: ob idq; à Petro de Apono, trac. de venenis, cap. 73 pari malignitate existimatur, atq; sanguis elephantici potus. Et nisi menstruũ perniciosum esset, dum in*

muliere supprimitur, tam grauia incommoda non afferret: viscerum scilicet obstructiones, tabem, cancrum, morbum comitialem, huiusq; perniciei quamplurima.

Contra vero est censendum, nam fœtũ nutriri, sanguine mẽstruo, autor est Gal. 5. Aphor. com. 60. & libris de semine passim, & Arist. 1. de generat. anim. & Auic. 21. 3. Aetius & Paulus, & omnes fere qui de re medica scripserunt: vnde. 5. Aph. com. 37. & 1. Prorhet. parte. 2. com. 48. non aliud voluisse Galenũ existimo, quam quod fœtus, nutriatur præstãtiore purioreq; sanguinis menstrui parte, & quod eius altera pars excrementosa & magis vitiata, seruetur vsq; ad partum. Quin ex parte ea vitiata, & impuriore, cum auctior est fœtus, aliquid accipit in alimentũ, vt autor est Gal. 1. lib. de causis sympth. cap. 7. vbi ita ad verbum scribit. Hoc tamen auctius redditum, tum ipsum ampliori nutrimento vtitur, tum non solum quidquid optimũ in venis est, id trahit (ceu prius dixi) sed etiã quia plus indigeat, eius quod vitiosum est, aliquid vnà cõtrahit: atq; ita totũ corpus, tũ plenitudine laborare desinit, tũ minus vitioso est succo. Ipse autẽ fœtus, alimẽti quod attrahit excremẽta, in duplicibus mẽbranis reponit: ac fit quidem magna ex parte, ipse quoq; & vitiosioris succi, & intẽperatior, vt pote, ex vitioso nutritus sanguine: nisi si quæ eũ gestat, in reliquo gestationis tẽpore, salubribus vtatur alimẽtis. Quibus verbis patet, impurioris etiã sanguinis parte quadã, omnes fœtus nutriri: ex quo ceu principio, Arabicæ familiæ autores, pendere putãt, quod morbillis & variolis omnes homines postea corripiãtur. Excrementũ enim menstrui, quod cessit in alimentũ, malicia quadã infectũ, postea efferuescentiã molitur: cũ scilicet assequutus fuerit determinatũ, tum modũ, tũ gradum caloris: sicut enim nõ statim à vinaceorũ expressione, ebullit mustũ, ita pueri calor, humidi multitudine obrutus, donec per ætatẽ, aut causam aliã, internã, vel externam, talẽ modum & gradũ consequatur, nõ facit ebullire: & contra cũ eum assequitur, eius sanguinis efferuescentiam mouet, & subinde variolas & morbillos creat. Quod vero venenũ esse prædicãt, cum Plinio fallũtur, nã si menstrui naturã spectemus, nulla ratione venenũ erit: Primo quoniã generatur in iecore sanæ mulieris, cũ reliquo sanguine, & ex alimẽto salubri, ergo nec ex materia, nec ex efficiẽte venenũ erit. Secũdo, nã sanguis huiusmodi, ob id singulis mẽsibus purgatur, quod minor eius quãtitas absumitur in nutrimẽto, quã generetur in iocinore: nã cũ plus absumitur, vt in iunioribus & viraginibus, aut cũ minus generatur vt in senioribus, mẽstrua deficiũt: eiusdẽ ergo rationis mẽstruũ est cũ reliquo sanguine. Tertio, nã si venenũ est, fœminæ quæ toto mẽse mẽstrua cõgerũt, venenatæ interirẽt: & fœtus qui nouẽ mẽsibus, in vasis prope ipsum sitis, venenũ habet ꝓximũ, nulla ratione superesse posset. Quarto, nã ex mẽstruo generatur lac, eaq; causa est apud Galenum, decimo quarto libro de Vsu partium, cur eodem tempore, menstrua belle procedere nequeant, & mulier lactare: esset ergo lac improbum alimentum, & enecandis potius, quam enutriendis pueris aptum. Nam si capræ tithymalis, aut scamonio, pascantur, lac reddunt purgatorium, tertio libro de alimentorum facultatibus, autore Galeno,

cur

cur si ex menstruo venenato ducat ortum, lac ipsum veneno carebit?

Nec obstat, quod menstruum epotum amentes faciat (vt ferunt) hoc enim nō est essentia veneni, sed necare. Adde quod autores, inter venena numerant vinum, & aquam frigidam, & alia quæ licet venena non sint, intempestiue & liberalius sumpta, homines in magna trahunt discrimina: sic forte menstruum, noxium erit, & non quodcumq́, sed mulierum biliosarum, & facile rixantium vt referunt. Canes vero ex menstruo, in rabiem agi, aperte esse falsum, & quodā satis impudico experimento probatum, testatur Mathiolus Senensis in suis epistolis. Quod præterea mulier prægnans, quæ alterius menstrua supergreditur, aut illis circumlinitur, abortum faciat, & quæ vterum non gestat, reddatur sterilis, plane est falsum. Nam præter id, quod experimentis talia non ostendent, rationi esset magis consentaneum, vt omnes quæ menstruant mulieres, quoniam intus & extra circumlinuntur menstruis, redderentur steriles: & omnes quæ vtero gestant, ex menstruo quod seruant in partum, abortirent: plus enim est in se seruare, quam supergredi. Quod vero ex menstrui contactu, nouellæ vites, vel insita, vel germina, vel fruges, intereant & vrantur (si res ita habet) veneni naturam non arguit, idem enim præstant, oleum, acetum, muria, vrina, & multa alia quæ venenū nō sunt. Quod vero mensium tēpore, specula multum inficiant, & obscurent mulieres, ex vapore sanguinis commoti, & vndique exhalante prodit: nec mirum esset, si mulier male sana, menstrui tempore, pueros teneros inficeret, atq́ effascinaret. Musta vero ex eius contactu acescere, forte est verum, quoniam sanguis putrescit facile, & acetum putredine prouenit. Sed quamuis hæc omnia faceret menstruū, aut excretum, aut in corpore putrescens, ea minime facere oporteret in corpore, dum natiui caloris beneficio gubernatur.

De similitudine filiorum ad parentes, auos & *proauos, de dissimilibus, & monstris.*

CAP. XVII.



Xclusus in lucem infans, magna ex parte alicui parentum, aut ambobus similis est, auos interdum, proauos, & attauos refert, patruo interdum, & alicui ex consanguineis fit similior; rarius extraneis, rarissime fit monstrum, quod ne cum hominibus quidem similitudinem gerat. Considerat autem Galenus, similitudinem hanc in tribus, in genere, sexu, & effigie. Præter hæc vero considerari potest, in temperatura, in colore, in animi moribus, in magnitudine corporis, salubritate quoque & insalubritate, ac deniq́ in his aut illis accidentibus. Homo sane homini toto genere est similis, equus equo; & canis cani à quo generatur: ob specificam varietatem, facultatis formantis, quæ actum edit sui generis. Prouenit autem apud Galenum hæc similitudo, potius à materia quā à facultate formāte.

Nam licet facultas certa, sit necessaria generationi (sine ea enim, fieret mola, aut monstrum) species magis sequitur materiã: quoniã natura, eam semper exhibet generationi præparatam, & opportuno temperamento dispositam ad formam, & formæ mores consequendũ: non enim omnia, fieri ex omnibus nata sunt, sed singula ex singulis, id est ex materia disposita. Hinc quoniam mater, copiosiorẽ materiã ministrat fœtui, species magis refert matrem, quam patrem: vt ex oue & hirco, ouis gignitur, pilis duris, & longis consita, contra vero ex capra & ariete, capra fit, pilis mollioribus, hæcque proportio retinebitur, si canis & vulpes, vel asinus & equa coëant: semper enim quod gignitur, secundum speciem magis attinebit matri quã patri. Similitudo in effigie (quæ nihil aliud est, quã alienæ formæ expressio in altero) ex partium corporis, simili conformatione pendet: hæc autem, ex virtute conformante, à generante decisa, & deriuata in fœtum: quæ more agentium naturalium, sibi simile procreare curat. Quoniam autẽ vtrique parentum similis redditur partus, & quandoque patrem, interdum matrem refert, ab vtroq; vim procreantem, & conformantem, quæ communi aliquo principio insit, duci est necessum. Principia porro duo sunt, menstruum & semen: menstrum commune non est, sed fœminæ proprium: ergo commune principium mari & fœminæ, in quo procreans facultas, ab vtroq; deriuatur, semen est. Sed obijcit Galenus, libro. 2. de semine, quod cum patris semen, sit semper validius, atq; fœcundius, semine materno: fœtus nunquam similis erit matri, sed patri. Cui respondet, quod maternum semen, interdum præpollet, propterea quod nouem mensium spatio, vim plurimam summit ex menstruo. Nam vt neque semen facultas tantum est, sed materia etiam quædam, ita neque menstruum (inquit) materia solummodo, sed etiam facultas est. Quæ sane Galeni solutio apprime falsa videtur. Primo, quoniã in menstruo, vim formatricem reperiri, vix est credibile, nec enim est animatum, nec vltimæ nutritionis actionem perpessum, vt semen. Nec est à quo, eã vim menstruum acceperit, oporteret enim, à parte aliqua eam desumpsisse, quæ esset destinata à natura, ad hanc vim & formam inducendam: quomodo dicimus, testes natos & factos esse, vt semen conficiant. Menstruum insuper, aut est purum excrementum, aut alimentum, quorum vtrumq; solam vim habet patiendi. Quod si vim agendi habet, quomodo auget eam solam, quæ in muliebri semine est, siquidem exacta seminis vtriusq; permistio, in vtero facta est, ita vt vnum sine altero afficere, sit impossibile: quin immo virile semẽ, magis iuuabit, quam fœmineum, ad id enim enutriendum, validius trahitur, & maiori copia, quoniam calidius est: quod si vtrumq; demus, vim scilicet formantem habere, & fœmineum semen iuuare, non autem virile: iam fateri cogentur, omnes fœtus, similes matribus, esse necessario creandos, ob copiam menstrui, & moram in vtero. Accedit quod semen fœminæ, non oportet esse inualidius, quod supponit ceu notũ, sed quandoq; vincit, fiuntq; fœtus similes matri, interdũ vincitur & fiunt similes patri, nõnunquã fœminei pars altera vincit, & altera vincitur à masculo, redditurq; fœtus, facie si sors tulerit similis patri, & cruribus

bus matri. Sexu præterea patrem & reliqua effigie matrem æmulatur, non enim video, cur genitalium partium effigies, non pendeat ex eodem principio, ex quo pendent reliquæ partes: ita quod vincente, iuxta eam partem, semine viri, generetur masculus, & fœminæ semine superante, fiat fœmina: vix enim vlla ratio capit, quod semen, & formans quæ in ipso est facultas, nasum, & aures, similes parentibus à quo profluxit, curet effingere, pudenda autē omittat: sed in parte potius seminis, ex qua viri genitalia creantur, vincit formans facultas, ex masculo deducta, quam masculositatem non inepte dixeris, & à fœmineitate, vincitur & obruitur, cum fœmina creatur. Harum sane facultatum diuersarum, instrumenta sunt etiā diuersa, calor enim, siccitas, & spirituum copia, instrumentum masculositatis est, eorum enim adiumento foras erumpunt virilia, sicut eorum defectu, muliebria intus delitescunt: præsertim si non aliter quam positione, differrent in masculis & fœminis pudenda, vt apud Galenum scriptum legitur. Formās ergo facultas, omnium similitudinum est autor, sine ea enim nec homo formaretur, nec perfectum aliquod animal, ex materia quantumuis præparata: non tamen ad formandum hominem, aut leonem, ex muliere & leena, validißimum formantis facultatis robur, expetiuit natura: quantumuis enim inualida sit, formans facultas, raro fiet ex homine, nisi homo: quoniam commune, particularia consequitur omnia: ob idq; materiam potius, quam facultatem, similitudinum in genere, causam fore statuit Galenus. Maius autem robur formantis, requiritur, vbi non modo genus, sed similis etiam effigies, est referenda. Maximum vero, vbi non modo effigies exprimitur, sed etiam sexus, præsertim vbi masculus est creandus: nam fœmina, masculositatis imbecillitate sola, forte proueniet. Roboris autem mensura, & latitudo dicta, in hac aut illa similitudine exprimenda, adeo est necessaria, vt sine ea nunquam fiat, sed in aliud dißimile soluatur motus, autore Arist. 4. de generatione animalium, cap. 4. Si enim roboris mensura, necessaria generando mari deficiat, fœmina fiet. Et cum minus valet formans facultas, quam vt effigiem patris, aut matris efformet: in aui, aut proaui, formam soluitur motus, nam & parentes ex illis ducti, vim quandam ab ipsis acceperunt, quæ in semine seruatur. Patruo vero similes redduntur interdū, licet patruus nihil in ipsos deriuet, quoniā patruus aliquē ex auis & proauis referebat. Risu quoq;, voce, & gestu, parētes aut cōsanguineos, interdū referunt filij, ob persimilē organorū structurā, à qua persimiles operationes fiant, necessarium est: barba etiā & canis, quibus carebāt quādo gignebātur, nā ex certa tēperie, quæ ætatis decursu accedit, depēdētiā habēt. Ad quā etiā refertur lōgæuitas, aut vitæ breuitas, quæ sæpe trāseunt ad posteros: quasdā enim familias, videbis viuaces, & alias breuis vitæ: sic etiā biliosus biliosum gignit, procax, procacē & continēs, continentē: hæ enim, & similes corporeæ affectiones, natiua sequūtur tēperamēta, & in semine trāseunt ad posteros. Morbosæ etiam intemperies factæ, hæreditariæ sunt, nō autē fientes, quoniā istæ, pugnāt cum natiuo temperamēto, illæ autem, in habitū abierūt, & cōnaturales iam sunt. Sic

Macrocephali qui manu formari cœperunt, Macrocephalos gignunt libro de aëre & aqua, sic etiã podagrici, nephritici, & tabidi, sibi similes creant. Mirum etiã est, & ex eadem causa ortum, quod interdum videmus, & Aristoteles refert contigisse, in Helide, quæ cum Aethiope cõcubuerat, & peperit filium, non forma Aethiopis, sed natus ex filio erat æthiops. Simile est, quod nepos podagrici, laborat interdum podagra, qua filius nunquam fuit correptus. Si vero omnis hæc vis exoluatur, nullam consanguineorum effigiem referet, sed in humanam effigiem, generationis motus soluetur, nam homo etiam erat, vterq; parens, qui si minus valuit quam vt effigiem, vel suam vel auorum exprimeret, at certe eatenus valet, vt hominem exprimat: exigua enim ad id facultate est opus, vt diximus. Quod si forte aut materiæ impedimento, aut ipsius met facultatis maiori defectu, à communi & naturali hominum effigie variet, monstrum id est: in quo omnes iam naturæ motus soluũtur, siue diuersorum animalium speciem gerat, siue forma prodeat multi membri, aut pauci membri. Refert enim Aristoteles. 4. libro de generatione animalium, cap. 3. puerum ortum capite arietis, & vitulum capite pueri, & ouem capite bouis. Plinius quoq; autor est. 7. libro naturalis historiæ, cap. 3. Alcippẽ mulierem, elephantem peperisse, & inter initia marsici belli, ancillam quandam serpentem enixam: quosdam etiam caninis capitibus nasci, qui pro voce latratum edant, & vnguibus armatos, venatu & aucupio vescantur: quosdamque sine ceruicibus, oculos in humeris habentes: sicut arismaspos, monoculos nasci tradit. Puerum quoque bicipitem, & alium ex vno capite bicorporeum, se vidisse testantur multi, in quibus omnibus, seminis motus omnis, & naturæ in pangendo fœtu, robur soluitur, & impeditur, quo minus formam humanam exprimat, non oblæsam. Cum enim diuersæ vires sint, gignens & formans, cum huius imbecillitate, stare potest gignentis robur, quod in fœtu bicorporeo, aut sexto digito contingit, in quo vis forte procreans valida fuit, nõ secus ac in ordeo, quod in tres aut plures propagatur spicas. Sed cur si in ordeo, plures spicas creãte, vtraque facultas, tam procreans, quam formans, valida est: non ita erit in digito addito, non enim diuerso modo ac planta, ab anima vegetante, dispensatur homo? Dicendum quod formans dum valet, omnia quæ attinent perfectioni eius quod formatur, debet perficere: ordei autem perfectioni attinet, plures spicas, easque magnas ferre, vt ingens inde fiat ordei prouentus: sicut perfectioni hominis, hominem ex pluribus partibus, affabre cõnexis creare, a quibus, si quidpiam detrahas, aut addas, imperfectum, & inerter formatum reddes. Sed cur naturæ motus ita soluatur, vt à parentibus in auos, degeneret nonnunquam similitudo, & ab auis in extraneos, & in tantum quandoq; vt fiat monstrum, dubium est. Cui nos respondemus, Primo, id fieri ex imbecillitate formatricis, quæ nequit materiam subigere atq; tractare vt oportet, quare tum generatur dissimile, & quod non oportet. Sed quomodo, si non valuit, parentum qui proximi sunt, formam cudere, valebit aui, aut abaui, remotam & obsoletam, quæ tandiu, neglecta iacuit exprimere? Dicendum, quod quanuis effigies paterna, sit coniun-

iunctißima, imbecillior interdum est, vis quæ eam debet effingere, quã vt poßit euincere, soluiturque motus in proximam, quæ minori formatricis robore indiget: quoniam cum homo sit creandus, alicui ex hominibus, similis euadat est necessum, & si non valuit, figuram parentum effingere, aliis similabitur hominibus: inter alios autem, facilius est motũ degenerare, in auos, & proauos, quorum etiam vis, in semine quadantenus seruatur: nam vt species rei post multos annos visæ, fereque antiquitate iam obliteratæ, nostram interdum mouet phanthasiam, nihil tale efficientibus speciebus recentibus, quas ea ipsa die, ex rebus, quæ sub obtutum cecidere formauimus: ita similiter credemus, quod motu, qui est ad imaginem patris non succedente, in auum cuius etiam aliqua inerat similitudo, degeneratio fiat: & hac euanescente, in extraneum. Vnde videmus famalias quasdam, quæ per multas succeßiones, naso sunt simo aut adunco, ore lato aut angusto, corpore procero aut breui: quæ tandem obliterantur, & in extraneorum similitudinem degenerant. Fit secundo ea degeneratio ob rebellionem & cõtumaciam materiæ, ex qua, & in qua, fœtus creatur: siue enim semen sit generando parum aptum, maiori aut minori quam decet quantitate: siue vterus sit contortus, ita vt declinatione & obliquitate sui, inæqualiter semen in eo effundatur, mõstra creãtur, vt scribitur libro finitionũ medicarũ: perinde enim fit, atq; cũ ex liquato plũbo inæqualiter affuso, inæquale atq; deforme cõflatur opus. Tertio, ex iis quæ facultatẽ que nos format, à suo fine distrahunt: & ex iis quæ materiã immutãt. Materiã sane immutãt, alimẽta ex quibus nutritur, et oblæsum infantẽ reddere possunt, multitudine, paucitate, aut prauitate: motus quoq; externi, & arcta matris cingula (quibus præmitur infãs, cõtorquetur, dilaniatur, & in prauã figurã vertitur) & alia huiusmodi, sunt ex iis quæ fœtus materiam immutant. Formatricem vero facultatem, distrahit à suo fine, imaginatio valida atq; intenta: cuius tãta est potestas, vt conceptũ semen tenerum & facile paßibile immutet, distracta scilicet formante facultate ab imaginatione, quæ in aliud diuertit: vnde Plinius lib. 7.
" naturalis historiæ, cap. 1. sic scribit. Hausta imago sub ipso cõceptu, similitudinum re-
" putatio est. Cogitatio enim vtriuslibet parentis animo subito transuolans, effingere
" similitudem existimatur. Hinc alios auis similes, alios patribus enasci videmus: nõ-
" nunquam ex albis parentibus, in Aethiopem partum ipsum degenerare. Suntq; plu-
" res in homine, quam cæteris omnibus animalibus differentiæ, quoniam velocitas co-
" gitationum, animiq; celeritas, & ingenii varietas, multiformes notas imprimit: cum
" cunctis animalibus immobiles sint animi, & similes omnibus, singulisq;, in suo cuiq; genere. Huc attinet, historia à Galeno recẽsita, libro de theriaca ad pisonem, capite 14. quod cum deformis quidam, opibus potens, formosum velet procreare filium, depinxit in lato ligno, elegantem alium puellum, dicebatq; mulieri, inter coëundum vt illam picturæ figuram inspiceret: hæc autem, defixis oculis intuens, & vt ita dicam totam illuc mentem aduertens, infantem nõ quidem patri, sed picto similem peperit. Sic Albertus & Auiccenna, nono libro de animalibus referunt, pullum prodiisse,

ceruice

ceruice accipitris, eo quod inter concipiendum, valde timuit gallina, viso accipitre. Hinc filij adulterini, ex imaginatione viri, redduntur falsis parentibus similiores, Plinio autore, lib. 7. cap. 12. vnde in adagium cesit, quod filius ex adultera, excusat matrem à culpa. Aristoteles etiam. 10. libro poblematum, problemate. 12. dum reddit rationem cur minus filij hominum quam belluarum, parentibus suis similes reddãtur, in hominum imaginationem refert. Hinc Iacob decepit Labã socerum suum ponens baculos decorticatos, vbi pecudes bibebant: quos cum coëuntes spectarent, procreabant agnos non parentibus, sed ligno quod præ oculis habebãt persimiles. Hinc referunt autores, quod si mulieri quæ recens cõcepit, in sinum effundatur, vinũ, aut cerasum, aut fragum, & animo id grauiter ferens, vehemẽter apprehendat, ibidẽ infanti nota inuretur: & quod si grauida eo cuius flagrat desiderio minime potiatur, infans illius signum geret: & quod pauo, dum ouis suis incubat, si linteis albis circuntegatur, albos omnino pullos, nõ gẽmantis coloris edet: & quod gallina colore varios emittet, si varie picta oua foueat: & mulierem albam, prolem nigram genuisse, hinc duntaxat, quod fixis oculis, intentoq; animo, diu Aethiopis imaginem comprehendisset. Hinc detegitur error doctissimi Fernelij. 7. lib. physiologiæ, cap. 12. vbi vniuersam causam, similitudinis aut dissimilitudinis, refert in imaginationem: nam vis formæ effectrix (apud eum) cogitatione ducitur, & ab ea sola regitur. Sed fallitur aperte, quoniam cogitatrix non format: sed formatricem immutat, vt ab effigie formanda, diuertat in eam quam cogitatione apprehendit: formans ergo facultas nisi impediatur, formam aliquam habet, in quam suopte sponte tendat: quam autem aliam habeat, præter parentum effigiem, non video: hac vero dissoluta, aut propter imbecillitatem ipsius facultatis formãtis, aut propter materiæ quæ formatur indispositionẽ, aut propter ea quæ immutant materiam, aut propter ea quæ immutant facultatem: in effigiem extraneam, & quandoque in monstrosam degenerat. Adde quod ex imaginatione, auos & proauos nunquam referrent infantes: nam quis vnquam auorum in concubitu recordatur? Hinc plantarum procreatarum, ad plantas procreãtes, certissima similitudo obseruatur: sola enim terræ, aut pabuli ineptitudine, potest obliterari. Minus certa brutorũ, quoniã duorũ seminũ efficientia procreãtur, quorũ vtrũque, alterum obscurat, dum suam figuram, cudere studet: in quibus etiã imaginatio rerum præsentium, ad diuersum colorem, & figuram diuertit. Hominis vero ad parentes similitudo, incertissima est, quoniam dictis causis incertitudinis, addit imaginationis transcursum, & cogitationem vtriusque parentis subito transuolantẽ, etiã ad ea quæ absentia sunt: nihil enim tam remotum est, cuius interdũ spectrũ, phãtasia non reuoluamus. Ea tamẽ quæ præsens in concubitu intuemur, & phantasia valide apprehendimus, adeo vim formantẽ immutãt, vt nihil magis quam ipsorũ similitudinem ea vis cudat (siue homo sit siue monstrum, id in quod imaginatio figitur) cuius mirandum exemplum, præter ea quæ nos diximus, & autores memorant, subdemus in partu quodam diabolica effigie edito in Indiæ occidentalis oppido sancti Laurentij

tij, cuius testimonium multis & fide dignis testibus comprobatum (à Tulancinco, cuius pagus atq; districtus est, duabus leucis distans) ad excellentissimum dominum Illefonsum Perez de Guzman, Ducem de Medina Sydonia fuit allatum, simul cum formidanda pictura. Hic vt est publicæ vtilitatis amator, & omnis virtutis sititor, me vocat, literas donat, vt id exemplum in publicam vtilitatē vertam, omnes que monstrosæ huiusce partionis conscios faciam. Natum est monstrum hoc mortuum, vi enixus post semiborā interēpta matre, sexto die Aprilis, anni proximi millesimi, quingētesimi, septuagesimi tertij: lōgitudine triū dodrantiū, facie vero decē & sex digitos longa. Ore constabat rotundo, & hiante, lingua hircina, naso resimo, sursum reuerso, & nulla formatum cartilagine: oculis cauis, prorsus albis, sine pupilla, & palpebris. Fronte extra in modum galleæ anterius cristatæ protuberante. Ad frontis latera, duo inerant cornua, hircinis erumpentibus valde similia. Aures paruæ, ijs quas scyurus habet valde similes: Ab occipite cutis supra caput protuberans, diadematis effigiem repraesentabat. Capillorum merges, decem digitos lōgus, è medio erumpebat capite, collo breui, breuibus etiā brachijs insigniebatur. Digiti dextræ manus breues, & indistincti erāt. Sinistra vero manus, affabre fuit formata, in eaq; sonaliū carneum, valde simile, ijs quæ ex ligno, & æreis laminis sonantibus, parari solent in fuit: laminæ enim carneæ, in interseptis quibusdam, & carneis diuisuris; hinc inde mouebantur, vt nihil à nostro sonalio discriminis interesse iudicares. Imus venter quadrimi pueri ventrem æquabat: vmbilicus in ipso duobus digitis extra prominebat. Cingulo carneo duplici, quasi duplicato intestino, præcinctus erat, ita vt cinguliū à cingulo, & cingulus vterque, à corpore essent distracti. E cinguli parte dextra, pendebat crumena pyramidalis, ijs quas in cingulis collocare solemus valde similis. Penem habuit exiguum, scrotum vero magni aurantij amplitudini æquale. Crura erāt breuia, albis ocreis ex ipsa carne, à crure tamen diuisis contecta. Dextri quidē ocrea, supra genu explicata: sinistra vero, infra ad maleolū reuersa, & rugata erat, quæ facilem tū reuersum, tum explicationē admittebat. Dextrum etiam crus, ligatū erat, simplici compedi carneo, posteriori parte vtrinq; perforato, vt duo illa foramina carnea sera penetrans, instrumenti ferrei, quo pedes irretiri solent, phātasiā exhiberet. Totaq; monstri effigies, diabolica specie, demonis cuiuspiam tripudiantis constabat. Maximam enim indorum, cum prauis demonibus consuetudinem, & horrenda ipsorum visa, certissimæ narrāt historiæ: quibus animo vehementer conceptis persimilia monstra, si vtero formentur & in lucem edantur mirum non est.

De multiplici prole ex vno partu, & de *superfœtatione.*

CAP. XVIII.

Eadem



Adem est plurium fœtuum, atque vnius formandi ratio: In cæteris ab homine animantibus, cane, sue, fele & huiusmodi alijs tam frequens, vt aut raro, aut nũquam vnum pariãt, sed duos, tres & plures: In homine vero, vnius partus frequentissimus est, geminorum rarus, naturalis tamen: trium, aut plurium, vel impossibilis, vel monstrosus, & à naturæ lege exorbitans. Tot enim vnumquodq; animal, ex natura concipere, & parere potest, quot in vtero habet sinus, & loculamenta: quibus etiam totidem mãmæ respondeãt par est. Mulieri sane, duæ dũtaxat mãmæ datæ sunt à natura, duoq; in vtero sinus, vnus dexter, alter sinister: quos facit, & separat, tenuis quædam sutura, in intima vteri fundi facie extuberans, ei prorsus similis, quæ in masculis scrotũ diuidit. Semen ergo tam viri, quã mulieris, si vtrumq; sinum subeat, vtrobiq; membranam induit, vitamq; gemini accipiunt, non secus ac fœtus vnus. Quod vero quidam referunt tergeminos, & septẽgeminos, concipi & edi posse præternaturale est, rarum, & forte impossibile. Quod vero in vtero muliebri, plurima loculamẽta statuãt, anatomis imperitia fecit. Quod vero ad vtrumque, sinum semen deferatur, vt gemini inde procreentur, pendet primo, ex seminis ipsius multitudine, quæ vtrumque sinum complet Secundo, ex eiaculatione seminis, non simplici, sed duplici, aut triplici, non enim vir vniuersum semen, vnica eiaculatione semper eructat: sed fit interdum, vt prima eiaculatio in dextrum, secunda vero, aut tertia, in læuum fiat sinum. Tertio, ex ipsius vteri motu, atque deglutitione non simplici, sed multiplici ad apprehendendum semen. Accidunt enim aliquando (inquit Auicenna) matrici apud attractionem, motus sequentes, sicut illi qui deglutit bucellam, post bucellam, & sicut respirat piscis, emittendo respirationem, post respirationem. Quarto, ex causa distrahente, & separante semen, in duas, aut plures partes, quod posset facere flatus semini permistus: & hac ratione, possent concipi multi fœtus præter naturã, & à causa præter naturali: nam & Auicenna, à fide digno audiuit 9. lib. de animalibus, quod quædã mulier, abortiuit septuaginta figuratos, vno aborsu. Et Albertus magnus dixit, se habuisse à fideli medico, quod quædam mulier in Germania, abortiuit centum quinquaginta figuratos, in quantitate digiti auricularis, omnes vno panniculo inuolutos. Fit tamen interdum in tam minutas partes seminis diuisio, aut à flatu, aut à causa alia, vt nulla ipsarum formam humanã accipiat, sed in alterius animalculi effigiem degeneret: calor enim natiuus, in vnaquaq; seminis minutissima parte cõsistens, ne pereat, animalculũ procreat, in quo cõseruari queat, pro quãtitate & qualitate materiæ in qua habitat, sic duretus in illustrationibus, ad librũ de morbis internis, Hollerij cap. de mola, refert se vidisse mulierẽ, quæ cũ nouẽ mensiũ spatio vterũ gestasset, omnibus quæ in legitimo partu euenire solẽt, mirifice respõdentibus, tandẽ nihil aliud præter animalia quædã, ranis haud absimilia, cũ multis purgationibus, cruẽtis & corruptis in lucẽ edidit.

Ex geminis autẽ, notat Hippocrates, libro de natura pueri ad finẽ, alterũ maiori,

ex

ex parte marem esse, alterum fœminam, non hominibus modo, sed cuiuis etiam animantiũ generi. Nam cũ ex vno concubitu diuersaq́ eiaculatione prodeant gemelli, non potest frequenter, prima atq́ secunda eiaculatio, eiusdem esse roboris: sed prima validior masculum, & secunda fœminam creat: contingit tamen interdum, in sinus ambos validum semen subire, & vterq́ mas fit, sicut fœmina, si imbecillum vtro bique insit. Vnum tamen mirandum (quod an verum sit inexploratum habeo) notãt alij, quod scilicet gemelli qui vnius sunt sexus, ijsdem secundis inuoluti, simplici dum taxat membrana seiunguntur, & suum quisq́ vmbilicum, propriasq́ tum venas, tũ arterias obtinet: qui vero diuersi sunt sexus, diuersas quoque secundas acceperunt, easq́ prorsus diremptas. Hæc sane de ijs qui vno concubitu concipiuntur, & simul postea eduntur, audiantur: nam vbi ex diuerso concubitu creantur, non gemelli, sed ea quæ superfœtatio appellatur sequitur, in qua non vno tempore, sed dierum interiecto numero, eduntur in lucem fœtus. Nos hercle duas iam superfœtasse vidimus, qui bus vt concipiendi, sic & pariendi tempus fuit varium: & autores, testatissimis experimentis, id ita euenisse alijs comprobant: inter quos, Nicolaus Florentinus, historiam recenset huiusmodi. Ego noui (inquit) vxorem Zachariæ descarparia, quæ peperit masculum, & hinc ad tres menses peperit alium masculum, & bene vixerunt ambo. Nec obstat os matricis prægnationis tempore adeo occlusum, vt nec acus cuspidem admittat, ad semen enim prolectãdum, quadãtenus aperiri nihil obstat: præsertim quod illis quæ superfœtant non valde clauditur, vt libro de superfœtatione do cuit Hippocrates, in hæc verba. Superfœtant autem hæ, quarum vteri os, post primũ conceptum, non clauditur ita valde. Fallitur ergo Valuerde medicus de Amusco, qui in sua anatome (quam ab Andrea Vesalio vniuersam furatus est.) superfœtationem ceu impossibilem de medio tollit. Sed iam hic, huius tractatus de hominis procreatione esto finis: Ex quo vtinam æstimemus & intra nos met ipsos reuoluamus, quam tenuis, caduca, & friuola sit (vt Pliniana conquæstione vtar, libro septimo naturalis historiæ, cap. septimo) animalium omnium superbissimi origo. De quo tamen an perfectione & fortuna, reliqua superet animantia, an ab ipsis superetur, dubium extat, sequenti capite diluendum.

De hominis excellentia atque dignitate, quantumque reliqua superet animantia. CAP. XIX.



Aturæ sapientissimum artificium, admirandamque doctrinam, in hominis procreatione, atq́ partu, qui recte expẽderit, summam Dei prouidentiam, diuinumque opificium agnoscet: Epicurumq́ & sequaces eius post habebit, qui quo prouidentiam deleant, & omnia fortunæ committant, naturam rerum accusant & criminãtur, quasi homini fuerit nouerca, reliquis vero animantibus pia mater:

mater. Conquæruntur ſane, quod hominem matris dolore, ingentiq́ periculo, parturi uerit infirmum, nudum, inermem, vagiētem, ſortemq́ ſuam, in ipſo vitæ introitu plorantem. Ante quam naſcatur, medicam curam poſcit, ne abortiatur: in ipſo partu, artis obſtetricandi eſt indigus: editus in lucem, omnis pietas minor eſt, quam ſua requirat infirmitas. Infinitis deinceps morbis, & morti exponitur immaturæ, adeo vt aut rarus, aut nullus ſit, qui vltimam ſenectam, extremumq́ marcorem attingat. Inter eius quoque miſerias memorant, quod is ſolus inter omnia animantia, propriæ ſepulturæ curam gerit. Bruta vero, nulla fere opera concipiuntur, geſtantur vtero, in lucem eduntur, editaque ſtatim gradiuntur, luxuriant, & tumultuantur, ſuasq́ matres ſequuntur, ipſarum vbera ſugunt, herbisq́ vtilibus paſcuntur, & noxia quæq́ ſine doctore venena refugiunt. Cute dura, pilis, plumis, aut teſtis teguntur, quò aut cæli iniurias tollerent, aut aduerſus incidentia & contūdentia, ceu congenita lorica muniantur. Vnguibus, cornibus, dentibus, ſpinis, chelis, roſtris, aculeis, infinitisque prope armorum generibus offendunt, & victoriam, palmamq́ de inimicis reportant. Quæ vero timida erant futura, aliorumque animantium præda, ne cum ipſis natura eſſet auara, agilitate magna inſigniuit, vt incommoda quæque, fuga deuitarēt. Morbis quoque pauciſſimis conflictantur vtraq́, ad ætatis perfectionem ſalubriter veniunt, & niſi hominis gula & carniuora ingluuie interirent, vltimam quoque fatorum metam aſſequerentur. Accedit, quod multis animæ neceſſarijs functionibus hominem ſuperant, linx viſu, canis odoratu, elephanthus mira idiomatum intelligentia, lupus appetentia, ſtruthiochamælus coctione, & alia alijs pro vt ſua cuique contigit fortuna.

Friuola tamen hæc ſunt, vt genus humanum peſſundent, cæterisq́ animantibus poſtponant. Eſt enim homo, diuinum animal, quod intellectualis anima, & corpus tam affabre conſtitutum componit, in Dei ſocietatem & obſequiū creatum, in quē cætera creata ordinantur, non modo corporea vt geneſeos primo capite legitur, verum & incorporei ſpiritus, angelique cuſtodes, qui hominibus ſeruandis ſemper aſſiſtunt. Eſtque ipſi etiam Deo, humana natura tam grata, tamq́ expetibilis, vt eam aſſumpſerit ipſe in vnitatem ſuppoſiti, ſummasq́ delitias cum filijs hominum habitare fuit ratus. Sed age ſingulorum naturas huiusmodi Dei gratia prætermiſſa æſtimemus. Cætera quidem animantia (vt primo libro de Vſu partium, apud Galenum legitur) natura magis & inſtinctu quodam artem aliquam exercere videntur, quam ratione: Apes videlicet fingerē alueolos, theſauros & labyrinthos formicæ, nere & texere araneæ, in hæc aut illa alimenta ferri, hæc aut illa venena deuitare animantia cætera, cornibus petere vitulus, etiam ante nata cornua, equus calce mollibus adhuc vngulis, aper genis, cum adhuc magnis dentibus caret, minoribus vero dentibus quos habet, & quibus mordere poſſet, non mordet, quoniam animi facultas, quæ exertis ad genas dentibus eſt vſura, ipſum impellit, vt ea vtatur parte, non alia. Sūt enim ipſorum animis, huiuſmodi artes, inſtinctus, aut impetus, natura inſiti quibus

guber

gubernantur, & animi quodam motu, impetu ve feruntur: taliaque ipsis, aut arma, aut instrumenta, tributa sunt, qualia ad animi dictum impetum, dictasque artes exequendas idonea fuerunt. Homo vero politicum, & pacificum animans, ratione potius, quam animi impetu gubernandũ, nec arte aliqua ingenita opus habuit, nec aliquo armorũ genere, quo eiusmodi exequeretur artẽ: sed rationem habuit imperatricẽ & inuẽtricẽ omniũ artiũ, & quæ merito ars ante artes appellatur: & manus cui in obsequium rationis, omniũ artium instrumenta, tum bello, tum paci idonea, parare facile potest. Ob idq́ merito, organũ ante organa manus appellatur: manu enim omnia arma parat, ensem, hastã, balistam, sclopetrum, atque bombardam, quibus cominus & eminus vulnerat: loricam, galeam, brachialia & fœmoralia ferrea, quibus corpus suum munit: domus & alta mœnia quibus secure dormit: equum domat, quo vtens velocitatem & feritatem leonum superat, & sedens ex alto, quãcumque feram tuto percutit: laqueos & retia nectit, quibus quæ in mari, terra, & aëre sunt expiscatur, velut omnium eorum dominus: nauem facit, lyram, forcipem, & alia artium instrumenta: lanam tondit & texit, diuersisque operimentorum & vestimentorum generibus, corpus suum ornat: leges scribit, simulachra & templa dijs erigit, commentarios speculationis componit, nobisque licet modo colloqui cum Platone, Euclide, Hippocrate, Mose, Paulo, Hieronymo, Cicerone, & alijs veteribus: quoniam quæ ipsorum ratio excogitauit, eorundem manus scripsit. Huius etiam beneficio, arma omniumque artium instrumenta, assummimus & deponimus, induimus & exuimus, iuxta rationis dictamen, quod nullatenus liceret facere, si aliquod operimentorum & armorum genus, nobis esset innatum vt brutis: nec enim illud deponere, nec aliud assumere fas esset. Quare præstitit (vt Galenus aduertit) pro corporis nuditate manus, & pro animi inertia, imperitiaque, rationem accepisse.

Durum autem corpus, atque adamantinum, non decuit obtinuisse, quoniam ad sensus & intellectiones esset ineptißimum: nam & inter homines, qui duri admodũ atq́ densi sunt, rustico sunt intellectu, molles vero carne, esse aptos mente, experimẽto didicit Aristoteles. Nec vero si aliqua functione, præstet animans homini, statim perfectius homine euadet: non enim melius cum lince factum est, quoniã videndi præstet acumine, aut cũ struthiocamelo, quoniam lapides & ferrum coquat & exterat, deest enim ipsis rationis vsus, manus atq́ lingua, quæ hominẽ illustrant, & diuinum reddunt. Nec inter homines etiã ipsos, rationis vsum habentes, statim ac aliquis aliqua præstat functione, reliquis præferri debet: corpus enim temperatum (vt scribit Galenus, libro de optima nostri corporis constitutione) singulis intemperatis, aliqua in re inferius est, ante omnia tamen potißimum est deligendum. Quod vero plurima indigeat opera, tum ne abortiatur, tum vt educetur, & sanus degat, ex perfectione depẽdet: quæ enim imperfecta sunt, suapte spõte seruãtur, carẽt enim perfectione quã amittãt: quãto vero perfectiora sunt, tãto pluri indigẽt apparatu: quæ

autem multis indigent, pro salute & custodia, nihil mirum si pluribus morbis, & à multiplicibus causis conflictentur. Plura enim sunt in quibus deficere possunt, qui plurimis ad integritatem habent opus. Nec plus admirationis habet, mors immatura, siquidem hæc morbos sequitur. Nuditas ergo, imbecillitas, morbi, atque mors immatura, ad hominis perfectionem attinent, tantum abest ut ab ea quidquam detrahãt. Necesse præterea est, ut qui sua natura est mortalis, per omnes ætates sit mortalis, nunquam enim est conditio mortis aliena, ab eo qui aliquando moriturus est, nec immortalitas cum mortalitate coniũgi ulla ratione potest: nec si cohærere possent, decuit hominem, ante senectutem mori non posse: fieret enim insolentissimus, & humanitate omni careret. Nã fere iura omnia humanitatis, quibus inter nos cohæremus, ex metu, & cõsciẽtia fragilitatis oriũtur, ut elegãter docet Lactãtius firmianus, libro de opificio Dei, cap. 4. quia enim imbecillis est homo, nec per se potest sine homine uiuere, ideo sociatus alijs, mansuetus & minime ferus fit. Quod uero de sepultura sua cogitet, sumptuosa sepulchra, mausoleaq́ ædificet, quò corpus suum reponat, honestatis & immortalitatis est inditium. Si enim cæsar dum occideretur, cauit ut honeste caderet, cur non ut honeste reponatur prouidebit? Qui item surrecturus est, & in carne propria iterum uicturus, consulto propriam carnem, quã rursus est accepturus, templis Deo sacratis custodire curabit. Quo fit ut qui hominem infirmari, & dehonestare student autores, proprias uoces ignorẽt, eius enim ingentem nobilitatẽ, uel ipsa augent ipsorum ludibria. Ridendi quoque sunt ij quibus nulla uitæ ratio placet: nam sunt qui commoditatibus non exiguis, in unoquoque uitæ genere gaudent, ut duo sequentia è Græco in latinum, per Erasmum uersa, iocantur Epigrammata.

Quod nam iter, humanæ cupias insistere uitæ?
Quoquo te uertas, omnia plena malis.
Litigijs causisq́ forum strepit usq́ molestis.
Perpetua cruciat, sollicitudo domi.
Enecat assiduis rus triste laboribus, undas
Et freta si sulces, mille pericla præmunt.
Viuenti peregre, si res tibi suppetit ampla,
Cuncta miser metues, nec bene tutus ages.
Rursum si uacuæ pendebunt æra crumenæ,
Vt durum ac miserum est, hospitem egere uirũ.
Coniugium sequeris, quanta hic te cura sequetur?
Desolatus eris, si sine coniuge eris.
Si tollis sobolem, multo educanda labore est.
Non tolles, orbi lumine uita uacat.
Si iuuenis fueris, uaga & inconsulta iuuenta est.
Viribus effœta est cana senecta suis.

Ergo quid reliquum est quæso, nisi sanus vt optes
Alterutrum, aut nunquam tristibus è finibus
Materni prodiisse vteri, aut vbi protinus illinc
Exieris, stygias abdier in latebras.

Quamlibet immo viam vitæ ingrediare licebit
Vndiq; blanditur plurima commoditas.
Concio si placet atq; forum, hinc vberrima famæ
Materia, hinc ingens gloria colligitur.
Hic bene tractandis prudentia callida rebus
Exeritur, rursum vita quieta domi est.
Rura petis, vario illic oblectamine mentem
Naturæ facies pascet, amœna tuam.
Dulcia prædiues lucra, suppeditauerit æquor.
Si peregre viuis, resque tibi superest,
Multus honos comitatur: habes nihil, ergo pudoris,
Est minus, ipse tibi conscius vnus eris.
Vxor ducta tibi est, domus optima proinde futura est.
Non ducta est, curis exoneratus ages.
Si tibi dulce patris cognomen, pignora nata
Donant, & quod ames, vnde & ameris erit.
Orbus ages, orbi est sine sollicitudine vita,
Quam patribus sobolis ferre alitura solet.
Vt constant viridi, roburq; vigorq; iuuentæ:
Commendat pietas sic sua canitiem.
Nil igitur video causæ, cur alterutrum optes,
Aut nasci nunquam, aut interiisse statim.
Quando quidem humanæ, quæ tandem est portio vitæ
Non optanda bonis, atq; adamanda suis?

Ex Cornario.

Non ego fortunam, nec spem, nec deniq; curo
Fraudes, optatum portum ego contineo.
Nam sum homo, sum pauper, libertatemq; reseruo
Diuitiæ nullæ quam violare queant.

Libri de hominis procreatione à conceptu vsq; in partum, finis.

APPENDIX QVO DOCEMVR quid naturale, quid ve miraculosum, in conceptione, & partu, domini nostri Iesu Christi interfuerit.



VM de hominis procreatione, atque partu tractaui: eo fluxit oratio, vt de hominis perfectione, quantumq; reliqua superet animantia mentio esset. Inter ea autem quæ hominem nobilitant & strenuum reddunt, præter ea quæ sibi ex natura insunt, Dei gratia in humanatione filij Dei impartita, principatum tenet. In qua cum multa fuerint naturalia, & multa supra naturæ vires, philosophi fuerit Christiani inuestigare quid naturale, quid ve miraculosum in conceptione, procreatione, atq; partu filij Dei interfuerit: quantumque hæc à conceptione & partu naturali distent, quod hic dicere paramus: à prima inchoantes differentia, quod beatissima virgo concepit sine viri semine, & peperit filium perfectissimum, & præ filijs hominum speciosum: conceptio autem atque naturalis partus, sine masculo fieri non potest. Gallinæ sane oua suapte sponte gignunt, subuentanea tamen, & imperfecta, pullisque creandis inepta. Fœminæ ex se, nullo externo auxilio accedente, molam & informem carnem concipere possunt, fœtum autem perfectum minime. Videtur tamen obstare, quod semen fœminæ (apud Galenum) non modo præstat materiam generando fœtui, sed vim etiam & efficientiam: quare si in fœmina adest vtrumque principium, actiuum (inquam) & materiale, videtur etiam posse fieri, vt ex se ipsa generet sine viro. Hanc difficultatem vidit Galenus, secundo libro de Semine, & respondit, quod viragines, quæ calidæ adeo sunt, vt semen crassum, calidum, & fœcundum obtineant, licet concipere possent, nequeunt fœtum absoluere, & in finem vsque gestationis vtéri alere: menstrua enim talibus deficiũt, ex quibus fœtus alimoniam capiunt. Frigidiores vero quæ semen tenue frigidum, & minime glutinosum habent, quanuis efficientiam præstent aliquam, exigua tamen est, & quæ generando fœtui minime sufficit. Quæ sane mihi semper displicuit solutio. Primo, quoniam si viragines illæ concipere possunt, nullumque nec actiuum nec passiuum ipsis deest principium: nihilque deest ad fœtus exactum complemẽtum, præter alimentum nouem mensibus suffecturum: poterit mulier, saltem cum magno sui detrimento, plurimũ videlicet emaciata, tot mensibus fœtum enutrire. Secundo, quoniam viragines, robore virium & calidi innati præstant reliquis, quare plurimum alimentum conficient pro se, & pro fœtu enutriendo. Tertio, nam viragines dictæ validissimæ sunt, ad tollerandas venæ sectiones, & largas sanguinis profusiones ob virium robur, ergo & ad fœtũ nutriendum sufficient. Quarto, nam ex Galeni oratione infertur, quod viragines promptius concipiunt, siquidem ex se se

sunt

sunt sufficientes sine adiutorio masculi ad concipiendum, cum tamen nullæ ex experimento quotidiano, sint ineptiores ad conceptum, etiam viro nuptæ. Quinto, nam viraginem nouimus, quæ filios & filias peperit plures, citra damnum aliquem aut sui iacturam, toto enim prægnationis tempore valida erat, colore viuido prædita, & ad actiones solitas prompta, & expedita permansit: tantum abest, vt alimentum defuerit enutriendis conceptibus. Vnde sine menstruis mulierem cõcepisse, & peperisse, tradit Hippocrates. 2. libro Epidemiarum, parte. 2. sententia. 16. quod etiam experimento edocti, notarunt Forliuiensis, prima primi, & Gaynerus, tractatu de ægritudinibus matricis: cum enim per ætatem non est negatum parere, qualiscumq; vteri irrigatio, sufficit ad conceptum. Sexto, nam Galenus putat, admodum frigidas, principium actiuum habere inefficax, & plurimũ calidis, deesse sanguinem pro alimento, medios tamen status non percurrit: quis autem vetat, mediam dari temperaturam, quæ nec caloris copia, vniuersum sanguinẽ absummat, nec eiusdẽ inopia sit inefficax? Vltimo, nam si testes habeat calidos fœmina, & quales pro crasso, lento, calido, & fœcundo semine generando requiras, reliquo corpore potest frigidior, atq; humidior esse, & more aliarum fœminarum menses habere. Hæc igitur habens principium actiuum, & passiuum, & sanguinem abundantem (à Galeno requiro) cur suapte sponte cõcipere & fœtũ absoluere nequit, nullo accedente masculo? Quid ipse responderet haud scio, nobis vero dictum supra est, & nunc rursus repetere placet, quod huiusmodi mulier, sine masculo non concipiet, ob masculositatis defectum: vterque enim sexus, ad liberorum procreationem, in animantibus perfectis est necessarius, quod scilicet mas, & fœmina, in vnum commisceantur. Diuersitati autem animantium diuersa respondet commistio, prout cuiusque natura poscit: quædam enim ante coëunt iacentia, vt homines: alia inuersa, vt quadrupedia cũcta: quædam amplexu quodam, vt serpentes inter terrestria, & inter aquatilia sepiæ: & pene infiniti sunt modi, quibus congrediuntur, inter quos erinaceorum non est omittendus, erecti namque venerem agunt, quoniam superuenire non possunt propter aculeos, ideoque ocyssime coëunt: estque omnibus qui cõmiscentur, ea communis conditio, vt mas, fœminis membrum imponat, & semen in eius vterum deriuet, vt vtroque sexu, atque semine commistis, nascatur proles. Imperfectissima vero animantia, quæ putredine prouenere, nullum sexum, nec masculum, nec fœmineum requirunt, sed solam innati caloris vim, quæ constare faciat, segregata per putredinem, vt quarto libro Metheororum, & .3. libro de generatione animalium, loquens de animalibus, quæ sponte oriuntur, Aristoteles est autor. Hæc autem quæ putredine prouenere, si pariunt, non sine semine & commistione parient: mures enim ex putredine genitos commisceri & parere videmus, quanuis secus visum fuerit Aristoteli. Media quoq; animantia, quæ ortis sponte sunt perfectiora, & maxime perfectis comparata, imperfectiora, licet non commisceantur, nec duorum congressus sit necessarius, ambo tamen sexus, concurrant oportet, nam Aristoteles in plantarum seminibus

vtramq. vim permistam statuit, & masculam & fœmineam. Quod etiam in apũ genere statuere oportet, de eis enim sacra, sic canit ecclesia, O vere beata & venerabilis apis, cuius nec sexũ masculi violant, fœtus non cessant, nec filij destruunt castitatem. In conceptione ergo domini nostri Iesu Christi, Maria virgo præstitit materiã; & sexum fœmineum: pater vero omnipotens, spiritus sancti operatione, masculositatem (alioqui ex natura necessariam) suppleuit: & ideo virgo concepit, & peperit, filium suum atque Dei.

An vero Maria virgo, eandem specie materiam præbuerit, ad generationẽ Christi, quam aliæ præstant mulieres, ad generationem prolis dubium est. Cui respondendum est, ex beato Thoma. 3. parte, quæst. 31. artic. 5. in responsione, vbi inquit quod ad naturalem modum generationis Christi pertinet, quod eius materia, de qua corpus eius conceptum est, sit conformis materiæ, quam aliæ fœminæ subministrant. Primo, quoniam multiplicatio miraculorum sine necessitate, non est admittenda. Secundo, quoniam nisi ex materia eadem specie, cum illa quam aliæ matres subministrãt, Christus fuisset ortus, non esset filius naturalis Mariæ virginis, sed solius Dei patris, qui ex quauis materia, posset eũ producere in vtero virginis. Quod vero materia quã reliquæ mulieres generationi præstant, sit semen (vt Galenus voluit) & non sanguis, (vt Aristoteles) dictũ à nobis lib. de Semine est. Quare quæ apud Thomã sequũtur verba, nõ probamus, postquã enim dixit, quod ad naturalẽ modũ generationis Christi pertinet, quod eius materia, de qua corpus eius conceptũ est, sit cõformis materiæ, quam aliæ fœminæ subministrant, ad conceptionem prolis, hæc subdit ad verbum: Hic autem apud Aristotelem, est sanguis mulieris, non quicumque, sed perductus ad quandam ampliorem digestionem, per virtutem generatiuam matris, vt sit materia apta ad conceptum, & ideo ex tali materia fuit corpus Christi conceptũ. Quæ non placent, Primo, quoniam nihil aliud est semen, quam sanguis vlterius coctus, atque elaboratus adeo, vt aptus fiat generationi, quare latenter incidit in id quod vetare studuit. Secundo nam ex puris sanguinibus Mariæ, corpus Christi fuisse formatum, adstruxit ibidem beatus Thomas: sanguis autem coctione vlteriori subactus, à sanguinis puritate tantum recedit, quantum ad substantiam membri coquentis, & assimilantis accedit magis. Nec obstat altera ratio, quam subdit Thomas, in hũc modum. Semẽ fœminæ cum quadã concupiscientia resoluitur, sicut & semen maris: in beatissima autem virgine, nulla fuit concupiscientia, quare nec semen præstitit Christo generando idoneum. Sed debile admodum est argumentum, Primo, nam interdum semen eiaculatur, sine concupiscientia, vt in profluuio seminis fere continuo, & paulatino: quod non modo sine oblectatione, verum etiam sine sensu fit. Secundo, nam sanguinẽ etiam cũ cõcupiscientia elidi, manifestum fecere, salacissimi quidam homines, qui adeo veneri operam dedere, vt semine vniuerso prius exhausto, deinceps sanguinem, & animã postremo, magna cũ delitia & oblectatione dederint. Quin nec mictioni vrinæ, sua deest delitia, tanta est illarum partium ad oblectationẽ

per-

percipiendã insita vis. Tertio, nã in Maria virgine non fuit eiaculatio, aut seminis, aut sanguinis, sed ab spiritu sancto, huius aut illius clã fuit in vtero facta collectio, sine libidine, aut oblectatione aliqua, omni virginitate, corporali, & mentali, illæsa seruata: nam qui Euam sine dolore, de costa Adæ secreuit, melius sine voluptate, de virginis corpore, semen secernere, & in vtero colligere potuit.

Secunda differentia, huius conceptionis & partus à reliquis, est virginitatis ante partum, in partu, & post partum. Ante partum quidem, tempore scilicet cõceptionis, possibile est mulierem non deuirginari, sed conceptum fieri, ex solo obscœnarum partium attactu, vtriusq; semine effuso ad os vteri externum: tunc enim contingit sæpe, ex vteri auiditate, trahi intus semẽ ad cauitatẽ, & concipi, etiam si penẽ ad vteri ceruicẽ nõ indat masculus. Clausa etiam quæ deuirginari nequit, hac ratione concepisse est visa, tãtillo scilicet viri semine (in roris, aut forte vaporis formam) attracto, vt autor est Auicenna, vicesima prima tertij, tractatu quarto, capite primo. Quod autem refert Auerrhous, de fœmina vicina sua, secundo libro collectionum, capite decimo, quæ cõcepit attracto semine virili, ex aqua balnei, impossibile esse duco. Primo, quoniã vtriusq; semina sunt necessaria, quare ipsa non effundente, nõ fieret conceptio. Secundo, nam semen in aqua effusum, etiã calida, necessario vim genitricem, & spiritũ amittit (ex minori enim occasione solet amittere, nã si quis longo admodũ sit pudẽdo, aut si semen non adeo viriliter eiaculetur, sed paulatim magis, seminis vis gignẽdi extinguitur, ob morã ex lõgo spatio, aut ex motus tarditate cõtractã) Multo ergo magis in balneo derelictũ eã vim amittet. Quanquã autem sine corporali deuirginatione, fieri ex natura ad dictũ modũ possit cõceptus, fieri tñ nequit, sine cõcupiscẽtia, & carnis oblectatione: falsum enim est quod Auerrhous, ex multarum mulierũ testimonio affirmat, ipsas concepisse sine oblectatione, & seminis emissione. Ita enim loco citato scribit: Et postquam legi libros Aristotelis, ego quæsiui à multis mulieribus de hoc, & responderũt, quod plures in prægnatæ fuerũt, absq; spermatizatione, & etiã si displicuisset ipsis coitus, & etiã vidi plures ex istis impregnatas, quæ fuerãt à masculis violatæ. Id tamẽ falsum nos esse scimus, testimonijs multarum, quæ sæpe sæpius, huius rei fecerũt periculũ. Nec sunt audiendæ quædã, quæ castitatem simulantes, perhibent se se, nulla fuisse oblectatione detentas, sed omnia per vim fuisse perpessas: Primo, nam obscœnarum partium confricatio, etiam si inuoluntaria sit, voluptatem mouet: nam si scabiosum inuitum scalpas, non ob id dolore sed voluptate afficies. Secundo, nam vterus ex semine virili, quantumuis per vim & nephas indito, oblectatur: ob conuenientiam obiecti cum sensorio, quæ potissima dilitiæ causa est. Tertio, nam magna ex parte, quamuis actus violenter incipiat, prosequutio fit voluntaria. Non sunt ergo huiusmodi fœminæ audiendæ, nec in confessionibus admittendæ, sicut enim dulce per vim, in linguam inditum, necessario gustatum dulcem facit, ita obiecta reliquorum sensuum, suis organis insidentia, si voluptuosa fuerint, voluptatem, & si infesta fuerint, dolorem mouebunt. Quanquam ergo sine corporali deuirginatione, fieri ex natura

possit conceptus, non potest tamen sine concupiscentia, & carnis oblectatione, à quibus mundissima virgo fuit immunis. Vnde angelo nuncianti respōdit: Quomodo fiet istud, virū enim non cognosco, & destinaui nullum cum viro habere cōiugale cōmercium. Deipara enim virgo, nō modo virginitate corporali, verum intellectuali etiā ac voluntaria, supra omnes virgines insignita: naturæ modum, in cōcipiendo filium Dei respuēs, alium supra naturam quæsiuit, de quo angelū interrogat. Angelus vero dñi, ad eam respondit: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, ab æstu scilicet cōcupiscētiæ, vmbra enim opus nō est, nisi propter æstum qui esset non protegente vmbra. Sacratissima autem virgo consensum præbuit, ijs solum, quæ angelus annuntiabat, scilicet ad spiritus sancti superuentum, obumbrationem, & virgineum filij Dei conceptū: ob idq́; Deo se tota subijciēs, dixit: Fiat mihi secundum verbum tuū, quo grandia, virginei conceptus, mihi nūcias miracula.

Dum petulās aliqua, aut virgo, aut clausa, ex immundis cum viro attactibus cōcepit, & voluntariam virginitatem, castitatisque virtutem corrupit, partus tempore, corporalis virginitas, velamina, & quod hymenæum appellant, necessario disrūpuntur, lacerantur, & vteri os, & ossa pubis aperiuntur, non sine dolore vehementi partium omnium, quarum soluitur continuitas. Fabulosum enim est, quod Plutarcus refert, matrem Ciceronis, sine dolore eum peperisse: licet leuiorē dolorē fuisse perpessam, non sit absonum. Nam conceptui exiguum semen, aut roris, aut vaporis forma attractum suffecit: in partu vero corpus grande & solidum pellitur, quare corporalis virginitas, seruata in conceptione, corrumpetur in partu, aut partus nō fiet, interempta muliere simul & fœtu, præ impotentia pariendi.

Si in partu (vt mox diximus) aut deuirginātur omnes, aut intereunt, quæ à partu superstites manent, virgines esse nulla ratione quibūt. Hæc ergo fuit Mariæ virginis dos, hoc priuilegium, vt virgo esset ante partum, in partu, & post partum, virginitate corporali, voluntaria, & mentali. Nā à peccato & originali, & actuali, Dei beneficio domū sibi parantis immunis, ab omni cōcupiscentia, & carnis deordinatione, fuit libera: quare Deo se tota deuouit & tradidit. Pater autē omnipotēs eam in sponsam accipiens, grande incarnationis, & filij Dei humanationis mysteriū, fuit in ea clā operatus, & Deus homo factus est, sanctificatus & beatus. Tēpore autē partus, sine disruptione, cōtinui solutione, dolore aliquo, labore, oris vteri, & ossiū pubis apertione, aut laxamento, peperit filiū Dei patris atq́; suum: nā qui in ascēsione cælos penetrauit, & non disrupit, is ipse ex Maria virgine nascebatur, & a sui initio, omnium dotum habuit complementū. Quare post partū mansit, non modo superstes & viua, sed prorsus sana, integra, & inuiolata: nulloq́; indiguit externo præsidio, nec lecto, nec domu strenue parata, nec ministrante aliquo: Ipsa enim media hyeme, & sibi & filio suffecit, Deum collaudans, filio ministrans, pannis obuoluens, angelis congaudens, pastores euangelizantes audiens, & reges adorantes, ac munera offerentes excipiens, laurea nunc in cælis, supra omnes virgines, ac cælites insignita.

Aliud

Aliud statuunt theologi discrimen, inter conceptionẽ dñi nostri Iesu Christi, & nostrã: quod in hac, conceptũ semen, paulatim organizatur, spatio scilicet quadraginta dierum, aut paulo ampliori: exactam autem conformationẽ, sequitur animatio. Dñs vero Iesus, statim ac virgo cõsensum præstitit, spiritus sancti operatione, fuit cõceptus, integre conformatus, & animatus, & qui ab æterno Deus erat, in momento factus est homo, nulla organizatione quadragenaria præmissa. Quod probat sanctus Thomas. 3. parte, quæst. 33. artic. 1. dupliciter, Primo; ex infinitate virtutis actiuæ patris, quæ ratio tantum concludit de possibili, vt Gaietanus ibi. Secundo, ex persona filij, cuius corpus formabatur, indecens enim foret, humanum corpus accipere, nisi formatum. At cum in actu conceptionis, filius se humiliauerit, nescio quam indecentiam videt, in maiori humiliatione. Et certe minus decẽs foret, iniuriam, ignominiã & mortem pati, quæ pro nobis passus est. Post mortem item, persona filij, mansit cũ forma cadaueris, quæ ignobilior est, anima vegetante embrionis, & cõcepti seminis. Aliam subobscurius rationem insinuat, quæ (me iudice) maioris est momenti, & quãtum potui intelligere est huiusmodi. Conceptio attribuitur filio Dei, per solam naturæ humanæ assumptionem: natura vero humana, sine anima intellectuali constare non potest: hæc vero anima nisi in materia organizata non introducetur, ergo in instanti conceptionis, corpus Christi fuit animatum, & integre cõformatum. Maius accedit ex symbolo testimonium, in quo Iesum Christum conceptum esse, affirmat ecclesia, nunquam autem fuit conceptus, nisi in illo primo instanti, ergo in illo fuit animatus, & formatus: & in eo plena veritate dici potuit, Deus est homo, & homo est Deus, & Christus qui conceptus est, & in vtero clauditur, vere homo est, & vere est Deus, neque ideo minus homo, quia Deus, neq; ideo minus Deus, quia homo. In illo enim ipso instantiali puncto, siue momento, diuinam naturam, cum humana natura, in vnum suppositum, in vnum indiuiduum, in vnã personam, mirabiliter coniunxit & couniuit, quod sine animatione & integra formatione fieri repugnat. Obijcit autem Thomas, quod ad formationem corporis Christi, requirebatur motus localis, quo semen, aut purissimi sanguines de corpore virginis, ad locum generationi congruum peruenirent: nullus autem motus localis, est instantaneus, ergo corpus Christi nõ fuit in instãti formatum. Respondet autẽ, quod formatio corporis Christi, fuit facta in instanti: quæ vero antecedunt formationem, vt cursus ille sanguinis ad vterum, necessario fuit in tempore, ob successionem necessario annexam motui. Sed contra est, quod cursus ille sanguinis ad vterum, non fuit ante consensum virginis; in instanti autem consensus, facta fuit conceptio, ergo cursus sanguinis, non fuit conceptioni præambulus: sed simul in eodem instanti, quo consensum præbuit virgo, materia corpori Christi formando idonea, cucurrit ad vterum, & idem Christus dñs noster fuit conceptus. Nec mirũ, quod qui mundũ in instãti creauit olim, motu præambulo conceptionem retardante non indiguerit: Hic autem aduertere expedit; quod quanuis in hac filij Dei humanatione, atq; incarnatione, pater omnipotens supplens

vicem patris, nulla mora retardante indigeat, Maria virgo quæ actionem matris debuit exhibere, eam ex se, & citra miraculum, nequiret in instanti præstare, nisi is, qui vim patris suppleuit, sua etiam omnipotentia, efficaciam materni seminis, in infinitum augeret: nam quæcumque finita virtus, tempore indiget ad actiones, nullaque tam celeris excogitari potest, vt in instanti perficiatur.

Sed dubium est, nam si in illo instanti, corpus Christi fuit formatum, & animatum, quadraginta dies, qui solent tribui organizationi, deberent detrahi, de mora gestationis in vtero: nouem autem mensibus, Mariam virginem vtero gestasse, recepit ecclesia: Ergo in illo instanti, non fuit integre formatum, & animatum, Christi corpus. Dicendum primo ex magistro, quarto libro sententiarum, distinctione tertia, quod integra formatio, fuit in primo instanti, ex corpore admodum pusillo, quod præ paruitate, vix appareret formatum: tempore autem quadraginta sex dierum augebatur, & perficiebatur, ad eam quantitatem quam habuisset, si in illis quadraginta sex diebus, foret corpus illud formandum: & propterea tot dies, in dominici corporis perfectione interuenisse, dixit Augustinus, quarto libro de Trinitate: Ob idque dies illi, non sunt à tempore vteri gestationis detrahendi. Dicendum secundo, quod quanuis à primo instanti, quantitatem haberet Iesus, quam reliqui vnius mensis habent, non tamen ob id, eos dies detrahere oporteret, nam decimestres partus, maxime naturales sunt, & mediocrem magnitudinem non excedũt, vt supra docuimus. Ex quo altera iam consurgit dubitatio, nam si decimus mensis, est maxime naturalis: cur dominus Iesus, totius naturæ parens, non fuit decimo mense natus? Cui nos respondemus, dominum nostrum, non modo natum fuisse mense decimo, sed inter dies à natura statutos naturali partui, natus fuit in die maxime naturali: naturalissimus enim partus, fit nono mense expleto, quare necessario incidit in primos dies mensis decimi, puta in decem dies priores, vt ex Hippocrate supra retulimus. Non est autem credendum, omnes hos decem dies, æque naturales esse, sed inter ipsos, vnus est maxime naturalis, quintus nempe dies, qui cum teneat medium, inter duo extrema naturalia, maxime naturalis sit oportet. Dominus ergo noster Iesus Christus, fuit natus nouem mensibus, & quinque diebus: totidem namque dies intercedunt, à die vicesima quinta Martij, in vicesimam quintam Decembris diem, non expletam, sed affectam: & si numerum dierum spectes, ducentos & septuaginta quinque dies reperies, nouem autem menses, ducentis & septuaginta diebus explentur.

Nõ modo in instãtiali cõceptionis momẽto, dñs noster fuit cõceptus, cõformatus, & animatus, vt diximus: verũ etiã tres tunicæ, amnios, farciminosa, & choriõ, & vena atque arteria vmbilicalis, & quæ ab his nascuntur venæ & arteriæ, cum venis atque arterijs beatissimæ virginis copulatæ, à Deo patre, spiritus sancti operatione sunt productæ: Nam persimilis factus est nobis, & sicut nos per venas atque arterias plures, ab vmbilicalibus enatas, nectimur matri, & nutrimentum ceu per

radices

radices quasdã trahimus, ita & dñs Iesus per eadem vasa fuit ligatus, cum vasis vteri beatissimæ virginis, à quibus nutrimẽtum accepit: Et sicut ex nutritione nostra, necessarius excrementorum prouentus fuit, & tunicas natura parauit, quibus colligerentur, & asseruarentur in partum: ita dñs noster, hæc excrementa nõ fastidiuit, sed sudore intra amnium contento, & vrina in tunica farciminosa acceruata, eius corpus alluebatur. Quamuis autem hisce excrementis præeuntibus, vt reliquæ fœminæ, pro partus facilitate, non indiguerit beatissima virgo (erat enim diuinus, & omni humana facilitate, facilior futurus) attamen simul cum fœtu fuere expulsa: non enim est cur credamus, in vtero virginis relicta, aut à Deo in nihilum redacta fuisse. Nec video oportere, partum hunc, fuisse sanguinis prorsus expertem (nisi ecclesia aliter decernat) Corpus enim Iesu, ex puriore sanguine matris, more aliarum enutritũ, fæculentũ & excrementitiũ sanguinẽ, reliquisse in corpore virginis, qui deberet expurgari est verisimile. Nam cũ beatissima virgo, non esset sterilis, quolibet mense à duodecimo anno, more aliarum virginum, menstruasse est credendum: quod si ita erat ante partum, post partum cum vberior purgatio, & sanguinis magis excrementosi, maior copia esset deturbanda, verisimile est, aliquot dies menstruasse. Paulo enim minus necessaria, ac naturalis est fœminis, hæc purgatio, quam mictio, & alui exoneratio: quæ nemo verebitur in beatissima virgine, nec in dño nostro Iesu statuere. Et forte vt suspicatur Gaietanus. 3. parte. quæst. 35. artic. 6. in responsione ad tertium: Angeli in mirabili illo partu ministrantes, clam sunt operati, omnia excrementosa emundantes, absque ablutione alijs in partubus necessaria. Quamuis (inquit) à ratione remotum non sit, vt mater ipsa edocta ab angelis, omnia perfecerit. Primũ autem rationabilius videtur, vt & manus virgineæ, ab huiusmodi obscuris, seruarentur immunes, & mẽs ipsius, ad tãti gaudij fructus, magis vnita esset, & citius omnia expediretur, & Ioseph fidens, tã cito, tã mũde, tã expedite cernens, ventrem euacuatum, & infantem editum: impletum esse experiretur, quia quod in ea natum est, de spiritu sancto est, & cum expedita matre, adoraret natum mundi dominum. Et licet publica miracula, ab infante fieri non debuerint, ne phanthasma putaretur illius humanitas: secreta tamen quæ ab hac suspitione aliena sunt, non dedecet ipsum effecisse, ad virginis matris obsequia: vt suauis semper sit omnium dispositio à diuina procedens sapientia. Hactenus Gaietanus. Quæ omnia non aliter affirmamus, quam si ecclesiæ, & dominis Theologis, visa fuerint, religioni nostræ cõsentanea: omnia enim quæ ab ecclesia Romana, & sana doctorum Theologorum sententia deuiarint, nos detestamur. Interim vero clarissime ac excellentissime dux, doctissimorum hominum, qui tibi semper assistunt, censuram optamus. nec sine te nobis fidimus, efficit enim nescio quo modo φιλαυτία vt omnes proprijs in rebus fallamur, & in alienis perspicaciores simus. Falli autẽ in rebus humanis, ac prorsus naturalibus, vt fastidiosum est, & valde molestum: ita in diuinis, de quibus nunc agimus, periculosum, & minime tollerandum.

Quid naturale quid ve miraculosum

Ad eudoxum Theologum, qui ab autore quæsiuit, *quid naturale, quid ve miraculosum fuerit in Conceptione, qua Anna Virginem matrem concepit.*



NGENII credo mei experiundi gratia doctus Theologus cum sis, à me Medico, & omnis Theologiæ experte, Theologã quæstionem sciscitaris. Et forte quod videris nostro tractatui de hominis procreatione, non exiguam gratiã fore allaturã, id facis. Nolẽ sane doctis chachinũ mouere, quòd videant me immensum lapidẽ volutantem, in solo alieno. Si quid tamen vitij est, tibi potius inuitanti, quam mihi obsequenti imputabunt: tu videris & si minus tuis auribus arriserit, & à nostræ sanctißimæ fidei, vel tantillum deuiauerit oraculis, lacera, & igne concrema. Sin minus nostro tractui insere, vt fastidio ex tanta rerum naturalium lectione affectis, sit ceu diuerticulum, aliquod leuamen allaturum.

Quid Mariæ conceptio peculiare habuerit, quæris mi eudoxe, an omnia scilicet fuerint in eius conceptione, ex cõmuni ordine naturæ facta, an aliud quidpiã Deus, in matris suæ creatione, clam fuerit operatus, præter naturæ legem & morem inuiolabilem. Cui dicendum, quod supra naturæ ordinem, fuit Ioachini & Annæ sterilitas, in fœcunditatem mutata, ob preces quas ad dominum frequenter fundebãt: nõ fuit tamen Anna sola, hoc miraculo gauisa, sed & Sara, & Elyzabeth, quæ steriles & senescentes, supra naturæ ordinẽ conceperunt: ex masculi tamen accessu carnali, pudendorum attritu delitioso, & seminum in vtero effusione, quæ ab ipsius vteri facultate contentrice concepta, & plantatitijs quibus insigniuntur facultatibus vsa, in embriones fuere mutata, & vltimum apparatum ad animæ rationalis superuentum acquisierunt: qua etiam introducta, sensus primo datus est, deinceps motus, & maximo præeunte dolore, Maria, Isaac, & Ioannes sunt editi: & secundæ ac velamina, quibus tegebantur, & illigabantur vtero, simul cum sanguinis multa copia, mox fuere sequutæ, ita vt omnia, quantum ad corpus attinebat conceptuum, & ad actiones, ac paßiones, vtero gestantium & parientium, fuerint in ipsis prorsus naturalia.

Quantum vero ad animam necessarium est vt credamus, Deum matri suæ præstitisse, quidquid gratiæ conferri potuit, vt immunis & munda esset, à peccati macula: nam in laudem Christi redundat, Mariæ priuilegium, sanctitas, & ab omni peccato exemptio & absolutio: vnde Canticorum. 4. dicitur: Tota pulcha es amica mea, & macula non est in te. Quo autem tempore hæc gratia fuerit Mariæ facta, an ante animationem semini concepto, & embrioni ex eo creato, an vero post animationem, dubitant theologorum præcipui, è quibus sanctus Thomas credit, ante animationem, non potuisse mundari, à peccati originalis culpa, id enim nisi

per

per gratiam fieri esset impossibile; inanimatum vero & ratione carens, neq; culpæ, neque gratiæ est capax: ergo ante animationem mundari nequiuit. Ex quo colligunt, quod post animationem fuit sanctificata: nam si non fuit ante, ergo fuit post, & ex consequenti prius fuit animata quam sanctificata. In illo ergo priori, anima eius, peccati originalis maculam, ex carne infecta contraxit, quæ per gratiam illico ipsi factam, fuit mundata.

Sed multipliciter peccant. Primo, nam si semen inanimatum mundetur ab infectione, quæ animam esset infectura (quanuis illa infectio non sit culpa, neque eiusmodi emundatio mereatur nomen gratiæ) animam ipsam post infundendam nunquam inficiet: quare non aliud quam de nomine gratiæ & culpæ disceptant. Male præterea inferunt, quod post animationem fuit mundata, ex eo quod ante animationem, ob incapacitatem culpæ, & gratiæ, non potuit mundari: in ipso enim instanti animationis, quod primum esse appellant, potuit huiusmodi gratia, animæ impertiri, ita vt simul acceperit esse animæ, & beatæ animæ: & ita nullo momento fuit mortua, nec serua diaboli, cuius contrarium & fateri coguntur, & fatentur sponte: nam originale peccatum mortale est aut fere (mortiferum nempe) siquidem punitur æterna pœna damni. Adhæc si statim erat mundanda post primum instans, & Deus est potens, in primo instanti mundissimam creare, cur quæso non talem creauerit in primo instanti, qualem & potuit, & decuit creasse? Quid peccatricem esse expediebat, quæ statim post peccatum accitum, erat à peccato releuanda? Quid est præterea illud statim post primum instans fuit mundata? siquidem nullum aut instans, aut tempus, sequitur deinceps ad primum illud, nisi ipsum primum annectas tempori: nam si seiungas, tempus aliud interiaceat oportet, quare nullum reperies deinceps positum. Quod si per temporis alicuius spacium, peccato subiacuisse, non putant esse indecens, cur statim illud, tam anxie procurant? parum enim interest, hora ne, an mensis, an annum (forte fortuna) procrastinata fuerit sanctificatio, dum modo constet sanctificatam fuisse. Sed dubium est, si caro Mariæ virginis, erat infecta ante animationem, quomodo animam ipsam non infecit in animatione? Cui dicendum, quod caro simul fuit à Deo mundata: inter dispositiones enim necessarias ad suscipiendam animam mundam, carnis munditiem possumus memorare. Ex quo intelligere possumus, quod Maria virgo aliqualiter mortua fuit, quoniam radicem & causam mortis, in carne sua contraxit de facto ante animationem, & eius anima in tali carne infundenda, debitrix erat mortis, per relationem ad illam carnem, in qua debebat infundi. Accedente vero domini gratia, aut beneficio (si ita mauis appellari) quæ carnem mundauit, debitum quoque ex anima fuit sublatum, & in illo instantiali puncto, anima munda, carni mundissimæ superuenit. Sic loca scripturæ, quæ huic placito videntur aduersari quibusdam, non obstant. Qualia sunt, omnes in Adam peccauerunt, ad Romanos tertio:

&

& per vnũ hominẽ, peccatũ transijt in omnes, & per peccatũ mors, ad Roman. 5. & si Christus est mortuus pro omnibus, omnes mortui sunt, secunda ad Corinthios 5. Nam quadantenus mortuam fuisse fatemur eam, quæ maculam contraxit in carne, ex qua necessaria animæ sibi infundendæ impediebat mors, etiam si mors de facto non fuerit consequuta, propter gratiam & priuilegium sibi à domino indultum.

Neq; obstat, quod Maria non erat, ante infusionem animæ, ergo si Christus mortuus fuit pro Maria, Maria fuit mortua post animæ infusionẽ: nõ obstat (inquam) nã sicut Maria erat concepta, ita etiam erat mortua ante animationem: iuxta cõmunem enim modum loquendi, & non per sophismata quæ machinantur loquendum est. Vnde Ecclesia, Spiritu sancto admonita, celebrat diem Conceptionis beatæ virginis, sexto idus Decembris, & Natiuitatem eiusdem, sexto idus Septembris: quod spatium est nouem mensium. Ex quo infero duo, primum quod eo die conceptam fuisse beatã virginem statuit ecclesia, quo nequiuit esse animata, vt ergo potuit appellari concepta, sic potuit appellari mortua. Secundum vero, quod valde errant, qui in festo Conceptionis, non aliud celebrari ab ecclesia statuunt, quam eiusdem sanctificationẽ post animationem factam: nam ab animatione ad Natiuitatem, non deberet nouem mẽses intercedere: quod tamẽ neminem huc, vsque aduertisse legi. Ob quod beatæ ac ab omni macula immuni, Mariæ virgini dominæ meæ, gratias ago, quod dignata est mi bi (doctori quondam ossariensi, qui non semel ex illius academiæ statuto, iuraui sanctam ac immaculatam, Mariæ virginis Conceptionem, ab omni labe immunem fuisse defendere) gratiam ac summum fauorem, ex illo gratiarum fonte Iesu impertiri, non modo vt defendam ac iuratum præstem, sed vt litem ea ratione dirimam, vt nullus posthac sit futurus, qui offendere amet.

Merito vero dubitauerit quispiam, an solæ Mariæ, hoc priuilegium, & gratia hæc, fuerit concessa? Cuius intellectus, ex collatione huius conceptionis cum reliquis, est vestigandus. De Sara constat, quod deuicta per miraculum sterilitate & senio, concepit Isaac, qui gratiã Domini habuit extra vterum, eo quod vir iustus fuit, ambulans in lege domini. Elizabeth vero, Ioannem sub peccati lege concepit, sed ante partum in ipso vtero sanctificatus fuit Ioannes, & quidem post animationem. Nam quod Ambrosius super Lucam, dixit de Ioanne, quod non dum ipsi inerat spiritus vitæ, & iam inerat ei spiritus gratiæ, per spiritum vitæ, non intellexit animam, sed respirationem, quam non habent infantes in vtero, donec in lucem edantur. Quod vero de Hieremia dicitur, Hieremiæ. 1. prius quam te formarem in vtero, noui te: intelligitur de notitia prædestinationis: sanctificasse autem eum dicit, non ante formationem, sed ante quam exiret de ventre. Sola ergo Maria, mater domini Iesu, id priuilegiũ obtinuit, vt sine peccati macula semper fuerit. Maius autem fuit filij sui priuilegium, quod de solo spiritu sancto, actione patris, ex purissimo & omni labe experte semine Mariæ, humanam naturam assum-

assumpsit, in cuius gratiam ipsa prius, sanctam & immaculatam animam acceperat. Vnde de solo Christo, vere & absolute dicitur, quod habuit similitudinem carnis peccati, nam virgo Maria, quamuis peccati maculam, non incurrit de facto, radicem & causam peccati, in propria carne habuit ante animationem, & eius anima, erat per relationem ad eam carnem, mortis æternæ debitrix, & nisi sua gratia Deus præueniret peccatum, necessario ipsum incurreret.

APPENDICIS DE CONceptu & partu virginis, ad gloriam Dei,
Finis.

Quæ in septem folijs anterioribus continentur, de incarnatione verbi, catholica sunt, & singulari eruditione scripta: ac proinde dignissima iudico, quæ in plubicam vtilitatem excudantur.

Frat. Laurentius à Villauicentio.

Appendix alter, qua vera methodus docetur, dignoscédi, *qualis puer nuper natus, post modum sit futurus, & quanta vis in horoscopo astrologico sita sit.*



OST librum de hominis procreatione, scriptum, ante quam aliū ordirer, quo fructum aliquem studiosis afferem. Natus fuit nobis illustrissimus quidam infans, quarto nonas Martij, quando festum Lucij celebrat ecclesia, prope horam septimam pomeridianam: ex parentibus domino Francisco de çuniga y Sotomayor, & domina Maria Andrea Coronel, comitibus de Belalcaçar. Huius autē sacro baptismati, cōpatres interfuerunt, illustrissimus & regia è styrpe natus, Illefonsus Perez de Guzman el bueno, Dux de Medina Sydonia, infantis ipsius patruus maternus, & domina Anna de Cordoua Marchiona de Ayamonte, digni sane vt ad cælum laudibus efferatur vterq́. Qui sane vt sunt ingenio viuacissimo, sic in perquirendis quæ infanti conuenirent fuerunt vigilantissimi. Inter alia vero de horoscopi vi, atq́ significatione, qualisque fuerit astrorum positio, dum puer hic nasceretur, me interrogant. Sua enim astra exercere in nos regna, & syderum positionem, quando quis aut concipitur, aut nascitur, fatalem quandam monstrare rationem, omnium quæ in vita futura sunt (vt multorum fert opinio) arbitrabantur. Est enim vt multis astrologis placet, in nostra manu situm quid optemus, quid incœptemus: sed vbi incœpimus (inquiunt) reliqua sunt fati. Vt integrū fuit laio, quenadmodum

dum Euripides dicit gignere filiũ, at vbi genuit patienda illi fuerunt, quæ erant ab Apolline prænuntiata. Quibus tamẽ ego vana prorsus esse, quæ genethliaci promittunt, & vaticinantur respondi: meq; iam olim rem hanc tractasse, prælo tamen nunquam cudisse: quod in tantorum magnatum gratiam nũc facio, eo tantum studio, vt quæ dei sola prouidẽtia fiunt, quæq; vel dæmones ipsi nesciũt, ab hominibus deinceps non petantur. A quo vel eo desistant, quod minime expediat scire, quæ ipsi poscunt: Nam aut vera prædicunt astrologi, aut falsa, aut ambigua: Si ambigua, perinde est ac si nihil prædicant: Si falsa, contumelia est deludi mendatio: Sin vera, aut læta sunt quæ dicuntur aut tristia: si tristia miser eris ante tempus, & conduplicabitur malum, frequenter enim, metus impendentis mali, est ipso malo grauior: sic cæsar male se mortem semel obire, quam toties timere dixit. Si fœlicia sunt, quæ promittunt, & cruciaberis ea expectando, & futurum gaudij fructum, spes tibi deflorauerit. Sat sit nobis intra naturæ limites consistere, & sapere ad sobrietatem, non plus quam oportet sapere. Genitus fuit hic infans, ex modestißimis ac christianißimis parentibus, qui ratione potius, quam animi motibus, semper feruntur: quare placidum, modestum, omni virtutum genere splendentem, & moribus bene compositum futurum fore credimus. Sic Diogenes aliquando conspicatus adolescentem lasciuũ, atq; improbis moribus, ebrius te (inquit) proseminauit pater? Conceptus fuit mense Maio, amœnißima totius anni parte, quo omnia vernant & florentia spectantur: In lucem editur mense Martio, quando iam omnis hyemis rigor euanuit, nec dum calor cœpit esse molestus: die ac regione admodum tranquilla, à ventis silenti, non procellosa (quorum obseruatio, eatenus est necessaria, quatenus non corpus modo, sed & animum solent afficere: nam vbi frequentes ventorum, ac turbinum sunt varietates, difficiles atq; proteruos homines reperiri, perhibet Plato. 5. de legibus) quæ omnia temperatißimam infanti naturam tribuere sunt nata: quam qui consequitur, animi mores integros, & exactam adipiscitur salubritatem, quod Galenus eo libro docet, cui titulus est, quod animi mores corporis sequantur temperaturas. Partus adeo fuit facilis, infanti ac matri, vt non exiguum fœlicitatis initium, nascendo dedisse videatur. Non fuit huius partus immaturus, aut productior: sed numerum mensium, hebdomadarum ac dierum, quas Hippocrates expetiuit, in vtero impleuit: ducentis enim octuaginta diebus, qui continẽt quatuor decadas hebdomadarum, vtero fuit gestatus: totidem namq; dies intercedunt, à vicesima nona die Maij, qua statim à mensium repurgatione fuit satus, ad quartam Martij expletam, qua fuit natus. Solent sane, ante diem editi, prodire inelaborati, deliri, animo plusquam oportet concitato & volubili, ac vt vergilianus ille sinon, in vtrumq; parati, aut versare dolos, aut ijsdem inuoluier ipsi: serius vero editi, segnes sunt, pigri, inertes, ac ad omnia fere inutiles: Omnium autem excessus, atq; intemperãtias corrigit natura, diem suum seruans, & in nullo delirans: magnas etenim vires naturæ nomen habere, notauit Alexander Aphrodisiensis, lib. 4 problematũ, cap. 40. Sed age natum puerum

rum

rum qualis prodierit conſideremus, is ſane corpore eſt bene vegeto, ac ſucculento, cõcine cõpoſito, colore florido ex albo rubeſcente, capillo ſubflauo, facie pulchra, honeſta, non os diſtortum, aut frons tetrica & ſuperciliosa: nõ labra deformiter exporrecta & protuberantia, oculi neq; caui, neq; exerti ſed quod ad lineamẽta, ac totius corporis ſpeciem attinet, prorſus eſt amabilis, ac gratioſus. Cuiusmodi conſtitutionis hominibus tẽperamentum æquale, ac ſymmetron Galenus attribuit: quòd omnes facultates, ac functiones, tum naturales, tum animales, inculpatas, inoffenſasque ſoleant habere. Huic ſane, ſi recta accedat educatio, per quam tẽperamentum ſemper ſeruetur incolume, & mores cõponantur: nihil timenda erit Martis ſæuitia, Saturni calliditas, aut Veneris procacitas: iracundiores enim, magisq; feruidos, reddit vinũ largius hauſtũ, quã Mars, & ſalaciores, magiſq; libidinoſos, vita deſidioſa & frugalis, quam Venus. Atque

Vt laus eſt ceræ, mollis cedensq; ſequatur
Si doctos digitos, iuſſaq; fingat opus.
Et nunc informet martem, caſtam ve Mineruam,
Nunc venerem effingat, nunc veneris puerum:
Sic hominum ingenium flecti, duciq; per artes
Haud rigidas, docta mobilitate ſolet.

Hæc ſane ratio prænoſcendi, qualis puer hic illuſtriſſimus ſit futurus, quidq; ipſi in vita contingere debeat, ex natura, ex temperie natiua, & ex ea quæ per aſſuetudinẽ, tũ corpori, tum animo cõparatur deſumpta: certa eſt & quæ fallit neminẽ, Chriſtianorũ præſertim, quibus in baptiſmate, præter dictã naturæ vim, diuini recipiuntur afflatus: qui quantũ faciant ad longæuitatẽ, corporis ſalubritatẽ, intellectũ & bonam fortunam, abunde ſacræ demonſtrant ſcripturæ. Altera vero ratio, quæ ex horoſcopo pendet, qua quidã aſtrologiam, alioqui ſanctiſſimam contaminãt: ſuperſtitioſa eſt, vana, ac inutilis. Quod forte dilucidius ſequens caput monſtrauerit.

An ad Medici officium pertineat, aſtrologiam didiciſſe, quanti aſtrorum peritia ſit habenda, & an in horoſcopo, vis aliqua fatalis ſita ſit.



EX acceſſu atq; receſſu ſolis ad nos, iſthæc inferiora variãtur, generationes, atq; corruptiones fiũt. 2. lib. de ortu & interitu, autore Ariſt. Vnde. 2. lib. Phyſicæ auſcultationis ſol & homo generant hominẽ. A ſole, aëris nos ambientis qualitates permutãtur, meridie, mane, veſpere, plus minus ve calefaciente: ſed & alio die plus, minus alio, aut torpere nos frigore, aut vrgeri calore, ſol in cauſa eſt. Luna præterea euidentes creat effectus, ex eius enim motu, maria & fluunt & reflaunt, atq; æſtuant quandoq; conchilia & animantium cerebra, ac

meditullia replentur, & vacua fiunt. Crisimi dies ex motu lunæ pendent, à quo humores in corpore turbãtur, atq; agitari solẽt. 3. lib. de creticis diebus, autore Gal. Canis præterea effectus, tã sunt omnibus obuij, vt nullus iã ignoret illud Plinij. 2. lib. cap. 40. in caniculæ exortu, feruẽt maria, fluctuãt in cellis vina, mouẽtur stagna, canes etiam toto eo spatio, maxime in rabiem aguntur. ‹‹ ‹‹ *Quo sane tempore periculosas esse purgationes, scripsit Hip. 4. lib. Aphor. sent. 5. Syderum præterea aliorum ortus & occasus, considerandos pariter & cauendos esse, lib. de aëre, aquis, & locis, docet Hippocrates. Constat namq; ex Aëtio, lib. 3. cap. 174. & ex Plinio, libro. 18. cap. 28. quod astrorum insignium exortus, repente inducit pluuias, & serenitates, ventos certos, & calorem atq; frigus. Insuper quia ob immutationem, quæ ab astris fit, computant medici quatuor tempora inæqualia, nõ vt astrologi æqualia: Nã æquinoctium vernum, initium dat veri: exortus pleiadum, æstati: exortus arcturi, autumno: pleiadum occasus, hyemi. Adhæc in quẽ finem essent tot sydera, si nihil in nos operantur? Si sol præterea, & luna in nos agunt, igitur & cætera etiam astra, cum sint eiusdem naturæ, scilicet de natura lucis susceptæ, in parte orbis densiore. Quin & orbes ipsi, nedum astra, adeo in nos agunt, vt mundum hunc inferiorem, superioribus lationibus contiguum, dixerit Arist. 1. lib. Metheororum, vt scilicet omnis eius virtus inde gubernetur: Quo fit vt à cælo & stellis gubernantibus, inferiorum omniũ effectus, non sine ratione petantur. Nam si status aëris, tranquillitas, tempestasq;, si frigus, calor, humiditas, atq; siccitas, à constellationibus pendent: sequens est, vt ab eisdem, & sterilitas agrorum, & vbertas, & terræmotus, & pestilẽtiæ, & regionũ etiam salubritas pendeant: siquidem hæc ipsa, à quatuor illis qualitatibus primis, ortum ducunt. Homines quoq; ipsi, cum eisdem constent qualitatibus, à cælo pariter moueri, & ab stellis gubernari, ac regi dicendum: vt salua scilicet arbitrij libertate, temperatura quæ ex illis conflatur, varie affecta, ad iram & contumelias (vnde postea bella & lites, & regnorum mutationes) ad mansuetudinẽ item & pacẽ (cuius beneficio tranquille degunt vrbes, & regiones) excitetur. Accedunt & præter qualitates primas, quibus cælestia corpora, isthæc inferiora immutãt, astrorum atq; syderum occultæ quædã vires, quas inferioribus rebus cõmunicant: dum enim alicuius rei excellentem, adeoq; singularem dotem videmus, vt minime de elementari cõditione manasse credamus, cæli id munus esse, solemus arbitrari. Plin. autor est, lib. 2. nat. hist. cap. 41. & lib. 18. cap. 25. solstitio brumali, oleæ, populi, atq; salicis folia inuerti: pulegiumq; in carnarijs tectis, diu ante appẽsum, totumq; iam exuccum, aridumq; factum, nulla alimoniæ potestate, nullo humore præditum florere, ac si vim syderis herba sentiens repubescat, & exhilaretur. Hæc sane miranda opera sunt, quæ non in patẽtes elementorum vires, sed in admirabilem quandã, atq; abditã syderum vim, referri vnquã poterunt. Hinc forte inter homines, hunc ad philosophiã colendã, illum ad mercaturã, alium ad arma tractanda, propensum videbis. Et inter has etiã mirã intueberis diuersitatem, vt hic fœliciter, infœlicissime ille, propositum negociũ*

exequa-

exequatur. Huc quoq; attinet, quod in medendi ratione aſtrologi aduertũt, quod aut vena ſecta, aut deiectorium pharmacũ, in grauiſsima diſcrimina ægrum agunt, dum aut luna gẽminos tenet, vel deliquiũ patitur, vel Saturno, aut Marti opponitur, vel cũ ſole coit, atq; cõiuncta eſt: ex manifeſtis enim qualitatibus, nullũ tale periculum impendere viſitur. Huc reſpexit Hipp. dũ lib. de aëre, aquis, & locis, ſolſtitia, atq; æquinoctia, cauẽda eſſe dixit: nã ſolſtitia, manifeſta qualitate noxia eſſe, exiſtimarit quiſpiã: æquinoctia vero, tẽperatiſsima cũ ſint, nulla ratione cauẽda duxeris, niſi ob malignã, nocẽtẽ, atq; beneficã quandã, quam influunt vim. Nec obſtat, quod. 3. lib. de creticis diebus Galenus, lunã nihil in nos agere docuit, tribus diebus occultationis, quibus lumine orbatur: ex quo videtur, ſolo lumine, nõ autẽ influentia, aut occulta vi, in nos agere. Nõ obſtat (inquã) quia aut luna ſolo agit lumine, aut ſine lumine nõ influit, quare nihil obſtat, quo minus reliqua aſtra, quibus data eſt facultas influere poſsint, aut luna ipſa illuſtrata (quod ſine lumine nequiret facere) influat. In metheorologicis enim Auic. & Albert. de ſomno & vigilia, lumẽ vocat vehiculũ, omniũ virtutũ cæleſtiũ. Nec obſtat præterea, quod. 1. Epid. com. 1. dixerit Gal. quod ſi menſes, omnibus gentibus idẽ eſſent, per menſes & nõ per ſyderũ exortus, tẽpora diuiſiſſet Hippocrates: quare videtur, quod ſolũ tradat exortus ſyderũ, vt ſigna quædã acceſſus, & receſſus ſolis ad nos: & nõ ob alterationẽ aliquã, quã aëri diſſeminẽt. Cui ſententiæ fauet muſa. 4. Aph. in com. ad. 5. ſentent. inquiens, quod canicula vi ꝓpria non auget æſtũ, ſed eſt ſignũ maximi æſtus: quia dũ canicula, cũ ſole oritur, maxime ſol accedit ad nos. Nã ſi ipſa, propria vi, æſtũ augeret (inquit muſa) oporteret etiã eodẽ tẽpore, æſtũ vigere auſtralibus regionibus, quo tñ tẽpore hyems viget: Hoc idẽ ſẽſit Origenes, in cõmẽtarijs ſuper geneſim, illo loco. Sint luminaria cæli in ſigna. Vbi ſignificare dicit, ſydera nõ eſſe cauſas: ſunt enim (inquit) velut apertus quidã liber, omnia futura in ſe ſcripta cõtinens (quod vel ex eo argui poteſt, quod ſydera plerumq; ſignificãt, quæ præterierũt, quorũ iã cauſæ nequirent eſſe) cæterũ liber hic, legi ab humanis ingenijs, nulla vi poteſt: At vero, etiã ſi ſydera per quæ diſtribuitur annus, habeant vim immutãdi hæc inferiora, ſi menſes tñ omnibus eſſent cõmunes, ſatius eſſet per mẽſes, quã per ſyderũ exortus, atq; occaſus tẽpora diſtinguere. Primo, quoniã menſes eſſent omnibus magis noti, quã exortus & occaſus ſyderũ. Secundo, quoniã ſyderũ exortus, atq; occaſus, nõ ſemper in idẽ incidũt tẽpus: quotannis enim exigua quædã varietas adeſt, ratione motus octauæ ſedis ſtellarũ fixarũ. Nã omnes aſtronomi ante Ptholomeũ opinarũt, octauã ſedẽ ſtellarũ fixarũ eſſe immobilẽ: & ortũ caniculæ, eſſe ad certũ diẽ poſt ſolſtitiũ: nobis vero cũ cõſtet moueri ea ſydera, cõſtat quoq; fieri poſſe, vt ortus caniculæ, incidat quandoq; in hyemẽ. A Ptholomeo namq; ad noſtra vſq; tẽpora, aduertit Fracaſt. & alij, ſydera omnia loca ſua, viginti fere gradibus, plus, minus ue reliquiſſe: Nã vergiliæ à ſecundo, ad. 3. vſq; tauri gradũ, Ptholomei tẽpore ſitæ iacebãt: noſtro vero tẽpore, ad. 22. & . 23. peruenere: Arcturus, fulgẽtiſsima bootis ſtella, à viceſimo ſeptimo virginis gradu, in decimum ſeptimũ libræ gradũ, ſe cõtulit: Canis præterea, præter eam quæ eſt in cauda, nullam

aliam habebat in cancro, sed omnes in geminis: hac vero ætate præter vnã, quã gerit in vestigio pedis dextri, omnes alias mutauit in cancrũ. Procyon præterea, cũ antea suã sedẽ habuisset in geminis, nunc in cancrum mutatus esse conspicitur: atq; per similẽ, omnes aliæ fixæ stellæ luxationẽ sunt perpessæ, nũc tardius, nunc celerius motæ. Inæqualiter enim hanc stellarũ luxationẽ factam fuisse, mõstrat Fracastorius in suis homocentricis: sicut & earundẽ motum, directũ esse, & non retrogradum, nec trepidatoriũ, sed potius subalternũ motui solis per zodiacum, monstrat: tũ quoniam per tot trãsacta tẽpora, nunquã stellæ retroactæ sunt visæ: tũ etiã quoniam stellarum latitudo, & distantia ab eclyptica, nunquã mutatur, sed eadẽ semper persistẽs, declarat motũ stellarũ fixarũ subalternũ esse motui solis, & mediũ circulũ stellati orbis, æquinoctialẽ ipsam secare in æquinoctijs pũctis, in quibus & sol illã secat. Luce ergo clarius fit, satius esse per mẽses, anni tẽpora partiri si omnibus ydẽ essent mẽses, quã per syderũ exortus, aut occasus. Nec ex hoc vlla sequitur ratione, sydera nõ trãsmutare isthæc inferiora. Nec multũ valet ratio musæ, qua probat, canẽ vi propria nõ augere æstũ: eo quod cõgrediens cũ sole, in Iulio & Augusto, nos vicinos magis calefacit, & illos remotissimos, tunc minus infrigidat: sicq; dum tẽporis lapsu, in hyemẽ se transtulerit canicula, placidior minusq; cruda nobis continget hyems, australibus vero feruentissima aderit æstas. Stellæ igitur, & cælestia corpora, immutant nos, tũ abdita vi, tũ manifesta qua constamus qualitate: sicq; pro immutationis ratione, corporis nostri salus, aut in melius, aut in deterius verget. Et ex cõsequenti, ad medici officiũ, astrorũ exacta peritia pertinet: sic enim de anno qualis sit futurus prænoscit, indeq; & morbos vitabit antequã fiant, & factos recte curabit. Ciuitatũ quoq; varios situs, diuersosq; ad solẽ aspectus, contẽplabitur: & quid quæq; ciuitas, ex eo positu cõmodi, incõmodiq; nanciscatur, aduertet: quid in ea maxime vitandum, & quo in loco salubrius degendũ: quæ sane ad sanitatis obseruationẽ, & morborũ debellationẽ, necessaria sunt, autore Hip. lib. de aëre, aquis, & locis. Vnde Gal. lib. 1. morborũ popularium, com. 1. Qui (inquit) astronomiæ imperitus est, hunc celatum nolim, ipsum non obsequi Hippocrati, ad illam ob magnum vsum cohortanti. "

Non hæc dixerim, vt velim patrocinari genethliacis, atq; astrologis, qui omnium quæ gerũtur, futuros vaticinãtur euẽtus: nec medicis, qui astrologis tantũ fidunt, vt nec in vrgentissimis morbis, quorũ maxime præceps occasio est, aut venã tũdant, aut pharmaca indicẽt, si luna deliquiũ patitur, aut cũ sole coit, aut Saturno, aut marti opponitur, aut cũ in Geminis posita est, aut vt Auic. refert. 1. lib fen. 4. cap. de vẽtosis: in principio, aut fine mẽsis. Sed tantũ hæc intelligi volumus, vt ab his astrorũ cõcursibus, atq; aspectibus, indicatio aliqua sumatur cessandi à validis remedijs, eo quod, valida tũc fit in corpore cõturbatio, illorum aspectuum ratione: quare valida tunc non cõuenient remedia, sicut nec in die accessionis, nec in die critico, aut purgamus, aut sanguinẽ mittimus: nec intẽperatum corpus, aut actuali morbo laborãs, aut negotijs districtum, ad temperamentum reducimus: ne natura diuersis simul motionibus

bus acta, præter modum irritetur. Vincitur tamen huiuſcemodi indicatio, à morbi magnitudine, quæ non dat indutias, procraſtinandi remedia: quod ſane ſenſit Hippocratres, libro de aëre, aquis, & locis, vbi ita reliquit ſcriptũ. Maxime autem obſeruare oportet, magnas tẽporum mutationes, vt neq; pharmacum quiſpiam volẽs det. Non det (inquam) volens, id eſt niſi neceſsitate, & contraria indicatione, cogatur. Genethliacis autẽ, tantum abeſt vt fauere velim, quod nulla hominũ ſors, à me magis irrideatur: nã ad aſtrorũ natalium vires, referunt vitæ periodum, fortunã, ſalubritatẽ, morbos, pericula, euentus, atq; mores: quorũ plurima à recto potius cõſilio, atq; animi deliberatione manant, alia à victu, atq; corporis temperie. Qui enim iuditio, rectaq; prudentia valent, nihil ante diligentem præparationem, & exactam conſultationem aggrediuntur: ſicq; ſuſceptum negotiũ ad cõmodum finem ſemper deducunt. Ad hæc ergo referantur fortunæ, vitæ pericula, atq; rerũ euentus. Ad victus rationem vero, & corporis tẽperaturam: ſalubritas, morbi, animi mores, & ad bonũ vel malum propenſiones referuntur, vt luculentiſsime docet Gal. lib. cui titulus eſt, An animi mores corporis tẽperaturas ſequantur. Nam age conſulat genethliacus principi, ne bellum ineat cum inimicis, quoniã Mars parum ei propitius ſit: quæro cũ Frãciſco Pico, vtrum quo tẽpore, hoc illi dederit conſiliũ, nulla cauſa bellãdi principi ſit: aut ſi cauſa bellãdi, nulla tamen occaſio, opportunitaſq; vincendi: an potius, & bellandi iuſta cauſa non deſit, & ad victoriã omnia ſuppetant inſtrumẽta. Si dederis primum, iure non bellabit, ſola duce prudentia, etiã ſi ſileat omnino mathematicus: ſi ſecundũ, bellandum ſtatim eſt, nõ enim ſenſum & euidentiã, ob rationẽ atq; cõiecturam relinquere licet. Proponamus ſimile exẽplũ, in noſtri corporis morbis, prædicat aſtrologus, Martẽ tibi hoc anno, febrem tertianã cõminari: excitaturum nẽpe bilem, ex poteſtate quã in annua habet conuerſione: quare vtendũ frigidis potius, & vitæ rationem omnẽ, aduerſus ardorẽ Martis inſtituendã ſignificet. Hoc ipſum quod de cælo ipſe prænuntiat, aut ipſa ſigna, quæ à corporis tui diſpoſitionibus ſumuntur, indicant, aut non: ſi indicant, hoc tibi erit ſatis inditiũ, ad præcauendam futuram malã valetudinem: ſi non indicant, rogo recte ne factum putes, vt cum nulla erunt inditia bilis exæſtuantis, ſed lotium albicans & craſſum, venarum ſegnes pulſus, facies plũbacea, membrorũ pigricies, & reliqua quæ pituitam, non bilem excreſcentẽ ſignificant: tu tamẽ bilem euacues, quoniam Martẽ tibi de cælo minantem, finxerit aſtrologus? poteſt quidem naturalis tua temperatura, poteſt vniuerſalis ipſius anni diſpoſitio, poteſt vitæ ratio, quã diu vſus fueris, ad contrariũ eius, quod planeta minatur, te vertiſſe. Deniq; cauſam vnã videt aſtrologus, quæ hoc poſsit efficere, & illam remotam, ac vniuerſalẽ, & non vſq; adeo certam: medicus non modo ex proprijs, & ex propinquis indicat cauſis, ſed rẽ ipſam percipit ſenſu, & quod ex omniũ ſimul cauſarũ cõplexione diſſultat, id amplectitur. Hæc ſane cauſa eſt, quod tã falſa frequẽter prædicãt aſtrologi, nõ modo in abſtruſis vitæ periodis, & euentibus, de quibus cũ nihil certo ſciri poſsit, plurima fabulantur, verum & in nubibus, atq;

pluuijs quæ & cælo magis subijciuntur, & sub obtutum maxime cadunt. Pluuiæ sæpenumero prædicũtur astrologis, sereni tamẽ sequũtur dies, quoniã cælum causa vniuersalis cum sit, nisi particularis causæ interuentu, agere nequit: si vapores igitur, aut quæuis particularis causa desit, ab vnuersali nõ fiet effectus. Tertianæ ac quartanæ prædicuntur febres, integraq́; sequitur salubritas, quoniã alijs ex causis, nec bilis, nec melancholicus succus accreuit. Plurimæ genituræ fœlicium, infœlices: & infœlicium, fœlices prædicantur. Partus etiã gemini, qui simul edũtur, fortuna, ingenio, corpore, & salubritate, diuersissimi visuntur: quales nouit quosdã, Aug. 5. de ciuit. Dei, cap. 2. quales etiã fuerunt Procles, & Cyresteus, Lacedæmoniorum reges, de quibus Cic. 2. de diuinatione. Esau quoq́; & Iacob, lib. geneseos, cap. 25. ex Isaac, & Rebecca, sic alter, post alterũ, nati sunt: vt posterior, prioris plantam teneret: quorũ vnus, duxit mercenariã seruitutem, alius non seruiuit: vnus fuit matri charissimus, alius nõ diligebatur: vnus honorẽ qui magnus apud eos habebatur amisit, alter adeptus est: in vxoribus quoq́; in filijs, & cæteris rebus omnibus, admodum diuersa fuit vtriusq́; fortuna. Nec valet ad nigidianam rotã confugere, in qua nõ datur, bis eundem locũ, attramẽto signare: Primo, quia nõ possunt ipsi, tam rapidi momẽti, assequi differentiam: quare dum efficientiam cæli, conantur defendere, propriam inscitiam pandunt. Secundo, quoniã cum extra vterum eduntur fœtus, iam propriã sunt adepti naturam, quare nihil interest, simul ne in lucem edantur, an vnus post alium. Tertio, quia si obijciamus natos simul eodem momento, ex diuersis parentibus, sub eodẽ cæli clymate, iam omnis respondendi ansula tollitur: nisi ad verticalem recurrant punctum, qui diuersis parentibus natis diuersus est. Sed ô ridiculum caput, ô delirationem incredibilem, nonne eadem linea, à quolibet cæli puncto, ad cẽtrum terræ producta, potest duos, vel tres, aut plures mulierum vteros pertingere, si nimirũ altera superam, altera humiliorem domus partem habitet? & quis vnquam credet, vim cœlitus afflatam, tam arctã, atq́; indiuiduã descendere via? Qua sane in re, diuum Thomam demiror, qui opusculo de fato, ꝓpterea esse geminis varia ingenia dicit, quod in locis maternis, non eodem momento, totum semen recipitur: tum etiam centrum cordium amborum geminorũ, cum non sit idem, sed varia, varijsq́; in locis: esse quoq́; orizontes varios necessum. Primum, quantula est illa mora partium seminis? quantulum illud interstitium cordium? vt ea res totam naturam hominum mutet: Ergo non satis erit, ad mathematicum attulisse, natũ esse aliquem Cordubæ, aut Hispali, sed in quo vico, in quo cubiculo, in qua cubiculi parte: quæ cum friuola sint, nullius momenti artem suam esse conuincimus. Infortunia præterea, aut bonas fortunas: astris tribuere, vanum esse cõstat: cũ hæc (autore Arist. 2. lib. physicæ auscultationis) rerũ sint temere, & non eodem modo habẽtium: quod syderibus ac stellis, minime cõgruit, certa enim lege, & ordine perpetuo tenentur omnes: Et bonos tantũ, non malos afflatus, cũctis animalibus immitũt, vt in Epinomide autor est Plato, & chalcidius eius interpres, absurdũ esse putare dixit, cælestẽ substãtiam, vna, eademq́; natura præditã

non

non in omnibus ſtellis eandem eſſe,ſed pleraſq; à propria degenerare natura. Ariſt. inſuper.9. lib.metaph.textu com.19.ita ſcribit. Nō igitur quidquā,in ijs quæ à principio,& quæ perpetua ſunt,malū eſt:neq; error,neq; corruptum : etenim corruptio, de malis eſt. Et Auerrhous eum locum enarrans, ex hoc(inquit)cognoſcitur,impoſſibile id eſſe ſcire,quod aſtronomi dicunt,ſtellas quaſdam fortunatas eſſe,alias infortunatas. Id autem ſciri de ijs poteſt,quaſdā quibuſdam eſſe meliores. Plotinus præterea libro ad id dicato,& diuus Auguſtinus.5.lib.de ciuit. Dei,& Iamblicus lib. de myſterijs Aegyptiorū,& Marſilius ficinus,& Picus Mirandula,& Ioānes Frāciſcus Picus,& Franciſcus Valeriola,& Leuinus lemnius (E quibus,& nos magnam horum partem collegimus)firmiſſimis rationibus demonſtrant,à cælo,& aſtris, malum in hæc inferiora,delabi minime poſſe.

Cælum igitur,vt receptui canamus,alterat nos,tū manifeſta,qua conſtamus qualitate,tū occulta vi,præcipue vero in exortu,atq; occaſſu inſignium aſtrorum & ſyderum. Quare medicis,neceſſaria eſt aſtrorū peritia,Primo,vt caueant exortus,atque occaſſus dictos,ſimul & temporum mutationes,abſtinentes tum temporis, à validis quibusq; remedijs. Secundo,vt prænoſcens de anno,qualis ſit futurus, morbos vitet antequam fiāt,& iam factos curet. Tertio,vt noſcens ciuitatum varios ſitus, diuerſosq; ad ſolem aſpectus, quo in loco ſalubrius ſit degendum,& quid quoq; in loco ſit vitandum inſtituat. Tam religioſe vero,iſthæc obſeruare , vt medici quidam, qui nec in vrgentiſſimo morbo,dum dicti aſtrorū afflatus adſunt,remedia indicant: maxime vitupero : nam cælum vnica eſt,ex cauſis nos alterantibus, eaque remota, & vniuerſalis,quæ nunquam agit,niſi particulares aliæ intercedant, quibus maxime medicus fidere debet , prioribus atq; vniuerſalibus, non neglectis. In horoſcopo vero,aut in alio quopiam,præter dn̄m noſtrum Ieſum Chriſtum,ſeruatorem noſtrū, fata hominum ſita eſſe,aut ab alio eſſe petenda,impium, vanum,ac ſuperſtitioſum iudico. Neq; obſtat,quod interdum aſtrologi,mirabiliter multa vera reſpondeant : nā neceſſe eſt aliquādo collimet,qui frequenter iaculatur : falſa mathematicorum reſponſa,pauci recordātur,vera celebrātur pro admirabilibus. Adde ex Auguſtino.5. de ciuit. Dei , cap.6. & .2.lib.ſuper Geneſim,& .2.de doctr. chriſtiana,hæc prædici ab aſtrologis,occulto inſtinctu,& pacto,ſpirituum nō bonorum: quorum cura eſt, has falſas,& noxias opiniones, de aſtrorū fatis,inſerere humanis mentibus,atq; firmare: Illeque(inquit)eſt fortunatior in prædicendo,qui fauentiorem habet dæmonē, magiſque propitium. His accedit,quod pleriq; illorum(vt notat Lemnius) vafricie quadam,atq; vlyſſea calliditate,regiones omnes perluſtrant, & ſtudia populi obſeruant : tum in quem fauor hominum inclinet , qui rumores diſſeminentur , vel in laudem , vel probrum cuiuſque:quid huic regi cum finitimo controuerſiæ , aut ſimultatis , quæ ſit inter fœderatos conſpiratio , inter riuales contentio , inter competitores concertatio : ſic illis fere aſtra minari aiunt , qui opibus minus valent , quique armorū atque amicorum præſidio,ſunt deſtituti. Nunc rex Hiſpaniæ

ſiniſtri

sinistri aliquid spectat,nunc francorum rex periclitatur ; nunc turca infestissimus ceruicibus nostris im minet : nunc ecclesia calamitates est perpessura. Quæ sane om nia diligens obseruatio reuelat, non autem horoscopi notati , & inspecti aliqua ars, cum nulla sit. Alioqui cur ex tot mundi astrologis,nullus turcæ, hoc anno prædixit calamitatem naualem,& ingentem gloriam à Christianis reportādam? quoniam sci licet fortuna,opibus,nauium , & militum copia præstabat : quæ quamuis syderibus sunt potiora , aut ipsissima sydera sunt:diuina tamen voluntate,atque misericordia, multo inferiora habentur.

A vate explorat quidam,sibi num liceat nunc
Ire Rhodum,tutæ si videantur aquæ?
At vates primum,vacuam conscendito nauim
Inquit,& irato credito ne pelago.
Hæc mea iussa sequens,ibis tuto atque redibis.
Immitat sæuas ni tibi prædo manus.

INCLYTO, AC MAGNANIMO PRINCIPI DOMINO Illefonso Perez de Guzman el bueno, Duci de Medina Sydonia, Comiti de Niebla, Marchioni de Caçaça, dignissimoque Almadrauarum domino: Petrus de Peramato medicus, librum hunc nuncupat.



CIS ME serenissime princeps, nulla in re lubentius versari, quam in difficilium rerum contemplatione, id quod & semper feci, & nunc prosequor facere: quòd in hoc ego argumento, plus de hominibus bene mereri, quam alia ratione confidam. Ne vero nobis desit gloria mũdi, & in improbos, ac maleferiatos armatura, te semper elegi, vt qui meus est dominus, sis & patronus. Quod tu tam singulari humanitate, & liberalitate fecisti: vt nec illã, in media plebe, nec hanc, in magnis regibus, facile reperias. Cum enim me, meaq; tibi obtulerim vltro, tu non modo recepisti, sed ingentibus muneribus ornasti, & tibi oblatum, tuumque iam factum, rursus emisti: dum expensas, quibus hi libri cuduntur, largius ridimis: & filias meas, in famulatum fœlicissime Ducis Annæ, quæ te maritum, & nos cum tot populis, conseruos iam iam spectat, recepisti. Diutius ergo viuite, & fœlicissime viuite, viuite Deo, viuite & nobis: filiosq; quos à Deo optimo maximo, talibus parentibus dignos, vobis depræcamur, sequenti ratione educate.

PRAEFATIO.



VO nos hic vocãt, quæ artis Medicæ auxiliũ implorant: Puer, & puerpera, quorum vtrique, quanuis simul subuenire oporteat, non tamen simul, de vtroq; tractare possumus. Antecedat ergo tenerrimi fœtus regimen, & ad matrem statim, qua ratione sit tractanda, ne abortiat: procuranda, vt pariat: & regenda, vbi peperit: styllum conuertamus. De vtriusq; autem morbis libellum, ad manum habemus, qui (cito in studiosorum gratiam) prælo dabitur.

Qua ratione puer recens natus, a partu, vsque in *ablactationem sit tractandus.* C A P. I.



Ecens nato infanti, resecetur vmbilicus, quatuor à vetre digitis, cũ scalpro acuto: Reprobat enim Aëtius, serm. 4. primi tetrabili, cap. 3. aliã materiam omnẽ, harundinum ac vitrorum, vt ne quid atteratur. Deinde contẽtus in ipso sanguis grumosus exprimatur, & spongia detergeatur, ac lana carpta obturetur, & cum filo, aut alia lana tenuiter retorta ligetur, taliter ne doleat, ex Auic. 3. 1. doct. 1. cap. 1. ne ve præ laxitate exoluatur, & intereat infans. Et linteum, aut lanæ hapsus, ad vmbilici figuram formatus, oleo madens desuper ponatur. Deinde duplicatus vmbilicus, & lanæ inuolutus, leniter in medio cõponatur. Postquã vero exciderit vmbilicus, post tertiam aut quartam diem, cochleæ testã vstam tritã, loco insperge, aut talum suillum vstum, aut plumbum vstum, aut panum cæruleum vstum, & obliga. Postea moderato sale per se tenuissimo, totum corpus cõspergit Gal. 1. de sanit. tuen. quo cutis eius dẽsior, solidiorq́; ijs, quæ intus sunt partibus reddatur. In vtero enim, æque cum reliquis, mollis erat cutis, cum nec durum vllum corpus, inibi contigerit, nec aër illi frigidus, vsquã inciderit. Iam vero in lucẽ editus, in frigore, calore, atq́; inter corpora multo se duriora, versetur necesse est; cuius ratione naturale eius tegmen, præparari quodãmodo à nobis, reddiq́; ad indolentiam, & tollerãtiam, quam aptissimum, voluit Galenus: idq́; facit insperso sale, in natura temperata: quæ si paulo humentior sit, puluere foliorum myrti, ceu adstringente, & magis siccante, vti iubet. Auicenna vero, quo probatissimum reddat sal, ei admiscet semen cãnabis, costum, sumach, fœnugræcum, & origanum. Huiusmodi vero aspersionem salis, paulus omisit, & Auerrh. 6. colliget, cap. 6. reprehẽdit: Nam eius acrimoniam nostra ætas non fert: Et vere ineptias puto, timere linteorum duritiem, cui facillime assuescunt infantes: aut si timenda est, oleo de glãdibus pueri cutis est dẽsanda, ex Auerrhoo loco citato. Per cutim præterea raram, vitiosi succi transpirant, ex cuius densatione, & cohibitione, periculum non leue impendet. Quare consultius Aëtius, in delicatioribus, succo ptysanæ & fœnigræci, totum corpus emũdat, & aqua tepida, viscositatẽ corpori obsitam abluit. Nos vero, vino in quod rubentes rosæ maduerint, lauamus, & tenera corpora confirmamus: quantumuis reluctetur Sauanarola, lib. 1. de Balneis, cap. 3. debiles enim ac rudes rationes affert. Nec male fecerit, qui per quatuor, vel sex menses, omni die bis post lotionem, & emundationem, infantis corpus inunxerit, cum oleo sesamino, aut chamæmelino: sic enim raritatẽ, & perspirationem, ipsi conciliabit, & ab epilepsia defendet, vt consulit Nicol. Flor. 3 serm. summa. 3. cap. 13. Sordes quoque naribus insitæ, digitis sunt exprimendæ: os, atque aurium meatus purgandi, palpebræ diducẽdæ, oculi sunt detergendi, & oleum ipsis instillare, pariter atque Auicenna, jubet Aëtius: nostrum autem oleum, oculos non

leuiter offendit, forte quoniam salis expers non est, quare oleo de ouorum vitellis, vtendũ esse censeo. Podicis præterea orificiũ, digito minimo, per circuitum eius est mouendum, & aperiendum: confestim enim excernit per sedem, subnigra quædam iocinoris recremẽta. Et tũc infans (vt mos est) mollibus linteis, ac fascijs inuoluatur. Duplici, aut triplici cẽdalo, pilei loco, veletur caput. Iam vero hoc tempore, nutritioni infantis est attendendum: In quo opere Galenus, nihil præter maternum lac adhibet. Paulus libro primo, capite quinto, Aëtius & Auicenna, melle optime despumato, primum nutriunt, deinde aquam mulsam instillat Aëtius. Mel enim, recrementa in ventriculo, & intestinis (si quæ sunt) deterget, & ad lactis exhibitionẽ parat. Nostro tempore, mel ex conseruatione nucum, non inutiliter præbẽt. Mel vero rosaceũ colatũ valde vtile est. Sunt qui iulebũ, ex decocto cinamomi, & melle tribuãt, male me iudice: Nam cinamomũ, faciet recremẽta per venas meare, tunc vero emundationem per intestina quærimus. Nicolaus vero Florentinus, sermone tertio, summa tertia, capite decimo tertio, expertissimum refert remedium, cuius ipse periculum fecit, in pluribus filijs, cuiusdam viri nobilis, qui omnes vixerunt: cum tamen omnes quos habuit, ante præsidium adhibitum, epilepsia (paucis diebus ab ortu) interijsse referat.
" *Cuius descriptio est, quæ sequitur. ℞. sachari albi solidi, vnc. ij. puluerizetur & con*
" *ficiatur cum oleo sesamino recenti, vel cum oleo amigdalarum dulcium, ad formam*
" *vnguẽti, de quo detur infanti cũ digito, cochear vnũ. Nã statim (inquit) infans sopo*
" *ratur & dormit: & cum excitatus fuerit, iterum ex eodem cibetur, & sic vsque ad*
" *plures horas. Hic enim cibus nutrit infantem, & purgat suauissime, per secessum*
" *noxias humiditates flegmaticas, viscosas, & sordes melancholicas, congestas in ven*
" *triculo, & intestinis, quæ si non emitterentur, præpararent ad epilepsiam.* *Atq; hoc ego præ alijs vtor præsidio, addito interdũ puluere smaragdi, & medullæ seminis citri, in aqua buglossi, prius per viginti quatuor horas infusi. Antonius Cartaginẽsis, lib. de fascinatione, cap. sexto, ter (antequam lactetur infans) propinat mel virgineũ, myrrhæ admistum, & emittet (inquit) egestionem nigram similem pici: Et tribus aut quatuor diebus sequentibus, sequens tribuit medicamentum. ℞. mellis virginei, vnc. vj. butyri nimium loti, vnc. iij. penidij, vnciam. j. cum modico croci mista. Ab huius sumptione, emittet phlegma, quæ epilepsiam efficit. Butyrum tamen exhibere reprehendit Aëtius, quoniam stomacho aduersatur. Idem præbet puero, antequam lactetur, fel testudinum aquaticarum, quæ per aliquot dies, vsque ad partum, nutriantur pane, in lebete aquæ. Diebus autem sequentibus, tribuit infanti, quantitatem ciceris de confectione sequenti. ℞. fella testudinum aquaticarum nu. ij. theriacæ, drachm. ij. succi rutæ, vnc. ß. rasuræ cornu cerui, drach. ß. misce. Sequentem etiam confectionem, multum prodesse refert. ℞. cranei pueri & fœmellæ, drach. iij. smaragdorum, drach. j. cornu cerui & vnicorni, ana scrup. ij. seminis pæoniæ, scrup. j. pulueris pullorum hirundinis adustorum, drachm. ß. thuris scrup. j. fiat puluis, mittaturque quantum ciceris in ore lactẽtis pueri, vt eum deglutiat. Ego vero ad præcautionem, tum ab epilepsia*

~+~ experti um ~+~

tum etiam ab alijs morbis, ea tantū probo medicamenta, quæ ventriculū leniter purgant, & inter ea, illud expertißimū nicoli, magis probo. Isthæc vero nuper memorata, magis medicata sunt, quā ætas illa ferat, & potius curationi, quā præcautioni sūt idonea, & corpus tam purgatum postulant. Quod vero theriacam sucipit, maxime est suspectū: nam Theriaca (vt refert Gal. lib. de theriaca ad pisonem) pueris omnino est vitanda, quippe cuius magnitudo, illorū virtute maior sit, & corpus ex facili dissoluat, natiuumq́; spiritum cito extinguat, quēadmodum sane, & lucernæ flammam, oleum igne copiosius adhibitum, prōpte extinguit. Vbi historiā refert, cuiusdā pueri, theriacæ sumptione, eadem noctæ dissoluti ac mortui. Quæ ex smaragdis vero cōficitur, pertimescēda non est. Ruta præterea, infantis naribus admoueatur sæpe ad odorādū. Zona ex corio capitis, & caudæ lupi, aut ex corio asini cingatur. Smaragdus collo appēdatur, quāuis rasius de ægritudinibus puerorū, ad pedem ligare iubeat. Radicis insuper pæoniæ recentis, magna pars appendatur collo, ex Gal. 6. simplic. cap. 104. tā enim esse vtilem dicit, vt nihil supra. Gerardus vero, super viatico, in pæonia (inquit) non reperitur modo tanta virtus: Quā etiam nec nos, nostro tempore agnoscimus: ob idq́; dicunt quidā referente nicolo, quod virtus reperitur solum in ea, cuius radix quando frangitur, designat interius insculptum signum crucis: de qua intelligendus est Auic lib. 2. cap. 124. vbi expertum, à se fuisse lignum crucis, ad epilepsiam memorat. Corallum quoq́; pyrethrū, & dentē lupi caninum, appēdere iubēt. Nomina regū Magorū gestata, plurimum valere, affirmat Nicolus ex mundino, & proprio experimento, & sauanarola à magistris suis didicit, hos tres versus, cum deuotione collo imponere.

Gaspar fert myrrham, thus Melchior, Balthasar aurum.
Hæc tria qui secum portauerit nomina regum,
Soluitur à morbo, Christi pietate caduco.

Reliqua de epilepsia, dicemus dum puerorum morbis medebimur: nunc enim de auertenda epilepsia, statim cum infantes nascuntur agimus. Mox vero lacte nutriatur infans, idq́; bis die, aut plurimū ter, apud Paulū & Auicēnā: plurimū enim lac, statim ab ortu, infās coquere nequit: quod vero corrumpitur, epilepsiā, & plura mala facit: In quo grauiter peccant, nutrices nostri tēporis, nesciunt enim papillā ab infantis ore adimere. Oportet autem, vt in primis lactationibus, aliquid lactis mulgeatur, ita vt cum infantis ori admouetur, fluat lac è papilla, & tunc pressu iuuetur: ne ex multa suctione, gulæ instrumenta reddantur imbecilla, & suctui inepta, quod Hispane appellant desuarillado. Præstantißimum lac est maternum, præsertim in natura temperata, quæ similibus est tractanda, vt lib. 1. de sanit. tuen. Gal. est autor. Lac autē maternum simillimū esse, eo constat, quòd lac ex sanguine, quo in vtero infans nutriebatur, ad māmas regurgitante cōstat. Sed quomodo naturis intēperatis, lac matris eligitur: si contrarijs sunt ad bonam temperiem reducendæ? Gal. 1. de sanit. tuen. nō ausus est aperte hoc consulere, sine aduerbio dubitandi, in hæc verba. Atq́; optimū est etiam, reliquis fortasse omnibus infantibus, ipsum lac matris, modo

nullo

nullo morbo sit corruptum. Et post pauca subdit, Nã qui matris lacte pueri alũtur, ij non solum consueto, verũ etiam maxime proprio vtuntur alimento. Auic. vero apertius. 3. 1. doct. 1. cap. 2. tanti fecit, similitudinem matris cum filio, vt experimento certificatum esse dicat, quod matris papillã, in os infantis indere, valde confert ad remouendum, quidquid ei nocet. Reducenda ergo est intemperata natura, per alimenta intemperiei contraria exhibita matri: nec enim potentioribus contrarijs, imbecillis infantium ætas, pariter & assuetudo ad alimentum ex matre, reduci postulat. Præstat autem (vt Aëtius est autor) non accipere matris lac, vsque ad quartam diẽ, vbi crassum, iam ab vberibus emulxit, & aqua calida vbera ipsa, fouit mater. Si tamen nutrici, aut matri quæ puerum lactat, morbus aut dolor superuenerit, aut vehemens aliquod medicamentum, ei sit propinandum, melius erit (inquit Auicenna) vt alia ipsum lactet, donec sanetur, & vis medicamenti extinguatur. Lauare autem infantẽ, aqua calida hyeme, æstate temperata, bis aut ter cõuenit, horarum aliquod interstitio, post lactationem, ex Aëtio, idest post longißimum somnũ (vt consulit Galenus) Id enim maxime tẽporis est, in quo vel inanem ventriculũ inuenias, vel certe concoctum, si quid in eo remansit. Quæ autem, vt hodie fit, faciunt, sane lædunt, aliæ vnum, & certum, diei tẽpus præscribẽtes, aliæ cum ipsæ à negotijs vacẽt, tum demũ balneantes. Non debet autem in balneo diutius morari, non enim vt supercalescat, aut rubeat eius corpus, sed vt humescat & mundetur, instituitur hoc lauacrũ, nostro præsertim seculo, quo balnea penè exciderunt ex vsu. Linteis mollißimis, detergeatur & exsiccetur. Debet autem nutrix à lotione, antequã fascijs obuoluat, eius mẽbra leniter tangere, & quod disparandum, aut extendendum fuerit, diuidere, aut extendere, & quod comprimendum cõprimere, & omne membrum vt decet figurare. Et hoc totum leni compreßione, extremis digitis frequenter facere oportet: eius vesica prematur, vt vrinæ exitus facilis fiat, extendãtur manus, & brachia, ad genua vsque, pedes vtrinq; leniter ducantur, retro ad dorsum, & ante ad caput, vt membra omnia, quo oportet flecti condiscant. Non sunt autem supra ventrem firmãdi, ne lædantur viscera: in quo peccant nutrices, quæ infantes pronos continẽt, donec paulatim omnes fascias componant. Fascijs ergo iam cõpositis est vtendum, & infans, aut pronus non est ponendus, aut pectore non ventre est firmandus. Oculi infantis, sunt viridi cendalo tergendi, & nares oleo dulci, intus linendæ ac defæcandæ. Rursus infantem lactare oportet, & ad somnum inuitare: dormiatq; è latere, capite quam reliquum corpus, elatiore. Cauendumque ne collum, aut dorsum, brachium, aut crus distorqueatur. Eius autẽ cunæ, non sunt vehementer mouendæ: nam vehemẽs motus, ad epilepsiam parat, & lac in ventriculo contentum, fluctuare facit. Melius autem est, vt nutricis vlnis, à tertio mense gestetur, donec per se moueri, & repere per ætatem liceat. Sicut vero immature ad progrediendum, omnino cogendi non sunt, ne crura, eorum põdere vitientur: ita cum valent, non sunt prorsus arcendi. Quanta enim sit naturæ nostræ, cum exercitijs societas, facile declaratur, cum pueros, nec si conclu

seris loco aliquo, prohibeas quo minus discurrant, ac pullorũ vitulorumq́ ritu lasciuiant: quippe sua cuiq́ animanti natura, satis est, ad proprias conuenienteśq́ excitãdas appetitiones, quibus sanitatẽ tueatur, vt pulchre Gal.1.de sanit.tuen. edisserit. Solo autẽ lacte, ali debet puer, quoad primores dentes, quos duales appellant emisserit, ex Galeno (quod.7. vt plurimũ mense cõtingit, apud Paulũ.1.libro cap. 9.) si tñ ante hoc tẽpus, cibũ alium vehemẽter desiderat infans, prõpte & alacriter asſũmit, ac spes est, eũ posse, quod oblatũ est cõcoquere, nõ est violenter ꝓhibendus, ex Auicenna: sed cibus tunc solidior recte datur, qui nõ ipsũ repleat ex Paulo. Post ortũ vero dualiũ, inuitandus est, ad solidius alimentũ accipiendum, ceu natura ad id admonẽte, & instrumẽta tẽpestiue exhibente. Durũ tñ alimentum nõ masticet, nã gingiuas molestat, & materiã ex qua dentes alij sunt gignẽdi, dissipat, & resoluit attritu, & fragmenta dura, immasticata deuorat infans, quæ in ipsa deglutitione, strãgulatũ, tussim, & vomitũ mouent: iã vero deglutita, vẽtriculo sunt oneri: quare nõ concoquũtur, sed putrentia, grauia excitãt symptbomata & morbos. Addit Aëtius, quod ea quæ sic à pueris mãduntur, pluri quã oportet saliua replẽtur. Auicẽna primo dat panẽ, quẽ infanti masticauerit nutrix, deinde panẽ cũ aqua mellis, aut vino aquato, aut lacte. Aëtius vero micã panis, ex vino mulso, aut vino dulci, aut lacte ꝓpinat, deinde etiã, oua sorbilia cõcedit. Panis tñ sola masticatione nutricis paratus, durior est ac solidior, quam primis puerorũ cibis cõueniat: si plurimũ vero in ore cõtineat nutrix, donec satis remolescat, pluri quã opus est saliua cõspurcatur, quod vitauit Aëtius. Vinũ vero, ne gustare quidẽ pueros, suadet Galenus, quippe quod haustũ, & humectat nimiũ, & calfacit corpus, tũ caput halitu replet, ijs qui humido, calidoq́ tẽperamẽto sunt, vt pueri. Arist. insuper de sono & vigil cap. vlt. vinũ nõ modo negat pueris, verũ etiã nutricibus, quoniã spiritosum est. Mica ergo panis cocta, ex aqua, melle, oleo, aut butyro, & ad mellis cõsistẽtiã redacta, vtilis puerorum cibus est: deinde ad micã panis, ex iure pulli gallinacei, trãsire cõuenit: deinceps ad cõsumatum gallinæ, mox ad oui vitellũ, postea ad molles quasdã carnes, quæ in gallinarũ præcordijs habẽtur, nos apellamus entrañuelas de aue. Vltimo cum ablactãdus est, pinguẽ porci partẽ assã, cũ pane ea pinguedine perfusso, post diligẽtẽ inter nutricis digitos cõminutionẽ, nostra ætas ꝓpinat, & bene vegeti reddũtur infantes. Quæ alimẽta si bene coquit infans, citra vẽtris intumescẽtiã, & inflationẽ, si nõ reddatur somniculosus & torpidus, vrinaśq́ habeat aquosiores & albicãtes, bene est, & firmitatẽ habet, ablactationi necessariam: quod magna ex parte viginti mẽsibus, apud Aëtiũ, aut duobus annis cõtingit: vnde Paulus, abũde fore fuit ratus, duobus annis puerũ enutrisse. Quibusdã tñ ea firmitas citius, serius alijs cõtingit: nullusq́ sine ea firmitate, ciborum coctione, & alacritate ad functiones, debet ablactari: quã si nõ cõsequatur, nutrix altera est adhibẽda, quæ recenti lacte, atq́ abũdãte, puerũ reddat vegetiorẽ: quod vnius, aut duorũ mẽsiũ spatio, fieri solet, & tũc ablactetur. In ablactatione vero, cauere oportet, rigidissimum tẽpus hyemis, & feruentissimum æstatis: vltimũ autem hyemis, & postremũ æstatis, cõuenit eligere. Cauere etiã oportet, tẽpus in quo grauẽ morbũ

fuit perpessus infans. Plurimæ enim ægritudines, ad annum solēt reddire, quæ in recens ablactato, sunt periculosissimæ. Nō subito autē, sed latēter, ab vbere desuescat, & fiant ei glandes, ex pane & sacharo, quæ offerantur ipsi, dum mammā quærit. Si vero pertinax fuerit, & māmas perdite amet, aloë, aut myrrha, papillæ inungātur. Quod si ablactatus (quod sæpe contingit) morbū inciderit, rursus ad lac trāsferatur, & vbi cesauit morbus, renutriatur lacte corpusculū, atq; sic ablactetur iterum. Quare curare præstiterit, ne in ablactatione māmā sugere dediscat infās, ne si forte ægrotarit, ad lac nequeat iterum trāsferri. Contingit etiam grandæuis hominibus (aut ob hecticā febrē, aut ob vltimū seniū) vsui fore, māmam suggere oblitos nō fuisse. Nūc vero, de eligēda nutrice, probatione lactis, & eiusdē correctione, agere est tēpestiuū.

De eligenda nutrice. Cap. ij.



Eligenda nutrix est, quæ nouem mēsibus gestauit vtero, ex abortu enim, aut septimestri partu nō probatur. Quin nec lac eius mulieris, quæ abortire solet, ꝓpinat Auicēna: quod tamē minus esset timendū. Sit bene sana, ex parētibus orta nullo morbo obnoxijs, qui nec epilepsia, nec ptisi, nec arthritide, nec nephritide, nec lue Galica, elephanto, aut pessimo aliquo morbo laborauerint: solēt enim huiusmodi morbi, esse hæreditarij, & lacte cōbibi. Medium tempermentum habeat nutrix: si enim temperatus puer est, huius lactis vsu, temperatura optima seruatur: sin minus ad eam reducitur. Nec probo reductionem pituitosi infantis, per biliosum lac: nā morbis ex vtroq; humore, forte reddetur opportunus: & tātam contrarietatē, non adeo bene, tollerat ætas tenera, & satius est duobus annis reduci, ex vsu lactis temperati, ad optimam naturā: quam id vno anno cōsequi ex vsu biliosi, & altero, in biliosam forte naturā transferri. Siquidē medium tēperamentum habeat nutrix, omniū extremorū statim occupabit mediū: nēpe gracilitatis & crassitiei, mollitudinis & duritiæ, glabri & hirti, caloris & frigiditatis, humiditatis & siccitatis, nigri & albi. Colorē enim debet habere, ex rubro & albo cōmistū, vt scribit Gal. lib. artis medicæ, cap. 51. talis nāq; color resultat, ex cādidissimo semine quo gignitur cutis, & selecto sanguine quo nutritur. Capillū etiā magis nigrū, quā rufum habet, & habuit in pueritia, magis rufū quā nigrū. Iustā quoq; magnitudinē, collū validū, amplū pectus, & omnes animi fūctiones, naturales, animales, & vitales, inculpatas habeat oportet. Vbera magna in nutrice requirit Paulus. 1. lib. cap. 2. Aëtius vero moderata, nō rugosa, sed plena: magna vero, & parua, improbat: hæc quidē, quoniā parū lactis exhibēt: illa vero, quoniā plus quā opus est lactis præparāt: & hoc manēs in ipsis corrūpitur, & infātē lædit, simulq; etiā matrē grauat: cui tñ malo facile occurrere possumus, si turgētes māmas, alterius infātis suctu deoneremus: sic enim, nec lac corrūpetur, nec mater grauabitur, & tutiores erimus à lactis defectu, qui frequēter molestare solet. Quāuis autē magna vbera ꝓbamus cū paulo, nimis tñ ꝓpēsa & laxa quæ

ad vmbilicum quibusdam propendent, ad humerumque attolluntur, nec Auicennæ, nec nobis idonea esse videtur. Mediocres quoq; in vberibus papillæ probantur, magnæ enim, offendunt gingiuas, & impediunt linguam, ne iuuet deglutitionem: paruæ vero, ægre apprehendi possunt, & propterea affligunt maxillas. In papillis autem, nec nimis angusti sint meatus, nec nimis lati, & cauernosi: eiaculatum enim per angustos meatus lac, sublinentem os pelliculam ferit, & vlcus igneæ caliditatis adducit: latiores vero meatus, qui papillas cauernosas reddunt, dum acceruatim remittunt lac, suffocationis causa fiunt. Sit præterea nutrix, ætate, nec vetula nimiū, nec admodū iunior: apud Aetiū scilicet, nec iunior viginti annis, nec senior quadraginta. Paulus vero, in iuniore viginti quinq; annos expletos requirit (nam apud Auicennam, hæc est ætas iuuentutis, sanitatis, & complementi) & in seniore, vltra triginta quinq; annos non trascendit: vbi totam adolescentiæ ætatem reprobat, quā ego ceu temperatissimam, ab anno decimo octauo, vsq; in trigesimum quintum amplector: seniores autem, atq; iuniores deuito. Melius est autem, si bis aut ter peperit nutrix, vt monet Aetius: nam ex primo partu, vbera quæ nūquam lac antea creauerant, minus vtile creant: postea vero, secundo, aut tertio partu, vtilissimū conficiunt, velut iam edoctæ & conficiendo assuetæ. Filios habeat viuos, & bene vegetos: maxime autem est vitanda, ea cuius filij epilepsia decesserint. Melius lac esse, ex partu masculi voluerunt, forte quoniam masculus, est fœmina perfectior, quare vtilius etiam lac remittet. Contra vero est experimentū, calidius enim quā oportet, huiusmodi lac est: sexus nāq; tantā vim habet alterādi, vt quæ masculū gestāt, calidiores & agiliores, prægnationis tempore sint, & calidius lac remittant post partum, quā quæ fœminam gestant, aut pepererunt. Magnū præterea est infanti commodum, si nutrix nō multo ante pepererit, apud paulū: nec tamē ob id probatur, lac statim à partu succedēs, vitiatum enim est, excrementitium, & feruidum: quare Auicēna, ante mensem vnū cum dimidio, aut duos, reprobat lac: maternum tamen, post tres aut quatuor dies conuenire, ob magnā familiaritatem diximus. Optimū autē incipit esse, ab integra mulieris repurgatione, triginta nimirū, aut quadraginta diebus, à partu trāsactis: quo tempore, si mulier integre purgata non fuit, alia quærenda est. Quāuis autem quinq; aut sex mensium lac, antiquum non sit, eligendum non est: nam ante tempus ablactationis infantis, antiquum erit. Eligenda quoq; nutrix est, cui mēses duobus annis, à partu soleāt deficere, nam dum menses fluunt, lac imminuitur & vitiatur, imminuitur quidem, quoniam ex eadem materia sunt, quæ dum ad vterum confluit, à mammis diuertit: vitiatur vero, quoniam ad alterum partum paratur mulier: quo tempore, tum animantibus, tum etiam mulieribus, inutile redditur. Adhæc à venere nutrix abstineat, à visu quoq;, & auditu venereorum: si enim libidine turgeat, & in venerem procliuis reddatur, ex semine intus commoto & exuberante, lac redditur virosum & maxime nocuum: ob idq; in nutrice requiritur castitas, tum ne lac vitietur, tum etiam ne vitia, & petulantia in lacte combibantur. Si vero quæ infantem

lactat

lactat, vtero forte gerat, Galenus magnopere suadet, aliã protinus inueniendam esse nutricem. Bonus enim sanguis, absumitur in alimentum fœtus, quo fit vt lac ipsum, tum peius, tum vero exiguum in mammillas colligatur. Conuenit quoq; apud Aëtium, nutricem esse sobriam, idest à noxijs tum cibis, tum potubus, ac alijs nocuis temperantem, & medico obediētem. Abstinere enim debet à vino & à cruditate, & ab omnibus, quæ ad epilepsiam parant. Vitanda quoque ei sunt ex Paulo, admodum siccantia, salsa, acria, acerba, acida, amara, & valide calefacientia: item odores, tum fœtidi, tum suaues præter modum, condimenta aliaque acria, quæ nocent. Medicamenta quoque interdum, ad infantium morbos depellendos, libenter & sine molestia sumere debet: antiquus enim mos est, infantes purgare pharmaco nutrici exhibito, vt
“ *elicitur è sexto libro Epidemiarum, in commentario illius sententiæ. Mulier, capra,*
“ *elaterium comedentes, pueris purgatio. Nomine enim elaterij, non solus succus agrestis cucumeris, venit intelligendus, sed omne etiam catharticum, vilida vi præditum, vt notarunt Manardus, & Montuus in sylloge: immo & Hippocrates primo acutorum, sententia quarta, elaterium pro omni cathartico sumit. Hercle nisi domina Eleonora de Sotomaior, quæ morbum grauissimum, secundo suæ ætatis anno, fuit perpessa, nutricem nacta fuisset, quæ nobis alacriter obtemperasset (Deo gratias referamus, quod tantam calamitatem auerterit) de medio iam nobis sublata fuisset. Debet etiam nutrix esse mansueta, & animæ accidentibus parum exposita: nam rixosæ, & iracundæ, lac reddunt biliosum, & feruidum. Non sit tristis, sed hilaris cum grauitate, & modestia quadam, parum loquace. Non sit stolida, nec malorum morum, tales enim, magna ex parte infantes negligunt, & eis parum blandiuntur. Malum est, si faciem fuco dehonestet, nã præter leuitatem quam arguit, lac vitiatur ex cerusa, sublimato, & huiusmodi alijs. Munda tamen sit, & elegans, tum in*
“ *se, tum in infante præcipue. Ego enim (inquit Galenus) cum puer aliquando plo-*
“ *raret, per totam diem, & indignaretur, vbi vidissem stratum ipsius, & vesti-*
“ *menta sordida, & ipsum puerum sordidum, iussi & ipsum, & stratum ipsius lauari,*
“ *& vestimenta mutare: quo facto ab eiulatu, & indignatione cessauit, & obdor-*
“ *miuit. Nutrix autem vna esse debet, nam ex lactis diuersitate, experimento videmus, infantes lædi: quare nec probamus Aëtij præceptum, qui opulentis, plures nutrices adhibet: nec quarundam matrum consuetudinem, quæ præter id quod filios suos nutriunt, nutricem quoque coadiutricem adhibent: nec quorundam medicorum nostri temporis, præceps consilium, qui leui quauis causa, nutricem mutant: Habet enim lactis iam vsitatissimi permutatio, sua incommoda, quæ non sunt eligenda, sine graui necessitate. Cum ergo omnia quæ dicta sunt, in nutrice cõuenerint, addere tunc oportet, inditium aliud firmissimum, ex ipso lacte desumptum, cuius probatio, sequenti traditur capite.*

Lactis probatio. CAP. III.



IT lac copiosum, nutritioni enim, & augmēto infantis, debet sufficere: augētur autem plurimum infantes, & calidum innatum ipsorum abundans, plurimum alimētum conficere potest, alioqui se ipsum conficiat oportet. Sit etiam lac, gustantibus, & olfacientibus iucundum: nam quæ coctione proueniunt, dulcia & bene olētia redduntur: quare improbatur lac, quod cito acescit, aut amaritudinis, aut muriæ, aut alterius cuiusdā peregrini saporis qualitatem repræsentat, graueolens etiam, ac fœtidum. Albissimum sit oportet, nā à glandibus albissimis conficitur, quibus (si probe cōfectus est) colore debet assimilari. Cum enim in cæteris notis probetur mediocritas, in colore solo probatur extremum: Auicenna vero dicens, quod eius color, attineat albedini, à cādidissimo lacte, immerito videtur abstinuisse: errat enim .12.3.cap.2 .cū summum lactis candorē, pituitā dixit significare: siquidē lac, pituitā candore vincere, nemo est qui dubitet. Maxime vero improbatur, obscurum, liuidū, cæruleum, & palidū. Quos colores, hac arte dignoscit Aetius, tenuia ac cādidissima linteorū frusta, eo lacte imbuta, in vmbra siccabimus: & in his postea, quātum lac à natiuo colore discessit, speculabimur. Electū præterea lac, inter liquiditatē, ac spissitudinē, medium tenere oportet, crassum enim & caseosum, cōcoctu contumax est, & ad epilepsiā parat: liquidum vero, atq; serosum, inutile est ad nutritionē, & athrophiā infert: probatissimū vero, in medio stat, caseosi, atq; serosi. Quod duplici ratione dignoscit Paulus, Prima, quod in vnguē pollicis instillatū, eo inclinato ad lucē, neq; subito, neq; tarde videtur defluere. Secūda, quod infuso lacti in vas vitreū, coaguli exiguū admiscetur (Auicēna enim myrrhā, pro coagulo, corruptissime legit) digitisq; agitatur, in quo postquā concreuerit, inspicietur: nū casei portio, digitis pressi minor quā serū fuerit, hoc enim lac inutile est: cōtrariū huic, cōcoctu cōtumax: probatissimum vero, quod vtraq; habet mediocria. Aliqui (vt scribit Aetius, serm. 4.4.tetr.cap.36) pbitatē lactis aliter experiūtur, nā si pilus eo madēs, suspēdatur, & lac delabitur, aut vnæ parti guttulla adhæret, lac reprobandum est: si vero totū pilum circunsidet, optimū esse confitētur. Debet quoq; lac, omniū partium sui, æqualitatē habere, ita vt vndiquaq; sit sibi simile: quare improbatur spumosum, & quod strias, quasi floridas habet, & quod in vas vitreū instillatum, citā suapte spōte, seri à caseo, habet secretionē: vbi innatat nimirū pars quædā serosior, & subsidet casealis. Aequalitatis autem probationē, vngue melius, declarat Speculū, si in eo lac instilletur. In pari autē bonitate lactis: rusticū vrbano, & otioso, est præferēdū, ceu minus excremētitium. Huiusmodi ergo nutricem, tali lacte donatam, ad partus magnatum paratam habere oportet: & multis retro diebus (si fieri potest) boni succi vtatur alimentis: Manus humerosq; molendo, texendoq; exerceat, duobus mensibus prioribus lactationis: dein vero puerum, tres iam menses natum, vlnis gestet: nam exercitij nutricis, non minor ratio, quam cibi, potus, aut somni, est habenda.

Quomodo lactis paucitati subueniamus. Cap. iiij.

Vbi



Bi imminuitur lac, aut corrumpitur, aut etiam omnino extinguitur, aut spißatur, aut attenuatur, præstat alterius nutricis lac præbere, ex Aëtio, serm. 4. primæ tetrab. cap. 6. Quod de magnis vitijs audire oportet, non enim leui de causa, lac est permutãdum, vt diximus. Si vero cum nutricem permutare volumus, non permittat res aliqua instãs (multos enim pueros mortuos audiuimus, ante quam ab alia nutrice lactari permisserint) nutrix curanda est, ne in morbum incidat infans. A lactis autem paucitate, initium captantes, nutricis sanguinem, primo cõtemplemur (ex Gal. præcepto. 5. lib. de simplic. med. fac. cap. 21.) aut enim paucior est, quam cõueniat, aut deterior: Vbi paucior est, vniuersam victus rationem, humectantem, & calfacientem, instituere oportet, per optima alimenta, multum sanguinẽ generantia, vinum (inquam) iuscula. succum carnis, carnem cap:, gallinæ, perdicis, vituli lactentis, vbera etiam ouium, & caprarum lactentium, sunt vtilia, vitella ouorum, lac, cicera, amigdalæ, pineæ, fistici, triticum coctum, farrum ex hordeo, & similia. Vbi vero sanguis prauus est, si biliosus fuerit, primum purgari postulat, mox victum, quem modo dicebamus adhiberi (quam Galeni sententiam, nõ aduertens Aëtius, loco citato, in lactis correctione, purgationes prorsus recusat, solo victu contentus) si vero sanguis fuerit pituitosus, medicamenta requirit calfacientia non multum, nihil autem desiccantia: pituitosa enim cacochimia, coctione sanatur, nisi salsa sit, aut summe recedat à natura, vt quæ valde acida est: salsam enim, purgare iubet Galenus, & acidam coquere tentat, lib. de cõstitutione artis medicæ, ad finem: quæ si nõ coquatur, & in sanguinem migret, purgãda etiam est. Magna vero ex parte, pituita dulcis, aut insipida, sanguini permiscetur, de qua sola meminit Gal. 5. simplic. citato, coctionem & non purgationem, præscribens ipsi. Coquenda est autem, medicamentis, leuiter calfacientibus sine siccitate: Hæc enim differentia est, medicaminum prouocantium lac, menses, & vrinam (apud Gal. 5. simplic. cap. 22.) quod prouocãtia lac, sunt parum calida, primo nempe, aut secundo ordine, non sicca: prouocantia menses, calidiora: prouocantia vrinam, sicciora: nam vreticis, vtilitas accedit ex siccitate, quæ cogit crassam sanguinis partẽ: mensibus autem mouendis, & lacti generando, foret inutilis. Quanquam autem prouocãtia lac, sint imbecilliora, vt pote minus calida, sufficiunt tamen prouocando lacti, cum nõ abunde in mãmas confluit: mouendis autem mensibus deficientibus, minime sufficiũt: quoniam sanguis, duplici ratione in mammas venit, transmissus scilicet à mẽbris, & virtute mãmarũ attractus: quare leui remedio adiuta, duplex facultas, plurimum coaceruat lactis: ad vterum vero, pellitur menstruum, non trahitur: quare cum simplex tantum facultas, prouocandis menstruis seruiat, fit vt validiora debeant, adhiberi medicamenta, quæ sanguinẽ magis fluidum, & venas magis reseratas reddant, vt autor est Galen. 5. libro simplic. cap. 22. Prosunt ergo mouendo lacti, eruca, fœniculum, anethum, sesamum, anisum, melanthium, pastinaca, & vbi pituita craßior est, atque frigidior smyrnium,

apium,


apium, sion, polium, pulegium, rosmarinus, serpillum, trifolium, vitex, raphanus, menta, cepæ assæ, aut elixæ. Et vbi signa caloris, aut in toto, aut in ipsis vberibus affuerint, præsertim si mulier sit biliosa, lac augent, lactuca, malua, spinachia, ordeum, papauer: qua certe ratione Auicenna, mammas iubet contrectare, calidæ ne sint, an frigidæ, vt pro ratione tactus remedia adhibeantur. Herbas autem virentes, & humidas, accipere iubet Galenus. 5. simplic. citato, Nā siccæ (inquit) plusquā oporteat excalfaciunt, & desiccant, & ob id sanguinem crassiorem, simul ac pauciorem efficiunt, & lac magis extingunt, quam procreāt. Quare in forma puluerum minus conueniunt, nec videntur conuenire, quædam valde sicca, & adstringentia, quæ practici permiscent: qualia sunt corallus, & alia huiusmodi, crystallū tamen, cæca quadā virtute, lac prouocare credimus. Ex omnibus dictis remedijs, ea sunt præstantiora, quæ non tantū sunt medicamenta, sed etiā alimēta: & ex ipsis, multæ sorbitiones idoneæ parantur, quibusdā ex aqua, oleo, fermēto, & sacharo, addito melāthio, sesamo, fœniculo, pulegio, & aniso, viridibus (inquā) nō siccis, çabinas hoc ferculū vulgo appellāt. Valet & ptisana, cui fœniculum, & anethū viride incoctū est, apud Aetiū. Valet sesamum tritū, & vino dissolutū, ac colatū, cui butyri vacini, vncia vna est permiscenda, ex Auicenna. Valent pultes ex farina tritici, ordei, fauarū, cum lacte: & in fine decoctionis addātur, ouorū vitella & semē fœniculi. Vtile est etiā, quod sic paratur, ex Sauanarola. ℞. ciceris prius infusi in lacte vacino, aut ouillo, vnc. iiij. orizæ sæpius ablutæ, & exsiccatæ, vnc. ij. tritici & ordei, excorticatorum, & tritorū, ana vnc. iij. amigdalarum dulcium excorticatarum, vnc. j. seminis papaueris albi, vnc. j. ß. sesami triturati, vnc. iiij. sachari albi, lib. j. omnia cū lacte sufficientis quantitatis decoquātur, ad consumptionē tertiæ partis, & si tollerat mulier cuminum, in fine decoctionis addatur semētia. Vtile quoq; est farinā seminis lini, delingere cum melle aut passo. Quinque aut septem lumbricos terrestres, cum palmulis passis terit Aëtius, & decē auroris præbet in zyto (potus erat ex ordeo confectus, nobis inusitatus) ob id Auicēna, in aqua ordei propinat: Ex cuius remedij vsu (inquit Aëtius) de multitudine, ac bonitate lactis miraberis. Medicamen validū huiusmodi, describit Auicenna. ℞. seminis anethi, vnc. iij. seminis trifolij (quod Hispane angeleta vocamus) & seminis porri, ana vnc. j. seminis sulæ (est genus quodā trifolij, apud syluaticū, & genuēsem, quo equos saginãt, hispani nomē ipsū retinēt, & appellāt sulla) & seminis fœnugræci ana vnc. ij. totū cū succo fœniculi, & melle & butyro misceatur, & sumatur in potu. Mathæus vero post cōsiliū. 36. ꝓpinat cū vino albo, medietatē sequētis pulueris pro vice. ℞. seminis anisi, seseleos, ana drach. ß. crystalli scrup. j sachari ad pōdus omniū, misce. Valent etiam omnia, quæ semini multiplicando sunt idonea, præter viticē, de quo auic. dixit. 2. canone, quod est ex eis quæ multiplicāt lac, minorādo sperma. Amatus lusitanus, Hippocāpū pisciculū flexuosum, nobis frequētē, in puluerē redactū, præbet in vino certo experimēto. Quiescat nutrix, brachia tamē eius, quadātenus exerceātur. Vbera leui manu fricētur, aut decocto fœniculi tepido

per spōgias

foueantur, vt sanguis ad eas trahatur, & venæ quæ ibi sunt dilatentur. Cucurbitæ apponantur cum pauco igne, paulo infra clauiculas. Vngantur mammæ, & loca circunstantia, oleo irino, aut vnguento sequenti. ℞. olei sesamini, & amigdalarum dulcium, ana vnc. j. ceræ modicum, fiat vnguẽtum molle. Valet etiam pix in multo oleo dissoluta, & imposita in circuitu mammarum, sub clauiculis, & sub alis. Synapismo autem vti (quod quidam faciunt) non probo.

Quomodo crassum lac corrigatur, Quomodo etiam tenue & aquosum: Quomodo etiam tenue & acre: Quomodo etiam quod fœtidum est, sit tractandum.

CAP. V.



IN lactis multitudine adimẽda nutricibus, ego nunquã laboro. Secus vero in crassitudine, nam crassum lac, multorum malorum est origo: epatis & reliqui corporis vasa obstruit, quare febribus ex putredine, pueros reddit opportunos: coctu cõtumax est, & epilepsiæ, ac morbis ex cruditate, ipsos exponit: abscessus & furũculos, circa infantis corpus creat, ventrẽ cohibet ac inflat, & flatus multi ab eo prodeunt: Sed nec vrinã pro ratione reddunt, qui eo vtuntur infantes: pituitam sæpe vomũt, inappetẽtes, torpidi, difficulter spirãtes, somnolẽti, ac decolores redduntur, sordes crassas in oculis, & mucos similiter in naribus ipsorũ spectabis. Nutriẽda ergo, tunc est victu attenuãte, & minus alẽte nutrix. Bene facit ipsæ, ius pulli elixi cum petroselino & croco, & ipsius pulli caro. Bibat aquã cinamomi, aut origani. Tribuatur ei oximel diureticum, cum aqua fœniculi, & si nauseam excitarit, studeat in vomendo, vomitus enim vtilissimus est. Lac etiã attenuat, puluis sæpe sumptus, ex cinamomo, fœniculo, origano, & hyssopo, addito sacharo, ad põdus omnium. Vbera etiam ipsa frequenter lauet aqua tepida, aut decocto nepitæ, quæ præstantissima est calaminthæ species: & moderato vtatur exercitio.

Tenue & aquosum lac, graciles & inualidos reddit infantes, & ventrẽ fluidũ: vrinæ quoq; plus quã pro ratione feruntur. Si vero acrius sit, excretiones per ventrem plures fiũt, cum mordacitate: appetitus deficit, & pustulæ acerrimæ in corpore fiunt, & infans indies magis gracilescit. Aquoso lacti, non cõpetunt balnea, nec exercitiũ: longus autẽ somnus vtilis est. Cõpetunt ipsi, cibaria multi nutrimenti, & crassi, qualia sunt oriza, & eduliũ album, pedes, & extremitates porcinæ, ac vinum dulce. Acri vero lacti, idonea sunt balnea dulcium aquarum, quæ corpus nutricis cõtemperẽt: otium, alimenta boni succi, ad frigidum inclinantia: & iulep ex aqua plantaginis, & rosacea, sacharo confectum. Eas vero quæ salso humore abundant, balneis & vini diluti potione curat Aetius. Si lac vero mali odoris fuerit, manna aut casiafistula purgetur mulier, & validiori aliquo, si opus fuerit: quamuis reluctetur Aetius. Ab alimentis putredini obnoxijs abstineat. Maxime curare oportet, vt cibos bene concoquat: sicuti enim putredinis fœtor, ita bonæ coctionis, suauis odor est soboles.

soboles. Sumat confectionẽ aliquã odoratam, calidam aut frigidam, pro ratione indigentiæ. Ambra & moscus, permisceantur cibis ipsorũ, & vinũ bibant aromaticũ.

Ad lactis caseationem, quæ nodos in vberibus *nutricum, solet interdum efficere, & sæpenumero in apostema degenerat. CAP. VI.*



Arcendus est puer, ne ex illo vbere lactetur, semper tamẽ vber sugatur, aut ab alio puero, aut catulo, aut ampulla vitri habẽte nasũ, aut cucurbita habẽte orificiũ paruũ (quod capit papillam) ex vna parte, & collum longum strictum ex altera, per quod attrahitur aër suctu quodam, & sequitur lac successione aëris vacuati, hoc appellamus mãmadera, illud vinagera: Lac etiam extrahit sine dolore, ampulla vitrea, stricti orificij, quæ vbi aquam calidam cõtinuit, plena vapore calido, imponitur papillæ, loco cucurbitæ. Nam si vberis lac, non sugatur diligenter, lac quod denuo gignitur, coagulatur à caseato lacte ibi existente, & pars coagulati, quæ incipit dissolui, non extrahitur, sed putrescit & vbera exedit. Vt lac ergo dissoluatur, nutrix vtatur in cibis mentha, petroselino, croco, & cinamomo, & iure caulium: Lauetur mãmilla cũ aqua, vino, & aceto, ana permistis & tepefactis, per horæ dimidium: Aut cũ sequenti decocto. ℞. foliorũ plãtaginis, maluæ, violæ, rosæ, chamæmeli, meliloti, radicũ altheæ, fœnugræci, ana. M. j. coque in libris aquæ. xij. madefiat spongia, & ex alto per dimidiam horam desuper destillet. Dein leuiter absterſa, hoc illinatur vngento. ℞. succi plantaginis, & maluauisci, ana. vnc ij. olei rosacei, & amigdalarum dulcium, ana. vnc. j. ceræ albæ parum, ad ignem fiat linimentum. Valet frequens impositio, lintei veteris madefacti in succo apij, & petroselini, cum aceto & oleo violaceo, aut in succo menthæ, cũ aceto & pauco sale gẽmeo, aut in aceto, in quo dissolutum fuerit coagulum leporis, aut hædi. Valet inunctio, ex adipe porci spinosi. Prodest etiam butyro vacino, & dialthæa seorsum, & commistis inungere. Efficax est emplastrũ sequens, experimẽto Sauanarolæ, si calidũ superponatur mammillæ. ℞. succi apij, vnc. iij. micæ panis, vnc. j. ß. cumini. drach. ij. olei menthæ. vnc. j. misce. Valent etiam lumbrici terrestres cõtriti, cũ oleo de lilio, & impositi. Valet & sequens emplastrum. ℞. thuris, styracis calamitici, ana. vnc. ß. nigellæ, drach. ij. farinæ tritici, vnc. j. cumini, drach. j. farinæ bacharũ lauri, drach. ij omnia cũ succo siclæ & melle, ana quantum sufficit, ducãtur ad spissitudinem in modũ emplastri. Si autem mammilla admodũ calida fuerit ad tactum, ne in inflammationem transeat, & suppuretur, dissoluatur cera, & concorporetur in mortario, cum mucagine psilij, & fœnugræci, & succo portulacæ, & liniatur ex eo: Aut imponatur puluis marchasitæ, cum oleo rosaceo, & albumine oui conquassatus. Si autem plus iusto frigeat mammilla, & alia frigoris inditia adsint, ponatur emplastrum tepidum, ex cumino contrito & melle: Aut ex pane crudo bene fermentato

mentato, permisto cū coagulo hædi, & styrace liquida, & si magis deobstruēs facere volueris, adde myrrhā, & fel bobis. Valet etiam aliqualis frictio māmillæ, ex styrace liquida, & oleo violaceo. Coagulū vero leporis in vino exhibere (quod potui propinat Sauanarola) ego nō auderem, ne sani vberis lac concrescat, dum iam coagulatum soluere studemus.

Qua ratione vsque ad annum decimum quartum, *infans sit tractandus, vt animo virtutes, & corpore sanitatem comparet. Et quo ordine scientias debeat addiscere. CAP. VII.*



Ius qui curā infantis educādi suscepit, siue nutrix, siue gerula, siue medicus sit, officiū est antequā infans ablactetur, & loquelæ particeps fiat, quid infans desideret coniectare, idq́; sine mora ipsi suppeditare, priusquā auctus dolor, in nimium, atq́; inordinatum motū, & corpus & animum etiā conijciat: siquidē & aluū exonerare, aut meiere, aut esse, bibere ve, cupientes, perinde ac discruciati plorant, atq́; enormiter mouentur. Fieri etiā potest, vt frigore offensi, teporē desiderent: sicuti contra æstu afflicti refrigerationem. Est quando multitudinē aut immunditiā instratorū non tollerant, quippe multos offendit quoq́; non minimum, maxime vero, cū aut totū corpus vertere, aut etiā artus mouere cupiūt. Quin etiam ipsa quies, si sit diuturnior, nō parū molesta esse solet. Illico ergo præbere oportet, quod expetit, vel auferre quod offendit, etiā motu per vlnas nutricis adhibito, ac vocis modulatione, qua prudentes nutrices pueris blandiri, & somnū conciliare consueuerunt, vt eleganter docet Gal. 1. de sanit. tuen. Non quòd puero nunquā expediat plorare, ante lactationē enim, aliqualis fletus vtilis est, vt autor est Auic. 3. 1. doct. 1. cap. 2. respirationis enim instrumenta exercet, ac roborat: sed quoniā corporis atq́; animi motus, intra modū continere oportet, vt sanitas cōseruetur: Et adhæc quoniā loquellæ adhuc expertes, ploratu, clamore, iracundia, & inordinato sui motu dolorē indicant, à quo infantē releuare oportet. Quibus adhibitis, si nō quiescat, an febrē habeat, an tormina ventris patiatur, an dentescat, an morbo alio corripiatur, inspicere oportet, vt simul morbo, ac ploratui occurramus. Vbi vero ablactati infantes fuerint, vsq́; in quartū annū expletū, liberiore modo, & suo ingenio hilariter viuere sinendi sunt, exercitia ludicra, & lusus illis permittemus, leuioraque alimenta dabimus, ex Paulo libro primo, capite decimo quarto. A quarto vero anno, sexus fœmineus, suo iugatur sexui: nesciat, immo timeat, cum pueris ludere, nullum impudicum verbum nouerit, & si forte in tumultu familiæ discurrentis, aliquid audiat, non intelligat. Matrem amet vt parentem, subijciatur vt dominæ, timeat vt magistram; ex Hieronymo ad gaudentium. Huius autem ætatis lusus iam sit eruditio, ex eodem ad Lætam. Fiant ei literæ, vel buxeæ, vel eburneæ, & suis nominibus appellentur, ludat in eis, & non solum, ordinem teneat literarum,

vt

vt memoria nominum in cãticum trãseat: sed & ipse inter se ordo, crebro turbetur, & medijs vltima, primis media misceantur: vt eas non sono tantum, sed & visu nouerit. Syllabas iungat ad præmium, & quibus illa ætas, deliniri potest munusculis, inuitetur. Sic crustula pueris offerebat antiquitas (panis forte sacharati genus erat) vnde Horatius.

Vt pueris quondam, dant crustula blandi
Doctores, elementa velint vt discere prima.

Habeat vnusquisque sexus, in discendo suos compares socios, aut socias, quibus inuideat, & quorum laudibus mordeatur. Non obiurgandus est, si tardior sit, sed laudibus excitandum est ingenium, vt & vicisse gaudeat, & victus doleat. Iam vero cum sextum, aut septimum annum attigit, vbi iam cœpit erubescere, scire quid taceat, dubitare quid dicat: magistro blando, humanoq; tradatur. Tales enim cum animi relaxatione, & gratia docent, tenellosque puerorum animos, cum literis, tum moribus imbuunt, & plures virtutum actus, in habitum commutãt. Contra vero præceptoris amaritudo, clamores, minæ, conuitia, plagæ, asperitas, & inamabilis docendi ratio, corpus insalubre tetricum, & minus vegetum reddunt: & vt pueri in omnem vitam literas oderint, in causa sunt. Animi enim relaxatio, ad probam corporis educationem, plurimum momenti adferre, docuit Paulus libro. 1. cap. 14. Dummodo quod satyricus præcipit,

Nil dictu fœdum, visuque hæc limina tangat,
Intra quæ puer est, procul hinc, procul este puellæ
Lenonum & cantus pernoctantis parasiti.
Maxima debetur puero reuerentia, si quid
Turpe paras, nec tu pueri contempseris annos,
Sed peccaturo obsistat tibi filius infans.

Exercitia iam hac ætate augeantur, ita vt ante cibum adhibeantur mediocria. Modum vero in labore excessisse, quod nonnulli pædotribæ pueros cogunt, prorsus alienum est: siquidem intempestiua duritie, corporis inhibetur auctio, autore Galeno. A vino sunt arcendi, per totam pueritiæ, adolescentiæque ætatem, ad annum vsq; duodevigesimum: nam præterquam, quod nullum adfert commodum, immensum etiam ex igne igni addito, sequitur incommodum: vnde ad iram, & libidinem, præcipites fiunt: & capite, vini halitu repleto, pars animi rationalis, hebes turbidaq; redditur. A frigidæ autem potione, prohibendos eos, non censet Galenus: verum à cibo plerũque, & per calores, cum ipsis cordi erit, vti ipsa, non displicet.

Duodecimum annum egressos, ad grammaticos iam, & geometras mittit Paulus. Præstiterit autem, si themata, quæ à præceptore proponuntur vertenda discipulis, non sint fortuita: sed certa & coaceruata de industria, tum æruditionem, tum morum instructionem continentia: ea enim plurimum intellectui, ac memoriæ figũtur. Summopere autem, hac ætate curat Galenus, animum probis fingere consuetudinibus,

bus, & grauibus disciplinis, quæ animo modestiã, & parẽdi facilitatem pariãt. Corporis autem, iam sint hac ætate, exercitia validiora, & viribus firmãdis idonea. A quarto decimo, vsq; ad primum & vigesimum, vitæ genus est eligendũ: & vnicuiq; iuxta suam viuendi rationem, ars medica documenta præscribet, sanitati tuẽdæ, & virtuti seruandæ idonea: quæ enim ad mores spectant, hac maxime ætate, perfici, absoluiq; conuenit. Siquidem ad robustissimum corporis habitum, prouehere hominẽ cupis, aut militem eum strenuum, aut luctatorem, aut aliâs viribus insignẽ destinãs: vtiq; de ijs animi dotibus, quæ ad scientiam, sapientiamq; pertinẽt, minus laborabis. Sin corporis membra, roborare hactenus cupis, dum sanum quẽdam habitũ, & incrementum, ijs compares: animi vero rationalem partem, ornare adolescentis studes: nõ est vtrobiq; eadem victus ratio ex vsu: sicuti neq; si quis ad agriculturam, vel mercaturam, vel aliquam sordidarum artium festinet, eadẽ ratione est tractandus. Ac ars quidem, quæ sanitatem tuendam profitetur, omnibus profecto hominibus, sanitatis tuendæ documenta pollicetur: aut singulorum propria, aut omnium communia, aut hæc quidem propria, illa vero communia, vt doctissime Gal. 1. lib. de tuenda valetudine scribit. Communia sane præcepta, & cuiq; hominum statui conuenientia, in ordinato vsu, sex rerum non naturalium continentur. Quæ sane (clarioris doctrinæ gratia) traduntur in corpore, quod soli sanitati studet, & sibi soli viuit, nihil curans nisi vt sanum sit: quanquam forte nullus hominum talis reperiatur, nec expediat eũ reperiri, beluinam enim potius, quam rationalem vitam ageret. Ab hoc, sumunt præcepta quædam communia, reliqua vitæ genera, & quædam addunt specialia. Exemplo sint monachi, & religiosi, qui Deo virginitatem vouerunt, quibus veneris loco, minus nutriri, plus exerceri, studere & contemplari præcipit, vt animo & corpore laborantes, à libidinis impetu coërceantur. Philosophis, medicis, theologis, ac iuris prudentiæ peritis, consulit noctu ante cenam studere, & orare, parcius cenare, tota nocte dormire, diluculo ad studendum surgere, coctione peracta: deinde exerceri, id est, infirmos visitare, ius dicere, & prædicare: post modum prandere, & quiescere: iterumque vespere, ante cenam studere. Ruralibus laboribus occupatis: minus prandere, & magis cenare præcipit. Aulicis qui diu dormire, noctu vigilare solent, minus cenare, & vberius prandere imperat. Sic dum sanum quendam habitum, & corporis incrementum volumus comparare, simul & partem animi rationalem ornare studemus, mathematicis disciplinis, & sapientiæ studio, à decimoquarto ætatis anno instituemus, pluráque illis tum, & grauiora exercitia imperabimus, quo animum simul, ac corpus exercẽtes, à Veneris stimulis, quibus ea ætas, tentari plurimum solet, coërceantur. At pueros iam sumus prætergressi, ad quos (vbi male conformati educuntur) corrigendos, rursus conuertamur. Si tamen ordinem, quo scientiæ debeãt addisci, prius annotauerimus, nam Paulus capite citato, pueros prius mittit ad grãmaticos, deinceps ad geometras, tertio ad mathematicos. Ex quo videtur quibusdã, prius addiscẽdã esse geometriã, arithmetica. Cui accedit, quod ex numeris, quosdã appellat arithmetica plãnos, alios cubos, quadratos

& circulares, quorũ intellectus, geometriam supponit, quæ de his omnibus magnitudinibus, & figuris pertractat. Adhæc, numerus fit ex cõtinui diuisione, apud Arist. 3. lib. physicorum: ergo sciẽtia quæ tractat de numero, præsupponit eam quæ tractat de continuo. Contra tamen est veritas, nã arithmetica, à rebus notissimis (puta numeris) principiũ ducit: ob idq́; facillima est, & puerili vsui congrua, statim enim cum pueri intelligere incipiunt, vnum, duo, tria, connumerant. Adhæc omnes scientiæ, indigent arithmetica, cum vnum, vel plura, necessario connumerent. Est præterea arithmetica vniuersalior, nam in diuinis, omni magnitudine, & materia carentibus, adest numerus, puta vera vnitas, & vera multitudo: Et in geometria, in qua, nihil puncto simplicius consideratur (est enim magnitudinis vniuersæ principium) punctum ipsum, vnitati, vt species supponitur: punctum namq́; vnitas est, habens positionem in continuo: quare arithmetica primitus est addiscenda, deinceps geometria. Nec obstat, numeros aliquos dici cubos, & quadratos alios: nõ enim ob id, sumit arithmetica, principia aliqua à geometria, sed vtitur sæpissime vtraq́; ipsarũ nominibus eisdẽ. Ex diuisione præterea continui, numerus fit numeratus, de quo non tractat arithmetica, sed de numerante, & de numerandi ratione. Post has ad astronomiam, cælorum atq́; astrorum cursum, animum attendere oportet: Deinceps ad rerum naturas scrutandas, quod in naturali philosophia addiscitur. Hinc quidam ad ea quæ transnaturam sunt, methaphysica, & Theologica: alij ad artem medicam, (quæ philosophiæ est subalterna) transmigrant: quæ adeo graues, profundæ, difficiles, atq́; vtiles scientiæ sunt, vt parum sit, in quaque earum consenuisse.

De puero qui nascitur mutilus, aut aliqua parte *luxatus, aut praua figura cõformatus, aut strabon, aut labio fisso, aut oculi palpebebra coalescente, ligata lingua: aut aure, glãde, vulua, vel ano, non perforatis: de sexu occulto, de hermaphroditis, sexto digito, & nympha in uerecunda curandis. CAP. VIII.*



INfans si brachio, pede, digito, aut quauis alia parte mutilus nascatur, sine remedio est, nisi aut manũ ferreã, aut ligneũ crus adijcere, curationẽ appelles. Cum autẽ vel infantibus in vtero, aut editis quidẽ in lucẽ, sed adhuc increscẽtibus, particula fuerit luxata, nec dũ reposita: in humero quidem carnes, nihil à naturali figura deficiunt: neq́; enim manus, quodcumq́; opus perficere impeditur: os autem brachij, breuius permanet, non augescens: ac tales nominantur galiãcones, apud Paulũ, lib. 6. cap. 114 in fœmore etiam, os incrementũ non sentit, & totũ crus contabescit: cum enim pondus corporis ferre nequeat, non exercetur, ac in alijs membris luxatis manẽtibus, quæ subijciuntur partes, omniũ iniurijs expositæ sunt: quare (si cõmode fieri potest) repositio luxati, tentãda est, ante quam subiectum membrũ reddatur inutile. Si vero pars aliqua distorta, aut male conformata fuerit, à docta

obstetrice conformetur, per methodum similitudinis, ac dissimilitudinis: sana scilicet parte inspecta, tenera enim ossa facile ducuntur. Si vero oculos habeat in obliquũ aspicientes, curantur apud Paulum lib.3.cap.22. larua faciei circumposita, vt non possint aliter, quam in rectũ videre. Floccos etiam rubros, agglutinat angulo opposito obliquitati: cũ enim ad nares cõniuent oculis (quod magna ex parte fit) flocci rubri, sunt agglutinandi, angulis qui circa tempora habẽtur: lucerna quoq́, & omnia spectabilia, sibi ponantur è regione, & non à latere: qui etiam infanti alloquitur, è regione sit. Cum autem grandiores effecti, adhuc strabismus perseuerat, speculũ frequenter in manu habeant, ibiq́ rectũ aspectum cõdiscant: in quẽ assuescere expedientissimũ est. Si vero labiũ sit fissum, excorietur vtraq́ fissuræ pars, & suatur ita, vt acus relinquãtur infixæ, & filũ reuoluatur ad modũ, quo sartores solent, filũ ad acũ reuoluere: sic enim facile, quod fissũ erat vnietur. Si vero digiti non sint separati, scalpello aut forcipe sunt separandi, & linteis ex oui cãdido interpositis, ne iterũ vniantur curãdi. Superior quoq́ oculi palpebra, interim cum interiori cilio coalescit, interim cum mẽbrana adnata, interim etiam cum ea, quæ ob cornus similitudinem, græce ceratoides appellatur, ac morbus oculum tractatu difficilẽ efficit. Conuenit igitur apud Paulũ cap.15. libri sexti, vel auriscalpio lato, palpebræ spatio subiecto, vel ea per hamulũ eleuata, coalitum scalpello ad Ptherygia excidẽda idoneo dissoluere: cura adhibita, ne cornea mẽbrana vulneretur, atq́ inde procidentiæ occasio fiat. Vbi incideris insuffletur oculo, saliua mastichationis salis & cumini, aut oleũ de vitellis ouorũ, cũ pauco sale, & linamẽtis ouo madentibus, palpebras deducemus, ne rursus cõmissura fiat. Post tertiũ diẽ extenuantibus, & cicatricẽ inducẽtibus collyrijs, vtitur Paulus: intellige primo extenuãtibus, vt carnẽ aliquã & asperitates exterãt, ad finẽ vero cicatricẽ inducẽtibus: vtrũq́ autẽ simul præstat, balsamũ ex peru allatũ, quo alijs prætermissis vti consulo. Cõtingit quoq́ meatũ auditoriũ, à prima natali die nõ perforari, mẽbrana quadam auditoriũ meatum obstruente, nũc per summa, nunc in alto. Editis quoq́ in lucem, hoc malum generatur, vbi præcessit in audiendi meatu exulceratio, siquidem caro supernascẽs, ipsum occludit. Siquidẽ mẽbrana auditũ impediẽs, alte inhæreſcit, difficilis erit administratio: tentandum tñ est, tenui quodam instrumento, ipsam incidere: si in summo fuerit, scalpro quod Græci scolopomacherion appellãt. Hanc diuisam, vbi vsus exigat, etiã auferemus, apud Paulum. 6. lib. cap. 23. At si caro supercreuerit, hanc ptherygijs apto scalpello, aut specillo polypis idoneo tolemus: deinde tortile linamentum, ex viliore pãniculo, spatioso meatus sinui aptatũ, aqua imbuemus, inuolutũq́ chalcitide læuigata, aut huiusmodi quodam arido, in meatum demittemus, ne rursus caro enascatur. Si inflamatio male habeat, protinus id auferemus. Si fundat sanguinem meatus, spongiam aqua frigida imbutam imponemus, alijsq́ conuenientibus vtemur remedijs. Tam in membrana autem, quam in carne eximenda, vtile futurum fore credimus, causticũ Phylipi, quo vtebatur ille, ad eximendas colli vesicæ caruncułas: nam præter quam quod rationi consonat, id testatur Amatus Lusitanus, se præstasse, cẽturia. 4. curat. 19. Quare

censeo in omnibus mutis ab ortu, hanc curationem fore tentandã, quorum auditus si aperiatur, magna ipsorũ pars loqui cõdiscet. Caustici autẽ dicti, sequens est descriptio. ℞. æruginis, auripigmenti, vitrioli, aluminis rochæ, ana vnc. ij. omnia hæc aceto acerrimo perfussa, inter duos porphyritides lapides, quã accuratissime ducãtur, in læuoremq; tenuissimũ reddãtur, & æstiuo soli siccentur, & rursus aceto affuso læuigentur, & soli exponãtur: quod opus, toties intra octo dierũ spatiũ repetes, quoties fuerit necessarium, vt à medicamentis ijs, omnis prorsus acrimonia sublata sit, & puluis subtilissimus euadat. Hoc parato puluere. ℞. olei rosacei, vnc. iiij. lythargiri j, vnc. ij. coque ad cõsistentiã emplastri. Tũc deposito ab igne, adde prædicti pulueris, vnc. ij. & spatula misce, & ad ignem omnia tractato, donec medicamẽtum, duriusculum euadat, ita vt si candelæ cereæ, vel plũbeæ virgulæ hæreat, non diffluat, etiã si digitis tractetur. Methodus autem hoc causticum administrandi, sit post vniuersales vacuationes, tenui prius instrumento caute immisso, ita vt, aut perforetur mẽbrana, aut saltem sanguis in ea fiat, tũc ponatur causticum, ad extremũ cereæ cãdelæ, & cãdela intromittatur in cãnula argẽtea, ita vt auri possit imponi, & citra cõtactũ laterum, membranã ipsam, quã vulnerasti cõtingere. Septẽ autem dierũ spatio, quotidie innouãdo cãdelã, mẽbrana, aut caro dicta exedetur. Si ingens autem dolor, & rigor insolitus sequãtur, & febris: deponatur cãdela, & oleo rosaceo, aut de vitellis perfundatur. Si sanguinis vero ꝓfluuiũ successerit, oui candido aqua rosacea cõcusso, permisto bolo armeno, & sanguine draconis, sistatur. Si vero infãtis lingua fuerit ligata, vsq; ad annũ septimũ, aut vltra, nõ curetur: opus enim est obediẽtia, & tollerãtia infirmi, quæ in natu minoribus nõ habetur. Tũc autẽ collocari debet ægrotus (apud Paulũ lib. 6. cap. 29.) ea figura, vt linguã ad palatũ suspendat, & nerueum illud vinculum per trãuersum incidatur, ex parte extremitatis eius, quæ linguã cõtingit: quod si ex cicatrice, aliqua ligatio prouenerit, ea hamulo trãsfixa callum sursum trahemus, ac per latitudinem facta diuisione, ligationem soluemus, cura adhibita, ne simul subiacentes venas, & arteriam discindamus. Nam sanguinis profusio, quæ sisti nequeat, frequenter inde sequuta est. Posthæc aqua frigida, aut rosacea, vulnus debet elui, & si sanguis non sistatur, calcitide vsta repleatur vulnus: deinde collutio oris ex lacte, & ellychniũ interpositum, ne rursus vniantur, quæ dispara ta sunt, curationẽ cõplere valent. Si vero glans non fuerit perforata, sed sub cane appellato, quo glãs suspensa est, foramẽ habetur, vnde neq; vrinã anterius facere possunt, nisi particulã, versus imã ventris regionem, admodum inclinent: neq; liberis dare operã, cum semẽ ipsorum, in vterum recta, nõ possit eiaculari, hos Paulus, lib. 6. cap. 54. præscissione curat adhũc modũ. Resupinato homine, glãs sinistræ manus digitis, valide attolletur: deinde specilli acie ipsa, iuxta cornã præcidetur, plaga nõ obliqua, sed sculpturæ simili, vt per mediũ eminẽtia quædã, glandẽ representãs appareat: quoniã vero sanguis sæpe ꝓfundi solet (si fieri potest) medicamẽtis ei retinẽdo dicatis sistemus, sin minus, tenuibus ferramentis aduremus. Tutiorem autem, & faciliorem curationem, visus est excogitasse amatus, cent. 1. curat. 23. vbi in glãde non

per-

perforata, in qua ad radicẽ penis, prope testiculos foramen erat, quo lotiũ emittebatur, cannulã argenteã, admodũ subtilem parare iussit, & per meatũ prope testiculos existentẽ, versus glandẽ, quoad illa penetrare potuit indidit: cũ vero vltra ire nõ potuit, acu argenteo per cãnulã immisso, perforauit glandẽ. Est autem curandũ, vt primũ illud foramen ad testes situm, obturetur, carne impleatur, & vrina per nouũ foramẽ, ire cõpellatur: Et est summopere cauendũ, ne iterum meatus in glãde factus vniatur, siue per ellychniũ, siue per plũbeã cãnulã, aut argẽteã, id cõsequaris. Cõtingit etiã pueris recẽs natis, anum non perforari, mẽbrana quadã obstructus, quã Paulus lib. 6. cap. 81. digitis (si fieri potest) disrũpere iubet, sin minus acie scalpelli excindens, vino curat, & vbi timor est vnitionis, fistulã plũbeam imponit, aut obturamẽ aliud, donec in totũ cõsanescat. Genitales quoq; fœminarũ partes, clausæ nasci solẽt, alias in imo, aliás in alis, sæpe etiã in medio spatio: si in alis sit malũ, cõmissura est diuidẽda recta linea, scalpello fistulis accommodato, ex Paulo lib. 6. cap. 72. Si vero in imo, aut medio, dum infans est, nõ curetur, donec ob coitũ, aut conceptũ, aut puerperiũ, aut ob mensiũ purgationẽ, vel vtilis, vel necessaria æstimetur, ipsius curatio. Infantis enim vires, forte nõ tollerabũt, carnis aut velamenti, in imo, aut medio, delitescentis disruptionẽ. Sunt etiã ex recens natis quidã, qui mẽbrum virile, intus delitescẽs ferãt, & ob id fœminæ apparẽt, ætatis autẽ delapsu foras erũpit, quod refert Plin. lib. 7. nat. hist. & paucis ab hinc annis cõtingit Cordubæ: & audio à fide dignis, olim in quadã monacha de sancto Domingo del Real, opidi de Madrid, cõtigisse: Hæc etenim post multos annos monachatus, in virũ fuit conuersa, & clericali postea ordine insignita. Amatus quoq; Lusitanus, cent. 2. curat. 39. refert in opido de Sgueyra, nouẽ leucis à Conimbrica, Mariã Pachecã nobilem, cũ ad ætatẽ peruenisset mẽstruãdi, vice mensiũ priapũ, vsq; ad id tẽpus, intus latitantẽ eiecisse: & Manuel vocatus, vxorẽ duxit, & imberbis sẽper permãsit. Huc refert, quod. 6. Epid. Hip. scribit, in abderis cõtigisse phætusæ: Hæc enim fœcũda erat, & eius postea corpus, virile factũ est, hirsutie, barba, & vocis asperitate subortis: quæ tñ nõ vir, sed virilis facta est: nã mẽses ipsi ciere, curabat Hippocrates. Hæc tñ nõ est permutatio sexus, vt scripsit Plinius, sed occulti sexus detectio, cui non est manus admouenda, sed spectanda ætas. De hermaphroditis vero, scire licet, quod quatuor eorũ differẽtiæ existũt, quarũ tres in viris, quarta in mulieribus cõstituitur. In viris siquidẽ aliâs iuxta regionẽ inter scrotũ & anũ, aliâs in medio scroto, muliebris pudẽdi pilis obsiti, forma apparet. Tertia vero adhæc accedit, in qua nõnulli veluti ex pudendo, quod in scroto est, vrinã profundũt. In mulieribus vero, supra pudẽdũ, iuxta pubẽ, virile frequẽter genitale inuenitur, tribus quibusdã extantibus corporibus, vno tanquã cole, duobus autẽ veluti testiculis. Ex quibus sane differentijs (autore Paulo, libro sexto, capite sexagesimo nono) tertia illa virorũ deformitas, quã vrina per scrotum excernitur, curationem non recipit. Reliquæ vero tres curantur, corporibus superuacuis è medio sublatis, & vlcerum modo tractatis. Sic etiam omnes monstrificæ excrescentiæ, vbi citra periculum scindi queunt, sunt euellendæ,

ſextum enim digitũ, reſcindit Paulus, lib. 6. cap. 43. & carunculã in ſinu muliebris pudendi ſubſultantem (quam nympham appellant) vbi plus iuſto creuit, quod ex ea ſuperfluum eſt reſcindit, cap. 70. Sũt enim quædam mulieres, quæ hanc partem arrigunt, viris ſimiliter, & in venerem cum alijs mulieribus ruunt, quibus immenſæ magnitudinis efficitur, & non decentem inuerecundiæ notam præ ſe fert. Vbi vero ex monſtroſæ partis præciſione, periculum ſpectatur, vel ob magnitudinem, vel quia principi parti adhæret, aut quia ingentes venas & arterias habet, à præciſione deſiſtere conuenit. Puerum enim cornutum, retulit amatus, centuria. 1. curatione. 51. perijſſe, ob diſſectum cornu, à chyrurgo: Erat enim prædurum illud cornu, in parte inferiori, conflatum ex craneo & medullari cerebri ſubſtantia.

Quæ præſidia tollerent infantes, & quod omnia debeat habere medicus in numerato.

CAP. IX.



Olent pueri, quantumuis ſani naſcantur, multiplici morborum genere corripi, ob ſuccorum corruptionem, tum ex ſanguine menſtruo deriuatam, tum denuo extra vterum contractam. Non poſſumus autẽ remedia ipſis adhibere, quæ natu maioribus: non venæ ſectionem, ante tertium annum expletum: nec ſcarificationẽ profundam, nec cucurbitulas, nec hyrudines, ante duos annos expletos: à leui etiam ſcarificatione, ante tertium menſem exactum: ſunt arcendi, vt libro de vacuandi ratione, cap. 8. diſſeruimus. Pharmacum præterea, recens nati non ſumunt, ſed infantulos purgare volentes, pharmacum propinamus nutrici, vt conſulit Gal. 6. lib. Epidem. parte. 5. com. 35. Nec obſtat, quod Auic. 1. 3. doct. 1. cap. 3. in die qua nutrix purgatur, ab eius lacte iubet infantem abſtinere, & alterius mulieris lacte nutriri: Hoc enim facere conuenit, quotiens nutricis cacochimiam expurgamus, quæ eo die mota, lac impurum reddit: illud vero, quando infantem purgare volumus. Tũc enim, ſtatim ac pharmacũ ebibit mulier, lactãdus eſt infans, & quo auidius lac ſumat per duas, aut tres horas, ante pharmacũ, à lacte abſtinere iubemus: nam ad vbera ipſa, vis permeat pharmaci refracta, & puero purgando idonea. Frigidæ etiam potu, valida frictione, & omni vehementi præſidio, vti nequeũt: tanta eſt ætatis, ad omnes alias indicationes contraindicatio, atque poteſtas. Ob id ſane, ex vſu erit, præſidia quibus infantes iuuari ſolent, in numerato habere, ne aut quæ non tollerant adhibeãtur, aut nullo præſidio adhibito, ipſos mori ſinamus (hæc autem, libro cui de morbis puerorum, & puerperarum, titulum damus expediuntur) interim vero, ad matrem conuerſi: eius aborſum, dum vtero geſtat impediamus: in enixu iuuemus: & enixam (vt decet) regamus.

¶ Tractatus primi de regimine infantis, finis.

Vniuer-

Tractatus secundus, de regimine prægnãtis, & puerperæ.

Vniuersalis præcautio ab aborsu. Cap. j.



Er sit tẽperatus, ad siccũ declinans, fugiantur intẽperantiæ eius, & frigidæ magis: corpore præsertim prius calfacto, & humectato, ex. 3. Aph. com. 12. Caueatur autẽ maxime, vẽtus per angustũ spirãs. Sit aër odoratus, fœtidus autẽ omnino deuitetur, referunt enim, ex odore fumantis fauillæ, recens extinctæ candelæ, equam abortiuisse. Per viridaria, & loca amœna, visus delectetur, placide viuat, improuisum tamen gaudium fugiat, non iretur, non terreatur, neq́ quæ pauorẽ incutiant videat, aut audiat. Quare cauendum à tenebris, & solitudine, ab auditu tristiũ, & sonitu bõbardarũ, tonitruis & terræmotu. Cibis boni succi alatur, & praui si sint valde expetiti, nõ prorsus negẽtur: sed quæcunq́, vel leuiter desiderata, tã in victu, quã vestitu quærantur, & offerãtur prægnanti. Monenda est autem, ne quid dissimulet eorum quæ expetit, aut pudore, aut ignauia impedita. Omnes autem domestici, sint soliciti, ne ea quæ haberi nequeunt, aut nominent, aut laudent, & si forte fortuna eorum mentio fiat; cum abbominatione vituperentur, & ceu mala & insalubria proferantur. Linteis & indumentis vtatur mundissimis, & nitidissimis, pro facultate mariti. Caput & thorax, custodiantur à frigore, ob destillationẽ, & tussim, quæ abortire faciunt. Hinc iubet quoq́ Auicẽna, ne inungantur capita prægnantium: quod ego de rubificantibus intelligo, quæ quoniam acria sunt, mouent catharros, vnde tussis, & ex ea cõmotio fœtus, & abortus: nam quæ balneo capitis miti assueuerãt, si toto tẽpore gestationis sint illotæ, plane lædẽtur. Assuetæ ergo caput lauẽt, ex longioribus interuallis, & maiori custodia vtantur: insuetæ vero omnino nõ lauẽtur. Partes itẽ vẽtris (vterus nẽpe, & quæ circũcirca sunt omnia) ab externis iniurijs defendantur, lana, aut cotto carminato, ex Auicẽna: nos autẽ sacculũ ex lana, aut cotto, permistis ambra, moscho, gariophylis, corallo, margaritis, & masticbe, vtiliter toti vẽtri imponimus. Iubet autẽ per os, vti Auicẽna, electario ex margaritis sequẽti. ℞. margaritarũ nõ perforarũ, & pyrethri, ana drach. j. zinziberis, mastichis, ana drach. iiij. zedoariæ, doronici, seminis apij, rutæ, cardamomi, nucis moschatæ, macis, cinamomi, ana drach. ij. been rubei, piperis, macro piperis, ana drach. iij. floris canelæ, drach. v. sacbari albissimi ad põdus omniũ, & adhuc amplius, puta duplũ, aut triplũ, pro gustu, & vtilitate prægnãtis, & pro medici æstimatione, fiat electariũ in puluere, cuius dosis (inquit) sit cochlear vnũ: ipsum enim rectificat dispositionẽ matricũ, & ventriculi prægnantium. Neq́ obstat, quod Nicolao Florentino, hoc electariũ videatur nimis calidũ, & quod magna dosi præbeatur, cochlear enim vnũ, pendet aureos quatuor: ob idq́ præfert diamargariton cõmune, ad dolores ventositatis prægnantiũ. Fallitur autẽ Nicolaus, Primo, quoniam diamargariton cõmune, nõ est minus calidum: & præterea recipit rhabarbarũ, & cãphoram, prægnãtibus

ingrata & parum utilia. Secundo, nam Auicenna immiscet compositioni, sacharum ad pondus omnium, & plus, idest duplum, aut triplum, ad libitum & æstimationem medici: ex additione autē sachari, dosis electārij augetur, & eiusdem calor imminuitur. Tertio, quoniam cochlear minimum, pēdet semidrachmam, paruum drachmam, magnum sesquidrachmam, maximum semuntiam: quare dosis erit, non quam existimat, sed à semidrachma in semuntiam. Qui vero frigidiorem compositionem desiderat, hac vtatur Nicolao experta. ℞. charabe, mastichis, rosarum rubearum, xilo aloës, margaritarum nō perforatarum, ana drach. j. corallorum rubeorum, nardi, macis, been albi, & rubei, cinamomi, sandalorum citrinorum, cardamomi, ana drac. j. ß. sachari quantum sufficit fiat confectio. Vtile est etiam ad hoc sumere, drach. j. sequentis pulueris, superbibēdo parum vini, diluti ex aqua arthemisiæ. ℞. cineris priapi tauri, vnc. j. rasuræ eboris, corticum citri exiccatorum, ana drach. ij. coralli rubei vsti, & loti in aqua absinthij, drach. ij. sachari parum, misce, & fiat puluis. Vtile præterea est, mulieribus natura frigidis, & crassis, vinū sequens, quod ex Arnaldo accepit Valescus. ℞. fœniculi, zinziberis, gariophylorum, cinamomi, ana drach. j. leuistici, spicæ, piperis albi, ana drach. ß. galangæ, anisi, dauci, carui, ana drach. ij. cum sacharo fiat nectar, quo vtantur hyeme. Vtilia sunt omnia cordi roborando dicata, qualia sunt, apud Auicennam. 21. 3. tractatu. 2. cap. 12. zedoaria, & vtrumque been, aut seorsum, aut mista, pondere semidrachmæ, aut doronicum drahmæ pondere, in duabus vncijs vini aromatici. Et inter composita probatiora sunt, electarium de gēmis mesue, electarium lætificās Nicolai Alexandrini, electarium lætitiæ Galeni, ex Nicolao præposito: quibus vtilior est, confectio gentilis cordialis, cuius hæc est descriptio. ℞. margaritarū, drach. j. ß. hyacinthi drach. ß. cinamomi, gariophylorū, macis, ana scrup. ij. limaturæ auri & argenti, ana drac. j. sachari albi. lib. j. distemperetur cum vncijs octo aquæ rosarum, & fiat confectio in tabulis. Vtilissima autem est confectio cordialis conciliatoris, differ. 196. interdum sola in vino sumenda, alias cum tantundem, aut duplo conseruæ rosarum, aut borraginis, cuius descriptio sequens est. ℞. Succi pomorum dulcium, & buglossi despumatorum, ana vnc. v. doronici, corticum citri, florum borraginis, rosarum rubearum, been albi & rubei, coralli, limaturæ eboris, ana drabc. iij. spodij, macis, galliæ moschatæ, charabe, ossis de corde cerui, sandalorum rubeorum, ana drach. ij. seminis basiliconis, folij, myrtillorum, melissæ, coriādri, cinamomi, galangæ, zedoariæ, spicæ nardi, ligni aloës, serici minutim incissi, croci, ana drac. ij. omnium myrobalanorum, ana drach. iiij. berillorum, smaragdorum, hyacinthorum, sardonij, zaphyrorū, granatorū, ana. drach. j. margaritarum albarum, drach. iij. limaturæ auri & argenti, ana drach. ij ß. ambræ, camphoræ, ana scrup. ß. moschi, drac. j. Fiat confectio, secundum artem gustui grata. De earum quoq; ventriculis, magna est gerenda cura, & si fastidiosus est, aut nauseabundus, inungatur ex oleo mastichino, & nardino, aut ex vnguento mesue stomachi confortatiuo, aut ceroto sequenti. ℞. ligni aloës, mastichis, corticis thuris, gariophy-

riophylorum, macis, ana drach. j. coriandri præparati, cinamomi, ana drach. ij. misceantur cum oleo nardino, & mastichino, & cum cera fiat ceratum, quod extendatur super alutam tenuissimam, & cooperiatur tela tenuissima, & cum fascia lini ligetur. Per os vero, confortetur stomachus, electario sequenti. ℞. conseruæ rosarum, quart. j. ligni aloës, mastichis, ana drach. iij fiat conditum in granis, & cooperiatur folijs auri. Aut sumat drachmas duas, sequentis confectionis. ℞. macis, gariophylorum, ana drach. j. coriandri præparati, drac. iij. mastichis scrup. iiij. cinamoni. drac. j. ß. sachari dissoluti in aqua rosacea lib. ß. fiat confectio in tabulis. Ad somnum magis quam ad vigiliam inclinet, quanuis neutrum conueniat immoderatius. Fugienda est omnimoda quies, & otium, superfluitates enim auget, & ligamenta laxat: ad otium autem fugiendum, probat Aëtius exercitia lanificij. Non exercitetur primo mense fœtationis, sed frictione brachiorum, & partium superiorum vtatur: Secũdo mense, raro & lente moueatur. Tertio, expeditius. Quarto, quinto, & sexto mensibus, sine timore, moderato exercitio vti debent, per planum tamen, non per accliue, neque decliue, neq; descendant, neq; ascendant scalas, non currant, non saltent, saltus enim omnis, opportunissimus est ad abortum, & maxime qui retro fit, & qui vno pede agitur. Cauere etiam oportet, ab eleuatione brachiorum multa. Caueant ne vẽter, quauis ratione percutiatur, non vociferetur, neq; rideat intente, neq; sternutet, neque nares violenter emungat, neq; tussiat, neq; onera leuet, neque equo aut curru feratur, neq; duris sellis insideat, ex Aëtio: cymba vero vehi, vbi fluctuosæ procellæ esse non possunt, concedit Alexãder benedictus, & lectica gestari Aëtius. Ex vomitu, quanuis minus abortire soleant, & nonnunquam etiam iuuentur, procurandus tamen non est. Septimo mense & octauo, & vsq; ad dimidium noni, detrahere de exercicio conuenit, minus enim moderato instituẽdum est, ne vincula quibus nectitur infans, iam prope maturescentia, & teneriora facta, disrumpantur: Nec enim recipiendus videtur Aëtius, qui circa octauum mensem, motus vehementiores præscribit. A noni vero mensis dimidio, vsq; in partum, exercitium intendere oportet. Quo tempore, balneis dulcis aquæ, ab vmbilico infra, vti potest, ex præscripto Auicennæ, qui prægnantes interdixit balneo, nisi apud propinquitatem partus. A coitu autem abstinere, & maxime primo mense, vel ex brutis animantibus sui fœtus obseruantissimis discere deberent matronæ, tum vt abortum, tum vt superfœtationem fugerent. Medijs mensibus, minus nocet: vltimo autem mense, eo vtantur abundãtiori, ad partum enim præparat. Semper autem vir sit solicitus, ne ventrem degrauet, sed suis brachijs innitens, venerẽ agat: Fœmina vero in actu, non moueatur. Lenis sit venter, ne in egerendo laborent, ex compressione enim abortient, & si siccus sit, leniatur iure gallinæ pingui mane sumpto, aut caponis crassi, aut vituli saginati, & in maiori adstrictione ventris, iure galli veteris: aut sumat ex Iacobo, mannæ electæ quart. ß. in vncijs quatuor seri caprini, vel iuris pulli, aut cassiã fistulam, de qua dixit Auicenna, quod est conueniens prægnantibus, & soluit eas.

Gaynerus vero vtitur, bolo deaurato ex casia fistulari, & māna, quod iudicat delicatius. Et adhibet clystere ex iure pulli, casia, puluere zuchari, & oleo cōmuni. Ego vero manna libentius vtor, quam casia: solet enim casia inferre tenasmum, ex tenasmo autē fit aborsus. 7. Aph. com. 27. si quando autem casia est vtēdum, immisceri debet ipsi anisum pulueratū, sic enim tenasmū non mouet, & grati odoris, ac saporis efficitur. In cibo autem & potu, abstinere debēt, à superflua repletione vnius cibationis, ex ventriculi namq; distentione, vterus cōprimitur: quamuis plus esse, & bibere, prægnātibus, quā vacuis conueniat. Ex breuibus igitur interuallis, alimenta sumant bene nutrientia, qualia sunt volatilia electa, assa magis quam elixa, panis mundus, vinum subnigrum potens ex Auicenna, aut album non nimis potens, ex Matthæo. Quæ vero vinum non bibunt, aqua coriandrorum, & gariophylorum vtantur. In fine vero mensæ, probantur vuæ passæ, & cotonea dulcia, & pyra, mala, & granata dulcacida, auellanæ tostæ, cortex citri, & limonum condita. Abstineant autem à pinguibus, & dulcibus cibarijs, quoniam relaxant: ab amaris item, & acutis, qualia sunt cappares, & oliuæ immaturæ, porrum, allium, cepe, sinapi, acetum, sal. Verum acria quandoque gustare, præsertimq; sinapi, cibum fastidienti, non fuerit alienū, vt Paulus, lib. 1. cap. 1. consulit. Cauendum præterea est, à cientibus menses, qualia sunt phaseoli, raphani, cicer, lupini, & sisamum. Et quoniam magna ex parte, à flatu fit aborsus, ex Auicenna, ideo in cibis suis, sequenti puluere iubet. vti Gaynerus. ℞. cinamomi, vnc. j. gariophylorum, nucis moschatæ, cardamomi, ana drach. ij. zinziberis, vnc. ß. piperis, drach. j. croci, drach. ß. fiat puluis. Matthæus autem, consilio. 73. iubet cauere ab omnibus speciebus, maxime à pipere, croco, & cinamomo. Et si indigentia (inquit) sit specierum, sint adstringēte facultate præditæ, sicut gariophyli, nux moschata, & macer, semper miscendo partem coriandrorum, vel corallorum: quē ego hac in parte sequor. Toto etiam tempore prægnationis, vsq; ad nonum mensem, maxime conducit cerotum sequens, supra renes portatum, ex Matthæo. ℞. mastichis, drach. ij. rosæ, coriandrorum præparatorum, balaustiarum, bistortæ, corticum granatorum, ana. M. ß. nucum cupressi, vnc. j ß. olei mastichis, & cotoneorum, lotorum in aqua acetosæ & plātaginis, ana parum: cum modico picis, fiat ceratum. Vtile etiam est, vnguento comitissæ, renes & ventrē vngere, præsertim si sanguis aliquis stillauerit, aut post multum exercitium, aut casum siue offensionem vētris, aut lumborū: Prosunt, Aëtites lapis circa ventrē gestatus, & sardonius superiori vētri appensus, & lapis in vulua, aut corde, aut intestinis, ceruarum repertus, ex Aëtio. Atque hæc vniuersim agenda sunt.

Particularis præcautio ab aborsu, iuxta *diuersas abortiendi causas traditur.*

CAP. 11.


Articulatim vero, ad aborsum ex sanguine abūdāti, aut acuto cōtingente, & propter menstrua ante conceptum non purgata, venæ sectio est necessaria, quanuis sanguinis detractio prægnantibus, periculosa sit, facit enim abortire, & magis quo fœtus est maior, quoniam subtrahit alimentum fœtui: sæpe tamen tanta est plenitudo, vt fœtum suffocet, nisi venæ sectione occurramus. Quin experientia iam constat (vt notat Rondoletius) mulieres quæ sunt frequenter passæ aborsum, hoc remedio retinuisse fœtum: Vnde credit Sauanarola, quod si mulieribus sanguineis, fieret phlebothomia in primis mensibus, esset iuuatiuum fœtui. Et refert historiam Marchionisæ de Ferrato, quæ semper patiebatur abortū, donec vena tusa, filios in lucem edebat viuos. Et amatus Lusitanus centur. 2. curatione. 90. præcauit abortum mulieri, quæ mense tertio fœtationis, solebat abortire: cuius causam esse conijcit, quod multus sanguis & acutus, superabundabat: qui vasculorum ora fœtum alligantium, sua acutie & punctione aperiebat. Iussit autem cum angi cœpisset, & aborsus signa adessent, mediam sanguinis libram, ex communi vena detrahere, & in posterum hac cautela adhibita, omnes partus fœliciter subsequebātur: nec quidquam enim, euacuationes ante prægnationem factæ, vnquam contulerunt. Pharmaca vero fortia, non conueniunt, leuia commode exhibentur, vbi opus est cacochimiā mundare, præsertim mensibus medijs. Suppositorio vtitur Auicenna, tum ad vterum, tū ad anum, vbi ante menstruorum purgationem, concepit mulier. Consulit autem Iacobus, vt ad anum fiat, ex melle cocto cum puluere sene, & modico salis: ad vterum vero, ex mastiche, vt suauiter aliquid à matrice educat. Sauanarolæ autem, huiusmodi suppositoria, merito videntur extranea, & inusitata: atque vtiliter consulit, vt mulieri, quæ ante menstruorum purgationem concepit, sanguis detrahatur statim, in principio prægnationis, quod sane remedium securum est, & ex eius omißione plures abortiunt. Si vero ex forti frigore, aut flatu aliquo crasso, abortus nascatur, fiat sequens clyster, ex Auicenna. ℞. doronici, zedoariæ, castorei, assæ, galliæ moscatæ, moschi, cardamomi minoris, gallarum, & spodij, ana drach. j. in aqua frigida macerentur, & calidum adhibeatur. Ventri quoque imponatur sequēs emplastrum. ℞. tōsuræ ex panno coccineo, & mellis, ana lib. ß. zinziberis, galangæ, cinamomi, cubebarum, ana vnc. j. seminis anisorum, fœniculi, apij, ameos, ana drach. ij. misce, & calidum impone. Per os vero sumat, electarium ex margaritis, suprapositum, & desuper bibat nectar, quod ex Arnaldo retulimus. Quod si ex vteri calore immodico, abortus contingat (quod raro euenire aduertimus, quoniam calida, intemperantia, raro ægrotat vterus, vt notat Sauanarola, & cum ægrotat, frequētius sterilitatem, quam aborsum inducet) succurrendum est, frigida victus ratione: & ad vteri regionē imposita portulaca, rosa, viola, myrto, & malua. Hæc enim inter frigida, vtero sunt accōmoda: Ijs vero, quæ propter matricis lubricitatem, solēt abortire, (quod magna ex parte, secundo, ac tertio mense, contingere solet, ob pondus fœtus,

qui

qui iam augetur: solentq́; tales, menstruum tenue, & aquosum, habere, & interdum profluuio humiditatum albarum, & laxitate obscænarum partium laborare) ante cõceptum, subuenire debemus. Sumat autẽ curatio principium, à syrupo sequenti, quinquies sumpto: ℞. mellis rosati colati, syrupi de stœchade, & de duabus radicibus, ana vnc. ß. aquarum arthemisiæ, fœniculi, & hyssopi, ana vnc. j. misce & aromatiza, cũ gariophylis & macere. Deinceps purgetur cum pillulis fœtidis, aut cum benedicta, aut cum sequenti pharmaco. ℞. agarici, drach. ij. zinziberis, scrup. ij. infunde in aquis betonicæ, arthemisiæ, & buglossi, cola cum expreßione, & adde benedictæ simplicis, drach. ij. ß. electarij indi, drach. ß. mellis rosati colati, vnc. j. ß. rasuræ eboris, drach. ß fiat potio. Die sequenti expurgationem, recipiat lauatiuum ex vncijs octo decocti ciceru͂m, & vncia vna sachari rubei: & sumat per os quod sequitur. ℞. mithridati, scrup. iiij. conseruæ buglossi, drach. ij. sileris montani, & rasuræ eboris, ana scrup. ß. misce. Deinceps intestina, quatuor diebus mundentur sequenti clystere, ex Auicenna. ℞. origani, sabinæ, ameos, leuistici, anethi, chamæmeli, rutæ, hyssopi, & fœnugræci, ana Pug. j. aquæ, lib. iij coque ad cõsumptionẽ medietatis, cola, & de colatura. ℞. vnc. x. olei de gummi arboris pini (pro quo sume oleũ de cheiri) & olei sesamini, ana drach. vj. fiat clyster. Deinceps, ad vteri mundationem valet peßum, ex mercuriali contrita, & filo ligata: Et aliud, ex drachma vna mithridati, & granis decem mastichis, permistis & ligatis in linteo raro, & filo appendi debet, vt extrahi poßit. Et vbi fortiori opus est medicamẽto, vtero per syringã, infundendum est oleum de lilio, cum virtute colocynthidis: est enim mirabile, ad lubricitatem humidam matricis: quod ita parat Aëtius, colocynthidem magnam, superne incidito, & seminibus eiectis, ac dimissa medulla, oleum yrinum infundito (aut de lilio, ex Auicenna) & cum desecta particula, colocynthidem operito, & per diem ac noctem madescere sinito, deinde feruenti cinere coquito, ac oleum excolato, & hoc tepidum, in vuluam injcito: hoc enim multas steriles, fœcundas fecit, educta ex aluo pituita, quæ conceptum aut impendiebat, aut ex aluo præcipitabat. Post vteri emundationem, vterus est roborandus, & reliquiæ humiditatum exsiccandæ. In quem vsum, thermæ sunt vtilißimæ, præsertim de albama, quoniam sunt chalybeatæ. Balnea quoque prosunt, adhunc modum domi parata; ex Matthæo consilio. 74. ℞. absinthij, matricariæ, origani, calamenti, ana M. j. ß. sulphuris, vnc. iiij. bulliant in quatuor situlis aquæ chalybeatæ, & sedeat ad vmbilicũ vsque, in huiusmodi decocto calido, octo diebus, quolibet die semel, ex gentile in suis consilijs. In balneo vero, sumat theriacæ magnæ, drach. ß. aut mithridati, siue aureæ Alexãdrinæ, drac. j. cum duabus vncijs aquæ arthemisiæ, aut drachmam vnam pulueris, ex interiori pellicula, ventriculi gallinarum, & spolio serpentis, apud Arnaldũ. Post Balnea, & etiam balnei tempore, debent vtero adhiberi olea calida, odorifera, inuncta exterius, & iniecta interius, & peßis imposita. Fiat inunctio ab vmbilico infra, cum mistura sequẽti ex Matthæo. ℞. olei de lilio, olei spicæ, & adipis anserini, ana vnc. j. ß.

castorei

castorei, gran. iij. croci, gran. j. misce. Et subdatur pessum sequens, ex Auicenna. ℞. spicæ, croci, mastichis, miuæ cotoneorũ, galliæ moschatæ, castorei, bdelij, myrrhæ, maceris, ana drach. iij. olei nardini, aut adipis anserini, quantũ sufficit, misce, & excipe lana agnina, quæ sit mollissima. Sequẽtẽ quoq; clysterẽ, tribus diebus vtero adhibet Auicenna, quo robur ei conciliet. ℞. corticum thuris, & cyperi tritorum, ana. vnc. ij. myrrhæ, vnc. j. ß. aquæ, lib. ij. ß. coque donec remaneant vnciæ tredecim, & quolibet die, è tribus indantur vtero, quatuor vntiæ. Quibus remedijs mirum esset, si mulier non curetur: quod si neque his cedat affectio, nõ prætermittatur chinæ decoctum, aut lignum sanctum, aut aspera smilax, in absumẽda enim humiditate corporis superflua, magnas vires obtinent. Post hanc curationem, mulier curet imprægnari, & per viginti dies, ante & post tempus, quo abortire solebat, ad auroram sumat pillulas sequentes, ex Mõtagnana, consilio. 223. ℞. thuris, drach. j. charabe, scoriæ ferri, acatiæ, ana scrup. ß. puluerizẽtur seorsum omnia, & cum miua cotoneorũ, formentur pillulæ. Aut sumat omni aurora, dactylum assum, plenum aliquo puluere adstringente, adhunc modum. ℞. mastichis, thuris, ana drach. ß. sanguinis draconis, granorũ myrthi, boli armeni, grani tinctorij, ana scrup. ß. tere, & de hoc puluere ℞. drach. j. & pone in dactylo exosso, vino madescat, & inuoluatur papyro madido, & parũ assetur sub cineribus. Si vero ob vteri paruitatẽ, & exiguitatem, periculũ instet aborsus, fotibus & vnguentis relaxantibus est vtendum, semel aut bis, in septimana (nam si semper eis vtare, laxando facient abortire) quibus oportet miscere, quædam leuiter adstringentia. Fiat ergo fotus, ex decocto sequenti. ℞. radicum altheæ, & liliorum, ana lib. ß. florum chamæmeli, & rosarum, ana vnc. j. coque in aqua. Inungatur post fotum vnguento sequenti. ℞. adipis anserini, lib. ß. olei sesamini, vnc. ij. olei mastichini. vel lentiscini, vnc. j. styracis calamitici, vnc. ß. misce. Cauere autem oportet, ne ante tempus marito locentur, ne vterus præ paruitate, puerum capere nequeat: ne ve mulier præ impotentia pariendi pereat. Hic vero medicos monitos velim, ne in detestandum errorem, ac peccatum incidant, delusi medicorum libris, qui huiusmodi prægnãtibus aborsum procurant, vt Aëtius, serm. 4. 4. tetrab. cap. 16. & Auic. 21. 3. tract. 2. cap. 12. & Hippocrates. 2. Epid. parte. 2. senten. 13. nam Hippocrates, suo iureiurando non stetit, vt constat lib. de genitura, vbi puellam psaltriam fecit abortire.

Ad febres & ægritudines prægnantium validas. CAP. III.



Dubiæ sunt curationis dispositiones, quæ prægnãtibus contingũt, in quibus nonnulli medici, à fortibus medicamentis abstinẽt, vt phlebothomia, & cæteris, famæ suæ metuentes. Alij hac spreta, ijsdem fœlici successu vtuntur. Alij vero prægnationem ignorãtes, multas curarunt, quas forte conscij facti, interimerẽt. Inter

quos

quos Zoar, lib. 2. tract. 3. cap. 1. vxori suæ prægnanti (rei inscius) pharmacum forte tribuit, cui sine aborsu cessit fœliciter. Media ergo via tutissima est, vbi aliquid semper, prægnationi condonamus, non tamen plurimum admodum, vbi morbus vehemẽter efflagitat. De qua re libro de vacuandi ratione, cap. 15. & 16. egimus abunde: vbi febrem inter aborsus causas posuimus, in qua venam interdum tũdendam esse, ob præcautionẽ ab aborsu (secus ac docuerit donatus Antonius, in opusculo ad id dicato) scripsimus.

Ad pedum in prægnãtibus tumores. Cap. iiij.

EXimios pedum tumores, discutit (apud Paulum lib. 1. cap. 1.) creta ex aceto illita, alumen etiam cum aceto, pedum etiã lotio ex decocto citrij, præsertim si addatur sapo, spongia insuper noua stricte deligata. Ego vero ab huiusmodi præsidijs abstineo, ne dum à pedibus diuerto, in fœtum, aut principem aliquam partem, vertatur humor.

De pica morbo. Cap. v.

PICA est in grauidis languor ille, & mollities dissoluti, & vtilia fastidientis stomachi, in quo varia & peregrina appetunt, stomachusq́ exundat, & continuis vomitionibus, sputo crebro, & ventriculi rosione lacessitur. Traxit autem nomen apud Arist. 7. lib. de hist. anim. cap. 4. ab auis picæ vario colore: aut quoniam eo morbo laborans, perinde mutat appetentiam, ac pica loca: aut quoniam varia, hæc auis, prægnationis tempore, solet appetere, apud Paulum lib. 1. cap. 1. κίττα etiam Græcis non modo picam, sed hederam significat, quæ vt obuijs hæret plantis, ac lapidibus: ita hoc morbo laborans, omni hæret obuio alimento, vt scribit Aëtius, lib. 16. cap. 10. Solent autem mulieres, quæ vtero gestant, vsque ad secũdum & tertiũ mensem, hoc malo corripi, apud Gal. 1. lib. de causis sympt. cap. 7. & apud Aëtiũ à quadragesimo cõceptus die, quo fere incipit, in quartũ vsq́ mẽsem, in quẽ durat. Quo tempore varia appetunt, interdum esculẽta, quæ ante prægnationẽ non appetebãt, nec vnquã gustarunt, acida, acerba, acria, vinosa, aliàs extranea & sordida, quæ nullus mentis cõpos amet: lutum (inquam) cimoliam terram, gypsum, vrcea figulina, calcis è parietibus frusta, carbones, cineres, & alias etiã vitiosiores rerũ qualitates. Vnde Gal. 1. de causis sympt. scribit, quod sicut in fame canina, aberrat appetẽs facultas, circa quantitatẽ ciborũ, ita in pica aberrat circa qualitatẽ, aut speciem eorundem, cum acida, acerba, acria, & extranea, quæ hominũ cibus non sunt quærit. Huius certe mali causa est, quod cum fœtus, ex vtiliori menstrui parte alatur, impurior & intemperatior, quæ superest, ad vẽtriculum delata, hoc malum parit, & suam ipsi inducit intemperiem: donec frequentibus vomitionibus, quibus prægnantes infestari solent consumitur: aut fœtus grandior pluris alimenti indigus,

impurum

impurum etiam alimentum exhaurit, & ad propriam nutritionem assumit. Dubitant autem, an in pica morbo, simile, an cõtrarium, expetat vẽtriculus? quidam hoc, alij illud contendunt: cum tamen horum neutrum, perpetuum esse queat, nam si vniuersam ventriculi substantiam peruaserit humor, omniq́; eius parti, intemperiem cõmunicauerit, similia humori expetit ventriculus: quoniam licet morbus non sit factus, est tamẽ velut factus, quoniam æqualiter humor, omnes mẽbri partes peruasit, in quẽ sensum phrenitides quasdã, factas appellauit Gal. 2. Prorrhet. com. 33. Si vero humor, non vndiq́; penetret, ventriculi substantiam omnem, ipsi potius humori cõtraria expetuntur, quoniam ventriculi partes, quas huiusmodi humor non peruasit, sanitatem affectant, & humori sibi vicino cõtraria expetũt. Libro namq́; artis medicinalis, cap. 63. Gal. ita scribit. Male vero temperaturæ, quæ morbi ratione, ventriculum occupant, hoc differunt ab his, quæ naturales existunt, quoniam cõtraria, non autem similia appetunt, quenadmodum naturales. Nec obstat, quod si pica omnis, morbus est, isq́; abigẽdus, contraria potius, quam similia expetere, semper debet ventriculus. Non obstat (inquam) nam quatenus factus est, eatenus connaturalis quodammodo est redditus: obidq́; in similis sibi appetitum inclinat, potius quam in contrarium. Anceps ergo indicium est in pica morbo, quod ex appetitu sumitur, vt humoris qualitatem, ac speciem dignoscamus, siquidem ex maiori, aut minori imbibi bitione, simile, aut contrarium, expeti potest. Et cũ simile expetitur, non similis qualitatis ratione, semper expetitur: sed alterius contrariæ, quam natura nouit: Quod voluit Auicẽna. 13. 3. cap. 17. in hæc verba. Quapropter accidit in quibusdam, appetitus luti, immo carbonum, terræ, & gypsi, & rerum huiusmodi generis, propter qualitatem quæ est in eis exsiccantem, & incidentem, contraria qualitati humorũ. Et eodem capite: Nã si appetit pinguia, tum illic est stypticitas, & spissitudo, & siccitas: & si natura abhorret cibos calefacientes, & declinat ad frigidos, propter frigiditatem ipsorum, tunc est illic caliditas: & si appetit calefacientes, tunc illic est frigiditas: & si appetit incisiua & acetosa & acuta, tunc illic est humor viscosus. Non ergo ex appetitu acetosorum, aut fœtidorum, acetosos humores, aut fœtidos, nec eis contrarios dignoscere possumus: sed qualitatem aliquam contrariam incisiuam, aut aliter conuenientem, humoribus in ventriculo contentis. Quare ex vomitu, & alijs inditijs, peccantẽ in hoc morbo humorẽ, potius quam ex appetitu venabimur. Qui vbi innotuerit, mundandus est, leuibus vomitionibus, ex aqua calida, aut sola, aut cum oximellite, aut cum decocto raphani, quoniam eo natura repit, & humorem nocuum propellit. Non est autem opus pharmacis expurgantibus, tum quoniam vtero gerẽtibus raro conueniũt, tum quoniam primis tribus mensibus, quibus hic morbus magis affligit, nexus, & copulæ infantis, sunt tenerrimæ, apud Hippocratem & Galenum. 4. lib. Aphor. sent. 1. Si tamen morbus non cedat, & expurganti aliquo opus esse videatur, laudantur sequentes pillulæ, Gaynero expertæ. ℞. croci, cinamomi, spicæ, schœnanthu, ligni aloës, xilobalsami, ana drach. j. mastichis, drach.

drach. ß. bdelij, gummi Arabici, ana drach. j. ß. aloës hepatici, drach. iij. ß. formetur massa, cum syrupo de absinthio, mundat enim omnes prauos humores ventriculi, citra abortus periculum: quoniam menses mouentia, corriguntur mastiche, bdelio, & gummi Arabico. Valent etiam drachmæ duæ sequentis pulueris, in sero caprino, aut iure, aut vino, prout plura, aut pauciora, caloris inditia notaueris. ℞. foliorum sene, vnc. j. mastichis, drac. j. maceris, croci, cinamomi, ana drach. ß. diagridij scrup. j. tartari, drach. vj. fiat puluis. Valet etiam apud eundem, sumere à drachmis tribus, vsque ad vnciam vnam, pulueris tartari, qui si in suis ferculis (inquit) bulliat, gratissimum reddetur, & lubricum ventrem seruabit. Post vacuationem, quolibet mane, ieiuno stomacho: & etiam post cibũ, iubet Auic. 13. 3. tract. 2. cap. 11. masticare cuminum, & ammeos: aut sequentem puluerem. ℞. cardamomi maioris, & minoris, & & cubebarum, ana drach. ij. sachari albissimi, drach. vj. fiat puluis, de quo sumatur cochlear, desuper bibendo vinum, aut alium liquorem conuenientem. Initio mensæ edat cappares, in fine vuas passas, & oliuas, in medio vero, electas aues assas, inter quas valde commendantur palumbi, sicut inter salsamenta sinapi. Bibat vinum, aut aquam cinamomi, paneque vtatur, cum anisi, aut fœniculi granis subacto: qui si sit biscoctus, laudabilior erit: fere enim semper exsiccare, in hoc morbo cõuenit. Extra vero, ventriculus est roborandus, oleo mastichino, & de spica. Valet etiam oleum gariophylorum, & quod de abeto, ex noua affertur Hispania.

Quid nono gestationis mense, sit faciendum.

CAP. VI.



OSQVAM mensem nonum attigit, quæ vtero gestat, curare summopere oportet, vt facilis partus sibi paretur. Opus autem habet aëre temperato, ad calidum inclinãte: Exercitium, & maxime partium infernarũ, & earundẽ frictio conducit ipsæ. Coitu vtatur frequentiori. Nuncientur sibi faciles partus, aliarũ quæ masculos pepererunt. Cibis emolliẽtibus reficiatur, iure pingui, gallinæ & castrati, in quo coquantur semina cotoneorum, ligata in linteo raro: Blito aut spinachia, iure gallinæ parata: Ad initium mensæ, vua pensili, caricis, butyro vacino cum sacharo, & tela quæ lacti cocto innatat, postquam refrixit: Ad finem vero, dactylis, & duracinorum carne condita. Cenæ initium sit lactuca, aut borrago, aut betta, cocta in iure gallinæ pingui, cum oleo amigdalarum dulcium, & sacharo, carnes edat laudatas, abstineat ab omni pontico, & styptico, & acetoso. Vtatur emollienti clystere, ex iure gallinæ, cum eiusdem pinguedine, oleo de lilio, & sacharo. Administretur balneum tepidum, ad calidum inclinans, ab vmbilico infra, aut fotus (qui securior est) per spõgias, aut filtros adhibitus, ex decocto maluæ, maluauisci, chamæmeli, seminis lini, meliloti, adianthi, & capitis castrati. Post fotum vero, inũ

gatur

gatur, oleo de chamæmelo, anethino, de cheiri, pinguedine gallinæ, anseris, medulla vituli, & huiusmodi, per sex aut octo dies ante partum. Suppositorium ex cotto, oleo sesamino, & pinguedine gallinæ imbuto, moscho & ambra puluerato, vtile est. Vtilia quoq; sunt suffumigia odorata, ex moscho, ambra, cinamomo, & ligno aloës, frequentius subdita, in quẽ vsum, vtiles sunt sequẽtes pastilli, quos nostrates, pastillas parũ corrupto vocabulo appellãt. ℞. laseris odorati. drac. ij. galliæ moschatæ, cinamomi, gariophyllorũ, foliorũ lauri, ligni aloës, ana drach. j. fiat puluis, & cum styrace liquida formentur pastilli, viuis carbonibus inspergẽdi. Vtilißimus est suffitus humidus, in forma vaporis, cum itur dormitũ, acceptus ex decocto casiæ, nardi, spicæ celticæ, arthemisiæ, iridis, sabinæ, dictamni, pulegij, calaminthæ, & lauri, aut istorum quibusdam.

Quid partus tempore sit præstandum. Cap. vij.



VM iam partus instat, stercus & vrina primitus vacuentur clystere emolliente, aut balano, quo libentius vtor, & si lapidẽ in vesica habeat mulier, per cathecterẽ, aut cereã cãdelam, a collo vesicæ, in fundum transferatur. Deinde inungãtur venter, & pudenda, perinæũ, & ossa caudæ, pinguibus dictis, nã eas partes dilatare, ad meatus amplificationem oportet, & summè cauere, ne inter vngendũ, frigore dictæ partes percutiãtur. Ab vnctione sumat cõsumatum, aut ius gallinæ pinguis, in quo coquantur phasioli, cicera nigra, & fœnugræci semina, cum multo puluere cinamomi tenuißimè cribrati. Valent etiam vitelli, cum cinamomo & croco, vinum odorum paucum, desuper potando. Regimen enim resumptiuum, est necessariũ, propter vehementẽ resolutionem ex dolore. Deinde ex Auicennæ consilio, sedeat paritura, per horam vnam, extendens pedes suos inferius, vt per hoc aptetur fœtus, ad descendendum, & se conuertendum versus os matricis. Deinde resupinetur super dorsum suum hora vna, aut dimidia ex Valesco, vt fœtus quiescat, à labore conuersionis, in qua, si fœtus non fecerit similitudinem descendendi, surgat subito, & ascendat gradus, & descendat, & voce alta clamet, vt ad exitum moneatur fœtus. Anhelitum interdum cõtineat, vt infra feratur, & fœtum eo reprimat. Ilia fricentur, & comprimãtur, ad expellendum fœtum. Sternutamenta prouocentur, hæc enim iuuant compreßione partium ventris, & concußione infantis, & excitatione expultricis facultatis. Et postea obstetrix, iterum inungat partes dictas, & digitis suis osculum matricis diducat quantum potest. Hali vero, commendat sui viri cum ipsa congressum. Quod tamen cum inhonestum, ac indecorũ eo tempore sit, decentius, ac vtilius vtemur, ex Gordonio pesso sequenti, ad diducendum matricis osculum. ℞. hyssopi, radicis lilij, origani, calaminthæ, ana drach. ij. terebintinæ, vnc. j. misce, excipe lana, & subde. Et fumum recipiat ex vngula muli, aut nasturtij semine, aut myrrha.. Ore vero sumat mellis, & olei sambucini, idest de jazmin, ana vnc. j. decoctionis adianthi, vnc. iij. pulueris dictamni, drachm. j.

mista. Cauere vero oportet, à fortioribus medicamentis, & antidotis, fœtu viuo existente, ne ipsorum violentia intereat. Vnde merito displicuit Valesco, Auicēnæ praeceptum, quo dixit, quod omnes medicinæ, quæ educunt vermes, sunt ad partum vtiles. Multæ enim ex ipsis, fœtum interficerent.

Cum autem fœtus descendere incipit, & vteri os aperiri, dolores augentur, secunda apparet digitis occurrens, & humiditates copiosius manare percipiuntur: tunc & non ante, in sella locetur ad pariendum. Tria enim cōmoda, ex hac mora sequuntur, Primum, quod infans non tentatur eyci, ante integram conuersionem sui. Secundū, quod vires, tum matris, tum etiā fœtus, integræ ad hanc emißionis horam seruantur. Tertium, quod nec loci, ab aëre externo refrigerantur, nec aqua ante tēpus vacuata, in superfluis conatibus, partum siccum reddit.

Ea autem figura, pariens situanda est, quæ opportunior, præsenti partioni videbitur. Si mulier enim talis sit, vt leui occasione, eius vterus soleat extra laxari, & extra corpus procidere, melius est vt pariat decumbens in lecto supina. Præcauet autem Gilbertus Anglicus, huiusmodi infortunium, imposito panno ad anum, in modum pilæ oblōgæ, qui fortiter in quolibet conatu comprimatur. Nostrates vero fœminæ, ad id; nō incōmode vtūtur pistillo ligneo. Aliâs vero, melius parit erecta, & è collo alterius fortis fœminæ suspensa, aut manibus contra lectum, aut mensam innitens, ita vt sit sufficiens spatium, pro obstetrice puerū susceptura. Quæ sane figura, tūc est opportunior, cū pueri caput, versus mulieris posteriora fertur. Interdū prona figura, more quadrupedum, est conuenientior, ita vt caput mulieris, firmetur super pauimentum, & venter super fœmora, & genua sua. Quæ figura, in muliere multum pingui conueniens est: sic enim (vt inquit Aëtius) vulua delabens, ceruicē recta extendit: & Paulus, vulua sic ad abdomē tendens, è directo ostioli habebitur: sic etiā vteri os agitur infra, & omentum supra reprimitur, ita vt os vteri, iam non compressum ab omento, sed ab eo liberum, aditū infanti facilē dare poßit. Supina vero figura, quæ in sella fit, minus grauis est pariēti, nā à viro forti, retro existēte sustinetur: in qua, fœmina pedibus inniti debet, & dorso, nō natibus, aut cauda, hæc enim libera relinquēda est, vt retrocedere poßit. Ita nāq; ossa caudæ, cū osse sacro articulātur, vt reflecti poßit cauda, in partē exteriorē, & foramen sic latius reddere, in expulsione infantis, & duræ fecis. Vnde si mulier inniteretur natibus, nec cauda retrocedere posset, nec fœtui liber aditus daretur. Qui sane error frequentißimus est, & maxime vitandus. Interdū vero adeo imbecilla mulier est, & ex febribus, alysque morbis exhausta, vt lecto discumbens, parere tantum, & poßit, & debeat.

Docta ergo, & experta eligatur obstetrix, quæ vnāquamq; mulierē, ea situatione cōstituat, quæ maximè infātis caput, ad vteri osculū facit apropinquare. Lōgos & graciles digitos habeat, vestibus suis spolietur, ne ab ipsis impediatur, lintea calida imponat vētri, nucæ, & dorso pariētis, & manus ac partē brachy sibi inūgat oleis de lilio, sesamino, & de amigdalis dulcibus, ac pinguedine gallinæ, quas suauiter immitat tangendo,

tangendo, & mouendo, ac reducendo fœtum, ad hoc vt facilis fiat partus, & omnia loca intus, & extra inungat. Neq; vero obstetrici permittendum est, vt vterum distius dilaniet, sed placide, leniter, ac citra compressionem, fœtus caput, recta ad osculum dirigat, os pectinis eleuet, & pinguia dicta, sine intermissione affundat. Tunc ergo parientem moueat obstetrix, iubeatq; spiritum detinere, & ad inferiores partes propulsare, nō vt imperitæ aliquæ faciūt, in gutture cōgregare. Inde enim vt Aetio placuit, plerisq; gutturis tumor, & vasorū eius loci dilatatio cōtingit, quæ affectio penitus incurabilis existit: inde oscitatio in parietibus, lethalis esse perhibetur. Spiritū ergo infra agunt, respirationis detentio, & ad inferiora voluntaria propulsatio dicta, oris apertio dum inspirant, & magna item per nares aëris inspiratio, clamor magnus, ac subitus: nam quamuis clamor, fiat aëre expirato, ob vehementiam tamen, ac celeritatem, bona pars aëris concussi, infra cum violentia pellitur. Sternutamentum quoq;, & vomitus (tunc præsertim adhibendus, cum prona mulier parit) spiritū magna vi ducunt infra. Non est autem inutile, sacculos duos, ex cotto factos, aqua rosacea madentes, oculis imponere, & linteo ligare, ne præ valida expressione, atq; dolore, oculi exprimātur, & exerti postea perseuerent: quod in partubus frequenter contingere, notauit Paulus, lib. 3. cap. 22. & nos nobilem quandam nouimus, quæ in partu oculum amisit, præ valida expressione. Interim vero, ad bonam spem, est persuadenda, quod cito leuabitur, & pariet masculū. Et reficienda est consummato, aut iure pinguis gallinæ, superius dicto, aut oui vitello, & pauco vino odoro, aut pane tosto, ex vino hippocratico. Sitis tamen prò posse est tolleranda, ex Auicenna, nam parientes si sitiant, plus aëris respirāt, & infantes ipsi, siti matris incalescētes, & anxij, respirationem magis optant, & exitum quærunt. Suffitus odoratus, ex pastillis superiore capite recensitis, est infra ministrandus. Naribus vero, fœtida admoueantur, nisi virtus sit debilis, aut mulier delicata; plurimum enim fœtida, prosternūt virtutem. Quare in partu difficili, iubet Auicenna, odorare odores delectabiles, in quantitate parua, vt nimirum virtus reficiatur, quæ per partus difficiles, solet exolui. Neq; timere oportet, additionem difficultatis partus, ex odoratis, medicæ præsertim adhibitis, quod multi timent: quoniā vterus, infantis mole grauatus, difficile ascendit, vt voluit Gordonius. Per interualla ergo odorentur, nunc fœtida, nunc bene olentia: nam vteri ex fœtu degrauatio, facit vt fœtida magis prosint, ob facilitatē descendendi, & bene olentia non obsint, sed virium etiam adiectione, sint admodum vtilia. Inter male olentia vero, tutissima est ruta, & inter bene olentia, vinum moschatum, aut aliud gratum, & bene olens alimentum, quod prope nares parientis, detegi, & diuidi debet.

(Quod si partus, adhuc sit refractarius, & periclitetur extingui, valētiora quædā, tūc sunt adhibenda: & nullū est melius, apud Rasium, quā cinamomū, & myrrha mista. Valent etiam cardamomi puluerati gran. x. vj. quamuis pruritum, & calorem inferant. Valent etiam drachmæ tres sequentis pulueris. R. cassiæ lignæ, & myrrhæ,

ana drach. vj. cinamomi, drach. viij. fructus sabinæ, drach. x. Valet etiã sumere cro ci, drach. ij. Vtile quoq; est medicamentum vsuale, quod. ℞. corticum casiæ fistulæ, vnc. iij. bulliant in vino albo tenui, vsq; ad consumptionẽ medietatis, cola & propina cyathum vnũ, mistum cum iure cicerum, & scrup. j. cinamomi: nam nõ modo in vocata canela, sed & in casiæ fistulæ cortice, hãc vim nouerunt Arabes. Valet etiã opobalsami, drach. ß. in vino tepido sumpta, nec timere ex eius sumptione sterilitatem in posterum oportet, quod multi timent, nam Gaynerus adfert experimentum in contrarium. Efficacißima est etiam, chrisocolla argentariorum (quam borracem vocant) pondere drachmæ, cum tribus vncijs vini, aut decocti sequentis, quod decoctũ si sine febre est, debet pariens frequẽtius assumere. ℞. sabinæ, arthemisiæ, ana. M. j. coque in aqua, cola, & de hac decoctione. ℞. lib. ß. vini albi, lib. j. aromatiza cum vncia vna cinamomi. Valet etiam quod sequitur. ℞. aristolochiæ, myrrhæ, piperis, ana drach. ß. vini hippocratici, vnc. iij. misce & bibat. Quoniam autem omnia hæc medicamenta, calida sunt, ideo vberiori potu lactis muliebris, post eorũ exhibitionem vti præstat: præter id enim, quod calidorum medicamentorum vim retundit, magnam vim in expellendo fœtu habet, & est remedium tutißimum, & clementissimum, ex Arnaldo, & Paschalio. De commotione autem parientis, iubet Paulus, mouere parientem sella, in aëre calido mediocriter. Gilbertus vero, statuit mulierẽ in sindone, in qua potius videatur sedere, quam iacere, & tunc ab oppositis quatuor angulis fortiter trahitur sindon, & agitatur pariens circumquaq;. In hac tamen parientis commotione, parum fidit Auicenna 21.3. tract. 2. cap. 25. Cum hæc omnia prouideris, alia quoq; quæ autores commendant, quanuis aut frustranea, aut parum efficacia videantur, non sunt omittenda. Qualia sunt, quod pariens cingatur corrigia ceruina, quia habet occultam vim iuuandi partum. Et quod penna vulturis, aut aquilæ, subiecta pedibus parturiẽtis, idem facit. Et quod teneat in lecto, lapidem fulguris. Et ex Auicenna, quod pariens teneat manu sinistram magnetem, quẽ alij alligant coxæ. Alij styracem rubeam, alij nucem ex croco trito coxæ suspendunt, vt cito, & sine dolore pariat. Vẽter quoq;, & vmbilicus, inũgantur hirundinibus tritis, & oleo dissolutis. Aut fiat inũctio, cũ cinere vngulæ asini, quod est vltimum apud Auicennam. Cauent præterea, ne in domo parientis habeantur pyra, neq; recentia, neq; condita, nã proprietate quadam inquiunt, quod prohibent vuluã aperiri. Cauere præterea oportet, ne in domo pariẽtis, adsint mulieres maleficæ, & incantatrices, vt admonet Gaynerus. Et idẽ ipse, cauere iubet, ne inũgatur vẽter, emplastro Auicẽnæ, ex medulla colocynthidis, myrrha, & succo rutæ, nec similibus alijs, ne interficiãt fœtũ. Opiata quoq;, quibus omnes vtũtur autores, ego sũmopere vitãda iudico.

Reliquiæ sanctorũ, & Agnus Dei (ex cera noua alba, & balsamo, & chrismate) à sũmmo põtifice cõsecratus, magna veneratione, è collo pariẽtis suspẽdãtur. Sacra multa, ibi legãtur, inter quæ, beatæ Margaritæ historia cõmẽdatur. In aurẽ vero, inquit Sauanarola, hæc verba dicãtur. Memẽto Dñe filiorũ edõ in die Hierusalẽ, qui dicũt exina-

exinanitæ cũ oratione dñica ter recitata, hæc tamẽ, & similia, sine cõsultatione theologorũ, non admittãtur; superstitiosa enim omnia, prorsus vitari debẽt, qualia sunt apud eundẽ Sauanarolã, quod suspẽdatur è collo parientis, psalmus Dixit dñs, scriptus in carta nõ nata, & quod debet suspẽdi per virginẽ, ter recitantem dñicam orationẽ. Pessima autem sunt verba, ab Arnaldo recensita. 3. lib. breuiarij, cap. 4. & nulli Christiano dicenda. Sicut nec ea, quæ scribũtur libro Galeno adscripto, de facile parabilibus medicamentis, in hæc verba. Pulegij fasciculũ, in aquã calidã mittito, in eãq; mulierem desidere iubeto, ipsiq; in aurem dicito, Chum, can, min, duns. Et deberent medicorum libri, ab his, & similibus multis expurgari.

Causam autem difficultatis partus, & medicus, & obstetrix, diligentissime perquirant oportet, vt pro causæ ratione, remedia instituantur. Siquidẽ vteri osculũ non aperiatur, subueniendũ est, vt supra diximus ex hali, & gordonio. Si ob inflãmationem vero fuerit conclusum, nihil violenter agendum est, sed infusionibus pinguibus large vtendũ, insessionibus, ac irrigationibus, & cataplasmatis, quo inflãmatione aliquatenus sedata, & osculo dilatato, fœtus educatur, vt docet Aëtius. Si caro antẽ, aut tunica, collo vteri fuerit adnata, aut clausa mulier sit, quidquid impedimẽto fuerit resecetur, & administretur incissio, iuxta Auic. præcepta. 21. 3. tract. 4. cap. 2. & 3. Si frigore vero, pariẽs fuerit densata, balneũ, aut fotus calidi, & relaxantes adhibeãtur. Si vires vero, aut pariẽtis, aut fœtus, sint imbecillæ, ita vt nec mulier parere, nec fœtus nasci valeat, non subito, sed ante tempus partus, sunt reficiendæ, consumato, iure pingui, carne pistata, testibus gallinaceorum, ouis sorbilibus, vino odorato. Detur etiam interdum confectio alchermes, aut aliud cordiale ex vino, aut iure. Caro etiã assa, ac bene succulenta, cum ambra, & moscho puluerata, ad vmbilicum ponatur: & non constituatur in sella, sed pariat decumbens in lecto. Si partus siccus sit, quoniã ante partum, secunda fuit præpropere rupta, & humiditas prorsus vacuata, aut quoniã senescẽs parere incepit, cũ iã vteri osculũ, & collum obduruit: olea & pinguedines dictæ, largius sunt affundẽdæ: aut albumina ouorũ, permista cum decocto maluæ, aut fœnugræci, aut cum ptisanæ cremore tepido, ex Aëtio, serm. 4. 4. tetrab. cap. 21. Qui etiam, cap. 15. lubricitatem vtero inducit, per ouorum candida tusa. Paulus vero, lib. 3. cap. 76. oua vterum leniendi facultate, prædita esse scribit, vbi non de candido tantum, sed de luteo etiam sibi permisto loquitur. Quod interpretatus est Auicenna, capite vigesimo quarto in fine, vbi ita
“ *scribit. Effunde lubrificantia, & cerotaria subtilia, & mucilagines in vulua, &*
“ *adipes liquefactos, & albumen oui, & vitellũ eius, est enim regimen mirabile. Nos tamen, pinguedinibus, quam ouo, aut ptisana, libentius vtimur: aut sequentem clysterem, per syringam, aut cannam, collo vteri longiorem infundimus. R. lactis vacæ, vnc. iij. pinguedinis porcinæ, vnc. ß. mucaginum lini, & radicis altheæ, ana drach. ij. misce, & vtero inde. Si canna autem, aut syringa, noluerit vti, apprehendat obstetrix os vteri manu dextra, & immitat digitos manus sinistræ*

nistræ extẽsos, secundũ lõgitudinẽ, per ipsum vteri os, ita vt ministra possit inijcere pinguia dicta, inter manus obstetricis: quibus omnia quæ attingit perunget. Est autẽ constituenda supina, capite depresso, & puluinari nates sunt eleuandæ, ad hoc opus peragendum. Si vero secunda non rũpitur, aut vngue, aut scalpello, rumpi debet, ita vt puerũ nõ attingat. Debet autẽ obstetrix, manũ sinistrã primo indere, & postea dextra scalpellũ immittat, acie inter digitos manus occultata, ne vterũ lædere possit. Si vero partus difficultas sit, ob pinguedinẽ, aut vteri tumorẽ præternaturã, aut quoniã lũbos cauos, & vterũ cõprimentes habet: pariat prona, vt dictum est, & reliqua omnia adhibeãtur, ad pariendum vtilia. Contingit etiã nonnunquã, vt fœtus pluri sanguine abundet, ob idq; in magnam molem crescat, & postea ob magnitudinẽ exire non possit: quibus cum magna vtilitate sanguinem ex pede detraxit Rondoletius, & est casus frequens, maxime aduertendus: nam plethora, tã matris, quam fœtus, difficultatem partus, frequenter inferre posse, dubium non est. Si vero aut fœtus, in se sit admodum magnus, aut vterus paruus (in idẽ enim hæc duo recidunt) pinguia intus, & extra admoueantur, os vteri dilatetur digitis, & fœtus violenter extrahatur, reliqua etiam generalia dicta adhibeantur, & domini nostri Iesu misericordia imploretur. Consiliũ enim Aëtij, de magno fœtu dissecando, dum adhuc viuit, etiã pro saluanda vita matris, impium est. Primo, quoniã multi præter spẽ saluãtur. Secundo, quoniã non licet Christiano, vnum interficere, pro saluanda vita alterius: vniuersalẽ enim veritatem habet, proloquium illud theologicum, nõ sunt facienda mala, vt inde eueniant bona. Eadem sunt præstanda, cum partus redditur difficilis, ob magnitudinẽ capitis, aut thoracis, aut vẽtris: nõ enim debet incidi, dũ viuus existit, quãtumuis id faciendũ esse, videatur Aëtio. Ob magnitudinẽ quoq; genuũ, si partus sit difficilis: curet obstetrix, leniter fœtũ attrahere, manibus suis: & si nõ possit, vinciat eũ, cũ margine pãni linei, ex Auicẽna, idest, cõ la orilla: & trahat leuiter quibusdam attractionibus, quibus si non cedat, attrahat violẽtius. Forcipibus vero, tenaculis, aut incisione, fœtu viuo existente nõ vtatur: etiã si secus visum fuerit Auic. 21.3. tract. 2. cap. 29. vbi regit eos, regimine fœtus mortui. At si gemini, aut tergemini, collum vteri obsederint, reliqui ad fundum vteri repellãtur, & is, qui magis paratus videbitur, prius educatur: sic vt omnia sensim, & citra contusionẽ fiant. Vbi fœtus vero, præternaturam figuratus nascitur: naturalem reddere figuram decet, partim pellendo, partim adducendo, partim flectendo, partim in rectum agendo. Et siquidem manum, pedem ve præmisserit, non inde attrahere oportet: magis enim impingitur, vel luxatur, vel etiam abrumpitur: quare digitis humero infantis, vel coxæ admotis, promissa pars, ad cõuenientẽ locũ introducatur. Ad quod etiã valet, manum, aut infantis pedẽ promissum, pungere: vt dolore illato, partẽ retrahat ipse. Si vero vnà cum coarctatione, totius fœtus figura mala fuerit, prius ab osculo vteri, in sublime eleuetur, & postea rursus ad osculũ, recta dirigatur. Et si in sublime efferri aliter nequeat, eius tũc pedes, capite depresso existente efferãtur, & per

eos cõcutiatur mulier. Peßima ſane figura, in vẽtrẽ eſt, aut in dorſum, aut in latus, ſi manus & pedes naſcantur ſimul, aut pedes & caput: huic proxima, cum manus & caput, ſimul edũtur: hi nãq; partus, niſi in rectam naturæ figurã reducantur, ſunt exitioſi. Exitioſius quoq; eſt, cũ ſupplex naſcitur ſuper genua ſua, quare curandũ eſt vt eius crura, tã diu eleuentur, donec caput deſcendat: quod tamen ſi fieri nequeat, oportet vt vinciantur eius genua, & attrahantur. Quod ſi ex voto non ſuccedat, non incidatur, dum viuus eſt fœtus, quantuncumq; id præcipiat Auic. cap. 26.

Ad fœtum mortuum extrahendũ. Cap. viij.



BI vero deſijt infans moueri, & imus venter matris, magis refriguit, dolor grauis adeſt iuxta vmbilicum, faciei & labiorũ, color liuidus, atq; ferrugineus adeſt, oculi & naſus obſtupeſcũt, & horrent, reſpiratio emittitur fœtida, & fœtidi ex vtero profluũt humores, tũc fœtũ interijſſe iudicamus, & valentiora quæ diximus, capite ſuperiori adhibeantur. Pinguia intus, & extra, magna copia infundãtur. Vẽtri quoq;, ab vmbilico infra, ſequẽs ponatur vnguentũ. ℞. decoctionis medullæ colocynthidis, & ſucci colocynthidis viridis, & ſucci rutæ, ana vnc. j. myrrhæ, drac. vj. olei de caſtoreo, & rutacei, ana vnc. ij. coquãtur vſq; ad ſuccorum conſumptionem, & cũ cera ſufficienti fiat vnguentum. Fumigiũ etiã capiat ex colocynthide ſub cathedra, bene cooperta muliere. Valet etiã ſuffumigium, ex fimo colũbino, & ex ſtercore accipitris, & ex ſpolio ſerpẽtis, & ex myrrha, & ex opopanace, & ex paſtillis recipientibus mirrhæ, galbani, & caſtorei, æquales partes, formatis cũ felle vacæ: quibus etiã additũ ſulphur, vtile eſt. Immittatur in vterũ, pennæ gallinarũ perũctæ ſapone. Et ponatur ſuppoſitorium, ex radice cyclaminis, trita & cotto inuoluta. Aut. ℞. ſucci medullæ colocynthidis viridis, & ſucci rutæ, ana quantum ſufficit, excipiantur lana, & actu calida ſupponatur. Defectu vero colocynthidis viridis, coquenda eſt ſicca in vino, & vtendũ colatura eius, ex Iacobo. Sin autẽ dictis remedijs, nõ pellatur fœtus, ad chyrurgiã merito diuertimus, cũ Paulo & Aëtio. Id primum notãtes, mulier, ſuperſtes ne futura ſit, an minus: & ſiquidẽ ſalus ſperatur, tũc manũ admoliemur, ſin cõtra attingi nõ debet. Quæ igitur perniciẽ ſui portẽdũt, inexpugnabili dormiendi neceßitate, vt in lethargo ſopiũtur, reſolutæ ſunt, et vix poßũt excitari, ac ſi excitẽtur, imbeciliter reſpõdentes, rurſus graui ſopore premũtur, ob vapores à fœtu, & humiditatibus corruptis, ſurſum ſublatos. Nõnullæ vero, cõuulſionis modo contrahũtur, aut neruis cõmouẽtur, & tremulæ fiunt, aut alimẽtum nõ ſentiunt, ideſt vt Auicẽna interpretatur, prohibẽtur à cibo, tũ per deglutitionẽ impeditã ex cõuulſione, tũ etiã ob appetẽtiã ſublatã, ex prauis vaporibus ventriculo impartitis. Pulſus quoq; in ipſis, valide inturgeſcẽs deprehẽditur, ſed lãguidus & imbecillis. Syncopim addit Auicẽna, qua frequẽter prehẽdũtur: at vero, quæ incolumes futuræ ſũt, nihil tale patiũtur. Mulier itaq; ſupina, in lecto decũbat, capite declini, eleuatis cruribus, teneaturq; vtrinq; à peritis ac robuſtis

Ac primum, duæ aut tres bucellæ panis, vino mersæ offerantur, ad arcendum animi deliquiũ, & in ipso opere, aßiduè facies vino respergatur, ac alis vuluæ per ministrum diductis, inserat obstetrix sinistram manum, cum fortibus digitis collectis protensam, per vteri ostium: sic enim vertẽdum esse, hunc pauli locũ, é libro. 6. cap. 74. monstrant, tum Græcus codex, tum Auicenna. 21. 3. tract. 2. cap. 15. vbi Pauli caput, ad verbum fere transcribens, ita interpretatur. Deinde aperiat obstetrix, tectũ colli matricis, & inungat manum sinistram oleo aliquo, & aggreget omnes digitos, in longitudinem protensos, & intromittat eos, in os matricis. Ex qua Auicennæ litera constat, latinam Pauli lectionem, deprauatam, & nullius sensus esse. Manum enim contractam, & extenuatos digitos, immittenda esse indicat: quæ præterquam quod nullius sunt sensus, cum Græca litera non consentiunt. Nam genitiuus συνηγμένων quod cum genitiuo δακτύλων debet coniungi ab andernaco in συνηγμένη accusatiuum, quod χεῖρα accusatiuo annectitur, transmutatur: atq; ideo nullo sensu, manum cõtractam vertit. Sic ergo hac manus sinistræ immißione, obstetrix disquirat, vbi vncum, quo fœtus extrahetur, defigi conueniat. Idonei vero loci sunt, si in caput conuersus infans descendit: oculi, aurium meatus, occiput, os, menti pars inferna: In thorace, axillæ, claiculæ, præcordia, pectus, vertebrarum articuli, iugulum: In cruribus, ossa pubis, fœmineum pudendum. Parte idonea reperta, vncum dextra manu immittet, flexu ipsius, digitis occultato: & sinistra manu, per partem idoneam dictam, leuiter inferet, & vsq; ad vacua transmittet. Huic alter vncus opponetur, & ex altera parte, similiter infigatur, quo attractio recta procedat, neq; alteram in partem inclinet: deinde æquabiliter trahetur, non solum recta, sed etiam in latera. Tutior quoq; fiet huiusmodi, per geminos vncos attractio, forte enim simplex vncus, in attrahendo elaberetur, ac fœtum dimitteret, quare si opus est, tertium etiam vncum inseret. Postquam vero primi vnci, fœtum inferius traxerunt, remittere tensionem oportet, vt index, aut alter digitus, pinguedine aliqua illitus, inter vteri os, & impactum corpus immittatur, & veluti excoriando, circumcirca ducatur. Id quod Auicenna, Paulum transcribẽs, monuit his verbis. Et oportet in hora illa, vt mollificetur tensio, deinde intromittatur index inũctus, & digiti plurimi in eo, quod est intra matricem, & corpus quod retinetur. Ex quo luce clarius redditur Pauli locum. 6. lib. cap. 74. tam Græce, quam Latine, deprauatum esse: vbi tensionem, tum temporis remittendam esse negat: cũ tũ affirmatiua sententia legi debeat, vt nimirũ detur locus intromißioni, & circumactioni digitorum, & permutationi vncorum, qui post primam attractionem, ad superiores partes sunt transferendi, ac infigendi, idq; faciendum est, donec perfecta fiat fœtus extractio. At vero, si caput (vel natura, vel hydrocephala affectione aquosa, magis tumidum) impactum fuerit, scalpro incidendum est, atq; ita euacuatum, ac contractum, extrahendum. Quod si neque sic prodierit, caluã contundere oportet, & ossa digitis eximere: si vero ossa eminuerint,

per

per forcipem dentarium, aut ossarium auferre, ac tum demum vncum infingere, ac fœtum extrahere. At si capite progresso, circa thoracem coarctatio fiat, itidem scal pro, loci circa clauiculas, dißecentur vsq; ad vacua: vt humore vacuato, moles thoracis considat. Si vero nimis venter inflatus fuerit, mortuo fœtu, aut hydropico exi stente, eadem methodo vtentes, ventrem dissecabimus, ac intestina eximemus. Si vero manus protensa fuerit, ab humero resecetur: oportet autem linteo obuolutum, vt ne elabatur, aliquantulum extrahere, quo sic humeri articulus exeratur: & postea sinistram manum immittere opportet, ac caput dirigere, & ita fœtum educere. Idem faciendum est, vbi ambæ manus fuerint protensæ: similiter etiam pedes protensos, reliquo corpore, non consequente: ab inguinibus resecare oportet. At si duplicatus fœtus occurrerit, & dirigi non poterit, si caput magis expositum fuerit, ossa eius conteremus, cute non dissecta: deinde alicui eius parti, vncum infigemus, ac attrahemus, & cruribus directis educemus. Sed si crura magis exposita fuerint, coxæ articulũ resecabimus, & ita coxas trãsgrediemur, vt caput fiat cõtritioni facile paratum. Si vero duplicatio, pertinacior fuerit, pedibus magis expositis, caput circa coarticulationem, ad vertebrã amputetur: deinde trãsgresso thorace, pedes attrahãtur. Si vero reliquis partibus ablatis, caput recurrens detineatur, sinistra manus oleo illita, in vteri profunditatem immittatur, & caput requiratur, & per digitos, ad vteri os deuoluatur, & vnum, aut duo, attractoria instrumẽta infigantur. At vero, si osculum vteri, ob inflammationem fuerit cõclusum, nihil violenter agendum est, sed infusionibus pinguibus, large vtẽdũ, insessionibusq;, ac irrigationibus, & cataplasmatis: quo inflammatione aliquatenus sedata, & osculo dilatato, fœtus (velut dictum est) educatur. Vbi vero integram fœtus sectionem fecerimus: omnes eius partes componantur, diligenterq; obseruemus, ne aliqua desit, aut interius clã nobis relinquatur: deinde secunda protinus educatur. Tanta vero est, obstetricũ nostri temporis imperitia, vt ad vacarum custodes, qui ægre parientibus vacis, opem ferre assueuerunt, cõfugere interdum sit necessariũ: & memini me Cordubæ, custodem quendã accersi vi iußisse, vt partui difficili subueniret (fœtus enim mortuus, & tumidus erat) Hic manibus suis, costas demortui fœtus, fregit intus: & sic fœtus corpore, in se considente, datus est partioni locus, quæ nõ multo post sequuta est, sine ferramentis & vncis. Desideranda quoq; est, in nostris chyrurgis ea peritia, & manuum dexteritas, quam Franciscus Valeriola. 5. lib. obseruationũ medicinaliũ, cap. 2. Arelatenses chyrurgos, habere prædicat. Ij enim (inquit) ambabus manibus, in pudendum mulieris inie ctis, puerum circumuoluunt, & in ostium vsq; pudendi demittunt, nisi vehementer in alto impactus sit infans: quod si sit, tum vncinis detrahunt. Si secundum dorsum, aut latera, consistat fœtus, ambabus manibus dirigunt, quoad in caput fœtum conuer tant: quod magna dexteritate faciunt: quo perfecto, vncinis ad clauiculas affixis, vi tota enixi, fœtum integrum (salua atq; incolumi matre) extrahunt. Fœtu extracto, & interim dũ extrahitur, odoribus roborandæ sunt, iusculis, cõsumatis, vitellis,

& vino rubro. Ventri præterea, & locis muliebribus, lintea calida & odorata, sunt imponenda: omnes enim dum chyrurgia administratur, frigore tanguntur. Quod si emorrhagia subsequatur (vt magna ex parte subsequi solet) locos muliebres fouet Valeriola, vino in quo inferbuerint rosa, absinthium, folia myrthi, arthemisia, & gariophyli. A fotu vero, illinit eadem loca vnguento comitissæ. Ore autem propinat, puluerem diamargariti frigidi, & diambræ, in aqua buglossi, & vino. Vlcuscula vero, ex vi illata coorta, abluit vino decoctionis equiseti, & centinodiæ, cum pauco melle rosato, moxq; illinit vnguento è pompholyge. Mulierem quoque refert, cui post eductum infantem, vrinæ stillicidium accidit, ob colli vesicæ musculum resolutum: quam longo temporis tractu persanauit, demissa muliere in oleum calens, in quo folia lauri, betonicæ, saluiæ, libanotidis, origani, pulegij, cum floribus chamœmeli, roris marini, & stœchados præbullierant. Ab insessu vero illinebat, vnguento parato, ex oleis lumbricorum, liliaceo, & vulpino, in quibus catelli pingues, ad dissolutionem ossium, à carnibus inferbuerunt, & expressione facta, addebat styracis calamitici, bezuini, opopanacis, olibani, maceris, nucis myristicæ, ana drac. j. aquæ vitæ ter destillatæ, adipis anserini, & ceræ quantum sufficit. Sicq; mirificũ vnguentum parauit, quo, quum totos menses duos, vsa esset, integrè leuata est. Et plures postea filios peperit.

Ad secundas eijciendas. Cap. ix.



VM infans nascitur, ex secũdis per vmbilicũ propẽdet. Debet autẽ obstetrix, statim ac ipsũ recepit, mulieri alteræ tradere, ex Arnaldo, & vasa quæ in vmbilicũ terminantur (la vid appellãt) semel aut bis, sinistro brachio circunducere. Manum autem dextram, per eadem vasa ductam, in vteri fundum immittat, & vnguibus suis, secundas ipsas vulneret, atq; diuellat, vt si fieri potest educantur: retentæ enim multorum malorum, & interdum etiam mortis causa sunt. Si separari nolint (quod vix fiet vnquam, si perita est obstetrix) incidatur vmbilicus, ne multa mora lædatur infans, & vasa dicta manu teneantur. Iterumq; curet obstetrix, earum tentare eductionem. Quæ si non exeant, non sinantur dicta vasa retrocedere, sed ad coxam ligentur. Si autem incuria obstetricis, aut alia ratione, contigerit intro se recipere, tunc si sint ab vtero separatæ, & circa aliquam vteri partem, instar pillæ conuolutæ, facillima est eductio: sinistram enim manum calidam, oleo liliorum alborum, & dialthæa, illitam: in profundum immittere oportet, & arreptam secundam extrahere. Ab vtero vero separatas esse intelligemus, si partus nouem menses compleuerit, & præeuntes non exiguos dolores, fuerit consequutus: Cum enim separantur, & ab vtero diuelluntur, huiusmodi dolores, reddi consueuerunt. Si vero partus est immaturus, et magni dolores, fœtus exclusionẽ, nõ præuenerunt, conijcere oportet, secundas vtero adhuc esse innexas, quo casu similiter

quidem in numm demittemus, verum apprehensas secundas, non statim recta attrahemus, propter prolapsus vuluæ timorem, & ne disrumpantur ipsæ, maximè cum diutius retentæ fuerint: vix enim, educi postea potest, pars quæ remanet matrici innexa. Sensim ergo nulla violentia adbibita, primum in obliquum placide ducemus, hac & illac obuertentes: deinde aliquanto validius attrahemus. Quæ si non exeāt, ligandæ sunt, ad vtranq; coxam, ligatura non admodum stricta: & sternutamenta tunc sunt prouocanda, osq;, & nares, claudantur diutius: sic enim, aëris impetu infrafacto, exibunt. Quod si ne sic exeant, aut vteri os clausum fuerit, perturbari nō oportet; intra paucos enim dies, putrefactæ, & in saniem dissolutæ excident. Quare per sinistræ manus digitos illitos, aperire, ac paulatim dilatare os vteri conabimur: & intus suppurantia medicamenta infundemus, vt secundæ putrescant, & sensim expellantur. Probatissimum autem, experti sunt autores, vnguentum basilicum, quod in multo oleo liliorum, aut amigdalarum dulcium, est dissoluendum, vt per cānam, aut syringam injci poßit. Et si opus fuerit, ad detersionem putridi, aut mel rosaceum, aut syrupum de succo absinthij, per interualla addere oportet. Ore vero, aliquid, è supra dictis medicamentis valētioribus, summat: è quibus ego argentariorū chrysocolam, vel accipitris stercus, drachmæ pondere, in vino aut mulsa, soleo propinare. Suffitibus insuper vtemur, per aromata ex olla, qualia sunt casia, nardus, iunci odorati flos, arthemisia, iris, sabina, dictamnum, pulegium, & huiusmodi, ita vt olla, sellæ supponatur, cui mulier insideat, vndiq; vestimētis contecta. Emplastrum quoq; maturatiuum dictum, toti ventri imponatur. Aut. ℞. stercoris vacini, vini albi, & mellis ana, coque, & adde fœnugræcū, seseli, chamæmelū, & lauendulā, fiat emplastrum, & imponatur vētri. Sternutamēta, vomitiones, & pessi adhibeantur, ex ijs quæ supra retulimus. Vbi autem secundæ detinentur, & plurimus sanguis effluit, laudatur Rondoletio, charabe pulverati, drach. j. in vino: nam vrinas mouet, secundas pellit, & sanguinem fluentem retinet. Quoniam autem dum secundæ putrescunt, ob graueolentiam, caput replent, & obturant, ac stomachum subuertunt: odoramenta conuenientia, aßiduè suffiri debent: qualia sunt styrax, & pastilli odorati, supra descripti, & gariophyli triti, & permisti aqua è floribus aurantij, lauri folia, & rosmarinum.

Ad vteri molam. Cap. x.



VM gignens, quæ in semine vis residet, à menstruis copiosioribus obtunditur, vt minime poßit obtinere, mola fit, vt scribit Hippocrates, lib. de sterilibus, & 1. de morbis mulierum, in hæc verba. Molæ conceptus hæc causa est: Quum multi menses, exiguum & morbosum semen exceperint, neque conceptus rectus fit, & venter plenus est veluti prægnantis, nihil autem in ventre mouetur, neq; lac in mammis generatur, mammæ autē turgidæ sunt. Hæc igitur

ad

ad duos annos, sæpe etiam tres sic habet. Quibus verbis molæ essentiam (quod scilicet non sit vteri tumor induratus, vt censuit Paulus, sed caro informis, vteri tunicis adhærescens, quæ fœtus modo in lucem edi potest, vt ex aliorum sententia, idem Paulus refert, lib. 3. cap. 69.) causam etiam tam materialē, quam efficientem, simul & generationis modum, & signa quibus mola deprehendatur, à veraq; prægnatione distinguatur, Hippocrates edocet. Hæc tamen inditia, non statim manifesta se exhibēt, sed in quibusdā adeo sunt obscura, vt per initia de fœtu cōcepto sit suspicio, Paulo autore loco citato. Nec si inditia alia addas, Hippocrati notata. 5. Aphor. sent. 61. multum lucis addes, vt ab initio molam dignoscas: ita enim eo loci, reliquit scriptum. Si mulieri purgationes non prodeant, neq; horrore, neq; febre accedente: verum cibi fastidia ipsi accidunt, hanc in ventre habere existimato. Quæ inditia, non modo prægnationem, sed molæ etiam initium commitantur: horror præterea, atq; febris, vt molis desunt, ita cum vera prægnatione, interdum coniunguntur. Fastidium vero, accidens est, vtriq; commune. Venter insuper in ea intumescit, & vbera turgent, ob menses cohibitos vlterius progressa prægnatione. Aliqualis etiam motus (ex flatu locis mulieribribus coacto, & intercluso, qui exitum sibi molitur) nobis ad tertium vsq;, atq; quartum mensem, & vltra interdum imponit, vt de vera adhuc prægnatione suspicemur. In quibus tamen minus decipiemur, si motionis modum inspiciamus: huc enim, & illuc, quodam velut viuentis impetu, subsultat fœtus, & sub manu gesticulatur: in flatu vero, huiusmodi subsultiones non deprehendas, sed ventris tantum distentionem, & intumescētiam, dum exitum quærit flatus: & detumescentiam, ac contractionem, cum quadantenus fuit discussus, & euanuit, percipies. Quin ab initio (si diligentem animum aduertas) non leuem coniecturam capies, nam in molæ gestatione, quid graue, & infixum, interdum in vteri ostio, aliâs in vniuerso vteri corpore, ab gestante percipitur, quod lapidis, aut pali, infixi, duritiem refert, secus ac cum fœtus ex natura gestatur. Maciem præterea, deprauatum colorem, & cibi fastidium, attendere oportet: quæ in mola, quam in prægnatione, magna ex parte, eo sunt deteriora, quod prauior sanguis, habētibus præter naturā insit, qui ad cutem efflorescens, colorem fœdat: ventriculum afficiens, eius deijcit appetentiam: & ad membra appulsus, male nutrit. Gestatione vero vlterius progressa, si motus rei viuentis, & velut subsultantis, desit: simul & turgidæ mammæ, lacte careant, firmior est molæ coniectura. Cum vero tempus partioni statum, præterit sine partu, & venter pulsquam in vera prægnatione turget, tunc nec è media plebe mulierculis, latet affectus. Nam & ab hydropa, hoc ipsi intercedit discriminis, quod tumor durus sit, nec sonus, ad digitorum percusiones similis fiat: quanuis & cum intenditur, in aquam subtercutem, re vera degeneret, vt Paulus scribit loco citato.

Alimenta ergo boni succi, his sunt offerenda, potus sit vinū, in quo ruta & anethū, cocta fuerint. Ex vtraq; saphena vacuetur sanguis, vt alimentum molæ subtrahatur,

:batur ex Auicenna. Cucurbitulæ quoq́;, cum scarificatione, ventri sunt imponendæ, ex Aëtio, vt ex ipsa parte vacuetur sanguis, & attenuetur mola. Paretur humor purgandus, syrupo de arthemisia, postea purgetur frequenter, cum semuntia hyeræ logadij, aut cum gran. iiij. stybij calcinati. Vomitus quoq́ est imperandus, cum rapha no, in quo fustes ellebori albi pernoctarint. Debet autem teri raphanũ, & dissolui in aqua mellis, & pauco aceto, & post aliqualem moram in stomacho, prouocetur vomitus cum pennis gallinæ, oleo peruncttis. Extra, & intra, imponãtur primo emol lientia, deinde acriora dicta, ad partus refractarios, ad fœtum mortuum, & secũdas eijciendas. Vtilia sunt Balnea naturalia, aut ex aqua marina parata. Vtile quoq́ est dum attingi potest, nouacula molam ipsam scarificare, & vnguentum basilicum, intus ad putrefaciendum inijcere, vt in secundis detentis diximus. Valet ad vltimum frequenter sumere, drach. j. sequentium pillularum. ℞. borracis, drach. j. charabe, asari, cinamomi, nigellæ romanæ, & vulgaris, sabinæ, ana drach. j. galbani, assæ fœtidæ, opopanacis, bdelij, ana scrup. ij. formentur cũ melle scyllitico. Quod vero Paulus, & Auicenna, non modo exercitium, ijs quæ molas gestant adimant, verum etiã in lecto eas contineant, ita vt pedes habeant elatiores quietosq́: ad initium cum cor pus plenum est intelligatur: fluxione enim, ex motu concitata, vberius alimentum suppeditabitur molæ. In progressu vero, cum eam eijcere est animus, & exerceri, & saltare conuenit. Hic autem error in Paulo, ex morbi essentia male intellecta pendet, cẽsuit enim, quod mola esset tumor vteri. Auicẽna vero, quanuis morbi essentiam intellexit: curationem tamen inaduertenter, ex Paulo transcripsit. In qua etiam nunquam mihi placuit, quod Auicenna molam exsiccat, ventrem insolando, nitrum etiam ac sal aspergendo. Durior enim, hac ratione reddetur mola, & loci muliebres adeo refractarij, vt per eos facile pelli nequeat. Satius autem Paulus, in capitis fine, ita scribit. Cæterũ sunt qui molam, carnẽ asserant informem ipsis
" vuluæ tunicis adhærescentem, fœtus modo in lucem edi. Atq́ hæc morbi species,
" victus ratione laxanti tractabitur, quo citius excutiatur. Qua sane curandi ratione, in vxore sua, recte, & ex arte, vsus est Franciscus Valeriola. 1. libro obserua tionum, curatione. 1. in quem vsum sequentem fotum, cum filtris ventri, inguinibus, lumbis, & coxendicibus frequenter adhibuit. ℞. altheæ, maluarum, cum suis radicibus, ana. M. j. radicis aristolochiæ rotundæ, & logæ (quæ apud Dioscoridem, lib. 3. cap. 4. summas vires partũ facilitandi habent, præsertim longa) ana. M. j. foliorum arthemisiæ, mercurialis, matricariæ, saluiæ, hyssopi, & calamenti, ana M. ß. seminis lini, altheæ, fœnugræci, anisi, libystici, ana vnc. ß. florum chamæmeli, meliloti, rorismarini, genistæ, & arthemisiæ, ana P. j. furfurum. Pug. ij. coque in aqua & oleo, & cum filtris admoue. A fotu, dictas illeuit partes, sequenti linimento. ℞. dialtheæ, vncias. iij emplastri filij Zachariæ, vncias. ij. butyri recentis, vnc. j. ß. assungiæ gallinæ recentis, & anseris, ana vnc. j. medullæ crurium vacæ, vnc. j. styracis calamitæ, drach. ij. pulpæ colocynthidis, pulueris radicis vtriusq́ aristolochiæ,

lochiæ, ana drach. j. oleorũ de lilio, & violacei, quantũ sufficit, misce, & fiat linimentũ. Post hæc localia, admonuit vesicas suillas plures, oleo (in quo prius ebullierãt. malua, hyssopus, calamintha, arthemisia, cum floribus suis) semiplenas: & confestim leuamen sentire se affirmauit, graueq; pondus, ad pudendi ostium descendere: & paulo post, obstetricis ope prodijt. Ore vero sequẽtem potionem propinauerat. ℞. cinamomi electi, myrrhæ electissimæ, ana drach. ß. pulueris aristolochiæ longæ, drach. j. pulueris diãbræ, & diamargariti frigidi, ana drach. ß. fiat puluis tenuissimus, de quo detur drachma vna, aut scriptuli quatuor, in decocto hyssopi, & phasiolorum. Aut ℞. interioris cinamomi electi, drach. j. myrrhæ electæ, scrup. iiij. pulueris aristolochiæ lõgæ, scrup. ij. syrupi de arthemisia, vnc. ij. decocti maluæ, & petroselini macedonici, quantũ sat est: pulueris diamargaritonis frigidi, drach. ß. misce, & potui præbe. Proderit quoq; à tota substantia, & recõdita vi, lapis Aetites, sinistræ coxæ alligatus, cuius vim mirandam, & ab omnibus autoribus celebratam (vt verum fatear) nunquã credidi, donec apud Franciscum Valeriolã, medicum insignem, probum, pium, & vel de me iudice Christianum. 1. lib. suarũ obseruationũ, cap. vlt. huiusce lapidis vi, molam (quæ globus erat membranaceus, totus innumeris bullis, instar ouorum piscium, rotũdis, tumidis, pellucidis, diluta, ac fœtida sanie plenis, refertus) eiectam legi. Qua eiecta, lapidem mox amouere iussit, ne (quod autores dicere solent) si diutius perstaret, vi sua potente, matricem attraheret. Cuius infortunij, oculatum testem, se fuisse perhibet, in cuiusdam prætoris vxore, cui difficili partu laboranti, cum mulierculæ, lapidem aëtitem magnum, cruri adligassent, & edito partu, (per imprudentiam & obliuionem) nõ amouissent, post paucas horas, foras prodeunte matrice, mors miseræ laborãti, fuit cõsequuta. Nec tamen, si molã eiecit mulier, iã salua res est, quoniã frequenter exanimãtur, & intereunt, quæ molã eiecere: præsertim si integra, tota simul, & non frustatim, ac per vices prodeat. Tum quoniã integræ molæ enixus, & parturitio, adeo est difficilis, vt prius vires in maximis conatibus deficiãt, quã è corpore deturbetur mola: tũ ob ingentem, & simultaneã integræ molæ vacuationem, quã vires in enixu imbecillæ redditæ ferre nequeũt: Quod voluit Hip. 1. de morbis mulierũ, & libro de sterilibus, in hæc verba. Si mola vna caro fiat, mulier perit, neq; « enim fieri potest, vt superstes maneat. Si vero plures, erumpit ipsi per pudẽdum san- « guis carnosus plurimus. Et si hoc moderate fiat, seruatur: sin minus à fluxu correpta perit. « Summopere igitur cauendum est, ne virium robur dissoluatur, aëris bona tẽperie, & nitore, odoribus, & odoratis epithematibus, iusculis, & cõsũmatis, ex gallinarum, caponum, atq; perdicum carnibus, vino rubro, inter nigrum, ac album medio, quod præcipuè, implet corpora euacuata, & adiectione indigentia, vt scribit Galenus. 2. Aphor. com. 11. Vtilis etiam est, cõfectio manus Christi appellata, cui etiam præter margaritas, tantundem corallij rubri præparati addere licet, & gariophyllorum puluisculum: sic enim vires seruantur, ne (quod sæpe contingit) sanguinis nimio fluore deficiant.

Quid

Quid enixam facere conueniat.
CAP. XI.



PARTV, enixæ ianuæ sint clausæ, & omnia spiracula, quibus aut vētus aut frigus intrare poßint, occludãtur. Sit aër odorus, & nõ multũ luminosus, linteis quoq; calidis, styracem redolẽtibus fascietur. Ligatura, nec sit nimis laxa, nec valde arcta. Nisi enim fasciæ vētrẽ cõprimãt, aëre subingrediẽte locũ fœtus, vteri inflatio mulieribus euenit. Et si plus iusto cõprimantur, minus quã decet purgantur. Vnde Aëtius, serm. 4. 4. tetrab. cap. 25. ventrẽ earum quæ pepererunt, vbi purgationes nimiũ processerint, lõga fascia vincire iubet, vt purgationis immoderantiam corrigat. Calidũ lectum intret, caput quoq; & cerebrum à frigore custodiantur, crura ita componantur in lecto, ex Aëtio, vt partes distractæ cõueniant. Læta aliqua, tum ei dicãtur, & promittantur. A motu etiam in lecto, quoad potuerit abstineat. Sumat statim corticem citri conditam, parum assam, & vino aromatum infusam. Desuper autem, sumat ius gallinæ pinguis, cum drach j. sequentis pulueris. ℞. casiæ aromaticæ, drach. iij. adianthi, drach. ij. iulorum nucũ, seminis citri, ana vnc. ß. radicũ valerianæ, drach. j. ß. tere & denso cribro extrahe. Ab huius sumptione dormiat. Cibus primo die, sit ius gallinæ: & pastinaca condita, & sæpius offeratur, ac aquæ potus vitetur, ex Aëtio. Diebus vero sequẽtibus vsq; ad nonum, ipsa etiam gallina elixa nutriatur, parua admodum quantitate. Post nonum diem, si febris, aut aliud symptboma, nõ superuenerit, assa & elixa propinẽtur. Semper tamen cauendũ est, à multa quantitate, & victus ratione crassa: quæ febrem inducit, debilitat hepar, sitim multiplicat, & si bibant pro sitis ratione, fit hydrops: ex qua, præsertim si iecur indurescat, nunquam euadunt. Initium mensæ, sit pastinaca assa, in vino mersa, aut sacharo vel melle cõdita, aut spinachia, in iure gallinæ elixa, aut pruna bullita, in aqua sacharata. Mẽsam claudat dactylis, tamaris, radice palmæ, cortice citri, aut carne duracinorũ cõditis. Si venter nõ sit lenis, vtatur clysteri, ex oleo chamæmelino, & sacharo, aut melle coctis, in aqua naphæ, aut matricariæ, donec spumã vomerit, & si opus est, loco sachari, ponatur manna.

Menstruus sanguis, in ijs quæ pepererunt, debet expurgari ad minus, quindecim aut viginti diebus. Et si huiusmodi purgatio, duret triginta diebus, in ijs quæ masculos pepererunt, aut quadraginta, in ijs quæ fœminas, sana deget mulier, & ad alios conceptus, reddetur opportuna. Huius autem purgationis defectus, plura mala, febres prauas, & apostemata solet inducere. Quare si menses non fluant, aut ex impetu sanguinis qui expurgatur, nouerimus purgationem, nõ esse integram futuram, (iuxta Gal. 9. lib. Methodi) arte est supplendum, quod natura defecit. Quin immo si mulier sit ex ijs, quæ sanitatis tempore, male menstruare sunt solitæ, in qua iusta ratione timebimus, menstruæ purgationis defectum, ob hunc timorem, ne natura ab eius-

eiusmodi vacuatione desistat, etiam si menses recte fluere videantur, iuuanda est, ex Auicenna. 21. 3. tract. 2. cap. 40. Quod ad hunc modum fiet, tenuior victus istis adhibeatur, adeo vt sola iura, cum multo cinamomo, tenuissime cribrato videantur sufficere, ne sanguinis redundantis, & cibi copia grauata natura, concidat. Et si caro sumenda sit, ex pullo elixo sumatur. Decoctum origani bibant. Bis die sumat iulep de adiantho, vnc. vj. aut totidem decocti pulegij, ac fœnugræci, quo vtitur Aëtius, cui si vim intendere oportet, addemus radicis pæoniæ pulueratæ, scrup. j. laudatur etiam lac ficus in oui vitello sumere. Venter ab vmbilico infra, vngatur dialthæa, & oleo liliorum alborum, & laurino. Sternutamenta sunt vtilia, suffumigetur puluere myrrhæ, aut oculo piscis saliti, aut vngula equi, aut asini, aut allijs delibratis, tritis, & prunis superpositis. Vtilia sunt suppositoria, ex mercuriali contrita, adhæc ex ruta & croco, carica præterea pinguis aperta, & supposita valet per se sola, fitque vtilior, si pulueretur moscho, & croco. Hæc enim omnia vterum purgant. Maxime etiam comendatur insessus, in decocto maluauisci, brioniæ, & arthemisiæ, facto in aqua mulsa, & quarta parte vini. Si vero neque sic menstrua pro ratione eant, ex vtraque saphena sanguis vacuetur, per eam enim auertuntur mala, quæ timeri possunt, & menstrua insuper ciuntur. Vena poplitis secta vtilior est, quam saphena, ex Auicenna loco citato, quam tamen non consulo, nam nec chyrurgi eam secare norunt, nec mulieres detegi ea parte sustinent, neque enixæ sine periculo prorsus deteguntur. Notanda vero est hic curatio. 10. quam Franciscus Valeriora. 5. lib. obseruationum, adhibuit helenæ senequariæ. Hæc enim cum secundo à partu die, se se in lecto eregerit, ac plus iusto detexerit, rigore & febre valida tentari cœpit, cui mox dextri lateris pleuritis suborta fuit: ipsique sanguis pondere vntiarum sex, fuit ab interna dextra detractus, etiam si purgationes recte prodijssent, & morbus ab externo frigore admisso cœperit. An vero rectius ex pede, tam exiguus sanguis, fuisset huic laboranti missus, viderint alij. Quod enim venæ sectio ex brachio, menstruas purgationes reuellat, ex Galeno didicimus, quodque in enixis eiusmodi purgationes, maxime sint seruãdæ, ac ciendæ monuimus. Sed iam hic esto finis, morborum enim, tum fœminarum, tum puerorum pellendorum ratio, altero libro à nobis paratur.

¶ Explicitus est liber, de regimine infantis, prægnantis & puerperæ.

Cum multa alia, prælo essent nunc nobis cudenda, regia & apostolica cauit maiestas, ne aliud quam bullas cudere, nostro liceret typographo. Vt iam nobis non desit responsum Oratio inquirenti, Amphoram fingere cœpimus, currente rota cur vrceus exit? Vbi tamen typographo licuerit, prodibũt ocyssime. Interim vero, hæc studiosi, æquo accipiant animo.

DE PLENITVDINE ET CACOCHIMIA LIBER, qui præambulus est, ad librum de Vacuandi ratione.

¶ *LIBER item de vacuandi ratione, in quo pene omnia quæ ad præcipuam artis medicæ partem factiuam attinent, continentur.*

¶ *PETRO DE PERAMATO, PROTOMEDICO serenißimi ac excellentißimi Domini Alfonsi Perez de Guzman el bueno, Ducis de Medina Sydonia, Autore, & Dicatore.*



¶ *EXCVDEBAT FERDINANDVS DIAZ, Typographus Hispalensis. Anno domini. 1576. San Lucar à Barrameda.*

¶ *Cum priuilegio Cæsareæ Magestatis, ad sexen nii.m.*

Illustrissimo ac excellentissimo Principi, dño Illefonso Perez de Guzmã el bueno, Duci de Medina Sydonia, Comiti de Niebla, Marchioni de Caçaça, dignissimoq; Cætariarũ domino.

Petrus de Permato. S. P. D.



IU hæsitaui (serenissime princeps) cui labores nostros nũcuparẽ: atq; per diuersos heroes, ac magnates fluctuãs, nunc huic, nunc illi animũ applicui meũ. At cũ per epistolas, dicaturam nostram ipsis volui significare, noster semper genius restitit: quòd ex tãtis, neminẽ repererim, qui ea quæ optimum principem decent, cumulatè exprimeret. Dum generis in hoc nobilitatẽ specto, propria animi ornamenta desidero: nã quæ nos nõ fecimus ipsi, vix ea nostra voco. Ad aliũ atq; aliũ diuerto, qui vt vna, aut altera virtute splendent, sic multis alijs deficiunt: quas minimè ingenuis hominibus deesse par foret. Tu solus ex omnibus quos noui (absit adulatio) maiorum tuorũ nitissimo splendori (in quo vel oculatissimus quisq; caligat) verã adiecisti pietatẽ, Christianæ religionis obseruantiam, & omniũ virtutum cumulum: quæ propria tua sunt, & verè regia ornamenta, digna vt in cælum vnde effluxere euehantur, & ab omnibus memoriæ, ac literis prodantur. O quàm admirabili prudentia, populos qui tuæ ditionis sunt, gubernas, ac moderaris, & summa in trãquillitate conseruas. Iustitia præterea, quæ cuiusq; regni vallum firmissimum ac munimentum est: nullo vnquã in principe, quã in te clarius enituit. Nam sua cuiq; pro meritis tribuis: diuites, potentioresq; non deprimis: pauperes, atq; humiles sustines, foues, à contumelijsq; defendis. In his verò exequendis, admiranda fortitudine nites: quæ aggredienda non sunt, nunquã aggrederis: nec toleras quæ tolerari non debeant. Nullum seditioni, nec violentiæ locum relinquis. Insolentium impetus, ita coërces, vt non minus clara, vtiliaq; videantur, quæ abs te domi gerũtur: quã quæ in castris Deo auspice præstabis: dum tibi res bellicæ, à Cæsare fuerint cõmissæ: vbi ferrum in superbos, & in iam victos clementia, verã animi tui fortitudinem monstrabit. Humanitatem, & clementiam incredibilem, non modo subditi, sed & finitimæ & longinquæ nationes testantur: cum nemini vnquã te adire volenti, occludatur accessus: nec irrita ceciderit, modò fuerit honesta petitio. Ingentẽ dictis virtutibus gratiam addit liberalitas, qua ita in omnes vteris, vt non rarò apud te, plus possit dandi ratio, quàm accipientis indignitas: nam quæ dignis abs te effundũtur, tam domesticis, quã extraneis, quis numerare queat? Eò autẽ tua munificentia processit, vt omnium indigentium inopiam, secretò scisciteris: qua inuenta, nunc frumento, nunc medicamẽtis, atq; alimentis, nũc vestimentis, ac pecunia subuenias. Idq; tam aperta ac serena fronte facis, vt in facilitate dandi, non modò omne abieceris supercilium: verum exigua semper esse, quæ abs te dantur, quantũuis magna dicas. Sic ergo magnum hoc mihi, tibi paruum effeceris: si libellum hunc nostrum, hac nuncupatione tuum iam factum, & tuo ære quo viuo, ab aulis aliorum procerum redemptum: vt tuum tractes, & ab inuidentium detractione, tuis quibus præstas virtutibus, defendas. Vale magnatum Hispaniarum decus, & longa fruere valetudine.

Quid

Quid sit plenitudo & cacochimia, & quot sint vtriusque differentiæ. CAP. I.



Vam Græci πλῆθος idest multitudo, aut plenitudo, generali vocabulo vocant, est substantiæ cuiuspiã, plusquã conueniat, in aliquo loco consistens abundantia. Vnde à tribus multitudinis differentiæ sumuntur: nempe à diuersa substantia quæ abundat, à loco diuerso, & ab eo cuius ratione dicitur multitudo. Nã plenitudo quæ à cibo fit πλησμονὴ idest satietas appellatur ab Hippocrate. 2. Aph. sent. 4. Quæ à flatu πνευμάτωσις idest inflatio: Quæ à pure ἐμπύημα idest suppuratio: Quæ ab alia substantia, aut melli, aut seuo, aut pulti simili, μελικηρὶς στεάτωμα καὶ ἀθέρωμα: Quæ à carne πολυσαρκία idest carnositas, aut corpulẽtia. 2. de temp. autore Galeno: sicut quæ à pinguedine fit, obesitas dicitur. Sic quæ ab omnibus humoribus proportione auctis, aut non multum à iusta proportione recedentibus fit, πλῆθος idest plenitudo, aut multitudo, minus generali vocabulo nuncupatur: lib. de plenitudine, cap. 17. autore Gal. Vbi eam quæ à solo fit sanguine, ceu raram prætermisit Galenus. De qua tamen meminerat. 2. lib. de compos. medic. secundum locos, cap. 3. vbi ita habet. Fit autem plenitudo, quatuor humoribus ex æquo auctis; aut etiam sanguine solo. Nam cum alius quispiam humor redundarit, velut est pituita, & flaua bilis, itemque nigra: eiusmodi auctionem siue redundantiam, non plenitudinẽ, neque simpliciter multitudinem: sed cũ appositione pituitæ, aut bilis flauæ, aut nigræ, in corpore factam multitudinem dicunt. Ex quo loco manifestè constat, plenitudinẽ Galeno significare, omnium humorum excessum iuxta proportionẽ ipsorum: & sanguinis item extra proportionem crementum. Quanquam Fuchsius nulla ductus ratione, aut experimento, aut autorum testimonio, primam tantum plenitudinem agnoscat, nõ autẽ secundã: atque ex redũdãtia orationis Galenũ addidisse dicat: aut etiã sanguine solo. Intelligit enim (inquit) nomine sanguinis, eum qui ex quatuor concreuit humoribus: qui idem penitus est cum omnium humorum augmento. Sed apertè fallitur. Primo, quoniam ea expositio est voluntaria, & nullæ rectæ rationi, aut experimento innititur. Secundo, nam nugatio potius huiuscemodi, quàm orationis vbertas apparet. Tertio, quoniã additio solius, cum dixit, A sanguine solo: indicat de vno, non autẽ de omnibus, aut pluribus, fuisse loquutũ. Quarto, quoniã tres alios humores excrescentes, sanguini solo opponit, ceu non facientes plenitudinem absolutã vt ille: sed cum addito, pituitæ, aut bilis, aut melancholiæ. Nam omnium humorum cremento, nõ trium, sed quatuor excessum obijceret: & de sanguine similiter ac de alijs statueret, quòd plenitudinem facit nõ absolutam, sed cum addito sanguineam plenitudinem. Quinto, nam sanguis solus in humorum massa, plus alijs excrescere potest, libro de plenitudine capite decimoseptimo, autore Galeno: eius autem solius redundantia non est cacochimia (nam est humor familiaris ad nutriendũ aptus, omni

vitio carens) erit ergo plenitudo. Sexto, nam solius sanguinis redundantia, curatur venæ sectione non aliter: erit ergo non aliud quàm plenitudo. Quare si omnes humores aut ex æquo, aut non multum à iusta proportione recedentes redundent, plenitudo est omnium frequentißima: ex solo sanguine rarior, syncera tamen & vera plenitudo creatur. Est & altera adhuc rarior, ex sanguine orta flatulento: vt Galenus est autor libro de Plenitudine capite decimo quinto & decimo sexto. Quæ aut propter cohibitū effluuium, materiæ vaporosæ contingit, (vt scribit Galenus lib. 1. de Differen. feb. cap. 4.) aut sudorum interclusa digestione, tertio Epidemiarum parte tertia commentario. 76. autore Galeno. Atq; hæ plenitudines sunt absolutæ, & sine addito sic appellandæ. Nec tamen ob id vetamus, eam quæ ex sanguine solo fit (clarioris doctrinæ gratia) sanguineā plenitudinē (si libeat) appellare, vt libro de Plenitudine fecit Galenus. Sciant tamen verè & sine addito plenitudinem esse, & dici posse. Sunt præter has absolutas plenitudines, quatuor aliæ cum addito, bilis scilicet pituitæ, melancholiæ, & serosi recremēti plenitudines appellatæ, non plenitudines absolutæ: vt ex loco nuper allato è lib. 2. de Comp. med. secundum locos, apertè constat. Simul autem cum dictis humoribus sanguinē oportet esse auctum, vt constat ex Galeno libro de Plenitudine capite decimo septimo: nam nisi sanguis augeatur, fieri nequit vt reliquorum alius tantum excedat, vt vel totius vasa distendat, vel vires degrauet. Quare si sine sanguinis cremento, aut bilis, aut melancholia, aut pituita, aut serum, extra proportionem plurimum augeatur: cacochimia, idest vitium succi, huiusmodi redundantia nuncupatur: quòd nimirum succus vitiosus plurimus sit congestus: qui aut à liene, aut à felle, aut à renibus, ante pelli debuisset. Atq; hæc mitior est cacochimia: deterior futura, cum dicti humores à iusta temperatione deciscant: calfacti, refrigerati, humidiores, aut sicciores redditi, attenuati, incrassati, & visçidiores facti: & adhuc peior si cum putredine obtingat. Hæc enim adeò prauum, vnūquenq; succum reddit: vt etiam in sanguinem non leuiter incidens, cacochimiam pariat: quando scilicet eò vsq; est adaucta, & à naturæ modo deficit; vt natiuam gratiam sanguis non amplius recipiat: vt secundo libro Aphorismorum, commentario decimo septimo, vini acescentis exēplo, autor est Galenus. Tanta est ergo sanguinis benignitas, vt etiam si leuiter putreat, cocochimiam non pariat: & aliorum succorum tanta est exorbitantia, vt etiam citra putredinem, sola quantitate excedentes, sint vitiosi. At multitudinis differentiæ sumptæ à diuersa substantia quæ abundat, hactenus dictæ sint.

A loco vero in quo abundat, plenitudinis differentiæ sumuntur: Nam quædam est vniuersi corporis, quando in venis vniuersis sanguis redundat: altera est partis cuiusdam, cum in ea parte & non in reliquo corpore excedit. Quòd si iam in parte figatur, peculiaria nomina consequitur talis redundantia: in cerebro & menyngibus phrenitis, in oculis ophthalmia, in faucibus & gutture angina, in pulmone pulmonia, in pleura pleuritis, & in reliquis simili modo.

Ab eo verò cuius ratione dicitur multitudo, præcipuæ ipsius differentiæ sumuntur. Nam multitudinis ratio non consistit in simplici quantitate: sed in relatione. Determinata enim aliqua humoris quantitas, plenitudinem nunquam per se faciet, nisi alteri comparetur. Potest autem in nostro corpore conferri, aut ad vasa quæ replentur: aut ad vires corporis quæ ipsius humoris pondus sustinent, atq; gubernant. Ex qua comparatione duo plenitudinis genera consurgunt: quorum alterum ad vasa, alterum ad vires refertur. Horum primum, non in solis consistit animalibus, sed in anima quoque nihilominus carentibus, & subtegminibus, & textis, & pellibus, & vasis fictilibus, æneis, ferreis, ac quæcunque ex auro, argento, stanno ve constantur. Nam hæc quoque, conclusa in eis spirituosa multa substantia rumpuntur: vt libro de plenitudine non longe à principio, Galenus est autor. Sic in nostro corpore plenitudo ad vasa dicitur, quoties ex sanguinis cremento adeo extenduntur venæ & arteriæ, vt tumeant, & interdum etiam doleant. Atque hic est bonus ille athletarum habitus, cuius mentionem fecit Hippocrates prima parte Aphorismorum, sententia tertia. Est autem hæc species sola πληθώρα appellata à Galeno, libro de plenitudine, capite septimo. Quod non aduertunt iuniores, applicantes plethoram vtriq; speciei: ad vires scilicet & ad vasa.

Secundum verò genus plenitudinis, virium collatione æstimatum, in anima carentibus non reperitur: quoniam animæ viribus destituuntur, quarum comparatione plenitudo dicitur. Secus fit in animantibus, quæ triplici gubernantur virtute, naturali, animali, atque vitali: potestque à determinata aliqua humoris quantitate, vnaquæuis dictarum virtutum grauari, altera non grauata: possunt & duæ: possunt & omnes simul grauari. Fit tamen semper vt cum vna diutius grauatur, reliquæ in consensum trahantur, & grauamen itidem sentiant. Neque oportet vt quidam exstimant, naturalem vim quæ commutat, prius semper grauari: & reliquas deinde in consensum agi. Nam quod hæc aut illa prius grauetur, ex proportione pendet humoris replentis, ad facultatem quæ grauatur. Quò fit vt imbecillior semper grauetur prius. Quòd verò hæc sit altera imbecillior, aut contra: de cõtingentibus est vtrumque.

Facultas præterea postquã grauata est, etiam si humor degrauans non augeatur, augetur tamẽ ipsius facultatis degrauatio: quoniã facultas omnis, ab ipso põdere, & grauitatis sensu indies redditur imbecillior. Tantundẽ autem refert imminui facultatem quæ pondus ferre potest, ac pondus ipsum augeri inuariata facultate. Tanta autem potest esse grauitatis sustinentia, & ex ea veræ debilitatis augmentum: vt vacuationem quã antequam eam sustinuisset, ferre posset: iam præ imbecillitate nõ ferat. Id quod Galenus sentire videtur, secundo libro de ratione victus in morbis acutis, comment. 47. vbi ex immodico cibo grauato ventriculo, virium exolutionẽ sequi adstruxit. Sed iam tam plenitudinis, quàm cacochimiæ differentias, clarioris doctrinæ gratia sequentibus tabellis comprehendamus. In prima siquidem plenitudinem, in altera verò cacochimiam ad vltimas quasq; species partimur.

Multitudo suscipit differẽtias a tribus,

- *A diuersa substantia quæ abundat*
  - *Absoluta plenitudo*
    - *Ex omnibus humoribus æqualiter abũdantibus.*
    - *Ex omnibus parũ à iusta proportiõe recedẽtibus*
    - *Ex sanguine solo.*
    - *Ex sanguine flatulento.*
  - *Cum addito*
    - *Bilis.*
    - *Pituitæ.*
    - *Melancholiæ.*
    - *Seri.* *Oportet autẽ simul cum his auctum esse sanguinẽ: nam si sine sanguine, dicti augeantur succi, non erit plenitudo, sed cacochimia.*
- *A loco in quo abundat*
  - *Plenitudo vniuersalis.*
  - *Plenitudo particularis*
    - *Aut sanguis continetur in vasis fluidus.*
    - *Aut figitur in parte*
      - *Pleuritis.*
      - *Phrenitis.*
      - *Pulmonia, & alij.*
- *Ab eo cuius ratione dicitur multitudo*
  - *Ad vasa*
    - *Cum vasa plus sanguinis habent quàm debent.*
    - *Cum non solũ exceditur naturalis mẽsura: sed copia est tãta, vt eam vasa non capiant.*
  - *Ad vires*
    - *Naturales.*
    - *Vitales.*
    - *Animales.*

- Cacochimia suscipit differentias.
  - A diuersa substãtia.
    - Biliosa.
    - Pituitosa.
    - Melãcholica.
      - Harũ quælibet
        - Mitior. Ex humore suam naturam seruante.
        - Deterior: Ex humore extra naturã alterato. Alteratur autẽ
          - Calfactus.
          - Infrigidatus.
          - Humectatus.
          - Siccatus.
          - Tenuatus.
          - Craßior factus.
          - Viscidior redditus.
        - Peßima. Ex humore putrente.
    - Serosa.
    - Sanguinea.
      - Ex sanguine hæc fit adeo putrente, vt natiuã gratiã non recipiat amplius: quàm non tam cacochimiam, quàm corruptionẽ, appellauit Gal. 2. Aph. com. 17. Corruptionis tamen vocabulum pro cacochimia sumpsit, libro Quos & Quãdo: quoniam vtraque vitiosum succum reddit.
  - A loco in quo abundat.
    - Vniuersalis:
      - Aut in vniuersis vasis.
      - Aut extra vasa in ambitu totius
        - Icterus, ex bile.
        - Icterus niger, ex melancholia.
        - Malus corporis habitus, & leũcophlegmatia, à pituita.
    - Particularis.
      - Aut in vasis partis,
      - Aut in parte ipsa extra vasa.
        - Aut humores, fluxi sunt in parte.
        - Aut fixi & in parte cõprehensi.
          - Erysipelas, à bile.
          - Aedema, à pituita.
          - Scirrhus, à melãcholia.
  - Non suscipit differẽtias à vasis, aut viribus, vt plenitudo. Nam cũ cacochimia cõstet ex prauo succo, per se & sine cõparatione ad aliud est cacochimia & præternaturã. Plenitudo verò ex benigno sanguine nata cum sit: nõ per se, sed in collatione virium aut vasorum præternaturalis erit vnquam.

De signis ostendentibus plenitudinem ad vasa, & ad vires. CAP. II.



Lenitudinis ad vasa signa sunt triplicia: præterita, præsentia, & futura. Præterita sunt, cibus auctus, exercitiũ imminutũ, vacuationes suppressæ, & vniuersum regimẽ quod præterijt sanguinis multiplicatiuum. Futurum verò tẽpus spectat, leuitas quæ sequitur sanguinis vacuationẽ, aut ab arte, aut à natura factã. Nã si vacuatus inde iuuatur, statim existimatio de multitudine cõfirmabitur, & crescet audacia in eisdem simili modo euacuãdi. 2. Aphor. com. 17. autore Gal. Præsentia sunt, venarum tumor, & tensio, & lassitudo tensiua, quæ tẽsionis ipsius sensus est quidã. In extrema autem repletione, non modo vasa tument, sed carnes & vniuersa etiã corporis mẽbra: omnibus iam meatibus præ copia alimenti adeo distentis, vt nihil iam adijci ipsis partibus possit: neq; venæ amplius habeãt conceptaculũ, in quod alimentum distributum recipiatur: vt. 1. Aphor. com. 3. autor est Galenus. Inditiũ autem hoc tumoris venarũ, non est vsquequaq; firmũ, nisi tribus conditionibus adhibitis. Prima quoniã vsu venit nõnunquã, venis licet distentis exterioribus, distẽtas quoq; interiores nõ perinde esse: vt (verbigratia) frigore dominãte, sanguis ad ima detruditur, adeoq; venæ exteriores exinnaniũtur sanguine, vt ne videri quidẽ possint. Rursus vbi calor incessit, aut lotus quis est: sanguis ꝓfunditate relicta, ad extrarias partes corporis effertur. Quòd si & ardens febris adsit, tunc quoq; vri corpus quasi feruẽs, inflari, ac fundi, est necessè. Quamobrẽ tumor venarũ, nequaquam humorũ multitudinis inseparabile inditium est: sed talem statum homini subesse oportet, vt neque partes interiores, exterioribus, neque his illæ, plus caloris obtineãt. Secunda conditio est, vt per totum animal immodica caliditas non sit: humorũ enim talis ex ea tunc fit fusio, vt venas in tumorẽ attollat. Non tamen sanguinaria multitudo, sed spirituosa indicatur: resoluuntur enim in spiritũ calescẽtes humores. Addere quoq; & tertium oportet (vt hoc sit inditiũ firmissimũ) calorem partis plenæ, qui à sanguine semper procedit. Nam posset etiam à flatu hic vasorum tumor excitari: quin & à pituita, vt in ea hydropis specie quæ leucophlegmatia nobis appellatur. Hæ verò plenitudines proprias habent notas, quibus dignoscãtur: neq; credo etiã rudissimos posse falli. Sed iã hic scrupulus subest: diximus enim ex Galeno ante, plenitudinẽ ad vasa fieri quãdoq; ex sanguine flatulẽto: iã verò hic eam à plenitudine separamus. Cui nos respondemus, aliud esse humores vasorum fundi, & in flatũ verti, ob calorẽ & febrẽ: aliud verò vapores sanguinis per cutẽ exhalãdos, cohibere ne per cutẽ vacuẽtur. Primũ nãq; horũ humores potius minuit, quã augeat: secundũ verò auget, non minuit eosdẽ: Nã sanguinis vapores nõ reperiẽtes viã qua exhalẽt: ob stipationẽ iterũ in sanguinẽ, eumq; vaporosum densantur. Simile enim fit in corpore humano, ac in ijs quæ igne destillant: ibi enim vapores à cucurbita destillatoria ascendentes, & non reperientes exitũ: ob ingentem conculcationẽ in humorem concer-

concernuntur: qui per nasum alembici vacuatus, in aliud vas destillat. Sic sanè sanguinis vapores: bene valente homine, per cutis meatus transpirant: cute verò densata, ac via præclusa qua exhalare deberent, in sanguinem rursus coguntur, & plenitudinē faciunt. Alterū inditiū plenitudinis ad vasa, est rubor vniuersi corporis, & maxillarū, omni causa externa sublata: scilicet frigore, tristitia, timore, quæ trudūt sanguinē ad interiora: & calore, ira, pudore, quæ ad exteriora ipsum alliciūt: & fuco quo mulieres faciē dehonestāt, & qui subest colorē mentiūtur. Tertium aliud inditiū desumitur ex Gal. lib. de multitudine: quòd scilicet in hac plenitudine dū bonitatē suā seruat, sanguis pariter augetur cū viriū robore. Pulsus etenim habēt validissimos, sensus vegetos, ad arbitrarios motus agiles sunt, & prōpti: fœliciter cibos cōmutāt, & ipsis enutriūtur. In summa hoc solū malū, hic habitus cōtinet: quòd ad extremam venit repletionē, alioqui inculpabilis existit: nam & bonis abundāt humoribus, & vires robustas habēt athletæ, vt. 1. Apho. com. 3. autor est Galenus.

Plenitudinis ad vires inditia, multò sunt difficilliora: ne eam exactè internoscere, leue negociū esse putes. Sunt autē hæc inditia diuersa, pro varietate virium quæ grauātur. Nam animalis facultas grauata, ex sensu & motu dignoscitur. Ex sensu quidem incūbentis oneris, & ex motus pigritia, atq; segnitie: quòd si moueri pergant, multo magis grauātur, & dolent. Sympthoma enim motus, pēdet ex sympthomate sensus: & ob id pigrè mouentur, quoniā ex motu peius habent, & grauamen magis sentiunt. Non est autē omnibus nostri corporis partibus, persimilis sentiendi vis: sed quædam obscurā, quædā manifestam, quædā prorsus nullā, sentiendi facultatem sortiuntur. Neq; omnes persimili modo replentur: sed quæ maiores habent venas magis, quæ minores minus. Quæ certè causa est, quòd in vniuersali plenitudine, dorsum, & partes quæ ad dorsum sunt, magis doleant: quoniā scilicet arteria & vena magna, quæ per eum locū incedunt, neruorū exortū (qui ibi fit ingens) maximè grauat. Collum præterea, & thoracis musculi, dolere solent, atq; grauari: quoniā vim habent apprimè sentientē, & venas effatu dignas. Caput præterea ex plenitudine vehementer dolet: nam præter plurimas quæ ad ipsum terminantur venas, vniuersi corporis vapores excipit, & menynges plurimi sensus habet. Pleura, mediastinum, septum, vesica, & ventriculus, ob venarum quæ in ipsis sunt plenitudinem, & efficacem sensum, dolore maximo cruciātur: qui sanguine vacuato, statim recedit non reuersurus, vt sæpe sæpius nos in earundem partium doloribus, sumus experti. Partes verò exiguo sensu donatæ (vt pulmo, iecur, renes, ossa quædam) si multitudo parua fuerit, nullam grauitatem percipiunt: si verò magna, obscuram: sic enim Galenus se in osse, multitudinem persensisse commemorat. Quòd si nullus omnino adest sensus (vt in quibusdam ossibus, pinguedine, adenibus nonnullis, medulla, & vt quidam putant carne hepatis, lienis, pulmonis, & renum, contingit) vt nihil possunt huiusmodi partes sentire: sic neque grauitatem. Non ergo in vniuersali plenitudine, medicus spectet omnium partium grauitatem

manifestam: sed earum tantum, quæ vim sentiendi habent efficacem. Intelligatq; in membro hebetis sensus obscuram grauitatē, non leuem plenitudinem ostendere, Est enim grauitas, eius multitudinis quæ ad vim sentiendi pertinet, signum perspectissimū, libro de Plenitudine autore Galeno. Vbi ne hoc signo decipiaris, te admonet, quòd grauitas ab alio quàm humore nasci potest: nempe à partis pondere, veluti in paraliticis cōtingit, & conualescentibus, & senibus. Est enim grauitas percepta, signū multitudinis ad vim animalē: nisi à pondere partis quæ grauitatē sentit oriatur affectus: Quod primitus ad huius signi firmitatem oportet medicū cōsiderare.

Vitalis vero facultatis à plenitudine grauatæ inditia, sumuntur à pulsus inæqualitate, tam in vno arteriæ motu, quam in plurium collectione: vt lib. 2. de Caus. puls. per totum librum Galenus est autor. Nam facultas vitalis, si sit per essentiam infirma, pulsus creat aut æquales, aut æqualibus proximos. Vbi vero valida sit sua sponte, opprimatur autem à copia humorū: dictas efficit inæqualitates. Quod exemplo Galeni perspicies facilius. Ob oculos ponamus duos homines, qui incedant pedetentim, sit alter robustissimus simul & florentissima ætate, verum pondus portet grauissimū. Alter prorsus nihil baiulet, præter sit imbecillis ex morbo, aut ex senectute. Iam nec multū progrediantur hi, nec celeriter: itaq; nihil differēt in actione: sed in eo different, quòd æquis plerunq; passibus procedet ægrotus, diuersis valens ac inæqualibus, & alias alijs: nam ille quidem ne si contendat quidem, poterit vnquam, vel magnā vel celerem actionē obire. Robustus vero etiam ferè perinde, interim tamen maiori alacritate, celerius aliquātisper & magis aget: deinde ab onere pressus, ad primā tarditatem, & actionis paruitatē redibit. Idem vsu venit arteriarū actioni, nam cum est delapsa in imbecillitatē facultas insignem, pulsus eduntur languidi, parui, tardi. Sin illa quantum in ea est valeat, sed aliqua copia degrauetur, varios tunc, inæqualesq; efficit: plurimos (cum graui onere pressa sit) languidos & tardos & paruos: cum leui, plerosq; vehementes, celeres, magnos. Cum vero nec admodum grauis, nec nimiū leuis offensio sit, ferè vt in copia contrarios: vt nec plures pòssis dicere, nec pauciores, vel vehemētes esse imbecillibus, vel magnos paruis, vel celeres tardis. Vbi vero maiori adhuc copia grauatur vitalis vis, nec vnā pulsationē æqualiter perficere potest. Ab onere enim lassata, antequam incœptum motum absoluat, in media distentione quasi respirans: nonnunquā retardat motum, interdum vero subsistit, atq; inde residuū distentionis apponit. Quo magis vero ab onere premitur: eo remissius & tardius hanc vltimā pulsus partem obit. Quo validius vero & celerius eā adijcit, eo minus oppressam esse significat: maiorq; inde est spes, non prorsus victam iri facultatē. Sunt autē hoc in genere, multæ inæqualium pulsuū differentiæ, tam in vno motu, quā in pluriū collectione, quæ plenitudinē ad vires denūtiant: vt. 2. lib. de Caus. pul. & 2. de Præs. ex pul. autor est Galenus.

De cōparatione verò inter hæc duo inditia dicta, dixit Gal. lib. de Plen. ad finē: clarius & certius inditium, ex arteriarum motu, quàm ex sensu grauitatis desumi.

Nam

Nam in plenitudine ad vires, qui natura sunt admodũ sensiles, obscurã quandã, & profundam grauitatem in corpore sentiunt: alij omnes nullam: idq; ob arteriarũ atq; venarum naturã, quæ sensus obscurissimi sunt participes. Pulsus verò rectissimus (ad eum quẽ diximus modũ) plenitudinis ad vires est index. Magna enim ex parte, vnà cum arterijs, venæ in plethora ob vasorũ confluentiã cõstituũtur, nisi cum collecti in venis, tenaces, crassiq; humores, non facilè in arterias deriuentur (quod rarò fieri solet) transfluunt enim prorsus humores, nisi crassi ad summum, ac lẽti fuerint. In qua dispositione, ex motu arteriarum nullum signum congestæ in venis multitudinis desumitur, apud Galenum libro de multitudine citato, vbi reprehendit Nicarcum, ac Praxagoram, quòd in ea dispositione sumebant ex pulsu plenitudinis inditia. Hic verò Galenum demiror, nec video quomodo sibi consentientia dicat: nam 2. lib. de causis pulsuum, cap. 2. ita scribit. Accidit etiam pulsuum inæqualitas interim ex sanguinis copia, qui aut in venas, aut arterias ipsas sit infusus. At hæc quidem sanguinis missione sedatur facillimè. Etenim copia illa in venis, arterias non secus ac tumor præternaturam, vtpote ijs vicinas, premit & constringit, vacuata per sanguinis missionem, illico venarum tumorem retrahit, statimq; etiam locum arterijs amplum ad motum dat. Vbi quia solitam functionem nemine interpellante tenent, simul cum ea æqualitatem naturalem pulsuum recuperãt. At verò hic sanguis qui in arterijs est, quẽadmodũ occupet spiritus riuos, quid refert narrare? potissimum si crassus, vel lentus, vel si extremis earum finibus sit impactus. Tum enim quia nec allicere spiritum, nec reddere valent, diuersas simul & difficillimas faciunt inæqualitates, præcipuè si vel propè ipsum cor, vel procul quidem, sed in nobiles partes impingãt, obstruãtq; illi succi. Ex quibus Galeni verbis colligitur primo, quòd plenitudo venarum comprimens arterias (etiam si succi non transfluant) pulsum inæqualem facit. Nam cum arteriæ restrictæ, non possint satis distendi: in singularum actionum defectione vsum interim magnum coaceruant: cuius ratione violenter & vehementer agere, facultas cogitur: vbi maiorem prioribus, & vehementiorem, & etiam celeriorem, necessẽ est pulsum euadere. Constat secundo ex hoc Galeni loco, lentos, ac crassos succos, posse etiam è venis in arterias trãsfluere. Colligitur tertio, quòd tam plenitudo arteriarum, quàm compressio quæ fit à plenitudine venarum, ob id pulsum perturbat, quoniam spiritus riuos occupat, ne liberè trãsfluere, & locum distentionis implere possit. Potest autem tam valida à plenitudine fieri, aut compressio, aut obstructio: vt pulsus deficiat prorsus. Omnino enim cõsistere, & retineri, significat semitas spiritus prorsus obstructas esse: vt lib. 2. de causis puls. cap. 4. Gal. est autor. Pulsuum ergo inæqualitas efficacissimum signum est plenitudinis ad vires: quod tamen & te fallere potest, nisi ad alia à quibus etiam pulsus inæqualis fieri potest attendas. Fit enim interdum inæqualis pulsus, ob facultatis vitalis imbecillitatem per se, & in sua essentia: ab hac tamen, nec motum vnquam aliquem videbis vehementem: nec tam manifestam, & crebram inæqualitatẽ. Vbi valida

tila verò vis est, & à plenitudine grauatur: quosdam pulsus magnos, celeres, & vehementes aduertes: & manifestam atq; crebram inspicies inæqualitatem, vt in exẽplo Galeni, iuuenis & senis allato est videre. Fit etiam inæqualis pulsus, ab arterijs induratis: aut ab inflãmatione vel scirrho aliquo tensis: persimile enim est arterias à plenitudine premi, ac ipsas rigidas esse, & ad motũ cõtumaces. Vtrobiq; enim arteriæ restrictæ, liberè distẽdi nequeũt, & vsum magnũ ex singulis defectionibus, ad vnam pulsationem coaceruant. Sed hoc ipsarum arteriarũ durities pãdit. Fit adhæc inæqualis pulsus, ob obstructionem magnarũ arteriarum pulmonis, ex liquidis & crassis, & viscosis humoribus, aut ex crudo earundem tuberculo: veluti Antipatro medico cõtigit. 4 lib. de locis, cap. vlt. Verum hoc perquã rarũ est: & ipso malo aucto, difficillis respiratio redditur: & magis increscẽte, cordis etiã aduenit palpitatio. Plenitudo verò ad vires, nec rara est: nec difficillis ad eã spiratio necessariò sequitur. Fit præterea inæqualis pulsus, à cõtrarijs animæ accidẽtibus, quæ hominẽ simul inuadũt. Exẽplo tibi sit ira cũ timore cõiuncta: hæc enim varios, & inæquales creat pulsus: nã propter vindictæ cupiditatẽ, alti, magni, celeres, vehemẽtes: quia verò timor est maior accipiẽdi mali, quã spes inferẽdi: parui, humiles, lãguidi, & tardi fiũt. Quare inuicẽ vtriq; pro causæ præpollẽtis natura vidẽtur euariari: ac excellit modò ira, modò metus. Oportet ergo si pulsuũ inæqualitas plenitudinem ad vires est mõstratura: Primo hominẽ à causa omni externa liberũ esse: ira, timore, gaudio, tristitia, & reliquis. Secũdo, arteriarũ abesse duritiẽ. Tertio, quòd magnæ arteriæ pulmonis quæ propè cor sunt: nõ obstruãtur aut à pituita, aut à crudo aliquo tuberculo. Quarto, quòd paruis, tardis, & remissis pulsibus, interiaceãt vehemẽtes, magni, & celeres. *Vis naturalis grauata difficilius, & tardius, quã aut vitalis, aut animalis dignoscitur. Quod voluit Galenus libro de multitudine, his verbis. "Veruntamen eius quæ ad venas refertur, signũ aliquod quo scire id liceret, ipse non reperi: aut scriptũ inuenire apud aliũ potui." Quo loco per plenitudinẽ quæ ad venas refertur, nihil aliud quã plenitudinẽ quæ vim naturalẽ grauat, intellexit. Nec id immerito, nã per venas vis naturalis, & nutritionis materia, in vniuersum corpus à iecore deriuatur: suntq; venæ, ceu virtutis naturalis, habitaculũ, & prõptuarium alimẽti. Huius sanè virtutis grauatæ, nullũ signũ Galenus se nouisse, aut scriptũ inuenisse cõmemorat. Nos verò ex nutritione imbecilla, deprauata, abolita, & ex vitio attractionis, retẽtionis, coctionis, expulsionis, naturalis appetẽtiæ, & ex malo corporis colore: multitudinẽ ad naturalẽ facultatẽ cõgestã esse cõiectamus. Si nimirũ nõ affuerint signa, aut cacochimiæ, aut alterius morbi, à quibus vitiũ dictarũ actionũ pdire possit. Est & alterũ nõ leue inditiũ, sãguinis corruptio: nã licet plenitudo hæc incipere possit absq; corruptione, nõ potest diu sine ipsa optima permanere. Necessè enim est vt à facultatibus naturalibus alteretur sanguis: quæ cũ plus iusto sint grauatæ et oppressæ, innaturalẽ trãsmutationẽ inferũt, ex qua sãguis necessariò corrũpitur, vt. 2. Aph. com. 17. & 1. libro de feb. diff. cap. 6. autor est Gal. Adderũt ergo*

in

hac plenitudinis specie, signa quæ sanguinem corrũpi declarant: quale est vrina rubra & crassa, sudoris, vrinæ, & deiectionis graueolentia, vini sapor in ore, talẽ enim saporem acquirit putrescens sanguis, vt retulit inter Arabes Azarabius, capite de Synocha. Quòd verò fœtor sit putredinis inditium, experimento constat rerum quæ putrescunt. Quòd verò vrina, ob solam sanguinis redundantiam, nisi accedat putredo, nec rubra, nec crassa admodũ reddatur, cap. 35. docuimus. Et Galenus confirmat lib. 9. Methodi, vbi enarrãs historiam iuuenis cuiusdam, qui febre sanguinis nõ putrescentis vexabatur: vbi signum ab vrinis sumptum recenset, sic scribit. "Iam verò "& vrinas, tum craßitudine, tum colore, à naturali habitu non multum alienans in"ueni. An verò hic exiguus excessus, à naturali habitu, de quo meminit Galenus ad craßitiem, aut tenuitatem vrinarum declinet, alterius est considerationis, cuius libro nostro de causis vrinarum qui ad manum ferè est mentionem faciemus. Huius præterea plenitudinis signum aliud non contemnendum, à causis sumitur iuuantibus & lædentibus: quòd nimirum peius habent à cibo, & euacuationibus parum extenuantur. Et verè reperias nõnullos post missum sanguinem magis vegetos, vividos, ac fœlicius enutritos: quoniam humorum sarcina leuata naturalis facultas, vberius corpus enutrit, & quod reliquũ sanguinis est, in animantis substantiam commutat.

Auicennæ locus difficillis interpretatur.

CAP. III.



Vicenna primo libro, fen secũda, doctrina secunda, summa prima, cap. 6. de plenitudine ad vires, in hunc modum scribit. "Et secun"dum plurimum repletio secundum virtutem, generat ægritudi"nem, antequam eius compleantur significationes. Idest vt plenitudinem ad vires dignoscas, non requiras omnium signorum præsentiam, nec postremũ complementũ: nam cum hæc omnia adsunt, iam ægrotat homo. Sufficiant tibi quædam signa, ab vna aut altera facultate sumpta: nec ea ipsa plurimum aucta requiras vt homini subuenias: præstat enim præcauere ante quã morbi fiãt, quàm iam factos curare. Nam queẽadmodũ qui onus gestat, nõ protinus vbi grauatur, ac fatigatur, iam cõcidit, & victus ab eo est: ad eundẽ modũ vbi virtus à plenitudine grauatur, fieri potest vt nondũ ægrotet homo. Siquidẽ nõnulli qui cõsueta munia obeunt, sentire se graues, pigros, segnes, & ægrè mobiles dicunt (vt libro de sang. mißione, cap. 4. Galenus est autor.) hos autem vacuare, antequã aut morbum incidant, aut humores corrumpantur, vtile est. Incipere enim potest (vt nuper dicebamus) plenitudo ad vires cum humorum bonitate: nequit tamẽ eiusmodi permanere, sed à nostri caloris fauore destituta, corrumpitur, & fit morborum causa. 2. lib. Aphorism. & lib. 9. Methodi, & 1. de febriũ differentijs, cap. 6. autore Gal. Hunc Auicennæ locũ attulimus, quòd à nemine suorum interpretum,

ita fuerit explanatum: & ne cum altero loco Galeni de sanguinis missione citato, pugnare quispiam crederet.

An in plenitudine ad vires extendãtur vasa. CAP. IIII.



Idebitur fortè cuipiam, quòd plenitudo ad vires, nõ modo virtutẽ grauet: sed præter id etiam vasa distẽdat, & in tumorem attollat. Primo, quoniam nomen plenitudinis non videtur conuenire, nisi humorum copia excedat mediocritatem. Secundo, quoniam in vtraq; plenitudine, laudat vacuationem Galenus, libro de sanguinis missione, capite quarto: hæc autem non conuenit in humorum defectu, dum à paucissimis grauatur virtus. Tertio, quoniã in omni corpore lãguido propter distẽperantiam sine materia, esset plenitudo virium: hanc autem statuere in hectico, & marasmo correpto, videtur ridiculum. Quarto, quoniã Gal. lib. 9. Methodi, vbi contrariam sententiã videtur statuere, nõ dixit quòd plenitudo ad vires non distendit: sed quòd non eatenus distendit vt plenitudo ad vasa. Sunt autem hæc Galeni verba. At illud vel me tacente constat, ijs præsertim qui librum de plenitudine studiosè perlegerunt, quanquã & nunc quoq; à me dicetur, nõ esse nunc nobis de ea abundãtia sermonem quæ ad virtutem cõparatur (quippe quæ nec sic obstruit venarum ora, vt refrigerationem prohibeat, nec tunicas earum distẽdit, nec ruborem, nec tumorem inuehit, multoq; minus vel carnis vel cutis transpirationem moratur) verum de ea quæ contineri à vasis vltra non valet.

Sed falsa esset istorum me hercle sententia, nam cum grauari pẽdeat ex proportione humoris grauantis, ad facultatẽ quæ grauatur: erit sæpenumero mediocre, aut paucum etiam alimentum, infirmiori naturæ molestum & graue: atq; plenitudinem in cõparatione ad eam naturã cõmitet: hoc autẽ vacuari postulat, debetq; vacuari si cætera annuant. Si virtus nimirum non admodum reluctetur, vt in hectico, & marasmato: in quibus quæ virium collatione æstimatur plenitudo, sæpenumero visitur, sanguis tamen nõ detrahitur: quoniã vt autor est Galenus in Thrasybulo, præsidiũ omne constat ex postulante, & consentiente. Vacuationem postulat humor grauans, quantũcumq; sit infra mediocritatẽ. Hectici verò at marasmati vires imbecillæ, eã exonerationẽ nõ sustinent: quòd nimirum cũ humore spiritus vacuentur, & innatus calor (qui perseuerãtiã ex sanguine obtinet) extinguitur ac aboletur. Accedit quòd 9. Meth. citato, distentionẽ, & venarũ tumorem, non annecti necessariò plenitudini ad vires docet. Nec nos remoratur quòd subobscurius dixerit, nõ sic distendi: nã libro de plenitudine, nõ lõgè ab initio, apertius & latius plenitudinẽ ad vires sine distẽtione vasorũ posse cõtingere docuit: exẽplo vẽtriculi à cibo quãuis exiguo grauati, & exẽplo vesicæ imbecillis grauatæ, & nequaquã distẽtæ: et similitudine iuuenis,

& pueri, qui non possunt idem onus portare: sed quod puero est grauissimum, id iuueni leuissimum pondus existit.

Quod vtraque plenitudo, & cacochimia, consistere possunt seorsum, & quadrupliciter copulata. CAP. V.



LENITVDO ad vasa, & ad vires, & cacochimia, possunt seorsum reperiri: possunt & inuicem, quatuor modis copulari. Plenitudo ad vasa, cũ plenitudine ad vires: plenitudo ad vasa, cũ cacochimia: plenitudo ad vires, cũ cacochimia: plenitudo ad vires, & ad vasa, & cacochemia simul. Plenitudo ad vasa seorsũ, cõtingit quotiẽs venæ in tumorẽ attollũtur, à sanguine benigno, sine virtutis alicuius offensa, vt in athletis. Plenitudo ad vires sola reperitur, quotiẽs à sanguine benigno, qui mediocritatẽ sua quantitate non excedit, aliqua nostri corporis facultas oneratur. Cacochimia tunc fit sola, quotiens aut pituita, aut vtraq; bilis, aut serũ, sanguinem præter proportionẽ inquinãt: aut sanguis ipse valde corrũpitur, citra venarũ tumorẽ, & corporis grauitatẽ, vt in ictericis cõtingit. Ex quo detegitur error quorundã existimantiũ, quòd plenitudo ad vires sit cacochimia: nam grauari possunt vires, à sanguine incorrupto, quo tẽpore cacochimia nõ dum adest: aderit tñ citò, quoniã non potest sanguis, qui vires grauat, natiuam gratiam diu seruare. 2. lib. Aphor. com. 17. autore Galeno. Erratque ob id non minus Auiccẽna. 2. 1. cap. de signis repletionem significantibus, vbi ita scribit. Secundum virtutem verò repletio est, vt humores quãntitate sui, nocumentũ non faciant, sed malitia qualitatis ipsorũ tãtum: quapropter virtutẽ, malitia suæ qualitatis vincũt, & fiunt inobedientes ad digerendum, & maturandum. Quibus verbis constat, apud Auicennam plenitudinẽ ad vires, sine qualitatis vitio fieri non posse: cuius contrarium ex Galeno nuper diximus. Quod verò errent etiam & alij, qui in plenitudine ad vires, vasa necessariò distendi existimant, præcedẽte capite monuimus. Seorsum enim vtraq; harum plenitudinum, consistere potest: possunt etiam atq; id frequentissimè contingit, ambæ plenitudines copulari: quotiens ab ijsdem humoribus fuerit grauitas, & tensio. Quòd si humores à quibus hæc fiunt, aut corrumpantur, aut natiuam proportionem non seruent: in vnum iam copulabuntur vtraq; plenitudo, atque cacochimia: sicut si ab humoribus ipsis corruptis, aut proportionem excedentibus sola fiat tẽsio, copula aderit ex plenitudine ad vasa & cacochimia: si sola grauitas sine tensione, plenitudo ad vires & cacochimia, in vnum coibunt.


An sola humorum transpositio, cacochimiam pariat. CAP. VI.


IBRO de natura humana, commentario vigesimo secūdo, Galenus, & Hiprocrates scribunt: quòd vbi quispiam de quatuor humoribus solus, aliqua in parte restiterit, ab alijs semotus, neq; sit cū illis per totos cōmistus, dolet animal: quia vtraq; iam pars, & vnde discessit, & ad quā se contulit, in intemperiem incurrit. Nō enim sola quantitate, parti in quā inuaserūt, graues sunt: sed & qualitate, dolorem excitāt: dū magnopere aut calfaciunt, aut refrigerāt. Ex quo nō modò apparet, quòd citra alicuius humoris augmētum, cacochimia cōtingere potest, ob solam succorū impermistionem: verū quòd ex impermistione, duplex oritur vitium, & in parte vnde discedit humor, & à quo discedit: sicut in excessu vnicū, in ea scilicet parte in qua excedit. Simile est, quòd legitur apud Gal. 2. lib. Aphor. comment. 17. in hæc verba. " Nutritur siquidem pars vnaquæq;, ex proprio alimēto, quod rectè diceremus esse illi secundum naturam. Cum igitur aliquādo ad ipsam peruenerit aliquis humor, qui alteri quidem parti sit secundum naturam, ipsi verò alienus & præternaturam, malum quidem hoc existit, non tamen ex necessitate sequetur morbus, vbi exigua portio fuerit. Nam cū neq; illa medicamenta, quæ naturam habent exitialē (sicuti mādragora, papauer, atq; cicuta) possint sine quantitate nocere: multo minus huiuscemodi humor, qui præter id quòd non est exitialis, etiā alias partes enutrire potest: alioqui ipsum, neq; alimentum vocasset, nisi tali esset natura præditus. Sicuti igitur si parum aliquid aëris, per gulā ad ventriculum deferretur: aut potæ humiditatis pauxillū, ad pulmonem per asperam arteriam dilaberetur: neq; ventriculus quo ad hoc ægrotaret, neq; pulmo: eodem modo se res habet, etiam in aliarum partium alimento." Quibus verbis patet, quòd sola transpositio humorum (dum modo ea sit momētanea) vitiosa est, & morbum creat. Quod tamen superius dictæ de cacochimia sententiæ non aduersatur. Nam cum bilis quæ in sano homine, cum sanguine permista, & confusa reperitur, à sanguinis societate separatur, & in cerebrum (verbi gratia) irruit: debita quæ prius, inter humores, non seruatur lex, & proportio: sed in cerebro cacochimia fit biliosa (quandam enim diximus superius, esse cacochimiam partis, & alteram totius) in vasis verò (à quibus bilis in cerebrum confluxit) cacochimia est pituitosa, & melancholica: quòd nimirum plus habeant vasa, horum succorum, quàm pro bilis ratione. Cùm alimentum præterea lienis, aut alterius partis, ad cerebrum transfertur: cacochimiam incurrit cerebrum melancholicam, aut illius sanè humoris, à quo pars cuius alimentum est translatum, nutritur.

Quibus indiciis redundans in corpore *succus dignoscatur.*

CAP. VII.

Humores



Vmores qui redundãt, interdũ grauant vires, alias vasa distendũt, & nonnunquã proportionẽ iustã excedunt. Prima duo, plenitudinẽ ad vires, & ad vasa faciunt. Est quoq; in tertio agnoscere plenitudinẽ, cum nimirũ sanguis solus, aut ex alijs humoribus alter, simul cum sanguine proportionem excedit, vsq; ad tensionem, aut grauitatem. Reliqui enim à sanguine succi, non possunt soli vsq; adeo excrescere, vt tensionem, aut grauitatem inferant: nã proueniet ab eis alius quidam affectus, antequã eatenus increscant, libro de plenitudine autore Galeno. Indicia sanè plenitudinis dicta sunt, humoris verò exuberantis, & proportionem excedentis, aut si mauis dicere humoris peccãtis, vel sua qualitate molestantis, hoc capite describẽtur: vt nemo posthac hæsitet, in quouis ægro, aut de humore vacuãdo, aut de genere vacuationis obeundæ. Magis est enim humoris vacuandi cognitio necessaria, quàm quiduis aliud in arte medica nouisse. Qui nanq; humorẽ vacuandũ qualis sit tenet, morbi atq; symphomatis substantiã, & exterminãdi rationem, quodã veluti cõpendio est assequutus, etiam si quo nomine, morbus ab antiquis fuerit appellatus, & propriũ etiam (vt nostri appellant) caput, ad quod singulos ægrotantes referat, ignoret. Quem tñ ego laborẽ nõ improbo, nã capite lecto, plurima succurrunt ex autorũ monumentis, quæ forte non innotescerent medico sola methodo vtenti: quantumuis per diuisionem, ac resolutionem, morbi substantiam, atq; causam cognoscat, & intentiones curatiuas eliciat: Medicorum verò qui passim habentur, ignorantiam non fero: qui morborum nominibus seducti, vnum aut duos practicos adeunt: & morbi causa non intellecta, ægrũ suis zulapijs, emplastris, embrocationibus, epithematibus, conditis deauratis, pharmacis, phlebothomijs, ac alijs: nunc his, nunc illis, discruciant & interficiunt. Quanquã verò cuiusq; horũ erratum reprobum sit, quod de vacuatione tractat pessimum est, & minimè ferendum: qui enim vnum pro altero succo vacuat, naturam dissipat, & morbum simul exacerbat. Plurimum ergo nouisse refert, humorem in quouis corpore redundantem, atq; ipsius humoris conditionem. Traduntur autem ab autoribus indicia plurima (nullus est enim qui ob maximam vtilitatem, hunc lapidem nõ voluerit) quæ nos hic breui summa, & ordine colligemus. Ab Hippocrate sumpto initio, qui primo Aphorismorum libro, sententia secunda, humorem redundantem dignoscit, ex regione, anni tempore, ex ætate, & ex morbis. In commentario verò Galenus, addit colorem qui in toto corpore præternaturam representatur. Quarto verò Aphorismorum, cõmentario secũdo, addit symphomata, præsentem aëris constitutionẽ, naturã ægrotantis, vitæ industriam, & victum. Addit quoque menstruas purgationes ex Hippocrate, primo libro de morbis muliebribus. Vbi robur quoque memorat Hippocrates, à Galeno non numeratum. Quarto quoque libro de tuenda valetudine, addit pustulas, sudorem, sudoris qualitatem, vrinas, calorem & frigus, assuetudinem aceruandi humorem aliquem, omissas excretiones solitas, omissas exercitationes, & lassitudines. Libro verò de plenitudine ad finem, addit somnolentiam & insomniam,

aspectum ægrotantis, famem & sitim. Atq; vt singulas repetamus, regio, & anni tẽpus, in vna aëris constitutione includuntur. Quòd verò aër nostra corpora immutet, talesq; succos generet, qualis ipse est: calidus calidos, & frigidus frigidos, rationi est cõsonũ: nã nullũ est, aut mistum, aut elementum, quò tam assiduè conuersemur intus & extra, per inspirationem & transpiratum. Natura ægrotantis non parum facit ad dignotionem humoris redundantis: siquidem calidæ naturæ, calidos succos, & frigidæ, frigidos creant: præsertim iecoris, qui autor humorum est: Sic calidum iecur, calidiorem habet sanguinem, & flauam bilẽ abundantem: frigidũ verò, sanguinem frigidiorẽ, & redundantem pituitam: siccum, sanguinem crassiorem, & minus abundantem: humidum autem, abundantiorem & humidiorem, vt libro artis medicæ de iecore scribit Galenus. Intẽperatum enim iecur, magis trahit ex chilo, partẽ succi sibi similẽ, quàm dissimilem: calidum calidam, frigidum frigidam, siccum siccam, & humidum humidã. Quã rursus iuxta suum intemperamentũ alterat, redditq; ipsam calidiorẽ, frigidiorẽ, humidiorem, aut sicciorem: fitq; in sicco intemperamento, minor sanguinis copia: tum quia pars sicca quæ attrahitur, sanguini gignendo est inepta: & ea rursus à sicco intẽperamento exsiccatur, absumitur, & crassescit. Contrariũq; cõtraria ratione, in humido iecore contingit. Cõpositorum intemperamentorũ par ratio habetur: calidũ enim ac siccũ iecur, bilem flauam habet plurimã, sanguinẽ autẽ calidiorẽ, atq; sicciorẽ, pariter etiã & crassiorẽ, quàm habeat tẽperatũ iecur. Nec obstat, quòd calor vim habens tenuãdi, & rarefaciendi, potentius obsistere debet siccitati incrassanti: quare ad tenuitatẽ potius hic sanguis deberet inclinare. Nõ obstat (inquã) nã quãuis calor in ratione caloris attenuat, in ratione tñ caloris naturalis coquẽtis, incrassat: tũ quoniã humidũ aqueũ absumit, tũ quoniã siccũ humido pmiscet. Et ideo inter indicia iecoris calidi tãtũ, nec tenuis, nec crassi sanguinis fit mẽtio: idẽ enim calor, qua calor tenuat, & qua coquẽs incrassat. Sed quare inter indicia iecoris calidi atq; sicci, parcior sanguis nõ numeratur: si siccũ habuit pauciorẽ, & humidũ nõ habuit abũdantiorẽ? Dicendũ, quòd calidũ iecur, sanguinẽ habet paulo abundantiorẽ moderato, cuius tñ abundãtiæ, ob exiguitatẽ non fit mẽtio: siccũ verò valde diminuit sanguinẽ, eiusq; ob id mẽtio fit. Hæc duo intẽperamenta, vbi iunguntur in iecore calido atq; sicco, sanguinẽ reddunt paulo parciorẽ moderato, plus enim imminuit siccitas, quã addat calor: cuius tñ paucitatis, ob exiguitatẽ non fit mentio inter inditia calidi & sicci hepatis, in collatione ad tẽperatũ. In iecore autẽ, in quo iungũtur calor atq; humiditas, ingẽs est sanguinis prouentus: vtraq; enim qualitas, sanguinẽ multiplicat. Et cõtra in iecore frigido atq; sicco, vtraq; imminuit ipsum, & melãcholicũ reddit. Humidũ autẽ atq; frigidũ, quãuis nec valde imminutũ, nec abũdantẽ creet, ad pituitæ naturã accedentem gignit. Est etiã ætas ex constituentibus naturã, de humore non aliter, ac ea indicãs. Pueritia, calidiorem, humidiorem, & tenuiorem gignit sanguinem: & quãuis gignat plurimũ, habet tamen paucum: exhaurit enim multum, ob nutritionem & incrementũ. Adolescentia mediocerem habet ipsum, tum quantitate, tum qualitate. Iuuẽtus sanguinem reddit calidiorem

lidiorem, & ficciorem, & flauam bilẽ abundantem. Consistentium ætas, atram bilẽ habet abundantiorem. 3. lib. Aphor. com. 30. autore Gal. Præsertim in iecore calido, aut calido & sicco, libro artis medicinalis de iecore. Bilem enim quæ efferbuit per totam iuuẽtam, excipit hæc ætas: & adhuc ipsa adurit: exiguum enim est, ex quo ad frigidiorem naturam cœpit permutari. Quæ sanè non de atra bile exacta, quæ terrã fermentat, & muscas abigit, sunt intelligẽda. Hic enim humor, vt Galenus scribit libro de atra bile, nõ nisi in ægris, & præternaturã affectis corporibus procreatur. Sed de altera leui, & naturali adustione, quæ in sanis fit: habetq́ latitudinem naturalem, pro differentia temperamentorum: in calidioribus enim magis adusta, & minus in frigidioribus reperitur: sicut & altera, quæ in ægrotantibus reperitur, latitudinẽ etiam habet magnã adustionis & malignitatis. Assuetudo quoq; aceruandi humorẽ aliquem, ad naturam accitam, & particularẽ est referenda: & talem succum abundare mõstrat, qualẽ sæpe aliàs assueuit congerere. Ad naturam etiam reducitur, robur corporis, aut imbecillitas: nam facultatis robur, consistit in qualitate temperamenti: tantumq́ à robore remittit facultas, quantum ab ipsa natura labitur. Si ergo vires corporis validæ sunt, boni succi abundant, nec ingens cum robore iungitur cacochimia: contra verò contrarium. In victu autem videndum, an cruditas & crebrior, & maior, quàm ex consuetudine præcesserit: an mali succi cibis copiosè se impleuerint: an vinum pro antiquo mustum, pro tenui crassum, an aqua marina mistum biberint: an etiam prorsus à vino se, ad aquæ potionem transtulerint: nec semel bis ue in quolibet horũ peccauerint, sed assiduè bonoq́ tempore: & pro peccati ratione, humorem nobis cõijcere datur. Sic etiam humorem, ex vitæ industria dignoscimus: qui in otio degunt, ij pituitosum aceruare succum solent: quos multus labor, cura, atq; vigilia exercent, ij biliosum, vel melancholicum: illum æstate, hunc autũno gignunt. Quin etiam, an diuturni labores fuerint, inspiciendum est: quantò enim fuerint longiores, tantò sunt ad atram generandã bilem magis procliues. Morbi quoq; speciem inspicere oportet: veluti quòd tertiana si ita cõtigerit, fit à flaua bile modũ excedente: quartana ab atra: quotidiana à pituita: cancer ab atra bile: erysipelas à flaua: atq; singulæ aliæ morborum species. Huc referũtur pustulæ, ad cutẽ efflorescẽtes, quæ Græci ἐξανθήματα vocant, nos appellamus rochas. Ad morbos quoq; lassitudines referri possũt, quãquã sub neutra adhuc dispositione cõsistãt, & morbos ipsos prænũcient. Tẽsiua ex bono succo: vlcerosa ex prauo, calido, bilioso, & acri: phlegmonosa ex vtroq́ proficiscitur, vt. 4. de tuẽ. valetu. ad initiũ, Gal. est autor. Sympthomata quoq; morborũ, humorẽ redundantẽ ostẽdunt. Primo, ex qualitate in corpore mutata: quippe superantibus in corpore calidis succis, insolito caloris sensu vrgetur: frigoris verò, cum frigidi dominantur. Quod intelligas velim, si suam humores seruent naturam: nam aliter à pituita putrente fit febris: & à bile per corpus inæqualiter mota, rigor & algor. Iam albiores pituita superante, pallidiores bile abundante cernuntur: quod si meracior bilis sit, etiam planè flauiores: siquidem color à succo prouenit, non ex solidis animalis par-

tibus, vtiq; cum se succi in altũ non receperunt. Accidit verò id illis, propter frigora, rigores, vel animi affectus, veluti timorem, vel ingentem tristitiam, vel incipientem verecundiam. Quorũ nullum si adsit, nunquã se in altum recipient succi: æque nec in cutem violentius irruentes, hanc adurent vnquam: nisi animus aliquo modo affectus sit, aut æstu immodico animal extrinsecus obsessum. Ergo vehementer cõmotis, aut iratis, aut in pudore veluti reciprocantibus se humoribus, inspicere colorem non oportet. At si nec ambientis violentia, calidi, frigidiue, nec vllus animi affectus, cuiusmodi iam dictus est subsit: certißima succi animalis cognitio, ex colore datur. Tanquam igitur corpus, sicubi albius solito est effectum, pituitosum abundare succum indicat: sicubi pallidius, aut flauius, biliosum: ita sicubi ad rubicundius, quàm pro natura est mutatum, sanguinis abundantiam subesse significat: sicubi ad nigrius, nigram superesse bilem ostendit. Videas præterea, ceu plũbi colorẽ, aliquando nonnullos habere. Rursus aliquãdo, ceu misturam esse albi liuidiq;: aliquando liuorem solum, sine albo consistere. Ergo eiusmodi colores, crudos dominari succos indicant: qui cum de genere sint pituitæ, minus tamen humiditatis habent, quàm ea quæ publicè vocatur pituita: plerunq; verò huic, nec lẽtor inest. Est autem indicium ex colore sumptum, in hominibus albioribus firmius: in nigrioribus autem incertum: nigrioribus enim natura, & si nonnunquam sanguis in facie exuberet, non tamen euidẽter, vt in albis apparet. 6. lib. Epid. par. 2. com. 18. autore Gal. Firmius etiam est hoc indicium, in oculis & lingua, quàm in alia aliqua corporis parte: lingua enim grandioribus venis prædita, & inani substantia spongiam referens, alijs duris, densisq; particulis, paratior est, vt serosos intra se humores admittat, ab illisq; colores instar lanarum suscipiat, apud Gal. 6. lib. Epidem. par. 5. com. 14. Quin & humorum contentorum in venis sublingua color, facilè translucet extra, tum ob raritatem ipsarum, tum quoniam in extima iacẽt superficie, vt quotidiano experimento, in ijs qui ictero laborant deprehendimus. Oculi verò ob munditiem, excrescente humore celerius tinguntur: & ob nitorem, alienum colorem latere non permittunt, eodem Galeno autore. 6. lib. Epidem. parte. 4. com. 27. Secundum genus sympthomatum, exiẽs mutatum est: indicium humorum firmißimũ, quoniam ipsi qui excernuntur humores, se ipsos pandunt, & noscẽdos exhibẽt. E quorum genere est vrina: cuiusmodi enim sanguis sit, qui in vasis continetur, ea planè ostendit: quando si is biliosus sit, serum quoq; eius biliosum esse necesse est, idque pro vtriusq; bilis ratione: simili modo pituitosum, vbi is sit pituitosus. Ergo vbi crudus planè is est: vtiq; tenuis, aquosaque vrina cernitur, nihil nec quod sidat, nec quod pendeat in se habens. At vbi is concoctus est, hæc in vrina apparent: atq; etiam nubeculæ quædã desuper tenues superstãt, veluti quod in sũmo lacte colligitur (Græce γραῦς dicitur) & quod in summo refrigerati iusculi concreuit. Quòd si turbida sit, qualis veterinorum visitur, crudis refertas venas indicat: non tamen cessare naturam, sed eos valenter concoquere. Si verò celeris separatio, craßi à liquido in ea cernitur, sitque quod subsidet album, lene, & æquale: iam iam superaturam eos omnes, naturam indicat.

cat. Sin cum emingitur pura ſit, protinus verò turbetur, iam crudi ſucci concoctionem, aggredi naturam docet. At ſi interpoſito tempore turbetur, non protinus, ſed poſt, aggreſſuram inſinuat. Verum omnium quæ turbantur generalis nota eſto, ipſius craßi à liquidiori ſeparatio, aut properè, aut tardè facta, aut omnino nulla. Ergo ſi protinus fiat, & quod ſubſidet, ſit album, læue, & æquale: ſuperiorem longè naturam, ſuccis quos concoquit oſtendit. Sin bonum ſit quod ſubſidet, ſed quod poſt longius interpoſitum tempus colligatur, etiam naturam temporis ſpatio ſuperaturam ſuccos nunciat. Si verò vel omnino nulla ſeparatio, vel id quòd ſubſidet malum ſit, imbecillitas naturæ ſignificatur: egetque ope aliqua, ad ſuccos percoquēdos. Sicuti verò vrina, ſuccorum: qui in vaſis ſunt qualitatem prodit: ita ſudor eos qui per vniuerſum animalis habitū apparent, oſtendit: hic nanq; partim acidus eſt, partim ſalſus, partim veluti lutum, aut virus planè olet. Licet autem hoc ex ſtrigili deprehendere cum lauantur: ſæpe nanq; amarus planè apparet, qualis vtiq; morbo regio laborātibus emittitur. Ob idq; ægrotantem ſæpe iubemus guſtare ſudorem ſuum: id quod aliquando ſua ſponte accidere ſolet, dum ex fronte, & eius partibus, in os ſæpe delabitur. Eius verò dignotio, etiam citra guſtum, facilis eſt ex ſolo colore, quippe pallidus pro eiusmodi bilis ratione apparet, nonnunquā flauus, & interdum ex pallido flauus ὠχρόξανθον Græci dicunt. Sudores præterea, ſua quantitate indicia præbent: ſi enim plurimi prodeāt, craſſæ partis quæ relinquitur, habendam eſſe rationem in purgationibus ſignificant. Qua certe ratione, qui ex Galica lue ſudorificis curātur (Guaiaco inquam, aſpera ſmilace quàm çarçaparrilla vocāt, china, buxo, ligno aloë, aut vnguento ex argēto viuo) omnes hi per interualla, craſſæ partis quæ relinquitur vacuatione opus habent, per pilullas fœtidas, arthriticas, de hermodactilis, de rhabarbaro, & ſimilibus. Ad hunc etiam modum, menſtruæ purgationes ſuccos demonſtrant, nam vt autor eſt Hipp. 1. lib. de morbis muliebribus, in muliere ſana ruber procedit ſanguis, velut à victima, & citò congelatur: ſeroſus verò liquidior eſt, ſimilis aquæ in qua recēs mactatæ carnes fuerūt ablutæ: bilioſus, tenuis, pallidus, aut flauus: melācholicus, craſſus, niger, et obſcurus: atrabiliaris, niger & ſplēdens: pituitoſus, ſubalbidus & pelliculoſus: purulentus, ſubalbidus, ſine pelliculis, graue olēs, cum dolore & pulſatione ad pectinem, adeo vt contactum interdum non ſuſtineat mulier. Exactam autē rationē experiundi, tradit eodē libro Hippocrates his verbis. Quali verò purgatione opus habeat, hoc modo cognoſcit. Quū menſes prodeunt, linteum cōplicatum palmi magnitudine, ſuper tenuē cinerem expandito, deinde vt quæ exeūt, ſuper hoc defluāt curato. Præſtat autem duo eſſe lintea, vtrumq; ſeorſim, alterum diurnum, alterum nocturnum: & diurnū quidē poſtera die lauare oportet: nocturnū verò, vbi per diē ac noctē, ſuper cinere ſitū fuit. In lotura verò cōſiderare oportet, qualia nā fiāt lintea lota, vbi in ſole fuerint ſiccata. Optimū tn̄ eſt in tenebricoſo loco ea reſiccari. Siquidē igitur pituita fuerit, quæ cōceptionē impedit, mucoſa lintea erūt: ſi verò propter ſalſuginem, & bilem impeditur, fulua & ſubliuida. His igitur conſideratis, & diligenti animaduerſione

expensis, totum etiam corpus inspicito, an multa purgatione opus habeat, an secus: ita vt & ad colorē, & ætatem, & robur, & anni tempus, & qua dieta vtātur respicias. Huc vsq; Hippocrates. Sputū quoq;, mucus, deiectio, atq; ea quæ vomitu pellūtur, ex eorū genere sunt, quæ à corpore excernūtur, & humores redundantes pandunt. In quibus omnibus illud obseruandum est, ne ab aliqua vi extranea emittantur: nā si ob acrimoniam bilis, os venæ aperiatur, sanguis fluet, etiā si nō abundet: eodem modo, si æstuāte corpore sanguis profluat, nō est id abundantis huius humoris indiciū. Sed si humor qui excernitur sit excretionis causa, tūc signum est, eundē sibiq; similem in corpore vigere: qui tū excretus qualis sit ostēdit: bilem enim abundare in corpore agnoscimus, si effusus sanguis, pallidior extiterit, & pituitā si albior, & reliqua simili modo. Tertium verò sympthomatū genus, quod in actione vitiata consistit, humores declarat: sitis, fastidiū, vigiliæ, deliria, somnia ignis & incēdij, inquietudines, oculorū obtenebrationes, gustus amaritudines, bilem denūciant: sicut sanguinē, somnolentia, somnia sanguinis, & homicidij, & rerum rubearū, splendores oculorū, hilaritas, & incontinētia risus, saliua dulcis sine causa manifesta, sapor quoq; vini in ore, ex sanguine est, qui cœpit corrūpi: vt inter Arabes retulit expertissimus Azarabius, capite de Synocha. Ex quo factum putò, vt quidam non bibentes vinum, per morbos sanguinis vinū appetant. Pituita verò si dulcis sit, & crudus pariter humor, somnolētos facit, & pigros, famelicos acida, salsa siticulosos. Ex atra verò bile, mæsti, & amarulenti, & horribiles, & sitis expertes, ac saliua referti. Cæterū non omnes cibū auersantur, sed & eorū aliqui fame conflictantur, nimirum ij quibus atra bilis qualitatē acidam superantem obtinet (id fieri cū maligna ea redditur solet) succus verò melāncholicus aciditate carens manifesta, nec rosionem, nec eiusmodi famem inducit, vt libro de plenitudine ad finem, edixerit Galenus, & nos latius libro de Humoribus sumus interpretati.

Indicia præterea, nō exigua sumimus, ex euacuatione suppressa, aut mensiū, aut hæmorrhoidū, aut puris ab vlcere antiquo, & fistuloso: aut si balneū dimisit: aut si ex labore ad otium se trāstulit: aut si pharmaco, aut phlebotomia vti solitus, nec purgatur, nec venā tundit: aut si membrū aliquod ipsi fuit amputatū. Tales enim humores congestos esse intelligimus, quales antea vacuabantur: quòd si ad partē per quam vacuabantur, impetum & designationē aliquā faciant, iam certius scimus eum humorē abūdare, & naturam per loca solita exonerationē quærere. Atq; huc refertur signū sanguinis abundantis, memoratū ab Auerrh. 4. coll. cap. 10. quòd is qui vsus est phlebothomia, sentit pruritum in loco phlebothomando. Huc quoq; refertur, quòd quotidie experiuntur christiani, qui cum flagellis quadragesimalibus quotannis sanguinē fundant: aduentante quadragesima, & pondus & pruritū, in parte flagellanda percipiūt. Dictis sunt addenda indicia, ex similitudine vnius corporis ad aliud. Nam si febres ex bile vagantur, signum est quòd febris de qua dubitas, biliosa sit. 2. cris. cap. de tertiana, autore Gal. Si duos etiā homines eodē morbo deprehensos constituamus, & vno

mor-

mortuo atq; diſſecto, vniuerſum corpus, aut partem aliquam, maligno aut putrido humore plenum inuenerimus, aptiſsimè colligemus, eoſdē in eiſdem locis contineri humores: nimirū quòd ſimilia oſtendant ſimilia. Si alios prætereà duos conſtituamus, eodem morbo affectos; & eorū vnus ex bilis à natura factæ vacuatione, aut melius habeat, aut ſanus euadat, & interim dum vacuatio fit non lædatur, nec difficile tolleret: certò conijciemus, bilem in altero abundare, eamq; à medico deijciendam fore, vt. 1. parte Aphor. ſent. 2. Hipp. monet.

Quas notas habeat naturalis prorſus ſanguis. Et quā *ampla latitudine, à naturaliſsimo interdum recedat, & vitioſus fiat.* CAP. VIII.



Anguis naturalis, humor eſt conſiſtentia mediocris. 2. lib. ad Glauconem, autore Gal. Tum ob materiā, quoniā ex parte fit alimenti pingui, & aërea: tum ob efficiens, quoniā à mediocri iecinoris calore perficitur. 2. lib. de facult. nat. tum ratione finis, quoniam in nutritionem humani corporis ordinatur, ex Auic. 1. 1. & in natiui calidi conſeruationem libro de venæ ſectione apud Galenum: quæ duo mediocritatem requirunt. Colore eſt rubro, & qui ab arterijs erumpit, rubedinem habet magis flaueſcentem. Adiacet autem ſanguini hæc rubedo, vt accidens propriū, & inſeparabile, nulli alteri cōueniens ſucco, libro de tumoribus præternaturā. Sapor verò ſanguinis dulcis eſt, & fætore caret, prima primi. Dulcedo enim acquiritur coctione, fætor autem calido extraneo attinet: quare in ſanguinis generatione locum non habet. Qui ab his notis diſtat ſanguis, à naturaliſsimo abſceſsit: & quantū ab iſtis recedit, tantum accedit ad peſsimū. Siquidē exiguus ſit receſſus, naturalis adhuc eſt: nā apud Galenum, libro de cibis boni ac mali ſucci, plurima alimēta leguntur boni ſucci, quæ ſanguinē gignūt craſſum, aut glutinoſum, aut ſubcrudum. Si magis verò recedit, præternaturam iam habetur ſanguis. Quo caſu, aut ad naturæ gratiam & benignitatē redire poteſt ſanguis (vt vinū quod poſtquā coaceſcere cœpit emēdatur) & hic lapſus eſt exiguus: aut nō poteſt eam correctionē recipere, perinde ac vinū quod iam coacuit, & hoc vitiū malum eſt, corruptelamq; appellat Gal. 2. Aph. com 17. Corruptelæ autem ampla eſt latitudo, & tanta quandoq; vt venenum comprehendat. Venenū enim in corpore poſſe generari, cōſtat ex Gal. 3. lib. de locis, vbi epilepſiam ex aura venenoſa in pedis police poſita, agnoſcit. Et per vteri ſuffocationes (quoniam totius corporis, vterus eſt ſentina) ſemen & ſanguis menſtruus, veneni naturā aſſumunt, & veneni inferunt ſympthomata, apud Gal. 2. lib. de Semine, cap. 5. Et ventriculus ex varijs & nondum edomitis alimentis, venena facit, quæ quandoq; vim habēt deleteriā, & aliàs purgatricem, perſimilem expurganti catartico: ex qua choleram morbum naſci credit ſerapio. 3. lib. practicæ. Et febres peſtilētes non aliunde, quàm ex humoribus tendent venenatis. Quin & ex ſanguine peſſimo ac venenato, corpus quandoq; nu-

triri constat: nam lepra & elephanto affecti, totum sanguinem vitiatum ac venenatũ habentes, diutius nutriũtur & viuunt. Hinc phrenitidẽ ex venenatis humoribus ortam, tertioq́ die interimentem, memorat Hippocrates. 3. lib. Epid. par. 3. sent. 75. in cuius enarratione, hæc quæ sequuntur verba scribit Galenus. Est verò eorum morborum, admiranda generatio; quo nam pacto in commodè valentes subitò inuadat. Nempe non est perinde generationis subita causa, ac ipsorum est generatio: vt si medicamentum homo lethale sumpsisset, vel bestia eum virulenta momordisset: sed pedetentim in corpore, causæ quæ sunt excitandis huiuscemodi malis crescunt: quod morsis vsu venit à rabidis canibus. Nam apertum est, quod canis venenum (licet in morsis non otietur, nec conquiescat) nullam sui ipsius notam prodit, multis interim proximis mensibus. Verum subitò illis cum viderint aquam, formido incessit, posteaque breui moriuntur: longo enim tempore causa quæ rabiem efficit, augetur: quæ vbi eò tandem peruenerit, mortem adfert repentinam. Item in hac phrenitide, vitiosus in corpore humor coaceruatus fuit, veneno lethali prope adsimilis, in corporibus vicinis aliquid paulatim agens: quæ quando vitio iam opportuna erant, humorque ipse euaserat vitiosissimus, lethale repente apparuit sympthoma. Nanque sic phreniticus initio statim vomuit virulenta; quòd febribus adurentibus, ferè est consequens. Itaque vt veneno epoto lethali, quidam postridie vel tertio die moriuntur, genere eorum non copia mortem afferente: & item hic quoque æger, statim tertio die censendus est obijsse, à qualitate succorum virulentorum, non à phrenitide peremptus: at phrenitis illum esse subsequuta sympthomatis vice. Ecquidem quarto die, & quinto, acuta à primo statim correptos phrenitide, vidi exanimatos esse, tertio non vidi: sic nec vigesimum diem attigisse. Quare hunc videtur Hippocrates, vt velocissimè peremptum, ob oculos nobis proponere. Hæc Galenus. Quibus, quantum humores nostri corporis, vitiari, & venenari possint, abundè docuit. Quod enim tam prauus humor, in nostro interdum corpore paulatim gigni possit, vt repentè postea interimat, præter ea quæ nuper citauimus, scripsit idẽ Gal. 2. lib. Prorrhet. com. 17. vbi duos ægros memorat, qui non valde malè videbantur habere: & ob huiusmodi prauos & venenatos humores, intra septẽ dies interierũt. Galeni verba sunt quæ sequũtur. Nõ est igitur absurdũ, vt vitalis in corpore progenitus sit humor, qualis est & rabiẽtiũ canũ, & tractu tẽporis longiore, corrũpentiũ medicamentorũ: ita vt plerosq́ medicos lateãt. Quomodo in eo qui ob lassitudinẽ, vt videbatur maximè modicam febryt, qui post quartũ diẽ, vrinã secreuit substãtia quidẽ tenuẽ, sed colore nigrã, vt in vtroq́ eam quæ ex pauco atramẽto scriptorio aquæ multæ diluto cõsurgit, misturã represen taret. Atq; modo alio, si nõ atramentũ ipsum dilutũ intellexerimus, certè eam quæ à multis ἀσβόλη appellatur fuliginem. Visus est æger hic quarto die bene habere, ita vt sequẽtibus diebus lauaret: deinde die septimo vesperi, cum febrire cœpisset tabefactus obijt. & cætera. Quibus Galeni testimonijs, constat primo, quòd humores in nostro corpore adeo vitiantur, vt venenum quandoque fiant. Secundo, quòd huiusmodi


humo-

humores venenati, nos ipsos interimunt, si morbus est ex natura lethalium, citius quã interimeret morbus idem, ex humoribus non venenatis ortus: vt in phrenitide citata è tertio Epidemiarum, quæ tertia die interemit. In morbo etiam salubri, mortis causa est hic humor: vt in eo qui laßitudine laborat. 2. lib. Prorret. citato contigit: & in alijs multis nostra ætate ægris, qui per doctos medicos curati, è tertiana, & morbis alijs citra periculum mortui fuerunt. Inter quos nunc dum hæc scribimus satis aduerso fato, deceßit excellentißima & christianißima dña Eleonora de Guzmã, Dux de Ossuna, ex duplici tertiana in meliorem iam statum versa, in qua nihil sinistrũ docti medici suspicabantur. Repente etiam hi humores, nos sanos interimere possunt: quod in peste fieri interdũ videmus. Plurimi enim solita negocia agentes, de nullo morbo conquæsti, repẽte intereũt, sola aura venenosa humores nostros, & nos ipsos tam citò venenante, & interficiente, vt mors morbum præuenire videatur: aut quia humores hi venenati, tota substantia potius, quàm manifestis qualitatibus agunt, & ob id insensiliter alterant, donec alteratio adeo creuit, vt subito interimere poßit: aut quoniam in ignobili membro, humores illi paulatim congesti, & assueti, non lædunt donec ad eam magnitudinem peruenere, vt vim expultricem excitent, & ad nobile membrum eos subitò transferat irritata. Vbi multitudine, prauitate, & dissuetudine, mortis causa sunt. Quanuis autem omnes humores venenari contingat, sanguini inter alios id maximè conuenit: præsertim si extra venas sit effusus, & in grumũ, ventriculo, intestinis, thorace, aut vesica insidentem vertatur. Animi enim defectio, & pallor ex ipso sequi solet: pulsus paruus, obscurus, & frequens apparet: & laboras ipse cum anxietate resoluitur. Quod etiam in magnis musculorum vulneribus, ob grumos ibi concrescentes accidit: & in ijs etiam qui ab alto ceciderunt, quanuis vulnus nullum fuerit in ipsis sequutum. Sanguis enim extra vasa, vndique tunc per carnes egreditur vt monstrat (in tauris ac bobus, qui aut in theatro, aut quomodolibet agitantur) color carnium nigricans, & ipsarum pondus auctum. Hinc ij qui ab alto ceciderunt, cursim longum confecerunt iter, aut lucta certantes dimicarunt, in peßimas ægritudines incidere assolent: nisi vena tusa, & puluere cõtra casum, ipsas antequam fiant præcaueamus. Venæ sectio enim, sanguinem extra vasa, ad carnes & corporis vacuitates ferri probibet. Puluis verò contra casum sanguinis portionem, quæ extra venas fusa est, virtute rhabarbari emũdat, simul & viscera, atq; vasa stringit & vnit. Hinc in capitis vulneribus, sanguis ex cerebri, aut menyngum venula rupta, quanuis primis diebus ob familiaritatem, nullum effatu dignum inferat symptboma: ad septimũ tamen in æstate, & vsq; ad quartũdecimũ in hyeme, rigores & conuulsiones affert incompescibiles, cerebro ad putridi sanguinis irritamentũ commoto, vnde & vniuersum etiam corpus quatitur, & ineuitabilis mors sequitur. Quare autẽ sanguinem, tam praua sequantur accidentia, tamq; venenatam is assumat naturã (cũ omniũ quæ in nostro corpore sunt, maximè nobis sit familiaris) miratur Gal. 6. lib. de locis, cap. 4. Cuius euentus causam reddere, putat Isaac, quòd sicut pater valde indignatur

tur filio pessimè agente, ita natura sanguini cum vitiari cœpit. Quæ tamen ratio rhetorica, est nihil docens: nec ob id in scientijs admittenda. Dicunt alij, quòd sanguis mutatur ab optimo in pessimum: quoniam omnis mutatio est è contrario in contrarium. Cōtra verò est, quòd in nigrius ea ratione cōmutaretur albū, quàm cæruleum, aut viride. Dicendū ergo, quòd quò quidpiā perfectius est, eò pluri indiget apparatu, & dispositione ad sui conseruationem: vt homo inter animalia, qui infinitis ob id ægritudinibus vexatur, quoniam raro omnia sibi necessaria, in vnū conueniunt. Interiēs autem pessimè putret: quoniā anima & apparatus vitæ, magis necessarij erant, adseruandam eam cōpositionem, quàm alterius imperfectioris animantis. Semen quoq;, lac & oua, quæ vltimā coctionem, & perfectionē sunt adepta, deterius ea ratione putrēt. Sic ergo & sanguis (aliorum humorū cōparatione) extra vasa delatus, pessimè omniū putret: & febres malignas, ac terribilia symptomata infert. Bilis verò vtraq;, tam in vesica fellea, & liene aceruata, quā per carnes sparsa in arquatis: sicut & pituita in ventriculo, capite, & articulis podagricorū diutius cōtenta, seruatur incorrupta. Intra vasa verò sanguis, quonian naturalissimè locatur, cuius etiam summā ibi curā tenet natura, mitius reliquis omnibus putrescit: & quanuis magnam excitet flāmam ex multitudine defluxus ortam (quoniā calidus atq; humidus est, & propterea aptus, vt in halitum digeratur, & plurimum manui tangentis offerat calorem) mitis tamen est, & minimè mordax eius caloris qualitas: contra ac ex bile putrescente consurgit, ex qua minor defluxus, & ingens acrimonia tactum ferit. Ob id eæ tantū febres, quæ ex bile sunt, ardentes aut vrentes, proprijssimè appellantur: quæ ex sanguine verò non sic, sed calidissimæ, ob febrilus caloris copiam. Fit tamen interdum, vt ardentissimum, pro calidissimo accipiat Galenus: quòd fecit. 1. lib. Aph. com. 23. quò loco vtroq; est vsus vocabulo: modò ardentissimas, modò calidissimas febres appellans, eas in quibus sanguinis ad syncopim detractio cōducit. Simul autē stat, si proprietas vocabulorum seruetur, calidissimas esse & mitissimas: quòd enim febris sanguinis intra vasa putrentis, mitior quā ex alijs humoribus sit, docuit Gal. 2. lib. de febrium differētijs, cap. 9. & ratio, quoniam ex miti humore qualis est sanguis, mitis & mulcebris vapor effluit. Quin addit Galenus, quòd febres ex humoribus è sanguine genitis mitiores sunt, tum in caloris qualitate, tum etiā in reliquis symptomatibus: quā febres ex eisdem humoribus, aliter quàm è sanguine creatis. Hinc constat deceptum fuisse Valeriolam, qui febrem sanguinis putrentis, deteriorē, & acutiorem esse, quàm quæ ex bile excitatur autumat. Quod sanè verum est, si vterq; humor extra vasa putreat, quoniā deteriori tunc sanguis occupatur putredine: extra venas enim innaturalissimè locatus, à naturæ regimine prorsus destituitur: & calore atq; humiditate qua pollet, opportunissimus putredini se exhibet. Intra vasa verò, sanguinis ingentem curā gerit natura, ita vt mitius semper putreat: præterquā quòd suæ qualitates semper sunt mites, quòd plurimum facit ad febris simplicitatem. Decepit ipsum Galeni locus, è capite sexto, secūdi libri de Crisibus, vbi ita scriptum legitur. Continuam quidem nomino

febrem

« febrem quæ ad infebricitationem, ante quàm ex toto soluatur non desinit, & si decli-
« natio aliqua sensibilis appareat. Cum verò neque declinatio aliqua sensibilis fiat,
« semper verò à primo principio febris, vsque ad crisim similis perseuerauerit, erit
« & hæc ex genere febrium deurentium: ab eisdem verò acutie differt. Quibus ver-
bis, existimat febrem sanguinis, biliosæ comparari, esseque acutiorem ipsa: quoniam cum aliquid dicitur ab alio re quapiam differre, ratio differentiæ dicitur inesse illi quod cum alio confertur, & non ei cum quo collatio fit. Quare tantundem refert, quòd de febre sanguinis dicat Galenus, quòd differt acutie à deurente: ac si dixisset, febrem sanguinis deurente esse acutiorem. Valesius verò, lib. 5. controuer. cap. 22. similiter ac Valeriola, locum hunc Galeni de febre sanguinis intelligit: & amphibologicum sensum habere contendit, ex alijs Galeni locis interpretandum. Decipitur tamẽ vterq;, nam Galenus nullam ibi de febre sanguinis mentionem habuit; sed de duabus
« febribus biliosis ambabus: quod verba statim sequentia declarant, quæ ita habet: Sed
« neq; in primo die, neq; in secundo, est huiusmodi febrẽ prænoscere, neq; aliter vtile.
« Sufficit enim genus agnoscere, quòd scilicet biliosa sit, atq; deurens, & peracuta. Qui-
bus Galeni verbis patet, quòd vtraq; febris ex cõparatis sit biliosa: et ob id ante diem tertium non potest dignosci, quoniã qualitate caloris mordaci conueniunt. Tertio verò die dignoscuntur, quoniã vna apertam habet declinationem: alia verò continuũ feruorem seruat. Nec vtilis admodũ ante diem tertium fuit huiusmodi dignotio, quoniã febris vtriusq; genus innotuit, quòd nimirum biliosæ sunt ambæ: quare aduersus bilem abundantem, & putrentem, præsidia parantur. Nam si vt intelligũt, ex illis duabus febribus, vna est biliosa, sanguinea altera: quomodo primo, & secundo die, non dignoscuntur ex qualitate caloris, & alijs indicijs? quomodo item vno genere biliosi comprehendentur? qui etiam fieri potest, vt primo, & secundo die, non sit vtilis dignotio febris sanguinis, quæ venæ sectione non procrastinata venit curanda. Accedit etiam quòd. 2. lib. de diff. febrium, cap. 2. Continuarum (inquit) quæ ex flaua bile proueniũt,
« duplex est species: altera earum quæ à continuo feruore synochæ appellantur, quarũ
« vniuersum tempus, in vna consumitur accessione, quæ a principio vsq; ad finem per-
« tingit: altera earum, quæ idem cum genere nomen sortiuntur, & continuæ appellan-
« tur, atq; in pluribus circuitibus continentur. Hæc Galenus. Quæ nunc per transcur-
sum dicta sint, donec de febribus sermo incidat, vbi opportunius tractabuntur.



¶ Libri de plenitudine & cacochimia, finis.

PETRI DE PERAMATO, DE VAcuandi ratione, per sanguinis missionem, *liber vtilissimus.*

PRAEFATIO.



VLTA naturalis medicinæ partis, eaque præcipua nos vocabant, in quibus versandis & euoluendis, ingens accedebat, præter vtilitatē voluptas: quæ præcipuè in cognitione causarū posita est. Hæc animum ita suspēdebat meum, vt magna mihi vi eniti vt ab eis diuerterem, & anxia itē quadā amicorum efflagitatione, quæ nos ab ipsis reuocauit, fuerit opus. Atq; iā inuitant me, præter amicicia, rei ipsius vtilitas maior, & conscientiæ nostræ (quàm optamus) securitas. Nam cum ex ægrotantium, qui nobis committuntur pecunia viuamus: nec nobis eam largiantur, nisi vt à morbis sanentur, fit merito vt magis iam occupemur, in ea medicinæ parte, quæ morbos curat & auertit, quàm in contemplationibus, quæ longè ab opere distant. Nec multum interest, si in numero temperamentorum erres, si simplex detur intemperantia, si detur temperatura æqualis, si duo corpora temperatissima eodē temporis momēto creari possint, si detur spiritus naturalis, et quibusdā similibus quæ pars contemplatoria tractat. Nam in quocunq; istorum erres, tibi soli illudes: & in re non tanti momenti eris deceptus. Erratum verò, quod in ea medicinæ parte, quæ morbos curare docet committitur: valde est periculosum. Nullibi autē peccatur grauius, quàm vbi de euacuatione hac, aut illa, obeūda aut prætermittēda tractatur. Quæ certè causa est, quòd post integram humorum in corpore redundantium traditam dignotionem, de eorundem vacuandi ratione scribam. Sciant ergo detractores (plures enim huiusmodi esse futuros, certò certiùs videmus) nos conscios ordinem inuertisse.

Quod corpus vt sanum sit, humorum poscat mediocritatem, non excessum quantitatis, aut qualitatis. Et an nostris temporibus, sit crebra vacuatione vtendum.

CAP. I.



VOD in corpore sano, quod & rectè valet, & firmum est, iustā quandam quantitatis mensuram, non excedant humores, fit manifestum. Primo, ex experimento, nam qui simpliciter bonus habitus nominatur, quem plurimi agricolæ habent in fodienda terra, metendis segetibus, & alijs ruralibus laboribus occupati, ad immodicā repletionem nunquam assurgit, 1. lib. Aphor. com. 3. autore Galeno. Secundo, quoniam ad bonum habitum simpliciter, non sufficit virium robur, nec humorum integritas, nisi ipsi accedat securitas, vt libro de bono corporis habitu, Galenus est autor: qui verò ad immodicam repletionē venit, plurimis expositus est periculis,

culis, internarum (inquam) venarum crepaturæ, & extinctioni calidi innati: & ob id Hippocrates, eum habitũ qui ad immodicam repletionem venit, quantumuis humores inculpatos habeat, non appellauit bonum habitum simpliciter, sed cum additione bonum habitum athletarum. Athletarum (inquam) non vt Leonicenus vertit exercitatorum: nam exercitati bonum habitum simpliciter habent, citra additionem vllam, vt quinto libro de Sanitate tuenda, Galenus est autor: & de fossoribus, messoribus, & ruralibus laboribus occupatis, nuper ex Galeno retulimus. Quòd verò non solius quantitatis humorum, sed etiam qualitatis ipsorum mediocritatem quandam, requirãt corpora sana, manifestum facit Hippocrates per ea verba. Si talia purgentur, qualia purgari oportet. Vbi non de quantitate eorum quæ vacuantur sermo ipsi est (vt nõnulli sunt arbitrati) sed de qualitate tantum: vt manifestãt duo illa verba, Qualia & Qualis. Nam si de quãtitate ipsi sermo esset, potuisset dicere: Si quantum purgari oportet purgetur. Et rursus: Si tanta fiat quanta fieri debet. Hoc idem ostenditur & ex verbo Purgari: neq; enim simpliciter dixit, si qualia oportet euacuari, sed si qualia oportet purgari. Est autem purgatio, humorum qui sua qualitate molestant euacuatio: quare & ex verbo Purgari, etiam constat de peccato humorum per qualitatẽ fuisse loquutum. Et ex cõsequenti, corpus quod sanum est futurum, humorum poscit mediocritatem, tum quantitatis, tum qualitatis, cum latitudine quæ contrariis temperamentis debetur: nam sanguinei abundantiores, melancholici pauciores & sicciores postulant humores, biliosi calidiores optant & tenuiores quam pituitosi, temperati omnia habent mediocria: omnes verò integros, & minimè aut corruptos, aut extraria qualitate affectos, desiderãt. Quòd si occasione aliqua, aut plures, aut pauciores insint humores, quàm corporis natura postulet: aut intemperie, aut corruptione aliqua tangantur: iam aut ægrotat homo, aut ipsi impendet ægrotandi periculum. Quanquam verò morbos hæc omnia parere possint: frequentiores gignit redundantia, & corruptio: pauciores verò defectus. Etiam si nonnullis videatur (vt refert Galenus, lib. 2. Aphor. com. 22.) nunquam fieri ab euacuatione morbum. Sanguis tamen cum supra modum, aut ex vtero muliebri, aut ex venis quæ hæmorrhoides appellantur, aut ex vlcere fluxerit: tunc vel omnes, vel plurimas operationes, ij qui ita affecti sunt, offensas habẽt. Nõnulli verò ipsorum non modò hæc patiuntur, verum etiam aqua intercutem corripiuntur. Longæ quoq; inediæ, iis qui calorẽ habent ad igneam naturam propensiorẽ, præter alia mala insuper afferunt febrẽ. Parit ergo morbos humorũ defectus, pauciores tamen atq; rariores, abundantia verò plures & frequentiores. Nostro præsertim æuo, adeo gulæ & otio dedito, vt albo cigno similis censeatur, qui se à superfluo atq; inordinato victu tẽperet. Quare nõ essent à Fuchsio & Cardano, tã acriter reprehendendi nostri tẽporis medici, omnes ferè ægros purgantes. Primo quoniã victus frequẽtissima intẽperantia, frequẽtiorem poscit vacuationẽ. Secũdo quoniã rari sunt morbi ex inanitione orti, fallitur enim in suis Aphorismis Damascenus,

cum dixit non pauciores morbos ex inanitione, quàm ex repletione creari. Accedit tertio, quòd ex nimia vacuatione sæpe nascitur morbus materialis, qui purgationem desiderat: vt aqua intercus ex larga sanguinis effusione, commentario citato autore Galeno. Et vt refert Auicenna.4.1.cap.20. ex copiosa sanguinis missione vires imbecilliores redditæ, multos humores vitiosos gignunt, qui purgationem statim petunt. Adde quarto, quòd per euacuacionem boni humoris, & bonæ atq; ingenitæ substantiæ detractionem, interdum manifestatur actio praui: qui antea à bono coërcitus nō lædebat, bono verò vacuato effrenis redditur, & si frigidus est incrudatur, si calidus verò ebullit, & efferuescit: quare purganti medicamento opus habet. His etiā accedit ex euentu testimonium: nam sic curati, si curationem tamen admittant, aut sanantur, aut in melius pertrahūtur: vt quotidiano medentium experimento constat.

Cui morbo facilius succurratur, orto ne *ex inanitione, an humorali.*

CAP. II.



ORBIS ex inanitione, nutritione succurrimus, sicuti morbis ex redundantia vacuatione. Contrariorum enim contraria semper remedia sunt idonea, vt.2.lib. Aphorism. comment.22. memoriæ mandauit Hippocrates. Impar tamen est labor, nam cum natura quæ morborum est medicatrix, in morbo ex inanitione sit imbecillior, & opere indigeat difficillimo, multa scilicet appositione alimēti: difficilius succurrimus morbo ex inanitione, quàm ex humoris abundantia orto. Neq; obstat, quòd in humorali plura sint abigenda, morbus scilicet, & humor qui est morbi causa: in eo verò qui ex inanitione, solus morbus sit profligandus: nam validior natura, facilius duos hostes deuincet, quàm si non valeat vnicum. Humore præterea sublato, aufertur statim & morbus, secundo Aphorismorum citato: quare cum vno tantum hoste bellum est ineundum in morbo humorali. Sed demus (gratia exempli) facultatem vtrobiq; esse parem: nonne minori labore natura, noxium humorem è corpore deturbabit, quàm multum sibi apponat alimenti? Equidem arbitror: nam excrementa & humores quæ natura commutare nequit, ipsa solet excernere: quoniam hoc facilius, quàm illud obit. Accedit, quòd excretionis opera fœlicius iuuantur à medico venæ sectione, expurganti medicamento, ac alijs: quàm opera nutritionis possint auxilijs ad id aptis promoueri. Quæ verò auxilia nutritionem promoueant, & morbis ex inanitione opitulentur, non est præsentis commentationis meminisse: nunc enim morbo ex humore orto mederi est animus.

Quod humor noxius sit vacuandus. Et quibus *indicijs dignoscemus, quando vacuatur noxius, & quando vtilis.* CAP. III.



ORBO ex humore orto, succurrimus vacuatione eius humoris, à quo morbus ipse proficiscitur. Sic enim natura dum rectè operatur facit: in morbo bilioso bilem vacuat, in pituoso pituitam, & in alijs morbis reliquas humorum differẽtias simili modo. Vnde considerare iubet Hippocrates in singulis morbis, singulas naturæ vacuationes: vt ab ipsa natura edocti, tales nos vacuemus humores, quales ipsa vacuaret natura. Quoniam verò rerum similitudines (vt ex Hippocrate retulit Gal. com. 2. quartæ partis Aphorism.) non solum vulgares, sed etiam medicos eruditos aliquando decipiunt, ne in hac similitudine decipiamur putãtes, quòd nos vacuamus humores similes, atq; tales quales natura vacuaret: duo nobis Hippocrates dedit indicia bonarum euacuationum, conferentiam (inquam) & tolerantiæ facilitatem, vt & in his fiduciam habeamus cum rectè fecerimus euacuationem. Neq; enim idem esse putamus vacuationem conferre, & facilè ferri, vt quidam mentiuntur, decepti fortè quoniam hæc duo sæpe coniuncta reperiuntur. Sunt autem diuersa indicia, & diuersimodè expendenda. Primo quoniam tolerantia facilis, aut difficilis, consideratur magis in ipsa vacuatione dum fit: conferentia verò, post peractam vacuationem. Atq; bene toleratur, vacuatio ea, quæ interea dum fit, grauia aliqua non affert sympthomata: quæ postquam fuerit peracta, si vniuersum morbum, aut eius insignẽ aliquam partem ademerit, contulisse dicetur. Secundo, quoniam etiam si sæpe hæc duo coniungantur, seorsum tamen interdũ reperiuntur: nam per venã sectũ plurimo sanguine vacuato, adeo facilè fertur sanguinis detractio, vt sympthomata omnia quandoque anticipet, aut mors, aut animi defectio. Frigida in æstuosissima febre ante coctionẽ suauissimè bibitur, & morbum crudiorem reddit. Plurima quoq; alia, suauiter & sine sympthomatibus aguntur, & insumuntur, quæ maximè incommodant saluti. Contra verò perniciosi humoris vacuatio confert, sæpissime difficilè tamen fertur. Neq; enim fieri potest, quin perniciosus humor dum vacuatur, & in corpore mouetur grauissima adferat sympthomata. Quod sanè atræ bilis exemplo manifestum fit: hæc enim Galeno autore, libro de Atra bile, semper excernitur lethaliter, idest cum grauibus sympthomatibus, quæ ægrum exponunt, graui vitæ discrimini: quare semper atræ bilis excretio, difficile toleratur: confert tamen interdum, & morbum adimit, quotiens fit coctionis signis præeũtibus: vt quarto libro Aphorismorũ, cõmentario vigesimo secundo, Gal. est autor. Multæ præterea sunt purgationes, quæ per fas, aut nefas, morbũ ipsum, hoc est morbi materiã tollũt ante coctionem: vbi praua sympthomata, vellicationes, tormina, debilitates, & animi

interdum defectus necesse est adesse, atq; omnino facilè tolerari huiusmodi vacuatio non potest. Sic incipientes quartanas acri medicamento purgantes quidã, quartanas ipsas penitus sustulerunt, & ab errore purgandi, rectã atq; fœlicem sunt consequuti curationem. 1, fen, quarti libri, capite de cura quartanæ, autore Auicenna. Oportet ergo naturæ operã inspicere, vt tales nos humores vacuemus, quales ipsa vacuaret: & ne in hac similitudine decipiamur, duo alia indicia sunt annectenda. Oportet quoque regionem, & tempus, ætatem, & morbos, & reliqua etiam indicia addere, quæ nos cap. 37. & . 42. libri de humoribus, latius sumus prosequuti, ne nos quouis modo humor vacuandus fugiat. Neq; enim sufficere possunt sola conferentia & tolerantia. Primo, quoniam hæc non tam indicant de pharmaco exhibẽdo: quàm de exhibito, aut erroris, aut recti iudicij testimonium ferant. Secundo, quoniam non sola vacuatio eius humoris qui morbum infert, sed alterius etiam cuiusq; conferre quandoq; solet, cum scilicet humores præ multitudine fuerint conculcati, & plurimum obstructi. Quouis enim humore vacuato, amplior locus datur reliquis, atq; ea vacuatio ob id conferre videtur, quoniã minori cõculcatione quàm ante tenẽtur humores: cum tamen vera ea non sit conferentia, sed tantum apparẽs. Quod voluit Auicẽnas .1.3. cap. 21. de cura melancholiæ, in hæc verba. Non ergo seducat te iuuamentum quorundam, propter phlegma quod ipsi euacuant vomendo, aut egerendo: nam illud non est propter euacuationem phlegmatis iuuantem ipsos: imò quoniam multitudo & oppreßio, seu conculcatio, humorum adinuicem remouetur ab eis: verum iuuamentum essentialiter est euacuatio coleræ nigræ. Rudi sanè, & barbara hac oratione, elegantem nobis tradidit sententiam Auicenna: qua docemur, quòd peccans humor, semper est vacuandus, non alter: etiam si ex alterius vacuatione, melius quandoque videantur habere ægrotantes. Vera enim morbi in melius mutatio, ex eius solius vacuatione pendet.

Multæ differentiæ expenduntur, quibus *frequenter genus vacuationis partiuntur medici.*

CAP. IIII.



Acuando humori qui morborum est causa, plura ingenia excogitauit ars medica, ab ipsa natura docta, cuius ipsa est ministra. Nã cum febres continentes, pleuritides, phrenitides, anginas, iecoris, aut lienis inflãmationes, indicare sæpe soleat natura, per sanguinis è naribus fluorem, vterorũ purgationem, aut per vocatas hæmorrhoidas: naturæ imitatione didicit ars venã tundere in similibus morbis, & perinde ac ipsa hominem sanat. Causos verò, febres tertianas, & erysipelata, spõtina deiectione, aut bilis vomitione, prorsus adimi cum aduertissent homines diligentes, cholagogis pharmacis vti cœperunt, melagogis in febre quartana, & pituitam purgantibus, in morbis à pituita natis. Sic sudorifica medicamenta,

menses

menses & vrinã cientia, sputum promouentia, ventrem emollientia, & huiuscemodi alia, summo studio quæsiuit ars: quòd videret quosdam hac, quosdam illa vacuatione sanari. Hæc curiosius contemplantes, & manum operi admouentes medici, amplam de euacuatione inuenerunt doctrinam: & regulas innumeras in euacuatione obeunda obseruarunt: quas qui intellexerit, maximam ac valde fructuosam, perobscuram tamen, & maximè inuolutam artis partem, erit consequutus. Atq; in huiuscemodi contemplatione, primo nobis occurrunt diuersæ vacuationum species. Nam vacuationem multifariam partiuntur medici, sumuntq; eius differentias, interdum ab efficiente, aliàs ab euacuationis mensura, ab vtilitate quæ sequitur animali ex euacuatione, à materia quæ euacuatur, ab ipsius materiæ & corporis apparatu atq; dispositione, à loco à quo fit vacuatio, à distantia loci per quẽ fit vacuatio, à parte ægra, à malo quod per vacuationẽ abigitur, & à dignitate partis per quã fit euacuatio. Atq; vt singulas referamus, diuiditur vacuatio in spontaneam & arte factam, à faciente vacuationem, sumptis differentijs. 1. libro Aphor. com. 2. Mensuram verò respicit, diuisio vacuationis in minoratiuam & erradicatiuam, ex Gal. 2. lib. Aphorism. comment. 29. Sectio quoque altera, in mediocrem & immodicam, mensuram vacuationis notat. Dicitur autem immodica tripliciter: primo quæ ad syncopim ducit: secundo larga profusio, quæ immodicæ plenitudini proportione respondet, & hæc duo quandoque conducunt: tertio quæ vires corporis excedit, & hæc nunquàm est ex vsu. Ab vtilitate autem diuiditur euacuatio, in naturalẽ & sympthomaticam: si nulla enim actione læsa contingat, & virium perstet robur, & in summa cum prouidentia de animalis salute fiat, est naturalis: contraria verò sympthomaticà & præternaturã, libro de differentijs sympthomatum, in fine, autore Galeno. Sympthomaticam autem euacuationẽ, dupliciter audire oportet. Primo eã quæ fit à natura irritata, cũ ob morbi vehementiã, suum ordinem peruertit: vt cum humor expellitur ante coctionem. Secundo, quæ à solo morbo fit, nihil operante natura: vt pingue cum vrinis excretum, & contenta oleacea, furfuracea, foliacea, & orobina, ob calorem assantem. 2. prognost. capite de vrina: & sudor multus à vi conuulsionis expulsus, primo Epidem. parte. 2. com. 26. fit etiam cum ob multitudinem quæ contineri non potuit aliquid excernitur, non à facultate expultrice, sed à defectu contentricis: vt si nolentes illachriment, aut pituita appareat circa obtutum, primo libro prognosticorum, commentario decimo: & libro quarto Aphorrismor., comment. 52. autore Galeno. A materia verò quæ vacuatur, sumuntur vacuationis differentiæ: nam quædam omnes æqualiter vacuat humores, idest à nullo abstinet, sed quiduis obuium simultaneè educit: alia humorem, aut vnũ, aut duo eligit. Primi generis sunt venæ sectio, scarificatio, hirudinum, & cucurbitularum admotio, frictio, balneum, exercitium, æstus, inedia, & huiusmodi alia quæ omnes succos exhauriunt. Secũdo genere sola pharmacia cõtinetur, quæ vnum aut duos eligit humores. Nam quãquam in superpurgationibus,

omnes vi pharmaci ferantur, nō simultaneè, sed tractu temporis fit: reseratis osculis venarum, quæ ad intestina pertinēt, vt.3.lib. simplicium, capite vltimo, Galenus est autor. A materiæ verò vacuandæ dispositione, dicitur vacuatio quædā regularis alia coacta: nam tanta est quandoq; vacuandi necessitas, vt præcipuæ quædam regulæ artis, quæ vacuationem impediunt frāgantur. Exēplum esto, quòd ex artis regula, non est sanguis mittendus, si cruditas aliqua sit in primis venis, donec aut coquatur aut vacuetur: si quispiam tñ angina præfocaretur, aut lateris dolore ingenti cruciaretur, cruditate post habita, illico sanguis est ipsis detrahēdus. Ante coctionē quoque, & corporis præparationē, non est vtendū expurganti medicamento: si tñ humor membrū princeps obsederit (vt in aploplexia) necessitate coacti purgamus. Neq; id tamen sine regula facimus, sed ab alia præstantiori cogimur: quæ docet nos, ei quod magis vrget, quódq; maius periculū est adlaturū subuenire. A loco præterea, à quo humor decedit, sumitur diuisio vacuationis, in vniuersalem & particularē. Vniuersalis est, quæ vniuersum corpus euacuat: ex quo genere est venæ sectio, & sanguinis missio quæcunq;, & quouis modo facta. 4. Aphor. com. 2. autore Gal. Nec obstat, quòd 6. Epid. parte. 2. com. 9. apud Galenum, sectio venæ frontis, sit auxiliū locale: ita enim appellatur, quoniam caput magis vacuat quàm totum: & quoniam ante vacuationem, ex venis maioribus, atq; distantioribus, non licet eam venam incidere. Expurgatio præterea, quæ medicamento soluente fit, ab vniuerso corpore humores abducit: quanquam fiat etiam interdum, vt certa medicamenta soluentia, partes corporis certas magis respiciant. Colchicum quod hermodactilū vocant, crassam pituitam à iuncturis magis, quàm à reliquo adimit corpore, & est medicamen maximè conueniens omni morbo articulari, chiragræ, podagræ, dolori coxendicis, ac reliquorum etiam articulorum. Agaricus, & iris purgant thoracem, & pulmones, à viscidis, & putridis humoribus: quod paucis medicamētis est concessum. Colocynthis humores viscosos, à profunditate membrorum, magis quàm à vasis trahit, vt Paulus nos docuit sequētibus verbis. Interiora colocynthidis, vacuant præcipuè bilē & mucos, nō à sanguine, vt helleborus, & scamoniū: sed à neruis, & neruosis mēbris. Cōposita quoq; medicamēta, pari artificio, quædā huic, quædā illi mēbro expurgando magis sunt idonea. Pilulæ alephāginæ, de hiera, & stomatichæ, ventriculū: cochiæ, aureæ, & sine quibus, caput, & organa sensuū: pilulæ lucis oculos: de agarico thoracē, & pulmones: fœtidæ, & de hermodactilis, iuncturas purgant. Sunt etiā plura alia quæ autores scribunt, & nobis cōmodè habentur in vsu: quæ licet ab vniuerso corpore vacuent, hanc aut illam partem magis respiciunt. Vniuersum præterea corpus vacuat sudor, transpiratio, vomitio violentior, & exercitium, frictio, vigiliæ, curæ, æstus, balneæ calidæ, præsertim nitrosæ, sulphureæ, & bituminosæ. Ex accidenti quoq; vniuersum corpus, æqualius quā alia omnia, vacuat inedia: libro aduersus erasistratum, & .4. Aphor. com. 2. autore Gal. Nam licet venæ sectio vniuersum corpus euacuet, magis inanit vasa quàm membra: expurgatio, magis interna & superna

perna

perna, sudor magis externa, libro artis medicinalis, cap. 99 autore Gal: inedia verò cum omnibus corporis partibus deneget alimentũ, facit omnes corporis partes, æqualius à natiuo calore inaniri. Particularis verò vacuatio, ea dicitur quæ solã partem vacuat: atq; huius generis sunt, cerebri per palatum & nares purgatio: pulmonum screatio, leuis vomitio, mictio arenularum, aut puris, clyster, balanus, frictio partis per se, aut cum oleo digerente, balneũ particulare, perfusionem aut embrocationẽ vocant, ignitæ cucurbitulæ, ferrũ ignitũ, vesicantia caustica, & alia huiusmodi. Mos præterea est, particularẽ euacuationẽ interdũ nominare, eam quæ à toto corpore valde exiguum abducit: vt sectio venæ frontis. 6. lib. epid. citato: scarificatio, hirudinũ admotio, medicamẽta reserãtia ora venarũ, exiguus ab vtero sanguis, aut ab hæmorrhoide. Vacuationẽ præterea partiuntur medici, penes distantiã loci per quẽ vacuatur humor à parte affecta: atq; in tres diuidunt, in reuulsoriam, deriuãtem, & & euacuantem. Reuellimus per distantissima, deriuamus per proxima, euacuamus verò ex ipsa parte. Est autem reuulsio, humoris fluentis, aut fluxuri, ad cõtrarium reuocatio. Triaq; memorat cõtraria Galenus, ad quæ humorem reuocare possumus: supra scilicet & infra, dextrum & sinistrum, ante & retro: quibus addit libro de reuulsione Galenus, quartam differentiam, quæ est ab interioribus ad exteriora. Oportet autem in his differentijs, vt veram cõstituant reuulsionem, interuallum addere momentaneum venæ sectæ, à loco affecto: aliter omnis vacuatio esset reuulsoria, siquidem ab internis, ad externa humorem euocat. Si ergo hoc interuallum ita deficiat, vt vena secta adiaceat parti affectæ, euacuans est istiusmodi venæ sectio, non autem reuellens. Si verò non adiaceat vena, sed vicina sit: deriuatio appellatur. Hinc istiusmodi nomina interdum confundi mirum non est: quoniam in omni quantuncunque proxima loco affecto vacuatione, aliqua semper subest contrarietas: ob quam, scissio venæ frontis, remedium reuulsorium appellatur à Galeno, quinto Aphorismorum, commentario sexagesimo octauo. Verè etiam dixeris, aut esse deriuatorium (quoniam interuallum, quod est à fronte in occiput, non implet exactam reuulsionem) aut esse remedium locale, & euacuatorium, ex ipsa parte affecta, quæ caput est: vt scribit Galenus, sexto libro Epidemiarum, parte secunda, commentario nono. Sed quomodo reuulsionem, euacuationis speciem esse ponimus, siquidem eam ab euacuatione distinxit Galenus, libro artis medicæ, capite nonagesimo quinto, in hæc verba? "Ad hæc igitur ambo totum corpus euacuare oportet, aut omnino ad contraria loca retrahere, quod patienti particulæ influit." Quibus verbis, inflammationi medetur Galenus, aut totum corpus euacuando, aut humorem qui patienti particulæ influit reuellendo: quasi reuulsio euacuationis genere non contineatur. Dicendum verò, quòd quædam est reuulsio, quæ extra corpus vacuat humorem, atque hæc est, quæ vacuationi vt species supponitur. Alia verò est, quæ humorem è corpore non educit, quæ per calfactionem, frictiones, ligaturas, balnea, & leues cucurbitulas aduersæ parti

admotas obitur, de qua eò loci egit Galenus. Reuulsionem etiam ibi trifariam fieri dixit, in hæc verba. Retrocedet autem, vel impulsa, vel attracta, vel transmissa, vel vno horum aliquo modorum, vel omnibus. Libro autē. 13. methodi, cap. 9. duas tantum reuulsionis differentias memorat, in hæc verba. Quoniam igitur momentū omne curationis laborantis phlegmone partis, in redundantis in ipsa sanguinis vacuatione consistit: vacuatio autem hoc genus affectorum excogitata est duplex, aut translato ad alias partes, qui in ægra continebatur sanguine, aut foris à corpore expulso. Quæ tamen loca contraria non sunt. Nam primum membrum huius diuisionis bimembris, comprehendit primam & vltimam differentiam alterius trimembris: siquidem repulsio à parte ægra, fieri potest à facultate partis impellente, quæ prima differentia est: & à medicamento transmittente, aut repellente, quæ est vltima. A malo verò per euacuationē abigendo, vacuatio diuiditur in curatiuā, præseruatiuā, & eam quæ corpori sano debetur. Nā si sanum corpus est, & omni suspicione vacat, eæ tantum vacuationes sunt procurandæ, quæ sano homini conueniunt: recrementorum alui, & vrinæ, quotidie: sudoris, vel transpirationis, & sordis etiam craßioris quæ cuti & linteis adhærescit, perpetuo: sanguinis verò mensalis, à duodecimo in quinquagesimum annum. Cerebrum quoq; in homine sano, per palatum, per nares, per aures, & oculos: thorax, & pulmo, per lenem tußiculam, & vociferationem debent purgari. Quæ si rectè eant, sunt custodienda: si minus quàm oportet vacuētur, iuuanda: si magis, cohibenda. Quod si non integrè sanus homo sit, sed neuter, atq; ob id suspectus, quòd morbi semina concepta habeat: præseruatiua quæ futura mala auertat indiget vacuatione. Si verò iam ægrotet homo, vacuatione vtimur curatiua, non modo in morbo facto, verū etiam in fiente: in quo quæuis vacuatio, præseruatione non vacat. Nam vacuato humore, non solum præsens malum curamus, sed futuros etiā paroxismos prohibemus: futurorum autem est prouidentia, sicut præsentium affectionum medella, vt sæpe sæpius est à Galeno proditum. Verum quia corpus manifestè ægrum est, curatiua appellatur, nō præseruatiua, huiuscemodi vacuatio, vt libro Artis medicinalis, capite. 99. Galenus est autor. A dignitate verò partis per quā fit euacuatio, dicimus quòd quædam fit per loca conferētia, alia per inidonea. Partē enim vacuationi idoneam, faciūt duo: ignobilitas partis, & effluxus commoditas. Cutis totiùs corporis est pars ignobilißima, nam licet vsum præstet tegendo corpori, nullam habet actionem. Ventriculus nobilior est, facilè tamen purgatur ob amplitudinem. Intestina sunt ignobilia, & commodè purgantur. Vesica commodum habet effluxum, & non est vsq; adeo vilis. Vterus omnia habet mediocria. Nares, ob situm (quoniā scilicet propè cerebrum, & in facie sitæ sunt, & organum olfactus custodiunt) ignobiles prorsus non sunt. Emunctoria quoq; sunt ignobilia, in quibus si abcessus erumpant, nullatenus sunt repercutiendi: retro aures, cerebri emunctorium situm est: in axillis, cordis & spiritualium: in inguinibus, iecoris & naturaliū membrorum: per ea enim loca, ceu ignobilia, solet natura principiū membrorum,

membrorum sarcinam utiliter deponere. Nec aliud est emunctorium, quam locus aptus emungendi, repurgandi, ac in se ipso concipiendi, principum membrorum recrementa. Quae ergo per aliquod dictorum membrorum fit vacuatio, per loca conferẽtia fieri dicetur. Contra motus qui ad pulmonem, thoracem, aut cor inclinat, nec bonus est, nec per consentanea loca fit. Tot differentijs distributa vacuatio, traditur à medicis sparsim, & confusius quàm par foret: nos verò utilitati studentes, in re tam fructuosa, in gratiam studiosorum oleum & operam impẽdimus, & nulli hac in re labori pepercimus: ubi non de spontinis, sed de arte factis, spontinarum imitatione agimus: acturi postea de spontinis, ubi de crisibus sermo nobis inciderit. Sunt autem nobis singillatim omnes species examinandae, quae universum scilicet corpus, aut partẽ aliquam solam euacuant: quae à nullo humore abstinent: & quae unum aut duos eligunt. Interim verò reliquas differentias quae circa haec fiunt, utilitatis, mensurae, distantiae, dignitatis, ac reliquas suis locis distribuemus. Tenent autem inter omnes alias principatum, venae sectio, & expurgatio: de quibus primitus est agendum, ac de venae sectione prius. Est enim venae sectio, maximum, facillimum, celerrimum, ac securissimum auxiliũ: quoniã sanguinis profusionem ubi sistere volueris, statim supprimes: ex dato verò pharmaco, metus est, ne aut plus iusto vacues, vel nullo pacto euacuationem moueas, aut si moueris non tamen sufficienter vacues, secundo libro de ratione victus in morbis acutis, comment. 11. autore Galeno.

De peccato quantitatis & qualitatis. Et quod solus sanguis quantitate redundet.

CAP. V.



LICET vacuatio commune nomen sit venae sectioni, purgationi, ac alijs: arctius quandoq; sumitur à Galeno, pro venae sectione sola: ut nobis significet, speciem vacuationis eius humoris, qui sola quantitate exuperat: nomine purgationis dato humori alieno per qualitatem, ut. 2. lib. prognost. com. 14. Galenus est autor. Quantitate exuperat humor, qui prae multitudine substantiae, aut vires degrauat, aut vasa distendit. Qualitate verò, qui exorbitantem aliquã qualitatem inducit: calorem, frigiditatem, & alias. Non potest autem ut supra diximus, vires grauare, aut vasa distendere, humor alter à sanguine: nam antequam haec fiant, alter quidam ab eius humoris qualitate orietur affectus, libro de multitudine, autore Galeno. Solus ergo sanguis, quãtitate exuperans dicitur: quoniã is solus multitudinis offensas infert, grauitatem scilicet, & tensionẽ. Reliqui humores, sua qualitate exuperantes, ac molestantes dicuntur, quoniam ex sui natura excedentes, & exorbitantes qualitates obtinent: quarum ratione nostrum corpus intemperant, & qualitatis vitia ab ipsis illata, anticipant nocumenta quantitatis. Quod non contin-

git sanguini, nam ob sui temperamenti familiaritatem quantuncunq; augeatur, nunquã est sua qualitate molestus: sed bene aliena aut accita, quotiẽs corruptus, aut plurimum alteratus, à sua desciuerit natura. Vnde qualitate redundans simpliciter, nõ redundans sua qualitate appellatur sanguis à Galeno. 3. lib. Methodi, cum vel calidus, vel frigidus, vel tenuis, plus iusto, minus ve, est effectus. Ex quo sanè intelligitur Galeni locus, secundi libri præsagiorũ, com. 14. vbi ita scribit. ὀνομάζω δὲ κένωσιν μὲν τῶν οἰκείων, ὅταν ὑπερβάλλῃ τῷ πλήθει. κάθαρσιν δὲ τὴν τῶν ἀλλοτρίων κατὰ ποιότητα. Quòd est. Voco autem vacuationem familiarium, quando exuperant multitudine: purgationem verò alienorũ per qualitatem. Vbi versio latina habet propriæ materiæ, nos significantius vertimus vacuationem familiarium, idest sanguinis: nam dictio Græca οἰκεῖος idem est quod familiaris. Vbi versio latina habet quantitate, nos vertimus multitudine. Primo, quoniã dictio Græca πλῆθος multitudinẽ significat. Secundo, vt de medio tollamus, vgonis, & aliorum distinctiones, de quãto, quod vocant speciali & generali, & alia inutilia sophismataq;, quæ hic cõminiscuntur. Quod verò purgationem definiat, alienorum per qualitatem: intelligatur, alienorum, idest succorum non familiarium: per qualitatem, idest quoniam qualitates sui natura habent excedentes. Quod clarius dixerat. 1. Aphor. com. 2. purgatio est humorum sua qualitate molestantium euacuatio. Sua (inquam) qualitate, non aliena: nam sanguis dum efferuescit, aut putret, non est purgatione vacuandus, etiam si qualitatis vitio morbum pariat: nam ea qualitas accita est nõ sua. Quod fortè aduertens Auicenna. 4. fen, primi libri, capite vigesimo, ex sanguinis corruptione sumpsit indicationem ad venæ sectionẽ, nõ ad purgationẽ, his verbis. Amplius in corporibus, quæ prolixas perpessa sunt ægritudines, caue tibi à phlebothomia, nisi sanguinis affuerit corruptio, quæ te ad hoc perducat, quoniã tunc phlebotomabis ea. Et cõsidera sanguinem, & si ipsum videris nigrũ & spissum, extrahe eum, & si ipsum videris album & subtilẽ eum illico constringe: quoniã in ipso existit vehemens timor. Sic etiam Galenus, semper vbi sanguinem corruptum dignouit, sanguinis missione est vsus. Libro primo ad Glauconẽ, capite de cura quartanæ, si crassus & ater sanguis exierit, sanguinem detrahit abũdãter, si flauus & tenuis profluat, statim supprimit. Nono libro methodi, iuueni qui febre continente, ex sanguinis putredine decumbebebat, sanguinem misit, vsq; ad animi deliquium: nec tamẽ alicuius meminit expurgantis medicamenti. Latius verò & apertius, id scripsit. 6. lib. de morbis popularibus, parte tertia, comment. 29. vbi recenset historiam cuiusdam mulieris extenuatissimæ, quæ octo mensibus menstrua caruit purgatione, & plurimo demum sanguine valde corrupto per venæ sectionem detracto, pristinam sanitatem recepit. Cuius hic ego verba, quoniam ad multa sunt posthac vtilia futura, scribere decreui: quæ ita ad verbum habent. At qui ego cuidam muliercula, iam octo menses purgationis menstruæ suppressione laboranti, extenuatissima cum esset, haud exiguo detracto sanguine, breuissimo tempore proprium habitum restitui, sicut & alias

non

" non paucas eodẽ modo ad sanitatem reduxi. Sed quod illi mulieri accidit(neq; enim
" erat ignobilis)fuit valde celebre. Ipsi quidem rescissa vena, & medicis ex eo reme
" dio futuram vtilitatem firmiter polliceri verentibus. Quin etiam nonnulli mihi ad-
" uersari audebant, non solum propter mulieris maciem, sed etiam propter inappeten
" tiam, ex venæ sectione sequuturam esse noxam affirmantes. Profecto hæc melius
" est longiori sermone persequi, quàm vtrius prodici Hippocrates mentionẽ fecerit,
" diligenter inuenire conari: verum vt supra iam dixi sæpius, recentiores medici, ad
" magis sophisticam doctrinæ speciem deflexerunt, ægrotis euenientia, diligenter ob-
" seruare, & ipsorum affectus, causasq;, ex quibus curationis inuentio acquiritur, in-
" dagare negligentes. Et ipsa verò per experientiã, in muliere quàm memoraui con-
" firmata est: siquidem primo die sanguinis sesquilibram detraxi: rursum postero die
" libram vnam: tertio verò nõ multo post semilibra, erant enim vnciæ octo. Sophista
" quidem hæc legens, quæret quis ex Græcis vnquam libras, aut quis vncias nomina-
" uit? Medicus verò, & quæ alia signa præter cohibitos menses, venæ sectionem indi-
" cẽt, scire auebit. Illa igitur & ego recensebo, sophistis vt valeant nuncians. Quo
" niam scilicet ipsius venæ eminebant, sanguinis plenæ, colore liuidæ: rescisso autẽ vas
" culo, liquidæ pici, & colore, & crassitudine, similis sanguis emanabat: ob id ipsum
" sanguis multò magis visus fuit largiter esse euacuandus. Ex quibus tum Galeni, tum
Auicennæ verbis, apertè constat, quòd à sanguinis corruptione, sumitur semper indicatio ad venæ sectionem, non autem ad expurgationem. Quod sanè de ea sanguinis corruptione intelligas velim, quæ in naturæ gratiam redire potest: nam exonerata natura à maiori sanguinis parte, reliquam corrigit ac restituit. Quando verò adeo corruptio creuit, vt sanguis redire nequeat: iam tunc sanguinis missio nõ conducit. Primo, quoniam vires non constant cum tanta corruptione. 6. epid. par. 3. com. 43. autore Galeno. Secundo, quoniam is status desijt esse plenitudo, in qua venæ sectio conuenit, 2. Aphor. com. 17. Tertio, quoniam ablata est spes, reducendi sanguinem relictum in corpore. Quarto, quoniam huiusmodi sanguis, insigniter mutatus est ad naturam humoris biliosi, aut melancholici. 6. Epidem. par. 3. com. 40. quibus potius pharmacum, quàm venæ sectio est ex vsu. Sanguis ergo, vt quò fluxit oratio conuertamur: siue quantitate exuperet, siue qualitate morbum pariat, (dum modo reduci possit) semper est venæ sectione vacuãdus: expurganti verò pharmaco nequaquam. Nam apud Galenum, nõ cuiusuis qualitatis peccatum, purgationem poscit: sed eius tãtum humoris, qui sua natura, qualitates exorbitãtes sortitur, vt diximus. Quare per hæc verba, purgatio est humorũ, sua qualitate molestãtium euacuatio: & per ea item, purgatio est vacuatio humorum alienorũ per qualitatem: nihil aliud Galenus intellexit, quàm quòd purgatio, conuenit alijs tribus humoribus à sanguine: venæ sectio verò, sanguini, aut solo, aut omnium massæ. Nã præter iam dicta, alienum opposuit familiari Galenus. 2. prognost. citato: solus autem sanguis est familiaris, & qualitates mitissimas habet: tres ergo reliquos appellauit alienos.

SED scrupus est, cur sanguinem tam solicitè venæ sectione educat Galenus, purgatione nequaquam? Memorant enim autores, non pauca medicamenta, quæ sanguinem purgant: de quibus meminit Actuarius, libro de Compositione medicamentorum: & Aëtius libro tertio Tetrabibli, capite. 55. vbi ita scribit. Sanguinem purgat porri capitati succus, mercurialis, viola alba, malua siluestris, & saluia. De minori præterea centaurio scribit Dioscorides, tertio libro, quòd eius decoctum per clysterem infusum sanguinem trahit. De erui quoq; farina, scripserat lib. 2. cap. 11. quòd si largius in cibo aut potu sumatur, sanguinem cum torminibus elicit per vesicam, aut aluum. Periclymenum præterea, & erythrodanum, vrinas cruétas eliciunt .7. & .8. libro de Simpl. medic. facult. autore Galeno. Cur ergo istis medicamentis sanguinem non vacuamus? Huic nos difficultati respondemus, quòd sanguinem purgantia medicaméta, multipliciter apud autores sumũtur. Primo pro mundificantibus ac defæcantibus sanguinẽ à sua turbilitate & fæculentia: vt enim vinum turbatum, lacte amigdalarum permisto, mundum redditur & clarum: & sacharũ aqua dissolutum, misto albumine: ita & sanguis clarescit, succo porri capitati, mercuriali, viola alba, malua siluestri, saluia, & etiam alijs eadem facultate insignitis. Sanguinem præterea quædam medicamenta dicuntur purgare, quoniam humores sanguini permistos, ex quibus sanguis vitiatur, vtiliter vacuant, & ab illis sanguinem mundum reddunt. Manna, casia fistula, mirobalani, & fumaria, quibus vtitur Auicenna prima quarti, in curatione febris sanguinis, vt humores vitiosos & adustos separet: & sanguinẽ ab eis mundum reddat. Adhæc sanguinẽ purgantia appellant, quæ valida vi aperiẽdi prædita, venarũ ora ita recludũt: vt sanguinem abũdè profundãt: qualia sunt periclymeni tum fructus, tum folia, lib. 8. Simpl. capite proprio, autore Galeno: & omnia medicamenta superpurgantia, lib. 3. Simpl. capite vltimo. Nam huiuscemodi, præter vim expurgandi, vires habent apprimè incidentes, excalfacientes, vlcerantes, & venarũ ora, similiter ac scalpellum aliquod aperientes. Vtimur autem cõmodè sanguinis turbulentiam excolantibus, inter quæ principatũ tenent mercurialis, & malua, suntq; multiplicis vsus apud medicos. Vtiliora verò ac efficaciora habentur secundo genere memorata, quæ vitiosos humores permistos à sanguine elidunt. Superpurgantia quoq; & vlcerantia nõnunquam sunt ex vsu, per clysteres præsertim infusa, quotiens dysenterias & sanguinis profluuia mouere est animus: vt in schiadicis apud Auicennã. 22. 3. cap. 27. & apud Galenũ. 7. Simpl. capite de minori cẽtaurio. Quæ autem verè dicuntur sanguinem purgantia, ea sunt quæ aliorum purgantium more, vim trahendi sanguinẽ ad se, ab alijs humoribus secretũ habẽt. Quibus an vti cõueniat, manifestũ facit Galen. lib de Purgant. medic. facult. vbi ita scribit. Sed quæres forsitã & tu, num aliquod medicamentũ statim à principio sanguinẽ educens inueniatur? Inuenitur sanè, nec eo quisquã inuento vteretur. Quamobrẽ inquies fortasse? Quia hoc iugulare, non purgare homines foret. Nã quæ purgãt, purgantia passim idcirco nũcupãtur, quòd sanguinẽ ab ante dictis

humo-

" humoribus purũ cõstituat. At qui nemo est adeo prudẽs medicus, vt vniuersum san
" guinẽ euacuare, reliquos autẽ humores intus omittere velit. Quare medicamenta,
" quæ per venas intestinorũ & vẽtris sanguinẽ deijciũt, venenis adnumerãt. Consen
" taneũ autẽ erat, si modò quæ doces vera sunt, neq; hæc primo sanguinẽ euocare. Qui
" bus autẽ nominibus eiusmodi medicamenta nũcupentur, etiam si constãter scirem, li
" teris cõmendare nolim. Illud tamẽ quod in thracibus Bithyniam incolentibus, me ad
" huc puero contigit, sine periculo cuiusquam dici potest. Inuenit homo quidam her-
" bam, quam si quis assumpsisset, sanguinem primo, tum vitã emittebat. Multis itaq;
" hoc pacto morientibus, cum facinus hoc diligenti inquisitione dignũ arbitrarentur,
" herbarium comprehẽdunt, & ad gentis magistratum ducunt. Is cum non solum ho-
" minem necare studeret, sed & siquis alius herbam aut didicisset aut docuisset, à nul-
" lo se quidem ipsam didicisse veneficus asseruit. Verum in suburbanum cum aliquã-
" do suillum iecur deferret, vrgẽte vẽtre, super herba quadam iecur deposuisse, quod
" aliquãto post cum sustulisset, vidisse ex vniuerso iocinore sanguineos riuulos ad her
" bam confluere. Ex hoc coniectura facta corpori sanguinem ea detrahi posse, peri-
" culo mox in obuio quodam facto, vt verum comperit, quod fore sperarat, ad malos
" vsus deinceps transtulisse: se tamen alicui alij eam monstrasse negauit. Hæc herba-
" rius ille diu inter quæstiones habitus retulit. Populi verò magistratus, cum pluri-
" mam illis in locis nasci hanc herbam ex rei dictis accepisset, vinctis oculis ad suppli-
" cium ipsum duci iussit, ne cui inter eundum herbam indicaret. Ex his ergo li pidum
" caput multa medicamenta eam vim habentia vt sanguinem à principio statim eli-
" ciant, inueniri constat. Reticere autem ipsa melius est, quemadmodum & alia vene-
" na tacent quicunq; ratione aliqua præditi sunt. Quibus Galeni verbis, dilucidè cõ-
stat, sanguinẽ hac ratione purgãtibus minimè vti licere. Sed si solo sanguine abũ-
dante fit interdum plenitudo, nonne solius sanguinis detractione commodior tunc vacuatio fiet, quàm si omnes cum sanguine succos haurias? Dicẽdum, quòd sanguis adeo est familiaris, & naturæ amicus, vt eius supra alios excessus nunquam vitiet proportionem, sed eam potius perficiat. Contra verò reliqui à sanguine succi, non plusquã pro sanguinis cremẽto cõueniat debẽt cõgeri: ob idq; satius semper est, omnes venæ sectione adimere (vt qualis antea erat, talis post vacuationẽ maneat succorũ proportio) quã ex vnius, aut duorũ purgatione, ꝓportionẽ vitiare. Adde quòd cacochimia sanguinea, totius massæ est vitium, & semper cum sanguine reliqui succi vnà putrescunt: tum quoniam cum minori sint copia, à sanguine putrente facilè aguntur in putredinem: tum etiam quoniam minus à natura custodiuntur, quare omnes præstat venæ sectione vacuare. Accedit quòd venæ sectio redundantem sanguinem vacuat, & reliquum relinquit inalteratum, & omnis extrariæ qualitatis expertem: pharmaca verò, & inter ea potissimè illa quæ sanguinem purgant, adeo sunt nostræ naturæ contraria, vt venefica qualitate nos afficiant, & corpus exangue reddant.

Quod in plenitudine quandoque purgamus, & in Cachomia sanguinem mittimus, gratia aliarum vtilitatum quæ præter euacuationem concurrunt.

CAP. VI.



Implici plenitudini, aut si mauis dicere sanguinis cremento, siue integer is sit, siue corruptionis particeps, venæ sectio conducit. Simplex verò reliquorum succorum cacochimia, purgatione non aliter est demenda. Vtriusq; complicationi, vtroq; est vtendum auxilio, venæ scilicet sectione & purgatione. Atq; hæc sũt vera & perpetua ab ipso humore vacuando sumpta indicatione. Veteres verò quãdoq; ad alia quæ magis vrgẽt respiciẽtes: purgatione vtuntur, vbi opus esset venæ sectione: & vbi opus est purgatione, venã interdum secant. Quarto enim libro de Sanitate tuenda Galenus, ita scribit. Quòd si quis vel propter ætatem, vel timiditatem, permittere se medico ad sanguinem vllo modo detrahendum nolit, huic deycienda largius aluus est. Aut si id quoq; suspectum habet, alia ratione educendum superuacuum est. Quibus Galeni verbis, apertè intelligimus, quód vbi morbus sanguinis mißionem postulauerit si vires eam non sustineant, aut propter ætatem, aut alia quauis ratione, aut si æger non pareat medico iubenti venam secare, quod sæpe sæpius contingit: tunc purgatione est vtendum quæ bilem vtramq; & pituitam vacuet, aut istorum vnum, aut duos. Satius enim est, vt solus sanguis redundet, quàm cum eo cæteri. Et pars insuper plenitudinis demitur per eam expurgationem. Et minori præterea coangustatione deinceps tenentur humores quàm antea. Quòd si ex plenitudine & cacochimia permistus sit affectus (vt in eo corporis statu de quo Galenus agit loco citato, vbi vtroq; est opus auxilio) huic aluus largius est deycienda, quàm si venæ sectioni daretur locus: vt nimirum sola purgatio, vtriusq; vacuationis vsum sufficiat. Si purgationem verò pariter ac venæ sectionem, aut renuat æger, aut non sustineat, alia ratione educendum superuacuum est: inedia, frictione, balneo, aut huiusmodi aliquo digerente: quo si non breui, at longiori tempore pristinam corporis habitudinem homo recipiat. Hanc Galeni sententiam barbarissimè transtulit Auicenna, lib. 4. de Cura febris sanguinis in hæc verba. Si autem non præparatur aliquid eorum (id est si nõ fit phlebothomia, aut manus aut frontis, quas proximè indixerat) & hoc propter accidens, quod prohibet (id est propter ætatem, aut imbecillitatem, aut quoniam æger non vult) tunc fac solutionem ventris secundum modum qui est in cansonide. Parcant quibus delicatiores sunt aures, nobis enim semper est animus vtiles sententias ipsißimis autorum verbis referre, ne forte nobis quispiam falsitatis, aut mendacij crimen imponat.

Contra verò in cacochimia sanguinem interdum detrahunt autores, citra sanguinis redundantiam: non habita cacochimiæ ratione, sed ob causam aliam adiun-

" ctam, vt scribit Galenus. 3. lib. de Locis affectis cap. 6. in hæc verba. Vbi verò so" lum cerebrum infirmius (quòd ad hanc dispositionem attinet) sanguinis detractione " non indiget, quamuis ob aliã quampiã causam sanguis mitti possit. Potest autem multiplex alia causa esse, quæ nos ad sanguinẽ detrahẽdum impellat. Prima, vbi vitiosus humor sanguini sit vehementer permistus, quod in morborum initijs raro contingit, frequentissimè in augmẽto, & statu, vbi iam præcesserunt aliqui naturæ cum morbo conflictus, in quibus humores agitari, & sanguini permisceri assolent. Sic autores in plurimis morbis à cacochimia natis, sanguinem non mittunt, donec signa affuerint, quæ humorẽ cum sanguine confusum esse declarent. Sic Auicẽna capite de cura quartanæ, vt sanguinem mittat coctionem desiderat in quartana: non quòd sanguinis missio coctionem poscat præeuntẽ, sed quòd argumentum sit permistionis melancholiæ cum sanguine. At in hoc statu, sanguis est iam vitiosus redditus ob permistionem praui, quare meritò detrahitur: dixit enim libro de multitudine Galenus, humorem aliquem vitiosum reddi posse, permistione, aut alteratione. Quare cum Auicenna quarta primi; cap. 20. in febre sanguinis coctionem requirit vt copiosa fiat phlebotomia, sine qua exiguum sanguinem educit: de febre à sanguine melancholico, aut phlegmatico, vt coctione is sanguis fluxilis reddatur, est audiendus. Alioqui sibi ipsi pugnaret, qui . 1. 4. tractatu. 2. cap. 7. ita scribit. Et scias " quòd phlebotomia quando est intentio sanguinis, non est ex genere eius in quo spe" ctatur digestio, nisi in humoribus alijs. Locus verò è . 4. 1. ne hic desideretur, ita habet. In febre autẽ sanguinea necesse est vt euacuatio fiat minutione non superflua " in principio, & superflua cum affuerit maturatio febris, quæ multoties remouetur " in hora phlebotomiæ. Mittunt secundo sanguinem autores, ob solam reuulsionem & retractionem humorum in contrarium, etiam vbi sanguinis adiectionem alioqui optaremus. Quod maximè fit, vbi morbũ magnũ, aut ingens damnũ auertere curamus: vt in fluxu sanguinis narium immodico, in quo sanguinem non alia ratione detrahit ex cubito Galenus. 5. lib. Methodi cap. 3. & libro de Sanguinis missione cap. 11. quàm vt humor in contrarium auocetur, & impetus fluentis sanguinis sedetur. Sic in screatu, mictu, vomitu, & secessu sanguineo, immoderatis mensibus, & sanguinis ex quauis parte profluuio sanguinẽ aliorsum vacuamus, gratia auertẽdi fluxũ. Sic in vehemẽtissimo dolore, à quacũq; is nascatur causa, materiali, immateriali, aut flatulẽta; sanguinẽ mittimus, ne quòd fieri sæpe solet, dolor sanguinem accersat; & phlegmone excitet in parte dolẽte. Discrimen verò est, nam si ingens à sanguine concitetur dolor, ad animi deliquium vacuamus, primo Aphorismor. comment: 23. si à vitioso verò humore, aut flatu, sola sanguinis detractione est opus, ne in dolentem partem accurrat: hoc autẽ fit magis, pauco & ex interuallis misso sanguine per loca distãtissima: non enim accumulata aliqua tũc indigemus minutione, vt humoris retractio fiat. Sic in casu ab alto & percussione, sanguis detrahitur, non multitudinis gratia, sed futuræ multitudinis in parte affecta. Sic in omni phrenitide, etiam à sola

sola bile, sanguinem detrahunt Zoar, Auicenna, Thralianus, & Galenus, 13. lib. Methodi, & Paulus in Erysipelate cerebri: quantumcunq; reclament Mesues & Gentilis, qui in biliosa purgant, & non phlebotomāt. Neq; enim sat est, frictionibus, clysteribus, & vinculis artubus iniectis, reuellere in hoc atrocissimo morbo, nisi sanguinis etiā missione vtaris: hæc enim summū reuellens est, apud Gal. 5. Meth, cap. 3. & lib. de sanguinis missione, cap. 11. Quin non modò in calidis, sed in frigidis etiam cerebri affectionibus (vt in lethargo incipiente) sanguinis detractione ob reuulsionē vtitur Gal. 13. lib. Methodi ante finē, vbi ita ad verbū scribit. Quin etiā in lethargicis, nemo est qui non capiti applicet auxilia. Nam & id vitium contrariū quodāmodo, secūdum speciem phrenitidi est: gignitur autem in capite, in quo scilicet princeps animi pars residet. Ergo cum humor qui in capite redundat frigidus est, insensibilitas, immobilitasq; hominē opprimunt: cum verò calidus est, perpetuus potius motus, vnà cum rationis noxa. Accidit enim (veluti demōstratū in libris his est) ex frigore segnitia, ex calore immodicus motus, ex humoris verò vitio demētia. Itaq; incidenda in talibus affectibus vena est statim ab initio: si modo tā valens virtus sit, vt sine noxa missionē sanguinis toleret, ac nihil probibeat eorū quæ de secanda vena retulimus, sicuti vel crudi humoris copia, vel puerilis ætas, vel anni tempus, vel regio in qua sit extremus calor aut frigus. Atq; hoc quidē cōmune vtriq; vitio, & ei quod cū sopore, & ei quod cum vigilijs incidit. Commune præterea vtriusq; est, vt oxyrrhodinū in principio admoueas: nā repellendus à capite humor est quisquis is fuerit. Ex quo nos Galeni loco colligimus, quòd in initio cuiusq; inflāmationis periculosæ, vt reuellatur & succrescat minus, sanguinē mittere expedit, siue calida ea sit, siue frigida inflāmatio. Nam quòd quarto continentis citat Rasius ex Galeno, in pleuritide ex mera cacochimia orta, sanguinem nō fore detrahendū: nec verū est, nec vllibi apud Galenū legitur. Quanquā & Rasius ipse cōmodè interpretetur locum eum, de venæ sectione vacuante, non reuellēte. Quòd item in angina biliosa, & pituitosa, iudeus quidā vetuit sanguinem mittere: reprehenditur merito tertio libro continētis à Rasi. Quòd verò Auic. 9. 3. cap. 11. in quadam specie anginæ, ex pituita à cerebro descendente, orta in fine algasamat, idest supra amigdalas, & ad partes faucium ac colatorij, vetat sanguinē mittere ante declinationem, quoniā plus de pituita ex sanguine misso decurrit, & hominē præfocat: difficile est admodum. Nam venæ sectio est validissimū reuellens in quacunq; materia, & ex eius omissione sanguis statim affluit, & omnes cum eo humores feruntur ad locū affictum & dolentem: quare is Auicēnæ locus suspicione non vacat. Quòd itē in sanguinis sputo ex bile, aut acri defluxione, caueāt à venæ sectione, Alexander, Paulus, Auicēna, & Hippocrates. 6. Epid. par. 3 com. vlt. intelligendum est, si affuerit paucitas sanguinis, & humoris deprauati ingens multitudo. Et tūc quoque erit adhibenda Galeni prouidētia, qua vtitur. 5 lib. Methodi, cuius nos verba ad finem huius capitis referemus. Sanguinem præterea ex talo mittit Galenus, libro de sanguinis missione, vt

cohibitum

cohibitam menstruorum vacuationem promoueat. Est enim in venæ sectione, vis vocandi ad se, sicut auertendi ab alio. Quin ob id auertit ab alio, quoniam ad se trahit: nec magis potest ex cubito detractio menses arcere, quàm quæ ex talo fit mouere.

Sanguinem præterea interdum mittunt autores, gratia refrigerãdi vniuersi corporis habitum. Qui refrigeratur ex sanguinis missione duplici via. Primo, quoniã calidus humor, ex quo corpus incalescebat, per eam vacuatur: vt in dolore capitis ex bile, in febre tertiana, in causo, aut in iis qui ex immodico vsu pharmacorum calidorum, aut ex febriũ diuturnitate, sunt supercalefacti, vt notat expertissimus Nicolaus capite de cura quartanæ, dum interpretatur verba illa Auicennæ, & in fine quartanæ, si necessaria fuerit phlebotomia, aude super ea. Secundo refrigerat venæ sectio, cum sanguis ad animi vsq; deliquium effunditur: syncopam enim perpetuo comitatur corporis refrigeratio. Qua certè ratione refrigeramus febres sanguinis ardentissimas. 1. Aphor. com. 23. & 9. lib. Methodi, cap. 4. & libro de sanguinis missione capite duodecimo. De iis enim ardentibus apertè loquitur Galenus, quæ ex feruentis sanguinis copia acutissimè accenduntur: non de causo atq; ardẽte ex bile, quod quidam existimant: nam in hac non est sanguis adeo intrepidè mittendus, vt in syncopin cadant ægrotantes. Nec quisquam ex probatis medicis, tam fuit audax, vt plurimum sanguinis in hac febre funderet, tum quoniam ingens in ipsa est cacochimia, tum quoniam experimenta infæliciter respõdent, dũ largius detrahitur. O quanta exẽpla nos oculis vsurpauimus, & vtinam (iuxta Galeni cõsilium 9 lib. Meth.) omnes qui docere scribere ve, aliquid sunt aggressi, ea prius operibus ostẽdissent: sic enim paucula quædam falso dicerentur, & hominum saluti bene esset consultum. Si refrigerãdi ergo gratia, in causo est mittẽdus sanguis, primo modo refrigerabimus, & cũ formidine semper: ne bilis ex largiori, quàm deceat profusione amplius excãdescat. Atq; hæc certè causa est, quòd Græci in causo nõ præcipiũt venã secari: Auicẽna verò reformidat, & vetat. Sed de hac re, infra cap. scilicet. 17. scribemus.

Sanguinem adhæc mittit Gal. 2. Aphor. com. 29. vt minorem reddat materiã, & quod reliquum est facilius vincat. Sic in omni febre putrida, venæ sectione minorat Galenus, vndecimo libro Methodi, vbi ita ad verbum scribit. Saluberrimum autem vt prædiximus est, in febribus venam incidere, non continuis modò, verum etiam aliis omnibus quas putrescens humor concitat, vbi præsertim nec ætas, nec vires prohibent. Leuata nanq; quæ nostrum corpus regit natura, exonerataq; eo quo velut sarcina premitur, haud ægrè quòd reliquum est vincet. Itaque proprii muneris haud oblita, & coquet quod concoqui est habile, & excernet quod potest excerni. Ex quo loco, nolim quispiam intelligat, in omni febre particulatim sanguinem esse mittendum, plurimæ enim sunt, in quibus sanguinem mittere minimè expediet (cum scilicet vrina aquosa extiterit, aut cum citrina igneaq; sit, ex Auic. 1. 4. tract. 2. capite septimo) sed intelligatur Galeni locus, quòd in omni febrium genere

De sanguis


sanguis mitti debet, vbi cum humore peccante plenitudo aliqua fuerit adiuncta: copiosa quidem si plenitudo fuerit ad vasa, minorans verò si plenitudo fuerit ad vires: vt parte materiæ detracta, natura reddatur potentior supra residuam. Si verò neutra affuerit plenitudo comes: & aut affuerint impedimẽtia: aut defuerint alia quæ ad sanguinẽ mittendũ cohortent: sanguis detrahendus non est. Venam præterea secat Biesius, lib. 6. Theorethicæ medicinæ, vt partem alimenti subtrahamus. Natura enim minus impedita in conficiendis multis alimẽtis, tota cõtra morbũ conuertitur, & breuius eum superat: si vires præsertim plurimũ constent, & de sui iactura exiguam indicationem exhibeant: qua certè ratione, inediam, & victus etiam tenuitatem cõmendant medici. In hac tamen sanguinis ducendi ratione, temeritas multũ officeret. Sanguinẽ præterea ex vena secta interdum vacuamus, gratia deobstruendi, & inhibendi putredinem. Nam eorum (inquit) .9. lib. Methodi. Gal. qui ex sola obstructione febricitarũt, nemo in putredinis febrẽ incidit, qui prius sanguinem miserat. Qua certè ratione, in omni febre putrida particulatim, apud quosdam potest conuenire mißio sanguinis, vt obstructio tollatur, & inde nata putredo inhibeatur. Facienda tamen prius distinctio est de causa obstructionis, nam cum alia ex abundantia, alia ex qualitate succorum, scilicet qui lenti aut craßi sunt incidat: in ea quam copia facit preferetur sanguinis mißio, in ea verò quæ ex succorum qualitate consistit attenuantiũ vsus, non autem venæ sectio erit ex vsu, vt decimo libro Methodi, autor est Galenus. Vtiliter præterea Matthæus sanguinem mittit, in antiquis obstructionibus hepatis, à crassa, viscosa, atq; ægræ mobili materia ortis, vt ex venæ sectione quæ omnes humores agitat, impacti in iocinore humores initiũ motus accipiãt, & pharmaco statim exhibendo leuius pareant. Hunc motum in alijs morbis, decoctis, & serapijs calidis, ac aperientibus machinamur: quorum tamẽ exhibitio, in valida obstructione iocinoris, non censetur secura, ob prohibitam euentationem, & supercalefactionem eiusdem. Statim enim ac iecur obstructum est, difficile euentatur ac refrigeratur, periculumque sibi nõ exiguum ex calefacientibus impendet. Quare satius est, vt motum expurgationi necessarium, demus humori, venæ sectione, quàm calidioribus & maximè incidentibus ac detergentibus medicamentis, quibus in antiqua hac obstructione opus foret. Atq; id est, quod sub compendio dixit Auicenna. Sed cum antiquatur opilatio, indiges phlebotomia basilicæ & solutiuo. Phlebotomia scilicet vt cõmoueat, & solutiuo vt vacuet materias quæ moueri cœperunt. Idem Matthæus capite de phrenitide, sanguinem mittit tentandi gratia. Non tentat autem si conferat, aut non: est enim venæ sectio vehemens præsidium, potiùs curando, quàm tentando seruiens. Ob idque secundo acutorum Hippocrates, fomentis tentat, venæ sectione curat. Tentat ergo tantillo sanguine extracto, an noxius humor exppellatur: in lepra sanguis arenosus: in quartana niger, & crassus: nam si tenuis ac flauus exierit, statim

est

est supprimendus apud Gal. 1. ad Glauconem, capite de cura quartanæ, quid autem est hoc aliud, quàm tentare. Tot percensuimus venæ sectionis vtilitates, vt nullus planè videatur morbus, in quo eius non pateat vsus: si non vacuandi, diuertendi, refrigerandi, deobstruendi, minorandi, commouendi, alimentum subtrahendi, sin minus vtilitas non deerit tentandi. Quod certè in magnum artis medicæ ludibrium verteretur: nec enim opus esset ægro sanguinis detractionē postulanti, medici consilio, qui huius aut illius vtilitatis ratione, sanguinē detrahendū fore nunciaret. Sat est sciant ægri, in omni morbo sanguinis detractionē, hac aut illa ratione esse profuturam: nec plurimum referre si doctum medicū accersant, aut cuiuis illiteratissimo se commitāt: quin quòd & ipsi ægri sine medico sanguinem mittētes, non errabunt. Secus verò res habet, & magno semper est opus artificio, nec enim in omni morbo opus est vacuatione, sed in eo qui ab humore duxerit ortum: nec est in hoc semper vena tundenda, sed (iuxta præceptū Gal. 4. lib. de sanit. tuen.) si bonus sanguis exiguus sit, reliquus verò succus, aut plurimus, aut à sanguinis natura valde recedens fuerit, sanguis nullatenus est detrahendus. In contrarijs statibus audaciter fundendus. In medijs verò parciùs, aut largiùs, prout huic, aut illi extremo magis accesserit mitti debet. Medici verò in vtrisq; officiū erit, omniū indicationū vires perpendere, & omnia librare, quæ venæ sectionē hortātur, & dehortātur. In quo examine si in præsētia cacochimiæ, cōiecerit vltra euacuationē aliquas ex dictis vtilitatibus cōcurrere, quæ iunctæ præponderēt noxæ cacochimiæ: vena est secanda, ipsius cacochimiæ interim indicatione non spreta: ipsi enim quoniam non leuiter indicat, aliquid semper est condonandum. Condonabimus verò, si sanguinē cum formidine, & quòd dicunt cum cautela vacuemus: tantū abest vt ad animi deliquiū huiusce status ægrotos ducere permittamus. Si verò indicatio à cacochimia, & sanguinis paucitate, vtilitatibus dictis præponderet, alia ratione vacuandū superuacuum est, non phlebotomia: & si multū vrgeat sanguinis detrahendi vtilitas, bona prius victus ratione cacochimia emendetur, & ad probiorem succum redeat: quibus sic reductis, detrahere sanguinē poteris. Hac etenim fuit vsus prouidētia, Gal. 5. Methodi, in acri ad pulmonem distillatione, salsa nimirum, aut biliosa: in quibus postquā victus salubrē institutionē adhibuit, & medicamenta quædā ei morbo congruētia indixit, ita scripsit. "Cæterum de mittendo his sanguine, scire illud licet, quicunq; parum habere sanguinis videbūtur, ijs ad quendam succū probiorem (sicuti prædixi) reductis, detrahere sanguinem poteris: tū rursus reficere, denuoq; si res suadet sanguinē mittere: potissimū quibus veluti limus quidam vitiosus & crassus totus est sanguis. At qui validi sunt, multiq; sanguinis, ijs statim à principio est detrahēdus. Alexādro verò & Paulo hac prouidentia nō vtentibus, sed prorsus sanguinis detractionē cauentibus in hæmothoisi ex valde acri destillatione orta, non est standum. In eundem errorem quanquam subobscurius videtur concidisse Auicennas, decima tertij, tractatu tertio, cap. 6. in hæc verba. " Cum ergo accidit sputum ex catarrho, & nō est catarrhus

acutus, pūgitiuus, valde colericus, phlebotometur homo statim. Quasi velit dicere, quòd si destillatio est acris, pungens, & valde biliosa, non detrahatur sanguis. Nam licet verum sit, quòd indicatione sumpta à cacochimia, bilis impediat sanguinis detractionem in spuentibus sanguinem, apud Hippocratem sexto libro de morbis popularibus, parte. 3. sententia vltima: præponderat tamē vtilitas retractionis, & diuersionis, ob morbum magnum, ptisim scilicet impendentem. Aduertant ergo iuuenes, quòd nonnunquam vincit indicatio à cacochimia, quæ sanguinis mißionem dehortatur: interdum magis præponderant vtilitates, aut vna aut plures, quæ venæ sectionem postulant. Rarumq; est morbi genus, in quo de sanguine mittendo non sit autoribus liis orta, conueniat ne an secus: & quidam conuenire, alij minimè contendūt, ingētesq; in vnoquoq; genere tragœdias excitant: quas magna ex parte infœliciter absoluunt vtriq;. Nullum enim est genus morbi ab humore natū, cui sanguinis missio non poßit conuenire, si vtilitates præponderent cacochimiæ: contra verò, si cacochimia præponderet vtilitatibus. Exemplum esto præter ea quæ dicta sunt, in febre tertiana, quartana, & quotidiana, siue continuis, siue intermittentibus: in quibus suapte sponte sanguis non est detrahendus, nam vitiosus humor qui ipsas committit, purgari potiùs petit. Et ideo capite de tertiana, de sanguinis mißione non meminit Gal. Et capite de cura tertianæ nothæ, non iußit sanguinē detrahere, nisi sanguinem mittere oporteat: scilicet ob alias quæ id suadeant vtilitates. Et capite de cura quartanæ, non permisit sanguinem mittere, nisi sanguis vehementer superabundans appareat: & si vena incisa is qui fluit, niger videatur ac crassus. At quis non videt in vnaquaq; harum febrium, quotidie accedere vtilitatem venæ sectionis, non semel aut bis, sed interdum etiam pluries: aut quia plenitudo coniungitur cacochimiæ, aut quia humor vitiosus est permistus sanguini, aut quoniam materia est multa, minoratione indigens, aut gratia deobstruendi, ac inhibendi putredinē: aut quoniam ex febrium diuturnitate, ac pharmacis calidis, sanguis supercalefactus indiget refrigeratione. Idem de reliquis morbis à cacochimia ortis iudicium esto: nam vincentibus dictis vtilitatibus, sanguinis detractionem omittere non conuenit.

Quod eosdem habeat scopos sanguinis missio, & expurgatio, cum omni præsidio medico. CAP. VII.



MNE præsidium medicū, vt autor est Galenus in thrasibulo, duplici constat scopo, si congruè & ex vsu administretur: morbo scilicet postulāte, & virtute insuper consentiēte. Postulat sanè morbus, causa, atq; symptboma, sui detractionē, atq; contrariū: in calido frigida, in frigido calida, in plenitate vacuationē, in defectu adiectio-

adiectionem. Hæc verò nō modo morbum adimunt, atq; eius causam, sed vim etiam naturæ inferunt, & de eius viribus aliquid detrahunt: quædam magis, alia minus pro præsidij natura. Balanus alui recremēta detrahit, & viriū etiam corporis non nihil exhaurit. In aluum infusi clysteres, magis de viribus quàm balanus adimunt. Expurgantia medicamēta quæ ore insummūtur, viribus magis sunt aduersa. Venæ sectio verò quæ idoneū alimentū, spiritus, & innatū calidum elidit: virtutē omniū maximè deijcit. Quare balanum, aut clysterem, quæuis imbecilla virtus tulerit, & à quouis perexiguo morbo indicabitur: quoniā perexiguum est quòd de viribus detrahit. Expurgans verò medicamentum, & sanguinis detractionem, nec imbecilla natura sustinet, nec quiuis morbus nisi magnus sit, indicauerit. Ob idq; tam sanguinis missionis, quàm expurgationis, duplex statui debet scopus: morbus scilicet, qui sua magnitudine magnū poscat præsidium, & virtus quæ morbum & remedij violentiam possit tolerare: vt autor est Galenus lib. 4. Methodi ante finem. Non enim morbus magnus, aliud quàm remedij magnitudinē postulat: siquidē calidus sit, magnam perfrigerationem: si frigidus calfactionem vehementem: si ex humorum redundantia duxerit ortum, magnam redundantiæ detractionem: quæ si sanguinea fuerit per venæ sectionē, si ex alijs tribus humoribus per purgationem est demenda. Morbus enim, morbi causa, & symptoma, sunt quæ postulant speciē & contrarietatē remedij: & eorundem magnitudo, magnitudinē contrarietatis: vt in poscente & postulato seruetur semper ratio contrarij. Ob idq; 4. lib. Methodi citato, ob morbi magnitudinem quandoq; purgat, quandoq; phlebotomat: quoniam scilicet hoc aut illud facere, non pendet ex magnitudine, sed ex specie morbi. Ob id etiam primo Aphorism. com. 23. ob magnitudinem doloris, iubet ad animi vsq; deliquium vacuare: atque ex specie affectus, distinctionē prius adhibet, an mittere sanguinem, an purgare conueniat. Libro etiā de sanguinis missione, cap. 8. vbi pars aliqua grauiter icta est, siue aliter quomodocunq; incipientem obtinet phlegmonem: vbi magnam ipsam fore suspicamur, curationē (inquit) à vacuatione ordimur, aut purgātes, aut venā incidētes, prout alteram altera, magis conuenire vacuationem iudicamus. Eodem fine Hipp. 2. libro de ratione victus in morbis acutis, pleuritides quasdā purgat, alias phlebotomat: quoniā pleuritis omnis quæ morbus magnus est, ex partis plenitate ortus, magnū postulat præsidiū: vacuationē scilicet insignē, aut sanguinis per venæ sectionem, aut aliorum humorum, per medicamentum expurgans: ea semper lege obseruata, vt morbi magnitudo magnitudinem, & species speciem auxilij poscat. Conuenit ergo sanguinis missio in scopis cum expurgatione, & vtraq; cum omni præsidio medico: quoniam omne præsidium medicum, constat ex morbo postulante, & virtute quæ possit tolerare remedij violentiam: ergo quò magis remedium fuerit violentum, eò firmiori vi quæ ipsum toleret opus habebit, & à maiori postulabitur morbo. Quoniam verò inter omnia vacuantia, venæ sectio & expurgatio magnam

vim naturæ inferunt, & plurimum de eius viribus detrahunt, non nisi morbo magno vrgente, & valida virtute persistente, quæ morbi & remedij violentiam possit tolerare, aut venam secamus, aut expurganti vtimur medicamento. Ridiculũ enim esset, ob leuem morbum grande detrimentum afferre: detestandaque esset vacuatio, quæ simul cum morbo, debilem naturam interficeret.

De altero sanguinis mittendi scopo, ex ætate *sumpto. Et num pueris, ante quartũ decimum annum, mittere sanguinem expediat.* C A P. V I I I.



Ræter morbum magnũ postulãtem sanguinis detractionẽ, & validam virtutẽ quæ possit tolerare: addidit Hipp. 4. lib. Acut. com. 19. ætatem florentem: quo nomine (vt autor est Gal. lib. de sanguinis missione, cap. 9) non est sola vigentium ætas intelligẽda: sed & ea quæ hanc præcedit, & quæ illã sequitur: vt scilicet duæ tantum ætates eximi videantur, puerorũ (inquã) & senum, quibus sanguinẽ detrahere nõ liceat. Nam adolescentes & consistentes, possunt nõ secus atq; iuuenes, sanguinis missionẽ ferre: senum autẽ ætas, in verbo virium complecti potest, nulli enim qui in ea ætate est constitutus, robur inest: aut si quãdo inest cruda, viridisq; senecta, in lacertoso ac bene cõpacto sene, etiã si septuagenarius sit, sanguis mitti ei debet si iubeat affectus: vt lib. de sanguinis missione, cap. 13. Gal. est autor. Vtcunq; autem senes in virium verbo cõprehendantur, non possunt tamẽ pueri cõprehendi: quoniã validas habent virtutes naturales & vitales. In functionibus enim, quas naturales appellamus veluti auctione, concoctione, distributione, & nutritione, cæteris ætatibus longè præstant, vt 1. de tuen. valet. cap. 5. Gal. est autor: vim quoq; vitalem in eis valere, notauit Gal. 4. acutorum, com. 19. nam validos pulsus hæc ætas fert, vtpotè medios inter validissimos iuuenum, & imbecillos senum, vt autor est Gal. 3. lib. de causis pulsuum, cap. 5. Si puerorum ergo vires valent: & morbus sanguinis missionem postulat: quid venit Hippocrati atq; Galeno in mẽtem, vt ante decimum quartum annum, hoc saluberrimum præsidium ipsis denegaret? Dic quòd pueritia, apud Galenum duplici ratione sanguinis detractionem dehortatur. Primo, quoniam tanta valent coquendi nutriẽdi, & digerendi facultate pueri, vt nocuam materiam facilè dissipent, coquant, atq; conuertant: atq; ob id superflua videtur vacuatio externa, vbi interna & insita habetur. Secundo, quoniã puerorum vires, & substantia humida, mollis, tenera, ac patens, sponte sua assiduè euaporatur ac defluit: quare non sustinet sanguinis detractionem, quæ spiritus & innatum calidum elidit. Cum ergo apud Galenum legitur, atq; alios autores, quòd sanguinis detrahendi scopi sunt duo, virium robur, & morbi magnitudo: eximendi sunt ab oratione pueri, iuxta eiusdem Galeni doctrinam, libro de sanguinis missione cap. 9.

cap.9.in quibus illa duo non sufficiunt. Nam nec morbi magnitudo petit externã vacuationem,vbi est interna sufficiens:nec vires sunt tam firmæ, vt duplicem vacuationem sustineant, insitam scilicet, & quæ per venam sectam fit. Præfixus autem apud Galenum terminus, quartus decimus annus est. Nam cum per septimanas annorum distinguat ætates.3.lib.Aphorism.com 30.& lib.5.Aphorism. com. 7. ante secundam septimanam exactam, sanguinem mittere reformidat: & tum primum vbi illam attigerint,mittere sanguinem audet:idq; parciùs,quoniam tũ primum solidescere tenera puerorum substantia incipiat. Sic enim scribit,lib.de sanguinis missione, cap.13. Nec pueris venam secabis vsq; ad quartumdecimum ætatis annum:post quem si multus congestus sanguis appareat,tempusq; anni vernũ fuerit,regioq; natura temperata, & pueri natura bene sanguinea, sanguinem minues. Idq; multo magis, si aut peripneumoniæ, aut anginæ, aut pleuritidis, aut alterius acuti, grauisq; morbi periculum incumbat. Libro præterea vndecimo Methodi,post medium,ita scribit. Quippe si vires eius qui ex putredine humorum(vt positũ est) febricitat,valentes sint,mittendus statim sanguis est,si cruditas ventris non sit statim morbo incipiente:sin vires infirmæ sint,aut ætas dissuadeat, incidenda vena nõ est. Porrò dictum supra est,eiusmodi febrem in virtutem imbecillam non incidere: quippe synochos, bene habiti corporis, ac calentis ætatis,propria est. At si in puerum incidat, qui quartum decimum annum hactenus non attigit, mitti illi sanguis non debebit: propterea quòd tãtillis,cum præsertim calidi ac humidi sint,plurimum corporis substantiæ quotidie defluat, ac digeratur. Ita quod ex incidenda vena moliendum nobis fuerat,id vltro nobis ex curati corporis natura præstatur. Libro præterea tredecimo methodi,de phrenitide,lethargo,& alijs tam frigidis,quàm calidis cerebri affectibus agens,ita scribit. Itaq; incidenda in talibus affectibus vena est statim ab initio, si modo tam valens virtus sit,vt sine noxa missionem sanguinis toleret, ac nihil prohibeat eorum quæ de secanda vena retulimus: sicuti vel crudi humoris copia,vel puerilis ætas,vel anni tempus, vel regio in qua sit extremus calor aut frigus. Ex quibus Galeni locis,manifestò conuincitur in maximo errore versari, qui quò Galenum excusent,ipsum multipliciter interpretantur. Valesius sanè inquit,quòd non vetuit pueris sanguinem mittere Galenus: sed vnicam tantum indicationem declarauit ex ætate desumptam, cui aliæ possunt obijci potentiores. Valeriola, atque Fernelius, quòd copiosas detractiones, suo tempore fieri solitas pueris negauit, non parciores quæ nobis vsu habentur: delusi ex quodam Galeni loco, libro de sanguinis missione,cap.14.vbi ita scribit Galenus. Proinde minus detrahimus quàm plenitudo commonet,quòd ad ætates quidem attinet in pueris:quod ad corporis habitus in candidis. &c. Qui sanè locus,de pueris qui quartum decimum annum transgrediuntur,est intelligendus,quòd monstrãt eiusdem Galeni verba à nobis recensita è decimo tertio capite eiusdem libri,quæ sic habent. Hac ratione, nec pueris venam tundes vsq; ad quartum decimum ætatis annum, post

quem si multus congestus sanguis appareat, tempusq; anni vernum fuerit, regioque „
natura temperata, & pueri natura bene sanguinea, sanguinē minues: multoq; magis „
si aut perimneumoniæ, aut anginæ, aut pleuritidis, aut alterius acuti grauisq; mor „
bi periculū incūbat. Ex quo cuiuis fit manifestum, puerum appellasse eum qui deci-mum quartū annum fuit transgressus: cui etiam primo sanguinē mittere concedit: idq; parcius quàm alijs ætatibus, quibus solidior reddita est membrorum substantia. Ante decimum quartum verò annum nullatenus sanguinem mittit, ob idque libro de Sanguinis missione cap. 9. ætatem memorat inter scopos necessarios mittendo sanguini: & non inter eos qui quantitatem sanguinis extrahendi præfiniunt. Ex dictis præterea Galeni locis elicio, præter Galeni mentem loqui eos, qui in pueris ob cutis raritatem facilè transpirare succos autumant. Id enim propter cutis & totius substantiæ molliciem euenit, vt innuit Galenus locis citatis, & nono Methodi, & libro quarto de Victu acutorum, commentario vigesimo, non autem propter raritatem, siquidem in pueris, cutis est magis cōtinua, & minus perforata: in senibus contra plurima habet spiramēta, vt docet Galenus lib. 2. de Temperam. Libro etiam primo Simplicium. Cutis (inquit) omnis, in primo statim ortu sibi con- „
tinua cum sit, temporis spatio pertunditur. Nec verisimile est, quod testatur Oriba- „
sius lib 2. Aphorism. com. 49. vt eius hic obiter admoneam, hominis cutem poros habere maiores quàm cætera animantia, cum bruta sint magis hispida.

SED pace Galeni (satius enim est aliter sentire, quàm ipsum malè interpretari) nostra ætas non feri hoc præsidium pueris denegari. Suo forte tempore adeo erat valida puerorū natura, vt morbi materiam promptè euacuaret, & in halitus digereret: quanquam & ipse de sui etiā temporis imbecillitate conquæratur. 2. lib. de Fracturis com. 27. Sit verò sua ætate vt vis, nostro æuo non sic euaporatur ac defluit plenitudo puerorum: in morbis præsertim exactè peracutis, in quibus nequit tam breui tēpore, in spatio scilicet quatuor dierū, vniuersam morbi materiam facultas difflare. In pleuritide quoq; angina, & cuiusuis internæ partis inflāmatione, vbi humor impingitur & putrescit, & adhuc ad partem maiori copia ex vniuerso corpore influit: frustra sperabimus noxium humorem antequam puerum iugulet, halitu digeri posse. In pleuritide præterea quæ puerum perdidit, humor non fuit discussus, multo igitur fuisset satius, venam ad complemētum totondisse, quàm falsa policitatione euaporationis, præcipitē occasionē lusisse. Quid præterea ante decimum quartū annum Galeni tempore pueri possent sustinere, non sat scio: id verò scimus omnes, quòd nostri pueri, multo ante sustinent, non modo venæ sectiones, sed venerea & connubia: rarumq; puerū inuenias, qui duodecimū annum incorruptus attingat: nec tamē ex hoc etiam si immodici fuerint, valde læduntur: quare minus lædi ex sanguine misso vbi oportet, existimādū est. Fœminæ præterea nostræ duodecimo anno magna ex parte menstruas habent purgationes, & decimo tertio atq; decimo quarto plurimas vidimus vtero gestare, atq; fœliciter parere: quoniam cum

nequeat natura vniuersum sanguinē dißipare, & in corporis alitionem absumere; quod reliquum est per vteri venas deturbat, aut fœtui ministrat: ante hoc ergo tempus, cum per ætatem negatum est parere, & vterorum venæ aperiri non cœperūt, si ingens adsit plenitudo, multo audacius sanguinem ex vena secta mittemus. Pueri præterea, caloris natiui, & facultatū naturalium firmitate maximè valent. 1 Aph. com. 15. & lib. 6. de accidēti & morbo autore Galeno: quod ergo per sanguinis missionem ipsis fuerit ademptum, minori negocio quàm aliæ ætates reparabunt. Natura quoque id genus curationis nos docuit: nam infantium plures morbos per sanguinis profluuia sanat, vt. 6. lib. Epidem. parte. 1. comment. 19. docuit Galenus. Sic Auenzoar filio suo trimo venam secuit, vt refert Auerrh. 7. colliget, cap 3. Sic nostro tempore, ab ipsa natura edocti, & frequenti experimento confisi, à tertio anno venam secamus, in puero bene carnoso, plenè ac liberaliter educato, cui venæ tumēt, & plenitudinis signa alia apparent, præsertim si graui cōflictatur morbo, aut ab alto cecidit. In natu verò minoribus ac lactētibus, brachia, atq; crura, à tertio mense, vtiliter & fœlici successu scarificamus. Si puer verò qui tertium annum transegit, non omnino carnosus fuerit, nec in tanta vbertate educatus, aut si ingentis plenitudinis in ipso, non omnino apparuerint signa: non est in ipso vena secanda, sed scarificatione crurium, aut brachiorum, semel atq; iterum adhibita vtimur. Est enim scarificatio vicaria phlebotomiæ, & quæ minus quàm ipsa imbecillitat: fitq́ pro virtutis tenore, modò tenuis, modò profunda, & interdum media, vt. 2. lib. ad Glauconem, capite de absceßibus, Galenus est autor. Non est autem vtēdum scarificatione profunda, primis duobus annis: tertio verò anno, profundior fieri potest: nam & cucurbitulis, quæ sanguinem è profundis eliciunt, hoc anno vti permisit
« *Auic. 4. 1. cap. 21. Nam cum est vnius anni (inquit) idest ante secūdum annum ex-*
« *pletum, prorsus non debet ventosari: quare in tertio anno ventosetur. Parcant aures delicatæ, nam hæc verba eò produximus, quòd hic sit huius loci Auicennæ legitimus sensus: quem non intelligens Iacob Mantinus, corruptißimè vertit, ad sexagenarios transferens sententiam. Cauemus ergo iuxta Galeni consilium libro de sectis, à quauis detractione sanguinis, etiam per scarificationem facta in natu admodum paruis, idest in ijs qui tres menses ab ortu non exegerūt. Nam malè fecerit qui per puerum natu admodum paruum, interpretatus fuerit eum qui decimum quartū non expleuit: licet enim puer is sit, admodum paruus non est. Atq; hac in parte rectius mihi quàm alibi Galenus sapere est visus. Quare si ætas pueritiæ inter præcipuos scopos sit statuenda, non ad decimum quartum annum, sed ad tertium mensem est producenda.*

Cuius virtutis robur, ad sanguinis missionem requiratur. *CAP. IX.*



VOD ad sanguinis detractionẽ, robur virtutis requiratur hucusq; diximus: cuius autẽ virtutis maius optemus robur, vitalis, naturalis, aut animalis, dubiũ videtur. In quo ego cẽsuerim, quòd omniũ virtutũ certũ requiritur robur, vt sanguinis missionẽ homo toleret. Nã si quæcunq; virtus ex sanguine misso potest exolui, & cuiusq; exolutio est hominis interitus, cuiusq; etiã certum robur exigetur, vt sanguinis missionem ferat. Quoniam autem vt autor est Gal. 7. lib. Methodi ad finem, non par est actionum ipsarum facultatũ dignitas ad ægros seruandos, sed aliæ magis his: aliæ minus vtiles sunt: Vtiq; ad portionem actionum dignitatis, etiam cuiusq; partis prospiciendum est robori. Maxima igitur est cordis officij dignitas, atq; ægrotantibus maximè omnium necessaria. Cerebri verò, ad vitam par est momentum, non tamen par robur eius in ægrotis requirimus: cum necessè omnibus non sit, neruorum ac musculorum opera vti: itaq; abunde fuerit, si tantum eius seruatum sit, quò respirationis munus sit obeundũ. At verò iocinoris opus, omnibus particulis pernecessarium est, non tamen adeo saltem perpetuam necessitatem habet sicuti ipsius cordis, ad portionem autem iocinoris, etiam vẽtriculi opus se habet. Intelligens ergo omnium particularium, tum functiones, tum vsus, quos in alijs commentarijs tradidimus: haud difficulter inuenies quatenus cuiusq; robur custodiri oporteat. E quibus Galeni verbis manifestò intelligimus, quòd robur vitale est maximè necessariũ, & seruãdum in ægris: post hunc robur naturale iocinoris, ventriculi atq; venarũ: vltimo robur cerebri. Nam à cordis facultate pendet vita, & reliquarum etiam facultatum integritas: aliæ enim omnes, cordis influxu seruantur & vegetiores redduntur. Iecoris verò, ventriculi, atq; venarum actio, necessaria est, tum corporis nutritioni, tum etiam coctioni materiæ morbosæ: quare summopere horum robur est seruandum, & præoculis habendum. Robur verò cerebri omnium minimè requiritur: abunde enim fuerit, si tantum eius seruatum sit, quãtum respirationis ipsorũ exigit munus. At ego de cerebro velem magis solicitũ fuisse Galenum: nam etiam si rectè spirent ægrotantes, si tñ minus promptè screent, in morbo qui per sputum debeat terminari, morientur, quinto de locis, autore Galeno: ergo non modò requiritur robur ad respiratum, sed ad prõptũ screatum. Item & ad facilem motũ in lecto, huius enim defectu, plurimos præcipuè pingues, & crassos, nouimus obijsse, quos nostrates appellant abarrancados. Item & ad mentis opera, quò non decedant amentes, intestati, & impœnitentes: quo nihil (præsertim nobis Christianis) infœlicius contingere potest. Accedit, quòd magna læsio cerebri, plus timẽda est: & citius quàm læsio iocinoris infert mortẽ. 5. de locis, cap. 1. autore Gal. Omnes ergo facultates debẽt cõstare, vt sanguinẽ mittere audeas: vitalis plus cæteris, naturalis deinceps, omniũ minime animalis, magis tñ quã pro respiratione obeũda. Autores verò vitale robur solũ expresserũt, ob principatũ: & quoniã omnium maximè requiritur: & quoniã certiores, & euidẽtiores de se ex pulsu notas præbet.

Vnde

" *Vnde libro 4. de Victu acutorum, com. 19. ita scribit Galenus.* ὁ δὲ δὴ τρίτος
" σκοπὸς εἴρηται τῷ συγγραφεῖ, τῆς ζωτικῆς δυνάμεως ἡ ῥώμη. *Quod est. Tertiũ scopũ*
" *non prætermisit libri huius conscriptor; qui vitalis facultatis robur existit. Meldensis verò hunc locum vertẽs, genitiuum* ζωτικῆς *prætermisit. Sic secundo libro de Compositione medicamentorum secundum locos, cap. 6. Curationem doloris capitis ex ictu à venæ sectione orditur, si vis vitalis nõ est imbecilla. Et libro de Sanguinis mißione cap. 13. pulsus validus cum æqualitate, est minime fallax signum virium robustarum. Vna tamen ex dictis facultate affecta, reliquæ duæ affectionem statim participant, vt 2. Acutorum commentario 47. idem Galenus est autor: & multo magis reliquæ compatiuntur cordi, quàm cor ipsis. Libro verò decimo Methodi, ad initium; vbi solius naturalis virtutis meminit Galenus, aut nomine naturalis, omnes tres virtutes intellexit, quoniam corporis naturam constituunt: aut vitalis simul cũ naturali est intelligenda, quoniã pro vt distinguitur ab animali virtute, quæ voluntaria est: ambæ sunt naturales. Hac enim significatione 1. libro de causis sympt. ad initium, duas in nostro corpore esse operationes dixit: naturales scilicet & animales: comprehendens vitales nomine naturalium, quoniã arbitrij sunt expertes vtræq. Galeni autẽ verba è libro decimo Methodi ita habent.*
" *Cum autem*
" *in ijs examinandis, non parum visa est, ad hominis salutem momenti habere vis ipsa*
" *naturalis, vtiq; de ea quoq; non leuis ad agendorum inuentionem consideratio est*
" *habenda. Ita fit vt tria prima sint, quæ in propositis iam ob putredinem febribus*
" *agẽdorum indicationem nobis præbeant: vna febris ipsa, altera effectrix eius causa,*
" *tertia vis ipsa naturalis. Cæterum priora duo summouẽda sunt, tertiũ est tuendum.*

De roboris mensura, & quam sit *eius notitia difficilis.* CAP. X.



VM facultas omnis poßit esse imbecillis, in sua essentia, & in comparatione ad pondus quod gestat (per agrauationem id appellamus) secũda hæc imbecillitas, non modo nõ prohibet vacuationem, verum eandem poscit: vt ab ipsa humoris sarcina leuata natura cõmodè habeat, atq; respiret. De priori verò est difficultas: An poßint vires vsq; adeo deijci, vt ne minimam sanguinis tolerent detractionẽ: nam vnicuiq; virium ordini, sua quædam vacuationis quantitas proportione reddi potest: neq; enim credibile est, ex vnciæ aut semunciæ sanguinis effusione, vbi sanguinis adsit redundantia, quantumuis vires sint imbecilles, modò non sint deploratæ, plurimũ offendi posse. Attamen scire oportet, quòd vacuationũ alia est integra, vniuersam scilicet materiam morbi adimens: alia vtilis quidem, sed non integra, quæ parte morbi sublata, reliquam facit leuiorem: tertia eo vsq; exigua est & deficiens, vt nihil leuet laborantem. Primæ duæ, vires, aut firmas aut medio-

diocres postulant, vltima verò inutilis est, & citra morbi leuamen viribus incommodat. Atq; ideo rectè statuerunt autores, quòd viribus deiectis, nulla omnino vacuatio est adhibenda. Nam duas priores nõ tolerant: vltima verò inutilis & est incõmoda. Magno tamen est opus consilio, longa experientia, atque barbato magistro, vt roboris mensuram præfinias, atq; cum alijs conferas, quæ sanguinis detractionẽ suadent, aut prohibẽt. Nam plerunq; in magna virium deiectione, vacuationes spontè salubriter, euẽtuq; fœlici prorumpunt: atq; à medicis ægri deiectissimi, & extenuatissimi, phlebotomati sanantur. Interdum verò quæ magis constare videntur vires, ex euacuatione deficiunt, laxantur, atq; soluuntur. Quorum omnium nos sæpissimè plura vidimus exempla, & nõ pauca apud autores legimus: Inter quæ historia extat celebris apud Galenum lib. 6. Epidem. par. 3. com. 29. Cuiusdam mulieris extenuatissimæ, quæ octo mensibus menstrua caruit purgatione, & plurimo sanguine valde corrupto, per venæ sectionem detracto, pristinam sanitatem recepit. Galeni verba ob multiplicem ipsorum vtilitatem recensuimus cap. 5. huius tractationis, ad quem lector recurrat.

EST autem vna causa difficultatis, quòd non modò oportet cognoscere an facultas sit imbecilla: sed quæ sit huius imbecillitatis causa. Nam si ob euacuationem sensui manifestam, aut ob eam quæ per halitum fit discussionem, siue ob inediam virtus labefactata fuerit: qui ita affecti sunt cibari quã celerrimè expostulant. Contra autem qui ob dolorem, vel morbi acumen, parum valentem habent facultatem, vacuatione interdum magis, quàm repletione indigent: imò cum cibum his quispiam exhibet, maximum adfert detrimentum. Ignorare autem si æger parum valeat, ob euacuationem magis quàm ob dolorẽ, probro vertitur: vt lib. 2. de Victu accutorum com. 48. autor est Galenus. Est & altera difficultatis causa, quòd non modò facultas debet constare ad præsentẽ sanguinis missionem, sed etiam ad plura alia post futura: scilicet ad tolerandum morbum, aut sympthomata, aut curationem. Nam si protrahi diutius debeat morbus, præsertim si is sit crisim habiturus, non modò ad sanguinis detractionem tolerandam, sed etiam ad diu perferendum morbum, atque ne in crisi lassata natura concidat, opus est validiori facultate. Quòd voluit Auicenna. 4. 1. cap. 20. his verbis. Et cum ægritudo est habens crisim, in cuius tempore " est longitudo, nullo modo sanguis multus est minuendus: sed si possibile fuerit, quies " est facienda. Quod si non fuerit possibile vt quies fiat, ex eo parùm minuatur, & in " corpore sanguinis thesaurus recondatur ad phlebotomiam faciendam si apparuerit, " & virtus conseruetur ad resistendum in crisibus. Similiter si expurgans medica- " mentum, aut vstio, aut aliud vehemens auxilium, sit necessariò superuenturum in morbi curatione, neque sine istis possit morbus sanari: malè fecerit qui robur pro solo sanguine mittendo perquisierit: nam sanguine detracto, infirma reddetur natura ad reliqua auxilia. Si dolor præterea, aut vigilia hominẽ teneat, aut adsit profluuium ventris, aut sudor, etiam si non sit pro multitudinis ratione, nec sanguinem

mittit,

mittit, nec expurgãti vtitur medicamẽto Galenus, lib. 1. ad Glauconẽ cap. 12. vbi
" *ita scribit. Sed neq; si fuerit febris cum profluuio ventris, alia est opus euacuatione.*
" *Verum hæc sola sufficit, quanuis non sit pro multitudinis ratione. Quicunq; enim*
" *his plus adimere fore necessarium putantes, aut sanguinẽ mittere, aut ventrem mo-*
" *uere tentauerunt: in grauiora pericula duxerunt. Sed neque si quis simul & disten*
" *tione neruorum laborauerit, & sanguinis eguerit missione: neq; huic tantum semel*
" *mittere oportet, quantum exigit morbus: sed aliquid etiam accidenti est relinquen-*
" *dum, cuius causa sæpe sudores eueniunt, & vigiliæ molestant, & vires ægroti debi-*
" *litantur. Ita etiam si vehementissimæ vigiliæ, aut dolor intensus ægrotũ infestant;*
" *cauendæ sunt subitæ, ac multæ euacuationes. Sed mox quispiam inficias ibit, asserẽs pugnare hoc eiusdem Galeni sententiæ .1. lib. Aphorism. com. 20. vbi dixit: quòd si natura non integrè vacuat, licet medico quod deficit arte supplere. Et hoc facere conuenit ipso etiam vacuationis tempore, si ex naturæ impetu in vacuãdo, cognoue rimus quantum ipsa deficiat, quò ex coniunctis ambobus perficiatur quod postulas, vt lib. 9. Methodi Galenus est autor. Ergo in alui profluuio qui nõ fuerit pro multitudinis ratione, licebit aut venam tundere, aut expurgãti vti medicamẽto. Primo præterea lib. Aph. com. 23. Gal. sanguinẽ ad animi defectionẽ mittere permittit tribus casibus: in ardentissimis scilicet febribus, in magnis inflãmationibus, & in vehementissimis doloribus. Ergo dolor non modo nõ retrahit à sanguinis missione, verum etiã ad syncopim fieri poscit. Cui responsum sit, Galenum non sibi ipsi pugnantia cõscripsisse, nã vtrobiq; vnus est sibi propositus scopus, quòd scilicet vires sernẽtur, & infestus humor prorsus vacuetur: siquidẽ vires validæ admodũ fuerint, & ex impetu vacuationis quã natura est orsa, dignouerimus imperfectè iudicaturam, quod deest venit arte supplendũ: si verò nõ adeo cõstent vires, nec certi omnino simus post sanguinis detractionẽ, aut expurgans medicamentũ propinatum, naturam posse tolerare vacuationẽ, quam antea fuerat orsa: tunc melius fuerit totum naturæ permittere, etiam si pro multitudinis ratione ipsa nõ vacuet. Satius enim est sperare, quòd in posterum natura, aut integrè iudicet, aut ab euacuatione desistat: quàm ipso vacuationis tempore in discrimen agere ægrotãtem. De sanguine verò mittendo in dolore, scire oportet, quòd si ex sanguinis detractionẽ speramus dolorem leuandum fore, sanguinem mittere expedit: & si vehemens dolor sit, ad animi vsq; deliquium detrahere conuenit. Si verò non speratur doloris leuamen, sanguinem mittere formidamus: nam facultas quæ ferendo dolori est pernecessaria, imbecillior reddita ex sanguinis detractione, dolorem amplius tolerare nequibit. Sic Auic. 4.1. cap. 20. dixit, quòd phlebotomia & colica raró coniunguntur: quoniã scilicet raró speratur colici doloris leuamẽ ex phlebotomia, & virtus ex ea redditur infirmior, cruciatui deinceps ferendo. Est etiã non minima difficultas, dignoscere imbecillitatem facultatis: quando propter inanitionem, & defectum in propria essentia, redditur imbecillis: & quando aggrauatur. Nam signum inæqualium pulsationum positum*

situm à Galeno 2. lib. de Causis pulsuum cap. 1. nõ est in omni aggrauatione obuiũ. Ex decem nanq́ grauatis, si experimentis attendas, manifestam inæqualitatem in robore & magnitudine pulsationum, in vno aut altero difficilè aduertes: nisi plurimum fortè creuerit plenitudo, quæ ad eam inæqualitatem cogat. Ex euacuatione quoq́ si repentè reddatur imbecillis facultas, eandem inæqualitatẽ acquirit: ob idq́ dum sanguis superfluè detrahitur, pulsum contrectare iussit Galenus, lib. de Sanguinis missione cap. 14. vt cum primo cœperit inæqualis fieri, sistatur sanguis. Quare in re tam ardua, & quæ tot habet difficultatis causas, nemo nisi expertissimus sibi fidat: video enim maximè in hac re omnes peccare iuuenes: nec omnes senes certos esse.

De scopo postulante sanguinis detractionem, *qui morbi magnitudo statuitur.* CAP. XI.



ORBI magnitudo, magnum poscit præsidium, vt æquis numeris omnis curatio prodeat, iuxta Galeni decretum, libro Artis medicinalis. Magna præsidia sunt, sanguinis missio, & expurgatio, quæ à morbo magno petuntur ambo: neq́ enim ob exiguum malum, tantã vim naturæ inferre licet. Per morbum autẽ magnum, non intelligimus acutũ: nam etiam in chronicis locum habet venæ sectio: & morbi magnitudo quæ sanguinis missionem postulat, non repugnat morbis diutinis, vt lib. 4. Acutorũ com. 19. Galenus est autor. Dicitur autem morbus magnus apud Galenum quarto libro Methodi, tripliciter. Primo, cum in propria essentia sortitur magnitudinẽ: vt acutæ febres, podagra, lues gallica, quæuis ingens inflãmatio. Secundo, cum κακοήθεια *siue malignitate insignitur: nam etiamsi exiguus in sua essentia sit morbus, difficilè sanatur ob malum morem: vt cancer, pestis, vulnera articulorũ, & quæ chironia & thelephia dicuntur: horum nanq́ malignitas pẽdet, aut ex prauorum humorum influxu, aut ex affectæ partis qualitate. Atq́ hæc, etiam si plurimum non crescant, sunt pluris habenda, ob rebelliõẽ & contumaciam sanitati inimicam. Tertio, dicitur morbus magnus, cum nobilem aliquam partem, & maximè necessariam obsidet. Nam inflãmatio quantumcunq́ parua in corde, hominem perdit. Vulnus in capite etiam exiguum, non vacat periculo. Vlcus pulmonis qualecunq́; pertimescendum est. Pleuritis partem infestat quæ habet officium princeps, est enim pleura vnum ex spirandi instrumentis, 2. lib. de Crisibus, autore Galeno. Iam verò quia contrariorum eadem est disciplina, tribus item modis enumeratis parui morbi dicentur: quippe aut parui sunt in suo genere, aut bene morati & signis firmati securissimis, aut ignobilem partem occupant. Siquidem omni ratione morbus sit magnus, extremum poscit præsidium: si paruus, aut nullum aut exiguũ: si quadam ratione magnus, alia paruus, æstimandæ atque librandæ sunt indicationes: & pro ratione supputationis, præsidium admoueatur, magnum, paruum,*

aut

aut mediocre. Sic enim Galenus, licet pleuritis omnis, morbus magnus sit, ob partē quam afficit: si in suo genere sit leuis, & signa habeat secura, à sanguine mittendo abstinet, leuioribus contentus. 6. lib. Epidem. parte. 3. com. vltimo, vbi ita scribit.
" *Quendam ægrotantē intuitus sum, qui me vt sanguineo sputo vexatus accersiuit:*
" *sed cruenta ob lateris affectum expuebat. Sputum igitur ego cōspiciēs, ipsum inter-*
" *rogaui, num aliquem dolorem in latere sentiret? ipse vero exiguum se dolorem per-*
" *cipere fassus est. Talis autem erat eius habitus atq; vires, vt si sanguinem expuis-*
" *set, quoniam morbi magnitudo vrgeret: ad secandæ venæ auxilium accedere ausus*
" *essem. Sed cum morbus lateralis mitis admodum foret, necesse non fuit: ideo neq; id*
" *genus remedij adhibuimus. Atq; euidenter hominem hunc, lateris morbo laborare*
" *cognouimus, & alijs huic morbo congruentibus remedijs, citra venæ sectionem suble-*
" *uatus est: mitissimi enim illi sunt, in quibus cruenta sputa eijciuntur. Morbi ergo magnitudo (vt supra quoque diximus) poscit magnitudinem præsidij, & species morbi, speciem auxilij: siquidem magnus morbus fuerit ex sanguine, aut in eo concurrāt aliquæ vtilitates ex memoratis capite sexto huius tractationis, sanguis venit detrahendus: si ex alijs humoribus, pharmacum est adhibendum: si vtraq; concurrant, vtroq; est vtendum auxilio. Id verò nō modo postulat magnus morbus præsens, sed etiam imminens, vt futurum ipsum ante quàm fiat auertamus: vt in eo qui ab alto cecidit, & in eo qui pleuritide, aut alio morbo, statis temporibus præhendi solet. Prætereo hic quorūdam in Galenum cauillationes, qui morbi malignitatem, & partis præstantiam, à magnitudine diuersas statuunt: eo quòd malum morem, à magnitudine separat Galenus. 3. libro de Crisibus, & quoniam in parte principe paruus morbus cōsistere potest. At diximus nuper, paruum & magnum morbum, iuxta triplicem significatum posse inuicē cōmisceri: vt in pleuritico de quo agit Gal. 6. Epid. parte. 3. com. vlt. citato. Tertio vero libro Crisium, malum morem distinguit à magnitudine, quoniam ea distinctio ad præsagia est vtilis. Ibi enim magnitudinē intelligimus, quoties vires, incrementum, ac vehementiam morbus sumpserit: malum morem, cum malignus ac ferè ex sua natura exitialis fuerit. Quarto verò libro Methodi, non distinguit morem à magnitudine, quoniam non variant curatiuam intentionem: siquidem tam malus mos, quàm morbi magnitudo, indicant euacuationem, aut inanitionem esse administrandam: vt eodem quarto libro Methodi, apertè Galenus docet. Distinguntur igitur ad præsagia: confunduntur verò ad curatiuas intentiones, siquidem vtriusq; est vna intentio vacuandi.*

Quot sint roboris virtutis, & magnitudinis *morbi copulæ, & quid in vnaquaq; earum sit faciendum.*

C A P. XII.



ORBI magnitudo, unà cum robore virtutis primi mittendi sanguinis scopi fuerunt, illa quidem quæ facere oportet indicans, hic verò tanquam illum haud impediens. His auctis maior indicatur vacuatio; imminutis verò tantum de quantitate vacuationis est detrahendum, quantum illi imminuti fuerint, libro de Sanguinis missione cap.13. autore Galeno. Siquidem ingens morbus & validissima virtus iungãtur, integra & absq; omni metu fiat vacuatio. Si cum morbo magno iungãtur imbecillæ vires, desperãdum est de salute, & nullum potens remedium est adhibendum, ne in medici vituperium vertatur medella. Nisi fortè per menses aliquot, vitam posse produci speres: tunc enim poteris cũ præfatione curam aggredi. Nam simili protestatione facta, calidũ marasmum refrigerat Galenus.10.lib.Meth. vt in seniũ ex morbo cõmutet ipsum, & diutius viuat ægrotus. Vacuatione autẽ nulla in hoc statu vteris, quoniã eam imbecillæ vires nõ ferunt. Si morbus verò magnus, cum mediocri virtute iungatur, vacuandum est minus, quàm morbus postulat, & statim nutriendus & reficiẽdus est æger. Quo restituto iterũ est vacuandum, & per interualla iterũ, atq; iterum vacuare, & reficere oportet. Hæc etenim est per Epicrasin vocata medella, quæ cũ longiori tẽpore opus habeat, lõgioribus etiam morbis magis est idonea. Si morbus verò fuerit exiguus, præter commodum victus institutionem, non indiget medicamentis, præsertim vacuantibus. Sed sufficient, balneum aquæ dulcis, exercitium, frictio, clyster, balanus. Nam morbum exiguum leuia sanant auxilia. Vires autem quæ cum morbo exiguo iunguntur, si validæ fuerint, ipsæ sufficient solæ: si mediocres aut imbecilles, dictã victus institutionem citra noxam tolerabunt.

An ambientis calor, inter præcipuos scopos mittendi sanguinem numerari debeat. CAP. XIII.



A Morbo, ætate, & viribus, quòd mittendus sit sanguis, cognoscitur: nam reliqua non indicant de sanguine mittendo, aut abstinẽdo: sed quantitatem sanguinis extrahendi, aut augent, aut minuunt, libro de sanguinis missione, cap.9. autore Gal. Hæc verò sunt plethorica vocata Syndrome, ambientis nos aëris tẽperatura, in tempus & regionem diuisa, & quæ in anteacta vita circa ciborum, tum quantitatem, tum qualitatem acciderunt, excretiones item, ac motiones, aut factas, aut non factas. Contra vero eodem libro, cap.20. quatuor docet esse considerãda, cõtinentis scilicet caliditatẽ, & reliqua tria quæ primo enarrat. Sic enim scribit. Quocunq; die mittẽdi sanguinis scopos in ægrotante inueneris, in eo præsidium hoc adhibeto, etiam si vigesimus ab initio morbi dies fuerit. Qui nam verò fuerunt hi scopi? magnus morbus, virium robur, excepta ætate puerili, & ambiente nos aëre admodum calido. Quod etiam cauit lib.1. ad Glauconem cap. 12. vbi refert omnes interijsse,

interiisse, qui nihil de tempore cogitantes, in feruentißima æstate sanguinem misserint. Quare videtur non tres tantũ, sed quatuor esse sanguinis mittendi scopos præcipuos, qui non modo de quantitate, verum etiam de sanguine mittendo, & abstinendo indicent. Cui sanè responsum sit, quòd calor ambientis constat ex regione, ex anni tempore, & qualitate superueniente. Horum singulum si per se consideretur, ex postremis est indicationibus, nec venæ sectionẽ prorsus prohibere potest. Sicq; remanent tres tantum scopi primi. Verũ si in vnum coëant, fiatq; ex his omnibus cõtinẽs calidißimũ, quod & in cæteris accidit: ex pluribus postremis, vna propemodũ fit indicatio prima, quæ de nõ mittẽdo prorsus sanguine indicat. Quod voluit Gal. apertè. 1. ad Glau. cap. 12. vbi ita scribit. Ob hæc igitur neq; in locis supra modũ calidis, aut frigidis, sanguinẽ mittere audemus: sed si regio ipsa, & tẽporis status consentiunt, omnino abstinemus. Cũ verò nõ consentiunt, euacuamus quidẽ: sed multo minus, quàm si neutrũ prohiberet. Hic verò aduertere expedit, quòd plurimũ interest inter tres scopos priores, & hũc quartũ. Illorũ enim indicatio est necessaria, & nequit à medico impediri. Huius verò indicationẽ diligenti apparatu adhibito impediet. Nã quãtũcunq; aër feruidus sit, potis est medicus, cõmoda habitatione, irrigatione ex aqua rosacea et aceto, fonte arte facto ex aqua gelidißima ibi saliẽte, sandalis, cãphora, rosis, pãpinis vitiũ, salice, atq; similibus inspersis, aërem tẽperare. Quibus si victus accedat frigidus, frigidaq; medicamenta, intus & extra adhibita, audacius iam venã tũdemus. Ego sanè hac vsus prouidẽtia, nũquã ob cõtinẽtis calorem, à sanguine mittẽdo prorsus abstinui: nec ægris nostris malè vnquã ob id cessit. An verò præter aëris insignes qualitates, occultæ aliæ ex astrorũ aspectibus sint cauendæ, vt sanguinẽ mittamus, aut expurganti medicamento vtamur: satis superq; dictum à nobis est in appendice astrologico: ad quem lectorem isthæc discendi cupidum remittere quàm quæ illic traduntur repetere, satius decreuimus. Reliqua verò de indicatione continentis, dicentur infra capite. 21.

An crudi humores quartum scopum constituant, & sanguinem penitus mittere prohibeant. CAP. XIIII.



Libro de sanguinis mißione cap. 9. postquã tres dictos scopos statuerat Galenus, latenter obijcit in hunc modum. Crudorum humorum copia sanguinis mißionem impedit: ergo ad hos quoq; medicum respicere oportet: & nõ tantum ad tres scopos memoratos. Cui respondet, quòd habitus sermo de scopis, non redarguitur propter crudos humores coacernatos in corpore: quoniã vbi copia crudorũ humorum tãta est coaceruata, vt sanguinis mißionem prohibeat, robur viriũ bis non adest. Id quòd manifestè pulsus illorum, vna cum colore totius corporis, qui crudum sanguinem abundare monstrat (est autem is vt sequenti capite docet plumbeus, aut ex pallido candidus) significat. Quippe is in vehementia & magnitudine

est inæqualis: atq; in ea inæqualitate, pulsus debiles & parui, superant magnos & vehementes. Hic verò sunt quidam, qui ex impossibili, (vt ipsi dicũt) hypothesi argumentantur, inquirentes num si adesset morbus magnus ex cruditatibus, cum virtutis robore, sanguis mitteretur? Et quæsito respondent constare, quòd nequaquam in eo statu sanguis esset mittendus. Mihi verò contrarium planè constare videtur: nam Galenus loco citato, non ob aliud à sanguinis missione abstinet, quàm ob imbecillitatem: hanc ergo si in tua hypothesi auferas, non est cur à sanguinis missione abstineas. Vnde cum cruditas nõ est tanta vt pulsum valde deyciat, per interualla vena est tũdenda: & intermedio tempore extenuantia medicamenta adhibenda, vt Gal. nos docuit lib. de sang. miss. cap. 12. vbi ita scribit. In quibus igitur multa vacuatione est opus, vires autẽ sunt imbecilliores, in ijs vacuationem recondere cõuenit: quemadmodũ nimirum & me in ijs qui crudorum humorum copia laborabant, facere cõspexistis. Nã pauco sanguine vacuato, protinus mulsam probè coctã, cum extenuantium medicamentorum quopiam, aut hyssopo, aut origano, & nonnunquã calamintha, aut pulegio exhibeo: aut cum mulsa, oxymelli, aut oxyglycy. Deinceps rursum sanguinem aufero, interdũ quidem eodem die, interdum verò postero: in quo rursum similiter prædictorum medicamentorũ quodpiam exhibens, iterum sanguinẽ detraho: ac tertio die similiter bis. Quare scire oportet, quòd crudorum humorũ (apud Galenũ) triplex status reperitur. Primus cũ tãta est ipsorum copia, quòd vires ex ipsis reddũtur deiectæ, pulsus inæquales, et inualidi, color totius corporis, aut plũbeus, aut ex pallido albus. In quo statu sanguis nõ est mittendus, quoniam vires non constant, vt scribitur lib. de sang. miss. cap. 9. Et de hoc loquutus est Aui. 4. 1. cap. 20. in hæc verba. Et debes scire, quòd non quotiẽs nominata signa repletionis apparuerint, oportet vt minuas: immò quandoq; est repletio ex humoribus crudis, & est tunc phlebothomia multum impediens: quoniã si minueris, non maturabis eos, & timebitur ne æger perdatur. Secũdus status est, quãdo humores crudi sunt tam pauci, vt illorũ prõptam confectionem speremus. In quo etiã vena non est tundenda, quòd in probũ sanguinẽ verti possit crudus is humor, vt. 4. de Sanit. tuen. cap. 9. Gal. est autor. Inter hæc verò extrema, tertius status est medius, in quo nec vires lãguent, nec possunt succi crudi confici. In quo Galenus per interualla venã secare iubet, & extenuantibus vti.

Hic verò aduertere expedit, quòd in curatione eorũ qui crudis succis laborãt, sunt expendẽda quinq;. Viriũ scilicet robur, & imbecillitas: quãtitas humorũ crudorũ: modus cruditatis: locus in quo consistunt humores crudi: & ipsorũ crudorum humorum effectus in corpore. Siquidẽ facultas sit validissima, non exigua est spes crudos succos cõcoqui posse. Qui si fortè fortuna nõ coquãtur, sanguinis detractionẽ firma facultas poterit tolerare. Si facultas verò sit imbecillis, nec crudos succos poterit coquere, nec sanguinis detractionẽ ferrè. Si verò cũ mediocri facultate crudi succi cõsistãt, medius sæpe redditur status, in quo crudi nõ possũt prorsus coqui, et facul-

facultas sanguini mittēdo nō est omnino inualida: quare per interualla & vacuare, & extenuare, atq; coquere oportet: vt è capite. 9. libri de sang. missione retulimus.

Consideratio quātitatis crudorum, nō est tantūmodo simplex: multi ne, an pauci sint crudi humores per se, sed multo magis in cōparatione ad bonum sanguinē. Nam quāuis plurima adsit cruditas, si bonus sanguis copia vicerit, parua existimatur: sicut magna, cū bonus sanguis fuerit paucus, & eius cōparatione crudi humores plurimi. De quo statu ita scripsit Gal. 4. de San. tuen. Inspicere verò & quātitatē cōueniet: vt verbi gratia, si bonus sanguis exiguus sit, reliquus verò succus plurimus: vtiq; in his abstinendum à detractione sanguinis est. Sin is quidē exiguus, sanguis verò copiosus: audacter incidenda vena est. Et rursus infra ita scribit. Cæterū si in lasso corpore sanguis bonus exiguus sit, crudi humores plurimi: huic nec sanguis mittendus, nec alui deiectio, aut exercitatio, aut omnino motus, aut balneum adhibēdum. Quippe incisa vena bonū sanguinē emittit: malū qui in primis maximè venis circa iecur, & quod mesenterium vocāt colligitur, in totū attrahit corpus. Deiectio verò in talibus tormina, & rosiones creat animiq; deliquia, cū eo quòd nec notatu, quippiā dignū educit: quoniā crudi omnes succi pigri, atq; ad motum inepti propter craßitudinē frigiditatemq; sunt. Quo fit vt etiā omnes angustas vias obstruāt, per quas id quod medicametū deijcit ferri ad aluum debeat: itaq; neq; ipsi educātur, & alijs sunt impedimēto. Quibus verbis luce clarius ostēdit Galenus, quid in cōsideratione quātitatis facere oporteat. Modus insuper cruditatis in considerationem vocari debet, nā (vt autor est Gal. 4. lib. de San. tuen.) sanguis est in medio biliosorū, atq; crudorū. Biliosi autē ex sanguine fiūt vbi supra iustū modū est percoctus. Crudi verò ex sanguine nondū perfecto. Cuiusq; autē eorum plures sunt differentiæ, alij priusquā ad exactum sanguinē perueniāt veluti semicocti sunt, alij porsus incocti crudiq;, alij paulo absunt à sanguinis forma. Rursus alij sanguinis faciendi, siue (vt ita dicā) sanguificationis veluti vltima pars, qui vtiq; excessu caloris proueniunt. Quorum alij paululum, alij plus, alij plurimum à sanguine recesserunt. Vbi paululū vel citra sanguinē restitum, vel vltra processum est, audacter mittēdus sanguis est. Vbi plus, cōsideratius agendū. Vbi plurimum, in his nullus omnino mittendus est. A loco verò in quo humores crudi abundāt, non exigua sumitur agēdorum insinuatio. Nā aut in cute sola, aut in mēbris, aut in vasis post iecur, aut in vasis ante iecur, aut in quibusdā horum, aut in omnibus his consistunt. Si in primis venis consistant, à sanguinis mißione sunt arcendi. Nam vt paulo ante retulimus, ex 4. de Sanit. tuenda. Incisa vena bonum sanguinē emittit: & malum qui in primis maximè venis circa iecur, & quod mesenterium vocant colligitur, in totum attrabit corpus. Quare seruandi hi sunt in omni quiete, dandáque ipsis, potio, medicamētáque sunt, singula eius generis quæ attenuent, dissecent, & conficiant succorum craßitudinem, idq; citra manifestum calorem. Nam qui excalfacti vehementius succi sunt: ij in omnem corporis partem feruntur. Ergo nutries hos maxime oxy-

melite, aliquando etiam ptisanæ, & mulsi exiguo quopiam: sustinẽt enim hi victũ, si modo alij ulli tenuem, ipsa nimirum crudorum copia, quos paulatim concoquunt, ad corporis alimentum abutentes. Quoniã autem præcordia istiusmodi omnibus tur gida inflataq; sunt, ac facilè quidquid assumpserint in flatũ vertitur, nõ inutile fuerit, longi piperis aliquid cum cibo dare: quippe quod flatuosi spiritus crassitudinẽ sol uit, & quæ in præcordijs pigra sidunt, ad ventrẽ depellit, & cõcoquendis quæ sum pseris subuenit pro cõmuni piperũ ratione. Quòd si huius copia nõ est, utiq; albo utẽ dum: quippe quod supra duo reliqua genera ventrẽ roborat. Sin hoc nõ adest optimũ nigrũ petẽdũ est: id verò fuerit quod põdere præcellit. Sanè vtilius sit, & diospoliti co medicamẽto uti, cuius cõpositio duplex est, aliàs ex paribus omnibus cumino, pi pere, ruta, nitro, poteståq; ita magis ventrẽ soluere: aliàs cum reliquorũ pari ponde re, miscetur nitri dimidiũ. Inter nostras verò cõpositiones quæ cõmuniter in taber nis paratæ reperiuntur, diaciminũ non valde differt à diospolitico: pondera tamen sunt diuersa, & præter illa quatuor diaciminum recipit zinziber, hyssopũ, cinamomum, ammiũ. De secunda cõpositione loquor à Mesue in suo antidotario posita, non de prima, nec de altera Nicolai: hæc enim nec recipiũt nitrum, nec valde similes sunt, quoniã multa calidiora, & tenuium partiũ recipiunt, ex quorum vi timendum est, ne crudi humores in vniuersum corpus ferantur. Appositũ quoq; remedium sic affectis est, quod ex tribus piperibus ana drachmis quinquaginta, anisi, thimi, et gin giberis, ana drachmis octo cõficitur, & simplicissimũ quidẽ hoc est. Etiam hoc ipso magis simplex, à quo gingiber detractũ est. Alterum verò est, quod ex eisdẽ confici tur: verũ ad cuiusq; trium piperũ drachmas quinquaginta, reliquorũ cuiusq; sexdecim drachmarũ inijcitur põdus, nẽpe anisi, thimi, & gingiberis. Quo etiã ad proposi ta vtimur cõmodissimè, nõ semel bisue quotidie, sed etiã sæpe. Siquidẽ manè, & an te cibũ, & post etiã cubitum euntibus rectè datur cochlearij pleni mẽsura. Atq; hu ius quidẽ vt paruis parui, & maximis maximi, ita medijs ad portionem. Præterea etiam gingiber adhibemus, quod ex barbaris afferebatur Galeni tẽpore aceto statim à collectu maceratũ: nunc verò maiori gratia melle aut sacharo cõditum affertur. Quanquã autem calida sint eiusmodi medicamenta, non eatenus tamen vt crudos succos transumere in corpus faciant, extinguitur enim eiusmodi medicamentorum calor, circa ipsas primas venas, nec in totũ perfertur corpus, veluti aliorũ quorundam. Cuiusmodi id medicamentũ est, quod diacalaminthes (propterea quòd calamin them recipit) vocãt. Oxymelli etiam istis est vtilissimũ, pro cuiusq; palato cõfectũ. Nam melli despumato, tantũ aceti conijcies, vt gustanti nec acidũ nimis, nec dulce ,, videbitur. Tunc super prunas coquet, quòad planè vnitæ amborũ qualitates sint, ,, nec appareat gustãti acetum adhuc crudum. Hinc ab igne depones: cumq; vti voles ,, aquã ei miscebis, ita tẽperãs vt vinũ. Ergo qui bibet, si nec de acore eius quæritur, ,, nec dulcedine: assiduè eo vtatur. Sin alterutro offẽditur, adiecto quod desideratur, ,, rursus id coques. Vtilis etiã est mulsa, & oxyglycy, vt lib. de sang. mis. cap. 12. Gal. est autor.

est autor: est autem ὀξύγλυκυ Græcis vox composita, nihilq́ nisi acetum dulce, aut mustum significans, perinde atq; ὀξύμελι idest acetum mulsum. Cõponitur autem oxyglycy, ex musto & aceto, adiecta etiam interdum aqua potabili cocta, vt ex Constantino, lib. 8. de re rustica, cap. 35. Refert Fuchsius in commentario ad dictum Galeni locum. Nisi quis (inquit) oxyglycy esse mistionem quandam ex aceto, & vino passo, quod Græcis γλυκύ dicitur cõtendat. Quod tamen parum retulerit, siue enim ex musto & aceto, siue ex passo & aceto misturã intelligas, oxyglycy acetũ dulce erit: quippe etiam passum vinum est dulce, quod ex passis ferè vuis, & diutius in sole seruatis fit: & est quod nos Hispano vocabulo appellamus bastardo. Galenus tamen. 2. de fract. com. 29. oxyglycy aquam mulsam austerã esse docuit: fieriq́ ex dulcissimis fauis postquã ab eis mel est exemptum in aqua maceratis, ac coctis, memoriæ mandauit. Quod Fuchsium aduertisse præstiterat. Ex dictorum sanè medicamentorũ vsu, crudi in primis venis humores inciduntur, extenuantur, atq; coquuntur. Quòd si integram coctionẽ, vt sanguis fiant, fortè fortuna non sit datum attingere, vomitione, aut deiectione, facilè deturbabũtur è corpore. In quem vsum, leuia vomitoria, & acriora quædã clysteria, quæ intestina irritent, mordeant, atq; deradant erunt vtilia. Qualia sunt quæ ex decocto anethi, rutæ, & centaureæ, sale gemmeo, aut nitro cõponuntur, aut ex oliuarum cõditura, aut ex aqua in qua pisces saliti diu fuerint macerati: hæc enim plurimũ salis recipiunt, & eius ratione intestina mordent & mũdant, quibus emundatis facilè ex primis venis crudi humores in ipsa ferũtur, iam ex alijs medicamentis attenuati.

Si in cute, atq; mẽbris extra vasa, sint crudi humores, nec vena secãda, nec pharmaco, aut vomitu est vtendum: cauendus enim est vterq; reuulsus. Et sicut quæ in primis venis sunt, vltra iecur progredi cauimus: ita quæ foris sunt, ne rursus ad vasa remigrent cauemus. Quare exercitio, frictione, balneo, fomento calido, & vnctione calfaciente sunt curandi: ita insuper & (vt vno verbo dicam) omnibus quæ spiritus, & innatũ calidũ, in partibus externis suscitãt. Si verò in vasis corporis sedẽt, vtẽdũ est coctione si coqui possunt, tenui victu & somno adhibitis. Si coqui nequeũt & facultas tollerat, vacuatione sanguine misso per interualla vti oportet. Nam ex purgãti medicamẽto cruda nõ cedunt: venæ sectione verò, præsertim si præmittãtur extenuantia facilius vacuantur: eò quòd sanguinis detractio non requirit coctionem præeuntem, sed sibi suffecerit crassorum aliquantula extenuatio, vt commodius per venam sectam fluant humores. Si autem vniuersum corpus occupent, vasa scilicet corporis, primas venas, & membra: omni est vtendum auxilio, coctione per somnum, & tenuem victum, & extenuantia medicamenta: vacuatione per aluum, supra & infra, eius cruditatis quæ in primis est venis: qua semota, vena si oportuerit per interualla secetur: sic enim è magnis vasis, crudos humores elides. Postremo quæ in mẽbris sunt collectæ, frictionibus, balneis, ac alijs, quæ calorẽ in externis partibus suscitare diximus sunt dissipãdæ. Atq; hæc est quam locus suggerit indicatio.

Dictis adde considerationem alteram effectus humorum crudorum in corpore, nam interdum pariunt morbos, & aliàs eosdem minantur. De quo libro de Sãguinis missione cap. 10. sic scribit Galenus. Crudis autem humoribus abundantibus, antequam ægrotare incœperint caute vacuabis, vbi verò iam febricitant, vt antea dixi nequaquam. Nam in vniuersum, si cõparemus actum præuisionis curationi, securius multò fluit sanguis in sano quàm in ægro, indicatione conuersa ad vires, quæ in sano valent magis, in decumbente minus. Quod voluit Auic. 4.1. cap. 20. vbi ita scribit. Et debes scire, dum istæ ægritudines timentur, & nondum in eas ceciderint, plus secure eis cõceditur minutio: & cũ in eas ceciderit, in earũ principio phlebotomia penitus, idest copiosa dimittatur. Dimittatur inquã non absolutè, sed collatione facta, ad illã quæ potuisset fieri ante aduentum morbi. Cum autem in omni morbo verum sit, actũ præuisionis securiorẽ esse actu curationis, præsertim in vacuatione obeũda: est in humorum crudorum copia ipso vero verius: adeo vt morbo iam præsente, in præsentia crudorum nullatenus sit vacuatione vtẽdum. Nam cum humorũ crudorum copia, parum valet facultas: & quò diutius in corpore dicti humores persisterint, eò inualidior ex eis redditur virtus nostrum corpus gubernans, grauato ab eis, ac ferè extincto innato calido. Innati autem calidi defectu, humores illi nec coquuntur, nec in sanguinem vertuntur: sed derelicti putrescunt, & febrem faciunt. Quo iam tempore adeo est imbecilla facultas, vt sanguinis detractionem non sustineat. Ob idq; rectè consuluit Gal. cap. 10. libri de sanguinis mißione, quòd vbi iam febricitant, nullam vacuationem moliamur. Et cap. 6. eiusdem libri, in eandem ferè sententiam, ad hunc modum scripserat. Si verò degrauans plenitudo infestat, nõ semper sanguis detrahẽdus est. Fieri enim potest, vt crudus per corpus sit coaceruatus humor: in quo exquisitè attendere oportet, quantum valeat virtus, & quantum ipsius humoris sit genitum. Quippe prius exoluta ab eiusmodi affectibus virtus, per sanguinis mißionem in extremum malum recidere solet, vt nequaquam ipsa postea reparari queat: quod si factum fuerit, periculum haud leue sequitur. Præsertim si æstiua cõstitutione, stomacho male habente febris accesserit, aut vniuerso corpore natura molli, & tẽperamento humido existente. Hi enim promptè discutiuntur, celerrimeq; animi deliquium incidunt, etiam si magna febris haud accedit. Et hinc est quòd Galenus. 12. libro Methodi, febres ex crudis humoribus ortas sola frictione curat, & ab omni alia vacuatione abstinet. Libet autem hic eius verba transcribere, quò lucidior fiat sententia. Quæ verbum ex verbo ita habent. Ergo febricitare incipiunt nonnulli, vbi maximam crudorum succorum copiam, vna cum oris ventriculi (quod sanè stomachum vocant) offensione, vel ex cruditatibus, vel alia quappiam occasione congesserunt. His & præcordia inflata, & totum corpus ampliore mole, quàm pro naturæ modo cernitur. Tũ color alijs quidẽ ad albidius, quàm pro naturali habitu, & intercute aqua laborantiũ magis simile est mutatus: nõnullis etiã ad nigrius aut liuidius, quos quidẽ medici plũbei coloris appellãt. Omnibus pulsus minores sunt quã pro

colo-

caloris ratione. Præterea obscuri omninoq; inæquales, sæpe ea inæqualitate quam συστηματικὴν *Græci vocãt, semper verò ea quæ in vno est ictu. Nulli talium sanguis mitti sine maximo dispendio solet: cum tamen vacuationem desiderent. Verum nec sanguinis missionem nec purgationem sustinent: vt pote quos sine his, syncope subitò adoritur. Quænam igitur est ratio talibus medendi, qui cum vacuari postulent, vacuantia præsidia non ferunt? Sanè nullam aliam his idoneam vacuationem inueni, præter eam quæ ex frictione paratur. Incipere verò in principio statim morbi oportet: ac primum à cruribus supernè deorsum, idq; linteis non admodum mollibus, sed aspredinis mediocre quid habentibus: debet enim radi ab his cutis, cum simul & calefieri per eam, & digeri ægrotus postulet. Dein tota brachia ab humeris vsq; atq; supernè deorsum simili modo sunt fricanda. Vbi verò artus omnes abunde calere videbuntur, & metus fuerit ne quis ex multitudine frictionis, contusa iam carne, lassitudinis sensus ipsis superueniat, oleo relaxãte vteris, quod genus est sabinũ: ab adstringẽte verò abstinebis, cuiusmodi hispanum est, histricũq;, & quod vna cum germinibus, vel ex oliua adhuc immatura conficitur. Hyems verò si fuerit, nihilo deterius sit, si ad digerentiũ aliquod trãsieris, cuiusmodi sicyoniũ est, aut quod cum chamæmelo cõponitur, aut quod apud Aegyptios est in prætio. Quod si horũ copia nõ sit, oportebit accepto relaxantiũ oleorum aliquo, & in quo nulla sit adstrictio, potissimumq; quod est antiquius, immittere ipsi anethi quod videbitur satis: mox vt ipsi solemus (vbi in vase duplici tantisper calfecerit, dum mediocriter qualitatẽ herbæ imbiberit) vngere hoc artus & fricare, tunc quoq; quamplurimum debebis. Postea oleum quoniã tedium afferat detergere, atq; ad spinam dorsi transire, hancque totam pariter fricare, primũ sicca frictione post oleo: ab hac rursus ad crura te conferes, & ab his ad brachia, ex in denuo ad spinã, ita totum agens diem, in domo puræ lucis, nec madente. Hæc Galenus, & alia etiam quæ præsentem statum concernunt scribit. Quibus luce clarius apparet, quid in medella crudorum succorum faciendum sit ante febrẽ, & quid cum febrem creant. Hunc Galeni locum legerat Auerrhous, sectione tertia Collectaneorum, capite vltimo, qui vt parum erat in Galeni lectione exercitatus, ita ipsi Galenũ erroris insimulandi semper fuit animus. Placet autem ipsius verba subijcere, vt quantũ ponderis habeant æstimemus: quæ sic habent. Galenus noster febres à succis viscidis ortas, sola frictione sanat: quod te contemplari accuratè volo. Quid enim oberit, quominus succi in totum corpus diffundantur tali frictione? Quin etiam ille ipse, libro de Sanitate tuenda, lassitudinẽ hominis cuius corpus plethoria laboret, & succis viscidis sit refertũ curans, prohibet ne exerceatur, vllo ve motu valido agitetur, neue fricetur, neue lauetur: frictio etenim quæ sub cute sunt: & inter musculos vacuat, at quæ in venis continentur, purgatione tantum educuntur. Quod si per sanitatem quis frictionem adhibeat, ita vehementiorem, quam præcepit Galenus, abscessus sane atque vlcera necessario per summa cutis erumpent. Hæc Auerrhous. Sed ô ridiculum caput, quid fælicius contingere*

posset homini febre syncopali ex succis frigidis orta laboranti, ubi nullæ alteræ vacuationi datur locus, propter imbecillitatẽ, & animi deliquia: quàm quòd succi per universi corporis habitum diffundantur, & tubercula atq; ulcuscula creent, relictis principibus? In libro verò de Sanitate tuenda, de sanis, ac neutris corporibus agit, in quibus aliæ vacuationes, & sanguinis missio ac expurgatio obeuntur, & in eis fuerit nefas prauos succos ad cutem traducere: fierent enim tubercula, & ulcuscula, ex frictione aut exercitio, iuxta illud Hippocratis 6. lib. Epidem. par. 5. com. 34. Vlcera exoriuntur si immundus laboret. Latius fortè quàm par foret, orationem nostram produximus, quoniam à nemine (quod sciam) isthæc fuerunt animaduersa. Breui autem colligentes, sanguinẽ mittemus crudis humoribus abundantibus, si non occupent primas venas, sed eas quæ sunt post iecur: si non multum distent à sanguinis forma: si morbum minentur, & adhuc non faciant: si bonus sanguis non sit paucus: si facultas non sit inualida. In contrarijs statibus abstinendum. In amborũ miscella, librãdæ sunt indicationes, & stãdum est potentiori, altero non spreto. Quod tamen rarum medicum poscit, non vulgarem, sed doctum, expertum, & fœlici natura præditum.

An vteri gestatio sit inter præcipuas obseruationes habenda, tum vt venam secemus, tum etiam vt expurganti medicamento vtamur. Et vtra vacuatio sit periculosior. Et de nostris pharmacis benedictis appellatis. CAP. XV.



Vt cunq; mulier grauida plurimum euacuetur, & per quancunq; regionem, siue ab arte, siue à natura, talis fiat vacuatio, periculum est aborsus. Primo, quoniã ingens vacuatio alimẽtum subtrahit fœtui. Secundo, quoniam spiritus, humores, & vterum conturbat, acetabulaq; dissoluit. Tertio, quoniam vteri contentricem, & vim fœtus qua ipse se sustinet, imbecilliorem reddit. Vnde quinto libro Aphorismorum sententia trigesima quarta, ita scribit Hippocrates. Mulieri grauidæ si aluus nimis profluat, periculum abortus est. Et sententia quinquagesima secunda. Si mulieri in vtero habenti, lac multum ex mammis fluat, debilem esse fœtum significat. Et sententia sexagesima. Si mulieri vtero gerenti purgationes fluunt, nõ potest fœtus esse sanus. Quare periclitantur de aborsu. Hinc autores, dum vtero gerentibus medentur, suspecta & maximè formidanda esse censent, inediam, venæ sectionem, & expurgans medicamentum. Nec tamen ab eisdem abstinere, vacat suspitione: nam si vt non prægnantes, parce nutrias, phlebothomes, & expurges, perditur fœtus: sin huius habita ratione, liberalius illas cibes, & à venæ sectione atque expurgatione abstineas, in discrimen ipsa prægans adducitur. De

inedia

inedia id scripsit Galenus primo Epidemiarum, parte tertia, comment. penultimo. De venæ sectione Hippocrates, quinto Aphorism. comment. 31. De expurgatione idem Hippocrates, quarto libro Aphorismorum, commentario primo. Et rursus ob vtilitatem eandem sententiam repetiuit quinto libro Aphorismorum, comment. 29. Quibus locis, expurgantia medicamenta vetat grauidis, nisi humor turgeat. Eo verò turgente, ijsdem vti concedit, tribus mensibus medijs: non primis, neq; postremis. Primo, quoniam acetabula quibus fœtus alligatur vtero, primis tribus mensibus sunt mollissima, & vltimis friabilia, vt exemplo fructuum ad suas plantas Galenus illustrat. " *Hi siquidem in prima generatione debilioribus capulis continentur,* " *& ideo facile decidunt, quando vehementior ventus ipsos concusserit: posthac au-* " *cti, difficilem habent à plantis dissolutionem: sicuti rursus cum perfecti sunt, sponte* " *sua sine vi extrinseca decidunt. Eodem modo & conceptus, in primo quidem tem-* " *pore à seminis iniectione, si quando saltare contigerit mulierem, aut in lubrico ca-* " *dere, siue quouis alio modo, vel animo, vel corpore, moueri vehementius, facile dis-* " *rumpuntur: sic etiam & cum iam perfecti sunt: tempore verò intermedio firmio-* " *rem habēt coalitū. Quare mulier vtero gerens potest medijs mensibus expurgantia* " *medicamenta sustinere, non autē primis, aut postremis. Secundo, quoniā vt autor est Gal. 2. lib. de victus ratione in morbis acutis com. 12. in omni purgante medicamento est vis deleteria, quam fœtus non poterit tolerare, nisi dum firmus fuerit, & firmis nexibus illigatus. Tertio, nā semel vorato medicamēto, metus est ne plus iusto vacues, 2. lib. de victu acut. com. 11. autore Gal. Ad immodicum autē fluxum sequitur abortus, Hippocrate autore, 5. Aphor. com. 34. Quarto, ob maximū consensum vteri cum intestinis, cuius ratione tenasmus facit abortire apud Gal. 7. Apho. com. 27. Accedit & vltimo, quòd musculi abdominis, qui cōprimunt ventrem cacantis, non possunt absolui à compressione vteri, nam & ijsdem musculis solet iuuari naturalis partus. Ob hæc sanè expurgātibus medicamētis nō esse vtēdū (nisi materia turgeat) medijs mensibus fœtationis voluit Hippocrates. Quem sequuta est omnis antiquitas, vno Auerrhoe excepto, qui septimo libro colliget, capite quarto, tribus motus rationibus, prorsus expurgantia medicamenta deuitat grauidis, Prima, quia medicamenta purgantia deleteria sunt, ac venenosa, quæ fœtum tenerrimum internecabunt. Secunda, quoniam purgantia mouent humores ad vterum. Tertia, nam omne purgans (inquit) mouet vrinam, mouens vrinam trahit menses, quod trahit menses facit abortire: & ex consequenti nullum purgans est propinandum. Sed hæ Auerrhois rationes, sicut & quæ à nobis sunt ante dictæ, solum ostendunt periculum in purgatione grauidarum. Ob idque ab Hippocrate non adhibentur purgantia, nisi vbi fœtus, & acetabula sunt firma, & valent resistere iniurijs dictis: & vbi maius periculum deuitamus ex humore turgente, quàm incurrimus ex malitia, & vi medicamenti purgantis. De Auerrhoë verò maximè miror, qui quò bonas antiquiorū literas pessundet, sui met obliuiscitur, & falsa assumit.*

Nam quinto colliget, capite de rabet, de eo ipso ita scribit. Et Galenus, & alij medici dicunt, quòd constringit ventrem, & nos videmus quòd purgat, & est mirabilior alijs medicinis purgatiuis, quia frenum suum est cum eo: quoniam nulla medicinarum purgatiuarũ est sine veneno aliquo in aliqua parte sui ista excepta, eo quia confortat omnia membra corporis. Ideo possumus dando ipsam pro purgatiuo, refrenare alias per ipsum medicinas. Quare vel ipso autore, nõ omnia purgantia sunt venenosa. Falsum quoq; est, quòd in secunda ratione assumit, scilicet quòd purgantia mouent humores prauos ad vterum: nam medicamenta purgantia manum porrigũt humoribus, qui huc atq; illuc diuagantur, vt manu ducti ad intestina, non delabatur in vterum: quare purgantia potius reuellunt ab vtero, quàm ad vterum humores mandent. In tertia ratione falsum sumit non semel: falsum enim est, quòd omne purgans, moueat vrinam: purgare enim est proprietas (nam à totius substantiæ proprietate purgant medicamenta) mouere vrinam est qualitas tertia: quæ duo cum sint impertinentia, non habebunt necessarium commercium. Falsum quoq; est, quòd subdit, quòd omne mouens vrinam, statim mouet menses, vt constat ex Galeno, quinto libro simplicium, capite vigesimo primo: maiori enim vi est opus ad menses ciendos, quàm ad prouocandam vrinam: quare omne mouens menses, vrinam quoq; ciere potest, non è conuerso. Nec etiam omne quòd menses mouet, abortũ necessario inducit: siquidem plurimis prægnantibus menses copiosè fluxerunt, superstite matre, seruatoq; fœtu in maturum pariendi tempus vegeto, ac viuido.

Hic autem aduertere oportet, quòd antiquioribus, Galeno (inquam) & Hippocrati, ignota fuere purgantia medicamenta mitissima, quæ nobis habentur in vsu, casia fistula, manna, rhabarbarum, thamarindi, & mirobalani: quibus nos fœliciter vtimur, si morbus vrgeat, toto tempore fœtationis, etiam si materia non turgeat. Nec hæc sunt quæ ab Hippocrate prohibẽtur in Aphorismo. Primo, quoniam insanum esset, quæ non nouit prohibere. Secundo, nam ratio prohibitionis purgantium, pendet ex violentia quam ipsa pharmaca inferunt naturæ: hæc autem nostra mitissima cum sint, superstite fœtu quantuncunq; tenero, humores abducunt. Tertio, quoniam Galenus. 5. Aphor. com. 55. valida tantum auxilia negat prægnantibus, & Philothæus. 4. Aphor. com. 1. aduertit, medicamentum Hippocrati dicere, non quoduis purgans, sed tantum validum. Nostris ergo pharmacis, leuissimis tentari possunt: illa verò antiquorũ, peplium, helleborum, euphorbiũ, colocynthis, elateriũ, scãmonium, & similia, non modò non probamus in ijs quæ vtero gestant: verum nec virginibus, nec viris quantuncunq; robustis ea concedimus: nisi fortè in graui & diuturno aliquo morbo, qui leuioribus sæpe sæpius adhibitis nõ cessit. Nec maior enim infœlicitas, nostri temporis pleureticis contingere posset, quàm ea ebibere medicamenta, quæ Hippocrates suis ægris ministrabat. 2. acutorum, sentent. 11. Prætereo eos quibus per febres ardentes viscera exuruntur: in quibus si casiam, mãnam, thamarindos, psilij mucaginem, & similia transcendas: neci dabis. Age rogo, & ex medi-

medicamentis antiquorum, vno aut duo elige, quibus quæ vtero gestant purgari possint? illa validissima scio non eliges. Restant agaricus, rhabarbarum, aloë, manna. At mannam reposuit idem Auerrhous inter medicamēta Galeno, & antiquioribus ignota. Ego tamen mentionem eius habuisse arbitror, libro. 3. alimentorum, sub nomine mellis aêrei, vel roridi. In quo tamē nullā vim purgantem agnouit, sed varias tantum vires, à varijs super quas cadit plantis acquirere dixit: nec prorsus ab altero melle quod ab apibus sumitur, dissimiles vires habere censuit. Agaricus verò quem vt purgatoriū agnouit Gal. 6. Simpli. cap. 8. pituitā purgat: cuius etiā vacuatio in morbis acutis raro est idonea: & præter id menses validè mouet, & facit abortire: vnde est remedium sui ad prouocandum aborsum, vt scribit Aëtius, lib. 6. cap. 18. Aloë verò potentissimè prouocat menses (nam ob id Galenus propinat hieram, quæ aloës centum excipit drachmas, aliorum medicamētorum cuiusq; sex, libro de sanguinis missione, cap. 68.) & aperit ora vasorum apud Arabes, quæ omnia prægnanti sunt aduersissima. Quare demiror cōciliatorē diff. 166. vbi agaricum, & aloëm prægnantibus concedit: cum tamē sint maximè aduersa, vt diximus. Rhabarbarum verò non agnouit Galenus, quanuis Ruelius, & fratres, & multi alij, credant rhaponticum antiquorum, nostrum esse rhabarbarum. Cuius tamen contrarium constat: nā radix rhapontici, vt scribit Dioscorides lib. 3. cap. 2. est fungosa, leuis, inodora: quorum omnium contraria reperiuntur in nostro rhabarbaro: est enim radix densa grauis, & odorata. Et præter id rhapontici radicem dixit esse similem cētaurio magno, quod tamen radicem crassam & longam (tripedalem scilicet) & maculis rubeis respersam, habere dixit eodem lib. cap. 6. Radix verò rhabarbari, rotūda est & omnino crocea. Item nostrum rhabarbarum egregiè purgat, etiam in exigua dosi: quod nō essent antiqui prætermissuri si eum agnouissent. Nec enim possent in eo, eam vim ignorare, cum frequēs esset apud eos rhapontici exhibitio ad multa. Græci præterea iuniores, quibus iam fuit aliqua nostri rhabarbari notitia, diuersum eum ponūt à rhapontico. Nā paulus post caput de rhapontico veterum, in duobus ad podagram compositis medicamentis, rha barbaricum admiscet. Et lib. 1. cap 43. inter ea quæ ventrem laxant ipsum memorat. Quem locum petit sibi mostrari Manardus lib. 9. epistola vltima, quòd post multiplicem pauli lectionem non inuenerit. Cuius certè causa fuit, quòd eum ipsum locum corruptè legerat lib. 6, epist. 2. Actuarius quoq; vir Græcus, in rhabarbaro vim purgatricem agnouit. Nam de diaphœnicone agens dixit, supra omnia rha indicū domare bilē flauā. Accedit quòd nostrū rhabarbarum, ex meridionalibus regionibus ad nos fertur, non aquilonaribus, vbi bosphorus, rha fluuius, & stagna mœotica, à quibus rhaponticum afferri, dixit Dioscorides. Adde etiam quòd Manardus lib. 5 epist. 5. musa, & vesalius, memorant se vidisse radicem diuersam à rhabarbaro, per omnia respondentem rhapontico. Primus autem (quòd sciam) qui integram rhabarbari naturā expressit, fuit Auerrhous, & post eum Ioannes Cognomento mesue. Nam Serapio & Auicenna (quòd maximè mirandum est)

Græ-

Græcos de rhapontico videntur transcribere: & aut vim purgandi quæ est in rhabarbaro ignorarunt, aut certè non satis laudauerunt, nec tradiderunt posteris experta de eo: scilicet quòd purgat: & quòd est mirabilior alijs expurgantibus: & quòd frenum eius est cum eo: & quòd est sine veneno: & quòd aliàs corrigit medicinas, quæ sibi miscentur. Quæ tamē quinto colliget scribuntur. Et quòd non est in eo nocumentum apparens: & quòd datur in omni tempore anni, & in omni ætate, ita quòd etiam pueris, & prægnantibus: & quòd infusio datur quando solum quæritur abstersio, & solutio, & opilationum apertio: & ipsum contritum, quando quæritur vt post illam in visceribus vestigia contractionis remaneant: & quòd magis adstringit assum, & adhuc magis adustum: & quòd drachmæ pondere educit bilem & pituitam: & quòd mundificat & confortat hepar & stomachum: & quòd confert doloribus pungitiuis eorum: & quòd clarificat sanguinem: & quòd aufert opilationes: & quòd curat omnes morbos ex opilatione natos, sicut hydropisim & similia: & quòd cōfert sputo sanguinis, & manationi eius vndecunq; sit: & quòd cōfert casui & percussioni, & sanat rupturas intrinsecas & extrinsecas: & quòd est medicina bona dissenteriæ, & propriè quod ex eo est assum: & quòd confert febribus antiquis. Quæ omnia traduntur à Mesue, & longa iam experientia sunt a nostris medicis cōfirmata. Quanquam eius in prægnantibus exhibitionem prohibeat Arnaldus, cap. 61. sui speculi, quia vis aperiens quæ est in ipso, ducit adstingentem vt expressione eyciat fœtum. Sed fallitur bonus homo, Primo, quoniā à recepta omnium sentētia discedit. Secundo, nam sicut rhabarbarum non adstringit, nisi post purgationem humoris, ita non deberet adstringere, nisi post expulsionem fœtus: sicq; adstrictionem semper deberet præcedere aborsus non eā sequi. Tertio, quia non pari facilitate expellitur fœtus ac humor: nam perperam. 4 Apho. com. 1. contrarium affirmat Fuchsius. Quarto, nam licet adstrictio iuuet purgationem rhabarbari, ipsa tamen purgatio à partibus acribus prodit, non ab adstringentibus. Nam aliter non eligeret humorem purgandum, sed quemuis obuium vacuaret. Nec etiam per assationem imminueret vim purgantem. Si ergo purgatio non fit à parte adstringente, sed ab acri, quantumuis ab ea iuuetur, frustra timet adstringētem fœtum forè expulsuram. Rhabarbaro similes vires sortiūtur myrobalanorū genera: sunt enim ex medicinis benedictis, licet inefficatius purgent, & magis adstringant: possuntq; securæ prægnantibus cōcedi. Atq; hos quoq; numerat Auerrhous inter medicinas à Galeno non scriptas: nam & si nomine myrobalani antiqui fuerunt vsi, constat tamē diuersam rē intellexisse. Dioscorides in primis vbi de palma tractat, myrobalanorum, & phœnicobalanorum meminit, qui palmæ fructus sunt. Plinius quoq; lib. 12. cap. 22. fermè eadem tradit, nam cuiusdam plantæ meminit in Aegypto nascentis, quàm vocari ait adipson, quasi arcere sitim diceres, viridemq; esse, & malicotonei odore, nullo intus ligno, colligique antequam incipiat maturescere, & quòd relinquitur vocari phœnicobalanum. Et idem Plinius lib. 23. palma quæ fert myrobalanum, probatissima in Aegypto, ossa nō

habet

habet reliquarum modo in balano. Ex quibus patet quàm sine causa Manardus dubitet, an nostri myrobalani, sint myrobalani antiquorum: nam nostri habent nucleos & soluunt, antiquorũ carent nucleis & adstringunt. Frustra etiam dubitat, an myrobalani, vel phœnicobalani antiquorũ, sint nostri thamarindi. Nam & Auerrhous inter medicinas Galeno incognitas, dactylos indiæ recẽset. Et apertè habẽt nucleos, & ventrem soluunt, & nihil æque domat bilem præter rhabarbarum, sunt medicina cordialis apud Auicennam de viribus cordis, vnde secundo canone, cap. proprio conferunt febribus habentium syncopin, & propriè cum necesse est naturam lenire. Educunt bilem, & reprimunt furorem eius, & feruorem sanguinis, & conferunt inflammationi hepatis & stomachi, & sunt medicina sitis, & omnis stuationis factæ ab eis, & conferunt icteritiæ, & reprimunt vomitum, & sunt medicina vera febrium acutarum quæ indigent lenificatione, quæ tamen de phœnicobalanis non traduntur. Ego tamen thamarindis solis, vtero gerentes nunquam purgo, tum quoniã vterus ex acetosis male habet: tum ob magnam dosim, quam sine vomitu anxietate, & abbominatione raro possunt ebibere. Est enim apud Mesuem dosis ab vncijs duabus, vsq; ad quinque: quare media erit vnciæ tres. Auicenna vberius propinat, & inquit, "Sit potio ex decoctione eorum propinqua mediæ libræ." Serapio verò exhibens libras quinque, nimius videtur: & credo librarum loco legẽdas esse vncias, vt cum Mesue conueniat. Parcissimus autem mihi videtur Auerrhous, qui dosim non vltra quindecim drachmas extendit, quanquam & eæ non sine labore bibuntur. Debet autem fieri eorum infusio in sexcuplo aquæ stillatitiæ, vel seri, & post frictionem quæ manu fit leniter bulliant, & colentur vbi magis extinguere vis, non colentur autem vbi magis soluere est animus. Quem Mesuæ locum ad hũc modum corrupit Siluius, Non colatum exhibetur, quando potentius ardor extinguendus est. Succus præterea rosarum, & earundem infusio, nostras prægnantes cõmodè purgat. Non agnouerunt autem Græci, vim soluentem in rosa, vno dempto Dioscoride, qui lib. 1. cap. 42. de oleo rosaceo notauit, quòd potum soluit aluum. Est autem apud nos genus quodam rosarum, quas alexandrinas (fortè quòd Alexandria venerint in Hispaniam) appellamus: quæ non leniter purgant. Sunt qui credant esse narsim serapionis. Suum tamen narsim ita pingit. "Est arbustum simile arbori rosæ, habens florem album, & dicũt quod est rosa agrestis, & rosa seni." Nostra verò Alexandrina, non habet arborem similem arbori rosæ, sed ipsissima arbos rosæ est, nihil ab ea euarians: nec est agrestis, sed satiua, & in hortis tantum reperta, neq; flores habet albos, sed rubentes. Nunquam enim nobis rosam albam plurimũ solutiuam videre contigit, quanquam Manardus reprehendens Mesuem, quòd dixerit rosas albas non esse solutiuas, ita scribat. "Apertus hoc loco error deprehenditur, albæ enim de seni vocatæ, & vulgo apud nos Damascenæ, cum albissimæ sint cæteras in purgando excellunt." Fortè sua patria tales rosas frequẽs fert, quales nostra nunquam tulit. Id verò vnum nos credimus nostras Alexandrinas esse quas

Aui-

Auicēnas appellat rosas persicas, quibus vtitur pro solutiuo, & lenificatiuo in cura febris flegmaticæ. 1. 4. tract. 2. cap. 59. & in cura tertianæ nothæ eodem libro, cap. 41. Et idem Auic. 3. 1. doct. 2. cap. 7. ad deponendam repletionem cibalem noxiam, propinat zucarum rosatum egestionem faciēs. Quod ex istis rosis factum esse intelligo. Adeo autē huiuscemodi rosas securas esse existimat, vt prægnanti cuius ventriculus appetit extranea concedantur. 21. 3. tract. 2. cap. 4. Quare in febre & grauiori quocunq; morbo, multo audacius debet concedi syrupus, qui ex nona infusione harum rosarum nobis paratur, aut ipsæ rosæ sacharo, aut melle cōditæ, aut syrupus factus ex succo earundem. Purgat enim omnis rosa bilem, & aquas, & Alexandrina præter id pituitam, & materias communes in vijs dictum repertas, vt ex locis citatis Auicennæ, & frequenti experimento constat. Casiam fistulam prætermißimus, quoniã notæ & vulgatæ sunt apud omnes suæ vtilitates, & securè eam prægnantibus exhibent Mesue & Auicenna, 2. lib. cap. 197. Adeoq; creuit securitas ex quotidiano experimento, vt nec ipse vulgus ignoret. Carpus tamen in magna anatome, eam prohibet prægnantibus, nam timet ex ea laxitatem intestinorum, & flatũ: quæ tñ nos emēdamus, pauco aniso admisto. Cœperunt hanc sacharo conditam afferre: quæ tamen nihil purgat, quoniam immatura conditur. Quod sanè & in myrobalanis experieris: nam qui afferuntur conditi ex india, non modo non purgant, verum mirè adstringunt. Admiratione verò non vacat, quòd semina casiæ fistulæ magis purgent, quàm intraneus liquor, vt notat Manardus in annotationibus ad Mesue simplicia. Quod si verum est, lenitione non operantur sed verius tractione, more validiorum pharmacorum. Hæc huc vsq; produximus, vt videãt omnes, quanto magis & securius nostro tempore, quàm antiquitus hominum saluti consulitur: & quantum salutari medicinæ debeant homines. Nam & qui nōdum vitam accepit, ei vitam debet: & mille hodie mortalium millia viuũt, valentq; qui ne nati quidem essent, nisi salutaria pharmaca hæc ars reperißet. Quanquam verò Hippocrates, & Galenus, & alij præstantes ingenio viri, hanc artem ferè perfecerint: non tamen ob id tam absolutam habere potuerunt, quin ætas, & tempus, & nouus labor additus, plurima vtilia inueniret: & ex inuentis amissa recuperaret. Docti sanè illi fuerunt viri, & pauci fortè plus illis quàm ego tribuunt: doctior tamen est nostra natura, & plura de suo quotidie pãdit sinu, quæ antea latebãt: nouos scilicet orbes, ignotas gētes, diuersas segetes, & antea minimè nota medicamēta nuper nos docuit: à quibus non sunt tantũ vtero gerentes arcendæ. Et profecto si antiquorum medicamenta exitiosa, medio tempore fœtationis propinabantur: non est cur nostra tam salutaria, aut primis, aut vltimis mensibus, non sumantur.

Ex dictis sanè manifestum fit, quantũ expurgantia medicamenta, & inediam cauerint in prægnãtibus antiqui. Videtur autē Hippocrates multo magis pertimuisse venæ sectionē: nam eam absolutè vetuit dicēs. Mulier vtero gerens sanguine misso ex vena abortit, & magis si fœtus est maior. Quare cũ purgationem medijs mensibus

sibus concedat, & nullum venæ sectioni det locum: videbitur cuipiam, minori cum periculo pharmaca, atq; ea valida, qualia antiquorum erant, quàm sanguinis quancunq; detractionem suscipere. Accedit & ratio, quòd sanguinis missio detrahit alimentum fœtui: expurgatio verò detrahit prauum alimentum. Tutius ergo suscipietur expurgatio, quàm venæ sectio. Sed refragatur multorũ seculorum experiẽtia: nam multæ in vltimis etiã mensibus, quãdo minus opportuna est venæ sectio, tolerant repetitas phlebothomias, non tolerantes totidem purgationes. Quod etiam ratio confirmat: nam pharmacum adhibitum coërceri non potest sanguinis effusio potest. Pharmaca præterea antiquorum, viscera lædunt: à qua læsione licet nostra benedicta spolientur, non possunt tamen spoliari à motione, & tractu humorũ ad vterum, & partes vtero vicinissimas. Ob quam viciniam sæpe cõtingit, vt medicamen purgatorium, quod propria vi menses ducere non posset, eos tamen quandoq; mouere videatur: cum vterus ipse longanonem, per quem alui excrementa exeunt, prolectulo habeat strato. Venæ sectio verò ab omni spoliari potest nocumento, scilicet à subtractione alimenti, cuius ratione facit abortire, vt scribit Hip. 5. lib. Aphor. sent. 32. Si enim superfluus sanguis detrahatur solus, & relinquatur necessarius fœtui, & matri (quod sæpe fit) nihil est quòd in sanguinis missione cõdemnes. Quin si plenitudo quoq; est causa aborsus, (vt Auic. 21. 3. trac. 2. cap. 8. est autor.) ipsius plenitudinis depositio quæ vena secta fit, ab aborsu præcauebit: quoniam solum superfluum educet. Quare ratione solius præcautionis ab aborsu, etiã in absentia morbi, venæ sectio est interdum necessaria: & in præsentia febris quæ sanguinis missionem postulat, non modo est venæ sectio necessaria vt curetur febris: verum etiã ne ex nõ curata febre sequatur abortus. Febrem enim esse interdum causam aborsus, & notum est, & ab Hippocrate atq; Galeno proditũ. 3. Epid. par. 2. sent. 7. & 8. vbi de muliere quæ apud Pãtimedẽ degebat, & altera Occetai vxore, tradidit quòd non febricitarunt quia abortierant: immò contra quòd febricitarent, ideo abortiebant. Pleuritis quoq;, & alij ex sanguine morbi, qui plurimum diuexant prægnantes, faciunt abortire dum sæuiunt: & vena secta placati, matrem fœtumq; periculo leuant. Et profectò plures nos vidimus interdum ex febre, alias ex alijs morbis, cum apertis signis aborsus, vmbilicũ iam & lũbos per interualla dolẽtes, cũ spiratu difficili & magna angustia, quæ sanguine copioso per venæ sectionem vacuato, & à febre, & ab instanti aborsu quieuerunt: quoniam scilicet venæ sectio, quæ superfluum tantùm detrahit, ab omni ferme spoliatur nocumento. Pharmaca verò quantumcunq; benedicta, etiam si spolientur à malitia, non tamen spoliantur à tractu humorum ad partes vtero vicinas. Ob idq; in æquali necessitate vtriusq;, commodius suscipitur phlebothomia: quanquam non sit prorsus incommoda expurgatio, quæ nostris pharmacis fit. Quod sanè intelligi debet, si virtus constet ad vtrunque auxilium ferendum: fieri enim potest, vt facultas constet ad expurgationem, non constet autem ad venæ sectionem: cum maior vis huic, quàm illi præsidio adhibẽdo

sit

sit necessaria, vt. 4. lib. de Sanit. tuen. tradit Gal. Quare si imbecilla est virtus, minori cum periculo suscipitur expurgatio, quàm par venæ sectio. Si valida est ad vtrunq́ auxilium, tutior est venæ sectio, nec plurimum est incommoda expurgatio. Quo sanè fit manifestum, quòd vteri gestatio non est inter præcipuos sanguinis detrahendi scopos connumeranda: sed inter quantitatis obseruationes habēda. Minus enim detrahemus grauidæ, quàm vacuæ: minus quoq; cum fœtus fuerit maior, & pluris alimenti indigus. Vnde Cornelius Celsus, lib. 2. cap. 10. antiquis aliter sentientibus non vult stare, quòd experimentis plurimis didicerit contrarium. Sunt autem hæc eius quæ sequuntur verba. Antiqui primam, vltimamq́ ætatem, sustinere non posse, hoc auxilij genus iudicabant: persuaserantq́ sibi, mulierem grauidam, quæ ita curata esset, abortum esse facturam. Postea verò vsus ostendit, nihil ex his esse perpetuum, aliasq́ potiores obseruationes adhibendas esse, ad quas dirigi curantis consilium debeat. Interest enim non quæ ætas sit, neq; quid in corpore intus geratur, sed quæ vires sint. Firmus puer, & robustus senex, & grauida mulier valens, tutò curantur. Hic verò expedit aduertere, quòd superiores tantum venæ in prægnantibus sunt cædendæ: ex inferiorum enim sectione, impetu deorsum conuerso, menses procedunt immodicè, & fœtus præcipitatur. Multò autem magis cauere oportet, ea quæ ex ipso vtero per vuluam sanguinē elidunt: qualia sunt suppositoria, aut pessi, quæ ad vterum purgādum solent indi. Quare mihi est maximè suspecta, cautela Auicennæ, pro conseruando fœtu qui fuit conceptus ante integram menstruorum purgationem. 21. 3. tract. 2. cap. 10. vbi ita scribit. Et quādoq́ etiam menstrua ante conceptionem, non sunt menstrua necessaria, & remanent in ea superfluitates menstruorum eius, indigentes mundificatione, & tunc si non mundificatur, recipit earum corruptionem embrion. Oportet ergo vt mundificetur illud subtile, cum mundificatiuis subtilibus, non potando, sed supponendo in primis suppositorium post collum matricis: immò supponantur in collo matricis, & non mundificetur cum eis illud quod mundificat vice vna, immò vicibus pluribus. Ego tamen temerarium puto suppositorium collo matricis indere: post collum verò, idest ad anum, aut rectum intestinum prorsus inutile: & si acre fuerit suppositorium, tenasmum fortè inducet, à quo abortus sequi solet. 7. Aphor. sent. 27.

Dubia quædam quæ ante actum caput *respiciunt soluuntur.* *CAP. XVI.*



VI de expurgatione, & sanguinis detractione, earum que vtero gestant, exactum caput perlegerit: in plura fortè incidet, quæ parum doctè, & ab antiquis tradita, & à nobis recensita esse iudicabit. Primo sanè, nam si morituri solis prognosticis sunt relinquendi, ne artis præsidia insano consilio infamētur: & vtero geren-

gerentes decumbentes ex morbo acuto (in quo solo materia solet turgere) habent lethaliter, Hippocrate autore. 5. lib. Apho. com. 30: frustra aut expurganti medicamento, aut venæ sectione vtemur. Secundo, nam humor turgẽs, primis, & etiam vltimis mensibus, deberet expurgari: nam tunc etiam est periculum, ne labatur in mẽbrum princeps, & in ipsum etiam fœtum. Tertio, nam humor coctus, & à natura superatus, melius paret pharmaco quàm turgens. Ergo non minus illo esset expurgandus. Quarto, nam quis vetat quominus sanguis poßit turgere: quo tempore nec expurganti vti licet, nec venã secare vllibi conceßit Hippocrates. Quinto, nam. 1. Epidem. par. 3. com. penultimo, trimestres & quadrimestres, plurimum iniurijs resistere dixit Galenus: quomodo ergo in Aphorismo excluditur tertius mensis? Sexto, nam quartum mensem videtur excludere cum dicit A quarto mense: & septimum includere cum dicit, Vsque ad septimũ: & cum subdit, Minus verò has: scilicet quæ septimum agunt purgare oportet. Cum tamen quartus mensis, sit firmißimum tempus fœtationis: & septimus, sit ex postremis, & in quo maturi partus interdum fiant. Septimo, nam si medio tempore fœtationis, magis resistũt iniurijs fœtus: non magis facient aborsum grauidæ quæ phlebotomantur, quò fœtus fuerit maior: sed quò magis à media ætate citra aut vltra discesserit. Octauo, nam sermo de acetabulis videtur fictitius, & ea tantum animalia sunt dicenda habere acetabula, in quorum vtero venæ non terminantur in vnam vmbilicalem, sed in sinus multos, quos cotyledones appellant, vt lib. 2. de gen. anim. cap. 5. autor est Arist. Nono, si ab initio siccantur & durescunt acetabula, cur postremis mensibus non erunt firmiora? Decimo, si morbus grauis indiget medicamento validè expurgante, aut larga sanguinis profusione: quam sine abortu non putamus posse fusti neri: quid est tũc agẽdum? Remedio adhibito, perditur fœtus: eo omisso, perditur cũ fœtu mater: quorum neutrum facere Christianum decet medicum.

De primo scire oportet, quòd valde distat lethale à deplorato: ij enim appellãtur deplorati, quibus nulla est salutis spes, sed certo sũt morituri. Ex lethalibus verò morbis, plurimi euaserunt, non sine magno mortis periculo: vt de Methone constat. 1. Epid. par. 3. com. 24. qui cũ vrina, & suspensione nigra, sanus euasit. Et de iuuene smyrniæ, cui cerebrũ vulnere effatu digno fuit vulneratũ, & euasit. Vtero ergo gerẽtes, ex morbis acutis decũbentes, etiã si lethaliter habeant, in grauiq; vitæ discrimine sint cõstitutæ, non sunt ob id deploratæ: quotãnis enim mille eiusmodi (Dei beneficio, nostraq; ope) sanãtur. De secũdo dicẽdũ, quòd primis & vltimis mẽsibus fœtationis, etiã si materia turgeret, nõ purgabãt antiqui: quoniã fœtus tenerrimus, & fragilia vincula, nõ sustinebãt violẽtiã suorũ medicamẽtorũ: quare consultius fortunæ se cõmittere turgẽtis humoris: quã certũ aborsum ex medicamẽto facere satagerũt. Humor verò coctus, quãquã melius pareat expurgãti medicamẽto quã turgẽs, nõ est purgãdus vt ille: quoniã nullũ periculũ anteuertimus in expurgatione cocti, sicut in expurgatione turgẽtis. De quarto dicẽdũ est, quòd sanguine turgẽte venã

secarent antiqui, nam minori cum periculo suscipitur venæ sectio, quàm expurgatio vt diximus. Rē autē expresserūt autores in magis periculoso, vt docerēt nos, multo audacius faciendum esse, in eo quod periculi minus habet. Quin & 5. Aphor. sent. 31. vbi à sanguinis missione magis abstinet Hippocrates, non prorsus esse abstinendum innuit: sed magis cum fœtus est maior, & minus cū fœtus est minor: ita vt prægnationi aliquid semper condonet, ne improuidè vt non prægnantem tractemus, eam quæ vtero gestat. Contradictionē verò è. 1. Epid. voluit soluere Manardus lib. 15. epist. 1. neq; aliam inuenit viam, qua Hippocratem excusaret, nisi quòd in Aphorismis sequutus est Hippocrates rationē: in libro verò Epidemiarū experientiæ, & obseruationi innititur. Rationi nanq; consentaneū videtur, vt tota ætas gestationis, diuidatur in tres partes æquales: in quarum prima, & postrema, acetabula sint imbecilla, & iniurijs resistēdis inepta. In media verò sint valida, & ad resistendum opportuna. Hanc igitur rationem Hippocrates sectatus in Aphorismis, tertio mense nequaquam esse purgandas vtero gerentes scripsit. Primo verò lib. Epid. experimento innititur: ex muliere enim ibi obseruata, quæ citra abortum multa fuit perpessa, tertij mēsis vim agnouit. Sed contra est, quòd sententiā libri Epidemiarum, confirmat Galenus ex Aphorismo, qua de re visa sunt Galeno, loca ea non dissidentia. Sunt qui Aphorismū intelligant de prægnatione nonimestri, & locum Epidemiarum de septimestri: nam in hac tertius mensis est in medio totius fœtationis: in illa verò extra eā. Sūt & alij, qui fœtus trimestres si mares sint, iniurijs maximè resistere dicunt: si fœminæ verò non vsq; ad quartū mensem: quoniā per mensem citius, & formantur, & mouentur in vtero mares. Quare Aphorismū intelligunt in prægnatione maris, & locū Epidemiarum femellæ. Sed vtraq; sententia displicet, non quòd rationem non ferat: sed quòd nosse sit impossibile, an paritura sit mulier septimo mense, & an marem gestet, vel femellam. Quanuis enim inditia quædam scribantur autoribus: ea tam sunt infirma, vt nemo audeat certò eorum quidquā præsagire. Quare satius dicendū est, quòd per trimestres fœtus libro Epidemiarū Hippocrates, intellexit eos qui iam perfecerunt mensem tertium: tales verò agunt iam mensem quartū: sicut per quadrimestres eos qui mensem quartum exegerunt, & quintum transigere occipiunt. Nam & Galenus Aphorismū citat in cōfirmationem, in quo tertius mensis fuit exclusus. Dicendū quoq; est, quòd remedia morborum acutorum sunt inedia, sanguinis missio, & expurgatio: à quibus duplex iniuria infertur fœtui, nimirum alimenti detractio, & commotio: ob quæ ambo aborsus sequitur. Ex alimēti quidē detractione, eò magis sequitur aborsus, quò fœtus est maior. 5. Aphor. com. 31. siquidem maior fœtus pluris alimenti est indigus. Ex cōmotione verò eò magis fit aborsus, quò acetabula sunt teneriora. Si igitur tria illa remedia inferunt, tum alimenti detractionem, tum etiam commotionem, quæ ambo abortum faciunt: non immeritò tria illa remedia vt abortiua timent autores. Sanguinis missio verò, & inedia minus commouent, &

plurimum de alimento subtrahunt. Purgatio contra plurimum commouet, parum verò subtrahit de alimento. Trimestres igitur fœtus, exigui, & tenerrimi cum sint, magis periclitantur ex commotione, quàm ex alimenti penuria. Ideoq; iniurijs illatis à sanguinis missione, & inedia, præ cæteris resistunt. 1. Epid. citato. Iniurijs verò illatis, à purgatione non resistunt: nam acetabula imbecilla, non ferent purgantis medicamenti commotionem, vt. 4. Apho. notauit Hipp. Quadrimestres verò iam admittunt purgationes, acetabulis iam vtcunque roboratis.

Quòd verò quidam putarint quartum mensem excludendum esse, & primis mẽsibus fœtationis numerandum, ex antiquæ versionis errore proficiscitur: τετράμηνα enim quadrimestres, aut eas quæ quartum fœtationis mẽsem agũt significat. Quare malè vertit antiquus interpres, à quarto mẽse: idest post mẽsem quartũ, oportet purgare. Septimũ verò mensem exclusit Hippocrates. Primo, nam vsq; ad illum, nõ in illo præcipit purgare. Secundo, nam est extra mediũ tempus fœtationis, si partitio æqualis sit futura. Tertio, nam trimestres quæ iniurijs magis resistunt. 1. Epid. citato, non licet purgare ex Aphorismo: ergo multò minus septimestres, quæ minus ipsæ resistunt. Accedit & validissimũ experimentũ, quòd plurimi partus septimo mense fiunt: quod non contingeret, ni ligamenta, suaptesponte extremam maturitatem, & imbecillitatem asciuissent. Nec obstat, quòd Hippocrates addat, sed has minus: non enim per ea verba concedit purgationem minorem in mense septimo: sed potius vult vtero gerentes, media fœtatione, & turgente materia, minus esse purgandas, quã si non gestarẽt vtero: vt aliquid semper tribuamus prægnationi. Quòd si propinquitatis ratione, referendas esse, quæ septimum mensem attigerunt cõtendas: non minus, sed nequaquã vertere oportet: Græcæ enim legitur ἧσσον δὲ ταύτας idest nequaquã vero has: aduerbiũ enim ἧσσον & minus & nequaquã significat. Auicẽnæ verò renuẽti purgationẽ in mensibus qui sunt ante quartũ, & post septimũ. 21. 3. tract. 2. cap. 10. non videtur standum: quoniã septimum mensem recipere apparet. *De septimo dubio ferè omnes medici conueniunt, quòd tutior est phlebotomia primis mensibus, quàm medijs: & quòd omniũ pessima est in postremis, persuasi Aphor. 31. quintæ partis. Sed ego contra censerem, nã primis duobus mensibus adeo tener est cõceptus, vt ex leui cõmotione periclitari possit: venæ sectio vero cõmouet, & conturbat non leuiter. Quare primis duobus mẽsibus magis erit periculosa ratione cõmotionis, quàm media fœtatione ob alimẽti detractionem. Firmus enim tunc est, & iniurijs plurimum resistit, quare detractionem etiam alimenti sustinebit. Tertio quoq; mense, solidiora facta iam vincula, cõmotioni à venæ sectione illatæ resistere queunt, vt in explicatione loci è. 1. Epid. diximus. Hãc ex phlebotomia cõmotionẽ cauit, expertissimus Haliabbas. 1. lib. practicæ, cap. 19. & 9. lib. theoricæ, cap. 39. his verbis. Si prægnans aliquo tempore sanguinem eget minui, aut cathartico purgari propter aliquam passionem, non oportet accelerare hoc in primordijs, donec sit mensiũ quatuor prægnãs. E quibus Haliabbatis verbis*

nemo

nemo credat quòd sanguinis defectum in prima illa ætate formidet: sed cõmotionem & conturbationem, quæ venæ sectionem sequi solet. Nam affatim ac repente exclusus sanguis: spiritus, humores, & vterum cõturbat: & acetabula dissoluit. Quòd si mulier sit ex iis quæ timore percuti solent, aut leui ex causa abortire cõsueuerũt: multò magis vereri in ea debemus cõmotionem, quàm sanguinis defectum. Ob id ergo primis duobus mensibus (quoad fieri potest) abstinẽdum est à venæ sectione. Nec obstat, quòd aliquæ visæ sint primis duobus mensibus, laudabiliter mẽstruasse: quoniã paulatina scilicet, naturalis, & sine cõmotione, est huiusmodi vacuatio: venæ sectio verò repentina, & violenta, & plurimum cõmouens. Vnde si menstrua pluries, aut multum fiant, necessariò fœtus patietur, vt Gal. est autor. 5. Aphor. com. 60. Tertius, & quartus mensis, iam resistũt iniuriæ, & cõmotioni phlebothomiæ. Quintus, & sextus, bene tolerãt cõmotionem: sed quoniam grandior est fœtus, non tã bene fertur alimẽti detractio. In septimo maius est periculũ, quoniã grãdior est fœtus, & maturi sunt cotyledones: quare duplici in ipso fœtus exponitur periculo: cõmotionis scilicet, & subtractionis alimẽti. Cõtingit tñ nonnunquã ex maiori periculo fœlicior fortuna. Nam quinto, aut sexto mẽse exclusi, raro: septimo verò editi, magna ex parte viuunt, quãuis ipsorũ partus suapte sponte non eueniant, sed ex medici auxilio accelerentur. Hac tamen præ cæteris fortuna, nonus mensis alios superat, quoniã omni sui parte fœtus vitales edit. Qua fisus, testor mense nono septies me sanguinem copiosè detraxisse, cuidã non prorsus ignobili fœminæ, febre continente laboranti: quæ post vltimã sanguinis detractionem conturbata, puerum validum peperit, & sanguine multo per vterum purgato, à febre libera euasit. Intelligatur ergo Aphorismus quintæ partis, non de quauis abortione, sed de ea quæ ob alimenti subtractionem fit. Sic enim est verũ, quòd mulier vtero gerens phlebotomata abortit, & magis quo fœtus est maior. Si verò abortus ex commotione prodeat, sanguine misso primis duobus mensibus magis abortit: tertio minus: quarto minimè. Quinto, & sexto, melius toleratur commotio, quàm alimenti subtractio. Septimo, octauo, & nono, vtraq; malè fertur. Fortunati tamẽ sunt septimus, & nonus: in quibus eiecti fœtus, magna ex parte viuunt. De octauo dubio, aduertere oportet quòd vteri interna facies, non fuit vsquequaque læuis: ne scilicet præ eius læuitate semen diffueret: quò melius enim contineretur, acetabulis quibusdam fuit exasperata. Sunt autem acetabula, sinus quidam, & cauitates, in vteri substantia impressæ, quorum labra, & supercilia, extra reliquam vteri superficiem extuberant, Galeno autore libro de Vuluæ dissectione. Appellantur Græcis κυμβαλιτίδα à cymbali similitudine, & κοτυληδόνα à similitudine quàm habent cum herba eiusdem nominis, quæ nobis dicitur oreja de abad: Latinis appellantur acetabula, quoniam ad similitudinem vasis acetum mensurantis sunt fastigiata. Hæc acetabula vteri, in quibusdã animantibus euidentissima sunt. Dixit nanque Aristoteles libro secundo de Generatione animalium capite quinto, quòd in animalibus

in

in quorum vtero venæ omnes non terminantur in vnam vmbilicalem, desinunt & terminantur in sinus multos quos cotyledones, aut acetabula appellari diximus, sicut in vtero vaccæ cernere licet. Vteri verò in quibus venæ omnes in vnam vmbilicalem coëunt (qualis est humanus vterus) euidentibus illis impreßionibus carent: ac tum maximè cum menstrua non adsunt. Nam mensium tempore, oscula venarũ vteri sanguinem effundentia, turgidiora, & reserata sunt: non secus ac venæ hæmorrhoidũ, dum per eas sanguis vacuatur. Tunc enim quoniã reseratæ venæ sunt, impreßiones, & sinus, videntur habere: quoniam verò turgidæ sunt factæ, eorum supercilia, supra reliquam vteri substãtiam extuberasse visuntur. Mensium igitur tempore humanus vterus acetabula habere dicetur. Tẽpus autẽ conceptionis (libro de vuluæ dissectione, autore Gal.) est dũ menses incipiunt, aut desinunt. Igitur tempore cõceptionis in humano vtero aderunt cotyledones, aut reseratæ, & turgidæ venæ, quæ cotyledonibus proportione respondẽt: & internã vteri faciẽ exasperant. Dum igitur tẽpus adest conceptionis, tũ facultate vteri tractrice & contẽtrice, tũ etiam asperitatis ratione, semen eiaculatũ vtero cõcipitur: & ab vteri calore cõcalescit: & secundũ extimã superficiem exsiccatur: & crusta, aut mẽbrana quadam (chorion Græcis, & secunda Latinis appellata) obducitur. A qua venæ & arteriæ prodeũt, ad seminis cõcepti nutritionẽ à natura creatæ. Quæ sanè venæ & arteriæ, indũt se in venas & arterias vteri, quæ tũc tẽporis reseratæ & turgidæ sunt. Vteri autem venæ, atq; arteriæ, dehiscunt venas & arterias illas à secunda prodeuntes: vt osculũ venæ, osculo venæ: & arteriæ, cũ arteria hæreat. Quæ sanè inhærẽtia (vt autor est Gal. lib. de dissectione vuluæ) hoc modo fit. Vasi quod in chorio est, finis illius quod in vuluã emersit initiũ facit, vt duo hæc vnũ esse dicere quispiam poßit: oribus enim vniũtur, atq; alterũ ab altero, vena (inquam) à vena, sanguinẽ: arteria ab arteria spiritũ haurit. Quo fit vt dictæ venæ & arteriæ solæ, sint nexus & ligamenta, quibus fœtus alligatur vtero. Quæ appellantur quãdoq; ab Hippocrate cotyledones, aut acetabula. 5. Apho com. 45. Quæcunq; (inquit) mediocri corporis habitu præditæ, secundo & tertio mẽsibus, sine manifesta causa abortiunt, ijs acetabula vteri plena mucoris sunt, neq; præ põdere fœtũ continere poßunt, sed rũpuntur. Eadem quoq; significatione, acetabuli voce vsus est Gal. 6. lib. de locis patientibus, cap. 5. vbi ita scriptum reliquit. Si mulier promptè quidem conceperit, deinde secundo, aut tertio, aut quarto imprægnationis mense, fœtum eiecerit, circa vteri acetabula pituitosum humorem abundare: atque iccirco venarum, & arteriarum eius loci, ad ora vasorum in vterum descendentium nexum debiliorem reddi conijciendum est, vt fœtum ob grauitatem ferre nequeat, sed facilè rumpatur. Ex quibus planè tum Hippocratis, tum Galeni verbis, manifestum euadit, venas & arterias, quibus fœtus vtero nectitur, acetabula ab ipsis interdũ appellari: appellationẽ hinc fortaßis sumentes, quòd hæc vasa ab illis vteri sinibus, quæ primũ acetabula vocari innuimus porrigantur. Dicta ligamenta primis mensibus gestationis

tenerrima sunt ob mollitiem, & humiditatem spermaticam, quam ab initio magis, atq; magis deponunt, & solidiora redduntur, adeo vt integram firmitatem media fœtatione acquirant. Magis verò exsiccata, vltimis mensibus eam firmitatẽ amittũt: & defectu humiditatis continuantis, fragilia & friabilia redduntur, adeo vt sine vi extrinseca decidant. Habent sanè ligamenta, sicut & cuncta viuentia, suas ætates, adolescunt & vigent sex mensibus primis: senescunt & tandem obeunt tribus vltimis. In quibus cum fœtus sit grandior, & pluri indigeat alimẽto: non relinquit ligamentis tantam alimenti copiam ac ante. Quare nutritionis etiam defectu, vltimis mensibus imbecilliora redduntur, & fœtus ipse grauior factus, vim facit maiorem, vt sine vi extrinseca ipsa ligamenta rumpat. Cum morbus verò grauis magnum ac celere poscit auxilium, aut expurgandi, aut mittendi sanguinem: & conijcimus matris obitum ex vacuatione omissa, & ex euacuatione adhibita, abortũ esse futurum (dixit Haliabas) sit charior genitrix illo, scilicet fœtu: nam mortua matre perditur etiam fœtus. Contrarium sentiunt theologi quidam: Nã nõ sunt (inquiũt) facienda mala, vt inde eueniãt bona: ergo quantumcunq; periclitetur prægnãs, abstinendum est à vacuatione. Sed ego huiusmodi theologos demiror. Primo, quoniam nunquam tam certus fit medicus, mulierem abortum esse facturam ex adhibita vacuatione: quantum ex omissa in grauissimo morbo, moriturã. Plures enim vidimus ingentes vacuationes citra abortum sustulisse, que nec sanæ, nec robustæ erant. Secundo, nam dum in aliter moritura, post vacuationem fit abortus, non perit fœtus ex vacuatione, siquidem & sine ipsa peribat. Sed saluatur mater fœtu non saluo. Quare ex duobus certo morituris vnum saluat, alterum saluum facere nequit. Tertio, nam non minus hominum interfector erit medicus, qui necessarium remedium non adhibet, quàm qui adhibet aduersum: quare nec dum ab agendo & vacuando, abstinet, à malè agendo abstinere potuit.

An in causo sit detrahendus sanguis ad animi deliquium. Et an venæ sectio possit ducere ægrotantem, ad frigidorum cruditatem, & biliosorum excandescentiam. CAP. XVII.



NON quotiens mittendi sanguinis occasio se nobis obtulerit, sanguis statim est detrahendus: Nam & 4. lib. Methodi, & lib. de sanguinis missione Galenus. Homini in sanguinis redundantia posito, plenitudinisq; signa habenti, non protinus mitti sanguinẽ oportere decernit. Sed inedia, cibi parcitate, balneis, ambulationibus, cæterisq; motionibus corpus cõmodè excercẽtibus, citra euacuationẽ sanari posse autumat. Ob idq; diligenter cuncta nobiscũ sunt animo expendenda, atq; prouidenda, prius quam sanguis detrahatur. Nam noxas inemendabiles

" *biles interdum adfert intempestiuè missus sanguis. Alijs enim cum immodicè va-*
" *cuationis noxam sarcire, non potuissent: in omne reliquum vitæ tempus, totius cor-*
" *poris temperamẽtum redditum est frigidius.* Ex qua refrigeratione facilè ex qua-
" uis occasione læsi, alij decolorati, ac malo corporis habitu vixerunt: alij ex eo ipso
" in morbos deciderunt exitiales, aquam intercutem, orthomneam, iocinoris, ac ven-
" triculi imbecillitatem, apoplexiam, & deliria, vt .9. Meth. autor est Gal. Hinc in copia crudorũ .4. lib. de sanit. tuen. timet boni sanguinis (eius nẽpe qui facilè fluit) detractionem: & mali attractionem in totum corpus. Hinc etiam in febre à crudis humoribus orta (.12. Meth. & lib. de sanguinis mißione) à sanguinis detractione abstinet, timens perfrigerationem, & crudorum victoriam, & ab his syncopin. Nam sanguis sui caliditate frigidorum algorem temperat, & spiritibus quibus abundat permistis, succos crudos fouet, & conficit. Quare nihil mirum, si ex eius aut superflua, aut intempestiua detractione, & spirituũ inanitione, crudiores maneãt succi. Non minor noxa verò infertur corpori, dum bilis copia sanguinem valde vincit, quàm vbi crudi humores abundant: sed tanto maior, quanto bilis pituita magis furit, & sæuiora sympthomata solet inferre. Vnde Gal. 4. lib. de Sanit. tuen. in vtroq; statu sanguinem mittere vetat, quando scilicet succi plurimum à sanguinis natura recesserunt, siue citra sit restitum, & crudi succi creuerint: siue vltra processerint, & in bilem commigrauerint. Nam vtrobiq; sanguine detracto, metus est, ne alieni succi, aut quantitate, aut noxia sua qualitate superent, & vitalem mistionem dissoluant. Sicuti enim sanguine detracto, crudi succi perfrigerantur, crudiores redduntur, in vniuersum corpus adducũtur, syncopas, malos habitus, decolorationes, hydropas, orthomneas, apoplexias, & huiusmodi alia mala creant: ita vbi bilis vincit, dolores, deliria, nauseæ, vertigines, cordis morsus, angustiæ, & syncopes fiunt. Quoniã tũ tẽporis bilis agitatur, et per corpus mouetur, & ipsa à sanguine nõ coërcita, & moderata, excãdescit, & furit quã maximè. A sanguine nãq; humores omnes temperari, crudos incalescere, & biliosos moderari, atque frigere eò notum est, quòd sanguinis qualitas familiaris, & temperata, vtrique extremo reluctatur, & reliquorum excessus corrigit: adeo vt non ineptè ab Auicennæ interpretibus, reliquorum humorum frenum statuatur sanguis. Hinc nono Methodi Galenus à sanguinis mißione abstinet, in ijs quibus os ventris, aut amara bili abundat, aut imbecillum est, aut supra modum sensile. Nam contenta in ventriculo bilis, ex sanguinis mißione agitata: excandescit, syncopas parit, & ventriculum erodit. Porrò si quæ in vẽtriculo est bilis, excãdescit, et agitatur: magis cõcitabitur ea quæ sanguini mista, per vasa cũ sanguine ipso fluctuat. Quare si à bile quæ in vẽtre est, talia timẽtur, caueturq; tunc sanguis mitti: multò id cauisse præstiterit, vbi secundũ vasa redundat. Hinc est quòd .4. lib. de Sanit. tuen. Galenus, omnium laßitudinũ curationem ex professo tractans, in tensiua, ac etiam phlegmonosa, sanguinem mitti copiosè iubet: in ea verò quæ vlceris sensum infert (quòd ea vitiosi, acrisque

excrementi soboles sit) temperandum omnino cõsuluit. Solaq; tunc biliosi humoris vacuatione vtendum, si modo ea lassitudo simplex solaq; sit, citraq; sanguinis copiã eueniat. Sic secundo ad Glauconem, cap. 2. in erysipelate non mittit sanguinem, sed vẽtrẽ (inquit) tãtũmodo expurgare sufficit. Sic decimoquarto Methodi in cura herpetis solius expurgantis medicamenti meminit, venæ sectione omissa. Sic in febribus vehementis inflammationis, & calefactionis, quæ ab humore calidissimo & aridissimo creantur, à sanguinis detractione abstinet Auicenna. 4. 1. cap. 20. cuius generis est causus, & tertiana exquisita. Abstinet quoq; à mittendo sanguine, quoties vrina fuerit subtilis ignea, aut facies ab initio morbi tornatilis, & cadauerosa, qualis in exitioso causo apparere solet. Et in summa summopere medico cauendũ censet, ne ægrũ ex misso sanguine, ad vnam duarum rerum perducat, aut biliosorũ ebullitionem, & excandescentiam, aut frigidorum cruditatem. Quæ ambo vt ex dictis constat, non minus (quanquam obscurius) cauit Galenus quàm Auicenna.

Nec standum est Florentinis in sua Academia, qui contumeliosè aduersus Auicennam, dictam cautionem de frigidorum cruditate, & biliosorum ebullitione derident. Nec alijs inexpertis, qui dogma Florentinorum furantes, sanguinem ad animi vsq; deliquium, in causo ex bile intrepidè detrahunt. Primo sanè Auicennam accusant, quòd ea cautione, medicos in sanguine detrahendo reddat timidos, & meticulosos. Quod tamen minimè oporteret: cũ ex procrastinata venæ sectione, mala oriantur sæpe irreparabilia. Secundo, nam venæ sectio est refrigerans auxilium, ergo nũquam faciet bilem excandescere. Tertio, nam si ex vase pleno vino diluto dimidium subtrahas, non fit vinum meracius: ergo nec bilis syncerior, & magis excãdescens, reddetur in causo, ob sanguinis detractionem, non enim sanguis sine bile prodit: quare quam rationem ad sanguinem habuerat ante venam sectam, eandem seruat post. Quarto, nam frustra frenum exorbitantium humorum statuunt sanguinem: siquidem sanguis reliquos succos nõ regit, sed ipsi cum sanguine à facultate nostri corporis dispensatrice gubernantur. Quinto, nam in omnibus febribus putridis (nulla excepta) sanguinem mittit. 11. Methodi Galenus. Sextò, nam si ob febres ardentes, incendij ratione, sanguinem ad syncopin detrahit Gal. 1. lib. Apho. com. 23. eò magis id videtur faciendum, quò fuerint ardentiores: tales autẽ sunt quæ ex bile nascuntur. Septimo, nam post sanguinis missionẽ (vt dixit Galenus) fuit restituta salus, aluo soluta, & plurima bile euacuata: quod non contigisset, nisi febris fuisset biliosa: nam in sanguinea, sanguinem potius vacuasset natura quàm bilem.

Sed contra nos existimamus: quòd ea cautione Auicennas, non reddit nos timidos, nec meticulosos, in detrahendo sanguine vbi oportet: sed prouidos & cautos, ne vbi non oportet, hominem trucidemus venam secantes. Venæ sectio quoq; refrigerans auxilium est, vbi opportunè adhibetur: vbi verò non conuenit, nec est auxilium, nec refrigerans: sed aut incrudans, aut incendens. Ad tertium verò dicendũ est primo, quòd non eatenus permisti sunt humores in venis, ac aqua permiscetur

vino,

vino, nam & natura, & pharmacum, quemuis humorem vacuat, altero quouis in venis relicto. Quin & venæ sectio vacuat interdum bonum, relicto prauo. Medici insuper notas habent, quæ bilem aut alium quenuis humorem sanguini permisceri, aut ab eo esse secretum monstrant: nam si vrina tenuis, & ignea fuerit, sanguini non permiscetur bilis: si rubea crassa fiat, cum sanguine permistionem significat. Si in primo statu venam seces, bonum sanguinem fundes, & bilem facies excandescere. Si in secundo, ægrum iuuabis: quoniam vitiosus humor cum sanguine vacuatur, & is ipse sanguis iam est vitiatus, ob permistionem praui. Quin si dictis Galeni animum aduertas, intelliges: in causo difficili bilem non contineri in magnis vasis corporis cũ sanguine, sed in venis iecoris, ventriculi, aut pulmonis, eo ipso autore 1. lib. Epidem. par. 1. com 9. vbi ita scribit. Verum ante ver, cum subitò præter morem aquilo spiraßet, isq; in interiores corporis partes impulisset humores: tenuissimus primus fluebat, itaq; febrem ardentem induxit. Neq; enim in quibuslibet corriuatus partibus corporis, febrem potest humor hic excitare ardentem. Verum circa ventriculũ, & huius præcipuè os, circaq; iecinoris partes simas. Eodẽ etiam lib. par. 2. com. 20. & par. 3. com. 14. eandẽ ferè sententiã tradere visus est Gal. Quod mirum est neminẽ aduertisse, dum Arabes reprehendunt, quòd diuersum caput fecerint, causo, & tertianæ continuæ. Ea enim differentia, ex Galeni etiam verbis citatis petitur. Nam non quamcunq; febrem ex bile in vasis putrescente, causum appellat: nisi in venis iecoris, pulmonis, aut ventriculi hæserit. Estq; necessarium inter has duas febres, discrimen statuere ad multa, ad dignotionem scilicet & curationem. Ad dignotionem quidem, nam in tertiana continua exacerbationes fiunt manifestæ: in causo autem sunt insensiles. Ad curationem verò, nam in causo, maximè erunt aptanda remedia, pulmoni, ventriculo, aut iecori patientibus: in tertiana verò non tantum his, quantum vniuersis vasis. Et sanè vel hac sola ratione, larga sanguinis profusione, nõ esset in causo vtendũ: quoniã in ipso nõ cõtinetur bilis peccãs in magnis vasis, à quibus maior sanguinis portio aufertur. Dicendum secundo, quòd natura nostra, vt poscit certam quandam sanguinis mensuram: qua (vt instrumento) vtatur in obeundis quibusq; functionibus: ita certa quadam opus habet quãtitate eiusdem, vt humores gubernet, & coërceat, ne insigni sua qualitate nos offendant. Hac ergo detracta, bilis excandescit in biliosis morbis, & pituita fit crudior, atq; frigidior, in pituitosis: quoniã scilicet deest naturæ instrumentum necessarium temperationi horum. Quare non est alienum, quòd etiam si persimilis maneat, sanguinis ad bilem proportio in causo, post venam sectam, & antequam secetur: magis excandescat bilis post sectionem, quàm ante. Reperitur enim magna ex parte, in hoc morbo, & alijs huiusmodi, bilis ingens multitudo, cum sanguinis paucitate: ex qua si vel tantillum detrahas, naturæ instrumentum subtrahis. Quo subtracto, etiã seruata simili inter humores proportione, multo deterius quàm ante eos gubernat, & temperat. Ex quo etiam pẽdet quarti dubij intelligentia: nam si sanguine vtitur

natura ceu instrumento, vt crudos calefaciat, & biliosos humectet, atq; refrigeret: meritò vtrorumq; frenũ dici potest. In omni præterea febrium putridarũ genere, sanguinem parcè mittere concedit Galenus, ob vtilitatem minorandi: minoratio autem semper est parca. Diximus verò & nos ante, quòd non statim ac vna, vel duæ, ex vtilitatibus sanguinis mittendi se offerat, sanguis est detrahẽdus: sed omnia sunt libranda, & si vtilitas (aut minorandi, aut alia quæuis) vicerit impedimenta, sanguis est detrahendus: & contra si ab impedimentis vincatur. Sic in causo bilis excã descẽtia, semper impedit largam sanguinis missionem: qualis ea est quæ ad syncopin ducit: parcam verò quandoq; admittit, quandoq; recusat. Nam si sanguis non sit valde paucus, nec bilis plurimum à sanguine secreta, conceditur ab Auicenna. 1. 4. cap. proprio, vbi ita habet. Et non phlebotometur, fortasse enim inflammauit eos, ,, & fortasse iuuabit eos, si fuerit illic turbiditas & rubedo. Competit ergo etiam in ,, causo, sicut in alijs febribus putridis sanguinis missio interdum, vt minor reddatur materia, iuxta Galeni sententiam. 11. lib. Methodi. Quam sententiam suffurari volens Auic. 4 1. cap. 20. ita scribit. Multotiens præterea phlebotomia in febribus ,, licet necessaria non sit, efficit vt natura fortis fiat super materiam: propterea quòd ,, eam efficit paucam. Et hoc quidem cum fuerit figura, & ætas, & virtus, & reli- ,, qua talia vt permittant. In febribus ardentibus ad animi vsq; deliquium, detrahit ,, sanguinem Gal. 1. lib. Aphor. com. 23. Quod intelligendum esse de synochis febribus constat. Primo, quoniam febres sanguinis esse de genere deurentium, dixit Gal. 2. lib. Crisium, cap. 6. quare eo nomine venient intelligendæ. Secundo, quoniam postquam in eodem commentario, in maximis doloribus sanguinẽ ad animi deliquiũ mittere præcepit, distinctionem prius esse adhibẽdam, an mittere sanguinem, an purgare oporteat monuit: id igitur in sanguinis missione ardentissimis febribus adhibenda, pariter considerare coueniet: & à doloribus in febres sententia est transferẽda. Tertio, nam eandem sententiam apertius tradidit lib. de sang. miss. cap. 12. his verbis. Portò vbi feruentis sanguinis copia acutissimam accẽdens febrem incerit, ,, confertim vacuare expedit, eamq; vsq; ad animi deliquium deducere tentãdum, vi- ,, rium inspecto robore. Et paucis interpositis subdit. Noui enim quosdã illorum, ex ,, animi deliquio necessariò esse refrigeratos, ac toto corpore succedentibus madori- ,, bus, aluo soluta celeriter morbo liberatos. Et nono Methodi cap. 4. sic scribit. Au ,, fero ab homine eò vsq; de industria sanguinem, quoad animo linqueretur: maximũ ,, planè vbi valentes vires sunt continentis febris remedium. Id quod tum ratio- ,, ne, tum experientia didici. Primum nanque in contrarium statum agitur cor- ,, pus, celerrimè ex animi defectu refrigeratum. Hoc verò nemo inuenire potest, ,, neq; quòd ipsis ægris, neq; quòd naturæ quæ animantes gubernat, iucundius vtilius ,, ve sit. Postmodum in eiusmodi corporibus, necessariò superuenit alui deiectio, non- ,, nunquam etiam bilis vomitio: quas res statim à toto corpore madores, sudores ve ,, excipiunt. Quæ Galeni verba si rectè aduertantur, satis superque declarant, ,,

per

per ardentißimas febres. 1. Aphor. non alias quàm continentes, quæ ex feruentis sanguinis copia acutißimè accenduntur intellixisse: nec enim in reliquis, dißimilem tradit sentẽtiam, sed eandem prorsus quàm in Methodo, & in libro de venæ sectione citato tradiderat. Sunt enim hæc eius quæ sequuntnr verba. In ardentißimis febribus si vsq; ad animi defectionem sanguis mittatur, statim totius corporis habitus refrigeratur, & febris extinguitur, & plurimis etiam aluus citatur, & sudores emanant: & quidam eorum sanitati sunt restituti, alij adiuti plurimum, vehementiam morbi absciderunt. Et profecto in omnibus his locis, de larga profusione sanguinis, Galenũ loquutũ fuisse constat. Quibusdã enim sex detractas fuisse cotylas memorat lib. de sang. mißi. citato. Fuit autẽ veteribus (referẽte Fuchsio) duplex cotyla, attica, & italica. Attica vncias mesurales nouem, ponderales autem septem cum dimidia capiebat. Italica autẽ non fuit nisi libra mensuralis, hoc est vnciæ mensurales duodecim. Siue igitur atticam, siue italicam intelligamus cotylam: certè magna fuit eius quam Galenus detrahit sanguinis copia. Quippe sex cotylæ atticæ, faciunt libras quatuor & semissem: italicæ verò sex libras mensurales. Quarum mensurarum neutrã, causum patienti ex bile, detraxisset aut Galenus, aut quiuis alter doctus medicus. Nã nec de sanguine mittẽdo in causo meminerũt, ad frigidæ potionẽ aspirãtes: qua causos prorsus curauit Galenus, nullo ex his moriẽte, quibus frigidam tempestiuè propinauit. Virtutem autem validam esse seruandam, vt frigidæ potus habeat locum, constat omnium qui de frigidæ potione tractarunt testimonio. Post sanguinis ergo largißimam detractionem, quæ ad syncopin deduxit, & vires omnes longè labefactauit: in corpore præsertim propter ingentem cacochimiam inualido, huiusmodi frigidæ potio non inueniret locum. Nec valet, si ante sanguinis detractionem propinandam censeas: nam venæ sectio nullo non tempore congruit, frigidæ potio verò, tunc solum cum concoctionis euidentes cernuntur notæ, vt. 9. lib. Methodi, Gal. est autor. Ergo citius vtendum esset sanguinis ea detractione, quàm potionæ frigidæ. Quare nec ante frigidam, nec post eam, sanguinis larga detractio conducit. Quin inter sympthomata, quæ causo correptos solent malè habere, est vnum sanguinis superfluus fluxus è naribus. Et ideo Auicennas capite de cura causonidis scribit. Et oportet vt caueatur in eis superfluitas sanguinis narium: est enim de eis, in quibus magnificatur timor apud eos. Si ergo sanguinis è naribus fluor (per quem etiam natura solet causos fœliciter iudicare: vbi scilicet coctionis notæ præierint, vt constat ex Gal. 4. lib. acutorum, com. 10. & . 17) tam est verendus, multo magis superfluam sanguinis detractionem cauisse præstiterit. Hinc omnes qui practicas vocatas scribunt, quiq; ægros semper manibus versant, & experimentis potius quàm falsis cauillationibus innituntur, in sanguinis detractione sunt meticulosi. Auicenna dixit. Non phlebotomes, fortasse enim phlebotomia, inflammauit eos. Veruntamen si fuerit in vrina turbiditas, & rubedo, fortasse phlebotomia, iuuabit eos. Quia ex huiusmodi vrina bilis, cum sanguine confusio significatur.

catur. Et Gordonius dixit. Phlebotomia nunquam fiat, & si aliquando debeat fieri, hoc est de raro cōtingentibus. Et Sauanarola inquit. Et nota quòd quãdo fiet, debet " extrahi pauca quantitas sanguinis. Vnde quidam dicunt, quòd apparentibus turbiditate, & rubedine in vrina, si habitudo fuerit carnosa, & maximè in principio, & " non aliter, si commodè sic fieri potest: fiat extrahendo sanguinem, non in vna vice, sed in pluribus. Hoc est in pauca quantitate, quia semper timetur de furia cholerę. Refert quoq; Nicolus quosdam medicos dicentes, quòd phlebotomia pro posse dimittatur, nisi multum assuetis ei, in quibus securius adhibetur. Et tunc parua " esse debet, & cum sua paruitate partienda. Parcãt quibus delicatiores sunt aures, " ipsissima enim barbarorum verba recensere voluimus: tum ob vtilitatem, tum etiã ne nobis quispiam falsitatis, aut mendacij crimen imponat. Garriant quantumuis scioli quidam, omnis artis vna excepta grammatica ignari, qui ne nominandos volunt, huiusce farinæ autores, quòd minus quàm pro cuiusq; palato latinè loquantur. Nobis sanè magis placet sentẽtiarũ vbertas, quã orationis fucus. Et ægrũ cũ barbaro autore seruare malumus, quã cũ latinissimo perdere. Nec credãt iuuenes, Arabes nostro tẽpore, ipsorũq; asseclas sui culpa fuisse neglectos: sed tedio potius laboris, & professorum negligentia: qui nollunt tot libris, & tãta lectione onerari. Accedit, quòd magna pars doctorum, qui in academijs publicè profitentur, altero crure claudicat: sunt enim parum experimentis vsi, & magis attendunt contentioni, quã curationi: in qua maximè præstant Arabes. Creuit odium ex barbarismis linguæ qua scripserunt: parum enim amena ipsorum lectio est. Accessit & bonarũ literarum, maior quam ante notitia: & quòd plurima quæ corruptè, inordinatè, falsò, & sine gratia tradiderant: integra, ordinata, verissima, & iucundissima, ex Græcorũ lectione reperiũtur. Sed si primus locus datur Græcis, cur Arabes sepeliẽdi? nonne secundo gradu sedebunt? nonne magni, tum medici, tum philosophi, fuere Auicẽnas, Auerrhous, Razes? nonne insignes ingenio viri, horum doctrinam coluerunt, & posteris plurima tradiderunt de quaq; re, ante non animaduersa? sinemus ne isthæc perire: aut negligentia? aut quoniam publici professores non viuant ex praxi? aut quoniam barbara & fastidiosa lingua scripserint? aut quoniã plurima deprauarint, & falsè tradiderint? Non hercle, nobis enim totius populi salus est commissa, & omnes legere autores oportet, vt ex vno, aut altero, quod vtile est discerpamus, & nostris ægris opẽ feramus: vt in causi curatione nuper facere cœpimus. Vt autem cœptum absoluamus, non pigebit historiam recensere, à Nicolao Florentino doctissimo & expertissimo medico scriptam: qua tradit vniuersam curationem causi, & quã parca sãguinis detractione, & multa attẽperatione fuerit vsus aduerte. Bonifacius de Villanoua, tẽperatura sãguineus, & quadrati habitus, causo fuit correptus, & primo statim die fuit Nicolus accersitus. Cui primitus clysterẽ indidit, ex aqua ordei, casia fistula, sacharo rubeo, oleo violaceo, & sale. Eiecit autem cum eo duras feces, quæ in spyras abierant. Dedítq; statim ore sumendam carnem auranty


sacharo

sacharo resperſam, cum aquæ ordei cyatho. Poſtea hora nona, quatuor vncias rubentis ſanguinis extraxit. Hora decima, micam panis pluries loti, reſperſam aceto & ſacharo edendam: & aquam frigidam cum ſacharo prius coctam, bibendam propinauit. Poſtea oris frequentem collutionem, ex aqua frigida & aceto adhibuit: & aqua roſarum, atq; lactucæ ſucco, frontem & tempora madefecit. Quoniã autem ſiti cruciabatur ingenti, interdũ iulebũ violaceum, alias aquam frigidã aceto miſtam, & aurantij ſuccum frequenter ſumebat. Thoraci verò (quòd vehemens in ipſo vigeret calor) admouit linteum aqua roſarum & endibiæ, cum puluere roſarum & ſandalorũ madefactũ. Ad occaſum verò ſolis, iterũ cibauit eum pane loto, & duobus malis aſſis, & aqua frigida ſacharo prius incocta. Poſt duas horas, brachia & crura lauit decocto foliorum ſalicis, vitis, lactucæ, violarum, roſarum, & corticum papaueris. Tota nocte permanſit inſomnis. Ad auroram ſecundæ diei exhibuit vnciam vnã cum dimidia medullæ caſiæ fiſtulæ, diſſolutæ in decocto tamarindorum, prunorum, violarum, & ſeminis endibiæ. Ter deiecit feces, mucos, & bilẽ pallidã. A purgatione aquã ordei cũ ſacharo, vice iuris inſulſi accepit: & mica panis lota, rurſus fuit cibatus. Febris nõ remittebatur, lingua fuit aſpera, & inquietudo maior, cuius ratiõe cordi, & hepati, lintea ſequẽti epithimate madefacta iuſſit apponere. ℞. aquarum ſolatri, ſemper viuæ, endibiæ, & roſarum, ana vnc. iiij. aceti vnc. ij. ſandalorum omnium, ana drach. iij. roſarum, ſpodij, coralliorum, ſeminis portulacæ, ana drach. j. camphoræ, ſcrup. ß. miſce. Frontem verò tempora & nares intus, illeuit ſequenti vnguento. ℞. vnguenti populei, vnc. j. olei de mandragora, & de papauere, ana vnc. ß. aceti, drach. ij. opij, camphoræ, & croci, ana ſcrup. j. diſſoluatur opium in aceto, & cum eo reliqua miſceantur. Ventriculo præterea ſequẽs emplaſtrum actu frigidum, ſæpe ſæpius admouit: nam incaleſcens debet mutari. ℞. raſuræ curcubitæ cum ſucco ſuo, & ſucci ſemper viuæ, ana vnc. iiij. farinæ ordei vnc. ij. ſandalorum alborum, roſarum, & ſeminis portulacæ, ana drach. ij. decoquatur farina cum ſuccis, & in fine addantur alia. Ex ſequenti quoq; iulebo infrigidante, quotacunq; hora, tam diu, quàm noctu, cibi tamen coctione prius peracta, frequenter accepit. ℞. tamarindorum vnc. j. prunorum. num. xij. iuiubarum, vnc. ß. roſarum, violarum, ſeminis endibiæ, lactucæ, & purtulacæ, & ſeminis pſilij integri, ana drach. iiij. ſeminis papaueris albi, vnc. j. ß. ſeminis papaueris nigri, vnc. ß. ſandalorum omnium, ana drach. vj. florũ nenupharis, glycyrrhizæ, ſeminis cotoneorum integri, ana drach. iij. decoquantur in aquis cucurbitæ, ſolatri, & ſemper viuæ, cola & cum ſacharo albo fiat ſyrupus, modico aquæ roſarum & aceti, ad finem decoctionis addito. Omni præterea nocte, brachia, atq; crura lauit vt ſupra: & poſt lotionem, ſyrupum de papauere cum aqua frigida prius cocta exhibuit. Quæ omnia poſtquam ſic fuerunt acta vſq; in diem quintam: hora ſecunda pomeridiana quintæ diei, libras quatuor aquæ gelidiſſimæ ebibit: & poſt ſolis occaſum, abũdantiſſimo ſudore æger fuit iudicatus. Quare ſexto atq; ſeptimo die, pulla

lactucis

lactucis, & aggresta incocta, & vino aquoso valde lymphato, eum enutriuit. Exhibuit tamen ad auroram bis duobus diebus, syrupum de endibia, cum decocto seminum communium frigidorum: & octaua die pro expurganti medicamento, fuit vsus modico electario de succo rosarum, beneq́ cessit ægrotanti. En tibi quantum abfuerit, vt in curatione causi ex bile, larga sanguinis detractione vsi fuerint autores: & quantum bilis excandescentes qualitates refrigerare, atq; humectare suaserint: Id multo vtilius fuisse rati, quàm quomodolibet euacuare, vel ipso etiam Gal. 1. ad Glauc. cap. 8. autore. Quòd in febre verò sanguinis, misso sanguine ad animi deliquium, bilis vacuatio per vomitum, secessum, & sudores, vtiliter succedat, autor est Galenus. 9. lib. Methodi, cap. 4. & lib. de sang. miss. cap. 12. citatis. Nam plurimo sanguine calfacto, feruet etiam bilis: quam natura expellit ex sanguinis detractione robarata. Sanguinis præterea pars nõ exigua, ex feruore in bilem mutatur, cuius vacuatio febris sanationi est necessaria.

De occasione adhibendi præsidia. Et an fastidium impediat sanguinis detractionem. *CAP. XVIII.*



IN omni medico præsidio occasio, opportunitasq́ ipsum adhibendi captãda est, ex Hip. 1. Apho. sent. 1. Nec enim quod sine ipsa fuerit adhibitum, præsidium dici quibit: sed causa potius morbifica. Est nãq; de ratione, atq; essentia præsidij, opportunitas ipsa iuuandi. Neq; est rationi cõsentaneum (vt doctè scribit Gal. lib. artis medicinalis, cap. 85.) temporis occasionem, aut ordinem, veluti tertiũ aliud à qualitate & quantitate præsidij diuersum introducere. Si enim tali & tãta sanguinis (verbi gratia) detractione egeat corpus: nemini dubiũ est, quin etiam in tempore opportuno eius afferatur occasio. Si præterea aut qualitas, aut quantitas præsidij infensa est, eius iam adhibendi nulla adderit oportunitas. Sic ante coctionem negamus pharmaca. Sic inchoante inflammatione, aut alio quouis morbo sanguinis, vtiliter à venæ sectione incipimus: inutiliter & noxiè à repellente, pariter atq; à discutiente. A repellente quidem, tum quoniã humorem redundantẽ plenum corpus non admittet, ex Gal. lib. artis medicæ, cap. 95: tum etiam quoniam à parte minus principe repercussus humor, periculosius ad viscera transponitur, vt admonet. 14. lib. Methodi, cap. 2. Gal. A discutiente verò, nam scarificationibus plus eo quod vacuatur, ratione excitati doloris attrahemus: fomentis verò, alijsq́ calfacientibus, plus erit id quod vi caloris, ad partem tunc attrahetur: quàm dissersum. Contra verò vbi corpus præeuacuatum fuerit, & inflammatio diu traxerit: nihil huiusmodi fomentis præstantius reperies. Occasio ergo, opportunitas, & ordo præsidiorum, eatenus necessaria & intima est, vt ea seclusa à nomine præsidij, &

salubris

salubris causæ decidant, & causæ morbosæ naturam induāt oportet. Difficilè tamē & magnæ artis sæpe est, hanc occasionem reperire: virumq; exigit doctum, expertum, & erga ægrotantes sibi commissos vigilantissimum. Hic occasionem captabit venæ secandæ, aut à venæ sectione abstinēdi, in fastiditis, conualescentibus, saturis, & famescentibus, venere exhaustis, atq; continentibus. In quibus etiam cum morbus venæ sectionem efflagitat, sæpe dubitare solemus, conueniat ne an secus: quod tñ hic dicere paramus. Fastidiū vires eneruat, & corpus necessario vti alimento non sinit: ob idq; de sanguine detrahendo nunquam indicabit, sed eiusdem detractioni semper reluctabitur. Causa verò vnde fastidium nascitur, quandoque venæ sectionem poscit (vt si ex apostematè alicuius visceris, aut ex sanguine venas ventriculi opplente nascatur) aliàs eandem dehortatur, vt si à crudis humoribus, ventriculum, & primas venas implentibus, aut à qualitate immateriali, aut ab intermortua appetitrice facultate oriatur. Siquidē causa vacuari postulat, quantuncumq; reluctetur fastidiū, detrahatur sanguis, sed parcius, symptbomati aliquid tribuēdo. Quòd si spes fuerit ex sanguinis detractione largiore, causam fastidij, atq; fastidium ipsum, promptè ademptum iri, audacius sanguinem detrahes. Sic enim. 6. lib. Epidem. par. 3. com. 29. plurimum sanguinis detraxit Galenus, cuidam mulierculæ, quæ octo mensibus menstrua caruit purgatione: alijs medicis reclamantibus, non solum propter mulieris maciem sed etiam propter inappetentiā. Si verò causa fastidij, idem cum ipso fastidio indicat, nullatenus sanguis est detrahendus. Qualitas siquidem immaterialis vacuatione non eget. Crudi succi in vniuersum corpus adducuntur ex incissa vena, quæ bonum tātum sanguinem emittit, autore Gal. 4. lib. de
« Sanitate tuenda. Quod etiam prouidens Auicenna dixit. Caue tibi ne fastiditum
« phlebotomes, sed prolonga ipsum ab hoc, vt eius fastidium digeratur. Intermortua
« verò facultas appetendi (qualis fuit in Eurianactis filia. 3. Epidem. par. 2. com. 3.) à sanguinis detractione extingueretur prorsus. Nā virgo ea (vt refert Hippocrates)
« per totum morbum nihil sitiebat, nec quicquam sustinebat gustare, summo significās
« odio illi cibos venisse, vt ne desiderium quidem veniret cuiusquam, quo quidam
« qui perdiderant appetentiam, cum subeant illa quibus aliquando sint oblectati, tenē
« tur. Nonnullos enim in morbis fastidio occupatos conspicimus, simulatq; quicquā
« gustarint, id aduersari: quosdam verò ne gustatum quidem admittere. At hi tantū
« requirentibus ex se ecquid appetāt? respondent certa edulia, quibus se recordantur
« quondam gauisos esse. Sanè maximum tibi sit facultatis signum, ciborum appetitri
« cis semel emorientis: si parata hæc quæ desiderare dicebant, vt gustarunt culpent,
« nec etiam edant. Qui tametsi habeant pessimè, deteriore sunt tamen in loco qui ni-
« hil appetunt: extremam indicantes extinctionem naturalis virtutis, qua cibum ac
« potū appetimus. Cuiusmodi fuit enarrata virgo, quæ nec sitiuit, nec per totū morbū quicquam sustinuit gustare. In qua sanè ridiculum foret atq; nefandum sanguinem mittere: nam & fastidium, & eius causa, sanguinis detractionem impediunt. Et casus

sus insuper deploratus, medico præsidio non eget. Sicut verò fastidium vacuationem recusat, quoniam corpus destituitur alimento: ita etiam angina quæ fauces præcludit, & deuorare non sinit, parcius tractari postulat, nec integras phlebotomias admittit: vt constat ex Auicenna capite proprio. Cibum enim accipere nequeuntes, sanguine in præsens superfluo opus habent: vt quasi locupleti penu reposito, vtiliter in posterum eo fruantur, donec deglutitionis meatus cibum admittat.

Quod saturi & famescentes non sunt phlebotomandi. CAP. XIX.



Anguis mitti debet, ventriculo, nec saturo, nec famelico: sed vbi omnes coctiones (saltē primæ duæ) fuerint actæ. Nam eo tempore, virtutes omnes ex alimento sunt refectæ: & nullum impendet homini ex cruditatibus periculum. Sic Hippocrates. 2. Aphor. sent. 16. Vbi fames (inquit) laborandum non est. Et Gal. in com. Est autem ipsis sermo communis ad ægros & sanos. Sanis enim non sunt præcipienda exercitia simul cum inedia: nec ægris, aliquis vehemētior motus adhibendus, vna cum cibi abstinētia: non sanguinis missio, non alui purgatio, nō vomitus excitatio, non frictio multa, non deniq; vehemens vlla corporis commotio, aut alteratio. In talibus siquidem motibus omnibus, vbi cibus defuturus sit, vires dissoluuntur, siue ægrotent, siue sani sint homines. Et. 5. lib. Methodi ad finē. Splēdidæ cuidam Romanæ, sputo sanguinis laboranti, noluit sanguinem mittere, quoniā inediam passa erat quatriduanam. Ob id etiam Trallianus capite de Syncopi ex crudis humoribus orta, taxat frictiones continuas, sine cibo præceptas à Gal. lib. 12. Methodi. Ob id etiam fastiditos, & nequeuntes deuorare, aut non phlebotomamus, aut parcius id facimus, vt anteacto capite tradidimus. Saturitatem quoque vetant: nā nono libro Methodi ad initium, in iuuene febre continente laborante, duos dies fuit procrastinata venæ sectio, propter concoctionis quæ præcesserat tarditatē. Quarto etiam libro de Sanitate tuenda, & libro de sanguinis missione, crudis humoribus existentibus in membris nutritionis, venam secare nō permittit Galenus. Et Auic. 4 1. cap. 20. A minutione (inquit) tibi cauere debes super cibi repletionem, ne materiam nō maturam trahas loco eius, quòd ab eis euacuasti. Sic rectè infunduntur ante phlebotomiam lenientes clysteres, alui recrementa deturbantes, ne putridæ materiæ trahātur ad venas. Sic Aëtius lib. 12. cap. 23. In necessitate phlebotomiæ, si cibus in ventriculo continetur, qui nequit clystere vacuari, iubet prius euomere, & post vomitum venā secare. Sic Itali quidā, in initio acutorum, vnciam vnam medullæ casiæ fistulæ, aut vnciam vnam cum dimidia mannæ propinant. Et mihi videtur vsus securus atq; imitandus, vbi vel minima cruditatis suspicio fuerit: quæ tamen in initio acutorum rarò deest maxima, ob præcedentem intemperan-

rantiam. Cum verò famelicum & saturum à venæ sectione abstinere iubemus, nõ intelligimus ieiunum, nec qui paucum cibum vẽtriculum roborantem præsumpsit: sed qui diu abstinuit à cibo, & qui eodem se repleuit. Nã in morbis peracutis exactè, vtiliter venam secamus, ægris omnino abstinentibus: quoniam non abstinuerũt diutius. Et Auicenna. 22. 3. tract. 2. cap. 25. præcipit ieiunium duorum dierum, ante sectionem venæ, in sciatica sanguinea: vbi per ieiunium Cardanus lib. 1. contradictionum, tract. 3. cap. 27. intelligit parcum victum, nõ omnimodam abstinentiam. Sed non est tam longa duorum dierum abstinentia (præsertim in morbo orto ex sanguine crudiori, qui inedia conficitur, tenuatur, & fluxilis redditur) vt sanguinis missionem debeat prohibere. Paucum verò cibum præsumpsisse, non obstat, in corporibus præsertim gracilibus, biliosis, & resolubilibus: nam & tempore paroxismi, in eis commodè conceditur cibus: & cum expurganti medicamento, non inutiliter permiscetur. Et Auicenna quarta primi, paucum cibum præcipit dari, ijs quibus os ventris est valde sensile, in quo acria, salsa, & mordentia nocent: & quibus os ventris est imbecillum, in quo frequenter contingunt dolor, & à cibis auersio, & in picrocolis, qui amaram bilem ferè semper euomunt, ob deprauatũ situm pori fellei. In quibus omnibus, cibum stypticum (vt micam panis intinctam in miua cotoneorum moschata, aut syrupo de mẽta moschato, aut in syrupo rosarũ, aut succo granatorum, aut agrestæ, prout magis hoc aut illud cõuenire videtur) exhibet. Picrocolas verò prius vomere iubet, ex calida cum syrupo acetoso: deinde micam panis edere: tertio quiescere parumper, vt motus ventriculi sedetur, & vis ex vomitione imbecillior reddita reparetur. Quibus peractis sanguinem mittit. Quod sanè nõ semper sic faciendũ esse suadeo: sed cũ humores iam fuerint ad vẽtrem defluxi: quod cognoscitur ex halitus fœtore, ventriculi grauitate, vellicatione, & cõturbatione. Ante defluxionẽ enim humorũ, ventriculũ roborare cibo, & inũctione: potius quã vomitu humores ad vẽtriculũ ire solitos aduocare, et vellicationes inde, atq; syncopas augere præstiterit: vt doctè notauit Auer. 7. coll. cap. 17. si adhũc modũ intelligatur. Dicta verò corpora, tã sunt resolutioni, & animi deliquio opportuna, vt nec cibus præsumptus sufficiat: sed opus præterea sit iecore gallinæ, aut pauca carne assa post venæ sectionẽ, vt reparentur, & non incidant in syncopin, & virium dissolutionem. An verò in corporibus quæ os ventris firmũ habent, non valde sensile, nec amarulẽtum, paucum cibum præsumpsisse, sanguinis detractionẽ impediat, dubium est. Cui nos respõdemus, quòd paucus cibus præsumptus, nõ modo nõ obstat sanguinis missioni, verũ etiã valde cõmodat. Primo, quoniã ventriculũ roborat, qui etiã si suaptesponte sit validus, nihil impedit si roboretur magis. Eius enim firmitas quò fuerit maior, eò nos reddet in obeunda sanguinis missione magis tutos. Secũdo, nã vt cõstat ex Gal. 3. lib. de fac. nat. cap. 13. ventriculus ante reliqua omnia mẽbra exinanitur, quãdo reliqua enim fruuntur cibo ipsis apposito, ventriculus iam omnia confecit, & nouum desiderat alimentum.

Ipsi ergo soli necessario debetur, tum ante sanguinis detractionem, tum etiam ante venereorum usum. Non enim decet ventriculo innanito, aut sanguinem detrahere, aut generationi incumbere. Atq; hinc Aëtius de venere agens, lib. 3. primi tetrabibli, cap. 8. commodissimum (scribit) coëundi tempus est à cibo non nimium ingesto: idest à pauco cibo ventriculum roborante. Plena enim cibatio, non antecedit venerem, ut. 6. lib. Epid. ad hunc modum scribit Hippocrates. Labor, cibus, somnus, venus, omnia mediocria. Eo enim verborum ordine, ordinem agẽdorum voluit indicare, ut. 2. lib. de Sanit. tuenda, Galenus est autor. Quare dictorum verborum, apud Galenum is reddetur sensus. Vir atq; fœmina, qui iuxta tuendæ valetudinis artem se se exercuerint, cibum atq; potum conuenientem edant: dormiãt donec ingesta coxerint, & coctione maxima copia utilis excrementi proueniat: somnum eorum excipiat venus. Quoniam verò solus tunc ventriculus caret alimento, pro ipso solo nonnihil est antesumendum. Quod & ante sanguinis missionem, si pari ratione fiat: non video cur non sit maximè probandus usus. Nec video, quomodo qui Aëtium loco citato, & Paulum lib. 1. cap. 35. nesciunt ab errore vindicare, tam valde cecuciant.

An conualescentes, & qui passi sunt morbum longum, à sanguinis detractione sint arcendi. CAP. XX.



Verè conualescentium dispositio, optimum sanguinẽ, sed exiguum eum, atq; cum ipso spiritus animales, atq; vitales, exhaustos habet: & ex eorum penuria, siccius, atq; frigidius, uniuersum eorũ corpus redditur. Nã ex inedia, atq; morbi violentia, sanguis atq; spiritus, magna ex parte est absumptus. Ex naturæ verò victoria, ab omni sorde est expurgatus. Et ob id parti artis quæ reficit, atq; restaurat, cõualescẽtes cõmendãtur cap. ult. artis medicinalis à Galeno. Nã & adiectione opus habẽt, & mũda sunt adeo ipsorũ corpora, ut ex alimẽto nullius læsionis periculum ipsis impendat, iuxta Aphorismum decimũ, secundæ partis. Tãto autem magis exhaustus, & eneruis est, qui conualescit: quanto à diuturniori morbo resurgit. Fit enim per morbum longũ, maior iactura carnis, & radicalium mẽbrorum, quæ ultimo liquari solent, apud Gal. 2. lib. Prog. com. 28: & ob id lentius reficere iubet Hipp. 2. Apho. sent. 7. Hinc rectè elicimus, quòd veri conualescentes, ab omni vacuatione debent abstinere, sanguinis missione, expurgatione, coitu, & reliquis. Primo, quoniam eorũ sanguis est paucus. Secundo, quia est optimus. Tertio, quoniã ipsorum vires sunt imbecillæ. Quarto, quoniã integrè indicati ab his omnibus vacuationibus debẽt abstinere. Qui verò à longo morbo resurgunt, ut sunt magis exhausti, ita multò magis à vacuatione sunt arcendi.

Si

Si verò non fuerint veri conualescẽtes, sed multũ sanguinem habuerint, & vitiatum, viresq́ non admodum deiectas obtineant: sanguinẽ detrahere ne formides, quã tuncunq; morbus longus ægrum malè habuerit. Quod sanè voluit Auic. 2. 4. tr. 2.
" *cap. 11. de regimine conualescentis, vbi ita scribit. De phlebotomia autẽ sciendum*
" *est, quòd parum indiget conualescens extractione sanguinis: & fortasse indiget*
" *etiam. Et significant illud forma, & signa sanguinis: præcipuè cum inuenis febrem*
" *occultam in venis, & pustulam in labio. Et fortasse cogit te ad phlebotomãdum in-*
" *firmum, malitia sanguinis eius, propter illud quod remãsit in ipso de cinereitate hu-*
" *morũ malorũ. Quare necessariũ est ei, vt extrahatur sanguis eius malus, & augmẽ*
" *tetur in eo sanguis bonus. Et melius in hoc est vt facilè fiat, & nõ faciat aliquid su-*
" *bito. Ex quibus verbis manifestè cõstat, licere nobis sanguinẽ detrahere in nõ vero conualescẽte, in quo adest occulta febris in venis, idest causa & dispositio in humoribus, quæ citò est paritura febrẽ manifestam: & pustula in labio, quæ ex oris exsiccatione prodit, & est signũ recidiuæ, sicut & sitis, & insuauitas ore percepta, & fastidiũ, apud Hip. 6. Epid. par. 2. sent. 20. Hæc enim sunt morbosa symptomata; quæ aliquid morbosæ affectionis, intus relinqui declarant. Sanguinem etiam in cõualescente mittere cogimur, vbi per signa aliqua cognouerimus, eius sanguinem esse infectũ, ex terrea humorũ parte, quæ fuit per putrefactionẽ adusta, et in cinerẽ versa, atq; in vasis cũ sanguine relicta. Vnde. 4. 1. cap. 20. si sanguis huiusmodi, exeat niger, & crassus, audaciter est extrahendus: quoniam inditium est infectum sanguinem, cum humorum cineribus euacuari. Si verò tenuis & albus profluat, illico est sistendus: nam præter id quòd non vacuantur humores incinerati, inditium est, aut pituitæ vincentis, quæ coctione in bonum sanguinem debet permutari, aut quòd euacuatur aliqua ex secũdis humiditatibus, nutritioni propinquis: Notat enim cõciliator differ. 33. quòd quidam decollati loco sanguinis fuderunt lac. Quod tamen mihi vix videtur possibile. Sunt autem Auicennæ citata verba (ne hic desiderentur)*
" *quæ sequũtur. Amplius in corporibus quæ prolixas perpessa sũt ægritudines, caue*
" *tibi à phlebotomia, nisi sanguinis affuerit corruptio quæ te ad hoc perducat: quoniã*
" *tunc phlebotomabis ea. Et considera sanguinẽ, & si ipsum videris nigrum & spis-*
" *sum extrahe eum: & si ipsum videris album & subtilem, eum illico constringe, quo*
" *niam in ipso existit vehemens timor.*

De tempore opportuno secandæ venæ, tum in præcautione, tum in curatione morborũ. Et quatenus sint cauẽdi coitus & aspectus astrorum. Et quæ lunæ quadra sit aptior phlebotomiæ. Et in quorum morborum timore, venæ sectione præcautoria vti debeamus. Et vtrum intemperantibus sit secanda vena. Et quare in accessionibus sit spectanda hora remissionis. Et an crisis tempore, & in die decretorio, in quo crisis abest: liceat vacuationem moliri. Et an clysterem venæ sectioni præmittere expediat. CAP. XXI.



Vibuscunq; venæ sectio, vel purgatio cũ medicamẽto, præuisionis gratia cõuenit: hos vere purgare, vel venã incidere oportet: apud Hip. 6. Aph. sent. 47. Nam ver tẽperatißimum tempus est, in quo facultas viget, & humores fundũtur: ex fusione autẽ magis replẽt, & expulsioni parantur. Eos ergo tũc vacuare oportet, præsertim si vena secanda est: nam plenitudo per antecedentem hyemem magis cõcreta: veris aduentantis calore fusa, regurgitabit: & morbos pariet. Cacochimia verò, præsertim biliosa, & è tenuibus humoribus orta, quanuis tum tẽporis vacuari poßit: quoniã tamen nec venas implet, nec hyemis frigore admodum creuit, spectare potest veris finẽ: dũmodo tempus quo morbi inuadere solent anticipemus. Quod notauit Galenus in cõmentario ad dictã sententiam, vbi ita scribit. Quidã alius tẽpore æstiuo, semper febribus tertianis corripiebatur: sed multis iam annis nõ febricitauit, quoniã à nobis purgari circa finem veris anticipauit. Sic enim melius est tales euacuare: sicuti illos qui morbo comitiali, apoplexia, & melãcholia, & articulari, & alijs paßionibus, quæ ex craßis humoribus generãtur, præstat circa veris initia euacuare. Quãdoq; vero tanta est cacochimia, è craßis præsertim humoribus orta: vt nõ modò vere, verũ & autumno (quod tẽperatum quodammodo est anni tẽpus) iterũ purgemus: ne morbis ex ipsa enatis, hyeme corripiamur: vt in eo qui singulis annis in melancholiam incidere cõsuetus fecit Galenus, in cõmentario ad dictam sententiam. Qui locus exactior est, & medicis operationibus magis seruiens: quàm alter qui scribitur libro de sanguinis mißione, cap. 7. in quo omnes præcautione indigentes, veris initio purgat.

Sunt præterea in præcautione obseruanda solstitia, & æquinoctia: & insignium astrorum exortus, atq; occasus: & magnæ insuper temporum mutationes apud Hippocratẽ libro de aëre & aqua: ita vt neq; venã in ipsis secet, neq; pharmacũ quispiã volens det: Non det (dixit) volens: idest præcautionis gratia, citra morbum cogentem. Mensis etiam lunaris est attendendus, ita vt primam atque vltimam quadrã non eligamus, sed duas medias, ex Auic. 4 1. cap. 21. in hæc verba. Quidam autem præcipiunt, vt ventosæ in principio mensis non apponãtur, quoniam humores nondum amoti fuerunt, neq; ebullierunt: neq; in fine mensis, quoniam humores tunc sunt minuti, sed in medio mensis, cum humores sunt ebullientes, & in sui augmento luminis, in corpore lunæ augmentum sequentes: & augmentatur cerebrum in craneis: & aqua in fluminibus acceßionem, & receßionem habentibus. Quibus verbis, duas quadras medias ceu electiores probat: quoniã in eis humores magis abundant, & extra erũpunt. In quibus tamẽ cauẽdæ sunt, septẽ horæ ante plenilunium, & totidem post, ob aspectum oppositionis aduersum, ex Astrologis. Qui præterea cauent alias lunæ stationes. Primo, ratione signi. Secundo, ratione domus. Tertio, ratione coitus cũ aliquo planeta, aut stella fixa. Quarto, ratione aspectus. Quo ad signa etenim, ad phlebotomiã faciẽdã, probãt signa aërea, et ignea, et mobilia. Improbant

bant verò fixa & cōmunia. Aërea verò signa statuunt Geminos, Librā, & Aquarium. Sicut ignea Arietē, Leonē & Sagitariū. Mobilia appellāt, Arietem, Cancrum, Librā, & Capricornium. Fixa Taurū, Leonem, Scorpium, & Aquarium. Cōmunia verò Geminos, Virginē, Sagitariū & Pisces. Ex fixis tū quidam eligūt Scorpionē. Et ex aëreis omnes improbāt signū Geminorū: tū quoniā est signū cōmune, cuius ratione inquiunt, quòd chyrurgus plus vna percussione vulnerabit, & quòd æger necessitatē alterius phlebotomiæ, citissimè incurret: tum etiā quoniā signū hoc, brachia respicit: horribile autē esse dicūt, ex Ptholomæo in cētiloquio, tāgere mēbrum ferro, luna existēte in signo illius mēbri. Distribuūtq; signa per mēbra corporis. Nā Aries (inquiunt) habet caput: Taurus collū, ac guttur: Gemini, humeros, brachia, & manus: Cācer, omoplatas, pectus, & pulmonē: Leo, cor, & stomachū, & quæ inde oriūtur: Virgo, hepar, intestina, et ei affinia: Libra, renes, pectinē, et ancas: Scorpius, pudēda, vesicā, & anū: Capricornius, genua: Aquarius, crura: Piscis, pedes. Electissimā ergo stationē lunæ quā ad venā secādā extollūt, quoad signa attinet Aries est, aut libra: præsertim cum veneri, aut ioui, aut vtriq; ipsorū iugūtur. Coitus nanq; lunæ, cū alijs planetis, Sole (inquā) Saturno, Mercurio, et Marte, præsertim cū luna ipsa exiguū habet lumen, valde ad sanguinē mittendum improbatur astrologis: quāuis Martem quidā ipsorū recipiant. Quò ad aspectus verò, electissimum probant aspectū trinū, cum luna scilicet ante, aut post se, respicit venerem aut iouem, aut vtrūq;, per quatuor signa: aut tertiam celi partē, quæ centū viginti gradus continet. Hūc enim aspectum, appellant dilectionis & amicitiæ perfectæ. Post hunc, laudāt aspectū lunæ sextilē ad dictos planetas, sexta celi parte vtrinq; distantes. (Idest per duo signa, aut gradus sexaginta) appellantq; hūc aspectū mediæ amicitiæ. Duos verò alios aspectus inimicitiæ, memorant ad dictos planetas; in dictis signis contingētes: quartilē nēpe, vbi per quartā celi partē vtrinq; distant (idest per gradus centū viginti, aut per signa quatuor) quē appellāt mediæ inimicitiæ: et oppositionem, in qua media celi parte distāt, & ex diametro se respiciunt (per distantiā nimirū sex signorū, idest centū octuaginta graduū) appellantq; hunc aspectū, perfectæ inimicitiæ. Atq; hūc maximè vitādū statuūt: quoniā cogit (inquiūt) malitia sua phlebotomantē errare, vel phlebotomandū, vel seruiētes peccare, ac inconuenienter administrare forinseca. Duodecim præterea fixas domos in celo concipiunt, per quas signa & planetæ discurrunt: eliguntq; ad phlebotomiā, quòd luna teneat secūdam, tertiā, quintam, septimā, & decimā. Vitāt verò primā, quā ascendentem appellant: & quartā quæ domus (inquiunt) est foueæ: & sextam quæ infirmitatis: & octauam quæ mortis est domus: & nonā, quoniā sui est opposita gaudio: & duodecimam quam inimicorū, tristitiæ, carceris, & omnis praui successus, esse prædicant. Nec enim decet, lunā in his domibus: nec cū harū domorum dn̄is esse. Nec dominus ascendentis, in aliqua dictarū domuum, præterquam in decima debet reperiri.

Vereor tamen, ne dum eiusmodi astronomorum delirijs valde es intentus præ-

cautionis, ne dicā curationis horam prætereas. Nā præter figmenta & voluntarias sanctiones, quibus hominum sensibus imponunt, & communi omnium saluti illudunt astronomi, non exiguam inter ipsos litem reperias: quibusdam eorum hos, alijs verò illos aspectus, signa, & planetas, recipiētibus & reijcientibus. Omnes verò mirabilia de celestium afflatibus, amicitia, inimicitia, exaltatione, combustione, ac alijs (præter vllam vtilitatem, quæ medicis operationibus, & ægrotātium saluti respondeat) ita blaterant: vt Posthumo aduocato apud Martialem, mihi similes videātur.

Non de vi, neq; de cœde, nec veneno
Sed lis est mihi de tribus capellis
Vicini queror has abesse furto,
Hoc iudex sibi postulat probari,
Tu cannas, mitridaticum bellum,
Et periuria punici furoris,
Et syllas, mariosq́, mutiosq́,
Magna voce sonas, manuq́ tota.
Iam dic Posthume de tribus capellis.

Sed horum ineptiam, tum libro de hominis procreatione, tum in appendice Astrologico monstrauimus. Quā non minus demonstrant, quæ hic ex ipsis retulimus: quòd enim chyrurgus, simplici sectione opus non perficiat, sed bis vulneret: quomodo ex signo geminorum pendere potest? An credis dum luna eum tenet signum, suo vulnerarios munere, rectè fūgi nō posse? Aeger præterea qui sanguinis detractione opus habet, ob duplicē vulnerarij ictum futurū, debet ne ab ipsa desistere, nec si ter esset vulnerādus? Si post hanc præterea venæ sectionem, citissimè debet æger alterius phlebotomiæ necessitatem incurrere: bene fecit (qui ante manifestæ huius necessitatis aduentum) sanguinem sustulit, dum luna geminos tenuit. Præceptum præterea illud, quo cauent tangere membrum ferro, luna existente in signo illius membri, ridiculum est: vt monstrat experimentum, in ijs quorum brachia, aut pedes, phlebotomantur: cum Luna Geminos aut Pisces tenet. In coitu præterea solis & lunæ, sanguinem è sinistra saluatella detrahere, multos quartanarios sanauit, experimēto Sauanarolæ. Aspectus quoq; omnes esse salutares, & orbis huius inferioris tutrices, & amicos (siquidem eius gubernationi præsunt) satis verisimile est. Aspectus præterea oppositionis, quātumuis vltimæ sit prauitatis: quomodo vulnerarium, & assidentes, & exteriora, faciet errare? Domus præterea dictæ, si in celo sunt fixæ non sunt, sed cum eo motæ: fixæ ergo cum statuantur, fictitiæ sunt, & imaginariæ: quare neq; vim aliquam habent immutandi, nec ipsarum domini, domus habēt quibus dominentur, & imperium suum exerceant in nos.

Famæ ergo gratia, paulum quid istis astrologicis imaginationibus tribuendum est, ne mortem quæ vltro sæpe solet hominibus contingere, nobis imputent. Valde nanque remota sunt, operosa nimis, infructuosa, & quod verius est fictitia

quæ

quæ astrologi sanciunt. Nec olus enim emere, nec vestem consuere, nec filiam marito locare, nec iter fœliciter progredi volunt, nisi astrorum iussionem ipsi de celo aduehant. Sine quorum tamen consultatione, vt tum hæc, tum alia grauiora, rectè peraguntur: ita qui venæ sectione, aut expurganti medicamēto, opus habēt: ijs præsidijs cōmodè vtentur, solo artis medicæ auxilio, & salubri cōiectura fidētes. Famæ tamen, & nostræ opinionis, ac integritatis seruādæ gratia (ne eius quem sua sors peremit necis, insimulent nos astronomi) vitandi sunt coitus lunæ cum Saturno, aut Marte: quos intemperatos, & κακοποιοὺς idest maleficos, aut horribiles planetas appellat Galenus. 3. lib. de diebus decretorijs, cap. 6. Et si res patitur (quòd in præcautione magna ex parte fiet) spectabimus coniunctionem lunæ cum ioue, aut venere: hos enim temperatos, & ἀγαθοποιοὺς idest salutares, ac benignos, idem Galenus esse scribit. Astrologi verò hos, bonas: illos, malas fortunas appellant: sicut solem, lunā, & mercurium, mediocres. Solstitijs verò, æquinoctijs, & insignium astrorum exortibus, magis tribuendum est: quoniam repentinas inferunt in aëre nos ambiente alterationes: hæ autē sunt cauēdæ in præcautione, siue à celo, siue aliūde quā ab ortu syderum nascantur. Quadris etiam lunæ, quarum mutationes sunt nobis conspicuæ, magis tribuendum est: ita vt medias duas quadras amplectamur magis cum Auicēna: vltimas verò non prorsus repudiemus. Nam quòd in prima quadra, motum aliquem humoribus inferat luna, monstrat intumescentia maris in coniunctione: quæ quanuis sit minor, quàm in plenilunio: est tamen maior, quàm toto mense reliquo. In vltima verò quadra, menses mulierum magna ex parte luna mouet: vt scribit Aristoteles. 7. lib. de hist. anim. cap. 2. & lib. 4. de gen. anim. cap. 2. Licebit ergo. Medico qui naturæ est imitator, tum temporis venam secare, & eiusmodi vacuationem promouere. Nec valet responsio conciliatoris, diff. 168. quòd scilicet in prima & vltima quadra, humores mouentur tumultuariè ex impotentia & imbecillitate lunæ, quæ eos regere & gubernare nequit: in medijs verò quadris, eos mouet & regit luna, sui luminis virtute & vigore. Non valet (inquam) nam menses sunt mulieribus naturales, & ordinati: ergo ex causa naturali, ordinata, & non tumultuaria procedunt: puta ex luna eos tunc operāte. Quòd Galenus asseruisse est visus 3. lib. de diebus decretorijs, cap. 2. vbi adstruit, quòd luna statis temporibus mēstrua
" mulieribus solicitat. Et cap. 3. ita scribit. Cum ergo potētissimè validissimeq; præ-
" cedentes omnes, & modò dictæ lunæ affectiones, hæc inferiora immutent: tunc ta-
" men longè immutat potentius, dum cum sole congrediens, sub eius radijs delitescit.
" Et paucis interpositis subdit. Ergo peculiarem, eximiamq; immutandi hæc inferio-
" ra vim, habet plenilunium: & hoc maiorem adhuc, lunæ cum sole coitus.

Morbos autem in quibus frequenter præcautionis gratia, venā secare debemus:
" memorat Auic. 4. 1. cap. 20. in hæc verba. Et his quidē ægritudinibus præparatus
" est, sicut qui est expositus sciaticæ, & podagræ fortibus, & arteticæ sanguineis: aut
" ille cui accidit sputum sanguineum, ex fissura venæ quæ in pulmone eius existit

tenuiter consolidata: quoniam cum ipsius multiplicabitur sanguis findetur: & apti epilepsiæ, & apoplexiæ, & melancholiæ, cum sanguinis multitudine: & squinantiæ, & apostematibus interiorum, & ophthalmiæ calidæ: & ex eis quibus hæmorrhoidarum sanguis qui fluere solebat est retentus, & mulieribus quibus menstruus sanguis est restrictus: horum tamen colores non demonstrant quòd phlebotomari debeant, propter ipsorum obscuritatem, aut albedinem, aut viriditatē: & illi qui in interioribus membris cum complexione calida debilitatem patiuntur. Quibus verbis constat, non temere, & ob leuia quæcunque damna, sanguinis detractione præcautoria vtendum esse: sed ob morbos graues memoratos, aut ob febres humorales: ob tertianas enim ea fuit vsus Gal. 6. lib. Apho. com. 47. Omnis nanq; febris præter diariam grauis est morbus. Per debilitatem autem, quam in interioribus membris cum complexione calida quidam patiuntur, grauitatis sensum, aut debilitatem grauatiuam, in interioribus perceptam intellexit: quæ si cum membrorum complexione calida extiterit, monstrat frigidos tunc nō subesse succos: nec bilē arguit, quoniam hæc non degrauat: sanguinem ergo nunciat, qui calidus simul est, & grauitatē inferens: grauioraq; mala incutiet, nisi citò venæ sectione, quæ eum demat occurramus. Ex quo frequentissimus error colligitur, eorum qui citra morbum aliquem, aut præsentem, aut imminentem, venam quotannis ad diem diui Ioannis Baptistæ secant. Errant quoq; medici, qui voracibus, intemperatis, & prauo victu vtentibus, citra morbum aliquem consulunt, vere, & autumno, venæ sectione, & expurganti vti medicamento: vt redundantiam, & succorum quibus abundant prauitatē demant. Cuius tamen contrarium, libro de sanguinis missione consuluit Galenus: tum quoniam non iuuantur, tum quoniam valde læduntur ex euacuatione, in hæc verba. Intemperatos autem neque minues, neq; omnino purgabis: plus enim erit quod ex intemperato victu aceruabunt, quàm quòd tu medicamento, vel minutione sanguinis detrahes. Quibus verbis constat, intemperatos non iuuari, sed potius lædi ex euacuatione, tum ob maiorē congestionē, tū quoniā propter prauorū succorū superabūdantiā, citò exoluūtur, vt lib. 2. Aph. sent. 36. Hip. atq; Gal. scripsere.

In eo autem qui actu ægrotat, vrgentibus scopis mittendi sanguinem, etiam si luna, soli, marti, aut saturno, in signo fixo, aut communi congrediatur: aut perfectæ inimicitiæ aspectu irradietur: & octauam domum quæ mortis est teneat: procrastinare venæ sectionem non conuenit. Præsertim in acutis, in quibus eadem die medicari, iussit Hip. 4. lib. Aphor. sent. 10: ne scilicet prætereat occasio, quam præcipitem esse admonuerat. 1. Aphor. sent. 1. Insani nanq; consilij foret, morbo vacuationē celerem postulanti, & virtuti consentienti, ob minantes planetas non assentiri. Venam ergo tunc illico tundemus, nam sanguis præter alia de ijs est, in quibus coctio non speratur. Si morbus verò per circuitus repetat spectare oportet, non beninum, ac salutarem aspectum: sed quietis, aut remissionis horam. Est enim in accessionibus abstinendum, ab alimēto, medicamēto, somno, & euacuatione. A somno

quoniam

quoniam ad viscera ducit humorem: ab alimento quoniam grauat, morbi causam auget, & naturam quominus in causam morbi agat diuertit: ab expurganti pharmaco, & phlebotomia: quoniam labor labori additur, ex quo natura labascit. Magis autem abstinere oportet dies in quibus natura iudicat morbos, si iudicat integrè: quod monuit Hip. 1. lib. Aphor. sent. 20. Integrè (inquam) quoniam vbi vacuatio non est integra (verbi gratia, per mēstruas purgationes quæ pigrè mouētur) licet medico ex talo sanguinem detrahere, vt docet Gal. 9. lib. Methodi, quò ex coniunctis ambobus, perficiatur quod postulas. Vbi etiam natura vacuat quà non oportet, corrigenda est, vacuatione quà oportet facta: si enim per sanguinis vomitū, aut mictum, aut per sanguinis è sinistra nare fluorem, iecoris inflammationem indicaret: interna vena dextra nobis esset secanda. Si natura præterea humorem conetur expellere, & non expellat: superueniantq́ in conatu sympthomata periculosa, adiuuanda est. Quod in variolis, atq; morbillis, sæpe cōtingit: hos nanq; natura valde grauata, frustra aliquādo conatur expellere, donec sanguinis missione leuata, potētior reddatur. Omnes etiā alias crises (vbi natura frustra humorē conatur expellere) vtilissimè iuuare, docet Aui. 1. 3. tr. 2. cap. 30. Vbi etiā natura in die crisimo non vacuat, si morbus instat, vacuare debemus. Vnde Auicēna, si natura (inquit) non mouet, moue tu hora motus eius. Valde ergò errāt, qui ab omni abstinēt vacuatione, die morbi septima, aut decimaquarta: si enim tūc nec natura mouet, nec vllū eius speratur iudiciū: recta ratiōe supplebit ars, quod natura aut nō tētat facere, aut deficit in perficiūdo. Hora ergo mittēdi sanguinē necessaria, est remissio, aut quies ab accessione, aut iudicio: siue mane, siue vesperi, aut noctu intercidat. Erit autē electior (si res tulerit) in hyeme hora nona matutina, aut decima, in qua sol rigorem diei hyemalis tēperauit: & in æstate septima, aut octaua, in qua nondum sol cœpit esse molestus, nec recens experrectus homo fuit. Oportet enim vt vapores qui per somnum sensus ligabant, vigilia saltem vnius horæ discutiantur. In qua etiam alui recrementa debent excludi, ne fæculēti ex ipsis halitus, in venas per sanguinis detractionem inanitas trahantur. Quod Auicen. 4. 1. cap. 20. his docuit verbis. Scito præterea, quòd phlebotomia duas habet horas: horam electam, & horam necessariam. Hora verò electa, est eius quæ est in lumine diei, & post digestionis cōplementum, & superfluitatum expulsionem: & hora necessaria, est hora qua fieri oportet, & quæ tardari non potest, & in qua res prohibitoria non attenditur.

Ex quo Auicennæ loco, accedente insuper experimēto, & ratione, inualuit laudabilis mos infundendi clysteres ante venæ sectionem: adeo vt rarus sit, aut medicus, aut æger qui violet. Sunt autem valde necessarij, si præcessit ciborum cruditas, aut si aluus dura sit, sponteq́ non eat: ne aut cruditas, aut tetri vapores ex fæce retenta trahantur ad venas quæ venæ sectione inaniuntur. Quod notauit autor libri Galeno adscripti, de præsagio experientia confirmato, in hæc verba. Aduertere debet, ne stercus multum cohibeatur inter intestina, proinde molli clystere

euacuandus æger, ne venæ ab intestinis attrahant putridam quandam superfluitatũ essentiam. Nono præterea libro Methodi, cap. 5. (à quo trãscripsit Aëtius serm. 1. secundi tetrabibli, cap. 71.) ita scribit. Nam si præcedat ciborum cruditas, tanto tẽpore differre venæ sectionem iubebis, quantum satisfacere, tum ad eorum concoctionem, tum vt excrementa descendant videbitur. Non sufficit autem quòd recrementa ad ima intestina descenderint, sed oportet vt vacuentur: venæ enim meseraicæ (quæ putridas superfluitates possũt in corporis venas defferre) omnia pertingũt intestina ad ima vsq;. Ex quo inferre licet, quòd si in eo qui spõtè quotidie solet excernere, hora verbi gratia tertia, aut quarta pomeridiana: venæ secandæ occasio ad ortum solis se obtulerit, clyster sit ei antefundendus: quoniã nõ sufficit alui recrementa ab hesterna cena relicta, ad ima descendisse intestina, sed inde etiam excerni oportet: nisi ingens aliqua necessitas ingruat, sitq; periculum in mora venæ secandæ. Quo casu clysterem venæ sectioni postponũt Hipp. & Gal. 4. lib. de ratione victus in morbis acutis, com. 75. si non sua spõte probè deiecerit aluus. Aëtius autem si cibus adhuc in ventre detineatur, ante quàm venam secet iubet vomere, sermone. 4 tertij tetrab. cap. 23. In hanc sententiam expertissimus iuit Auenzoar referente Auerrhoe. 7. lib. coll. cap. 1. in hæc verba. Et noster charissimus Abumeron Auenzoar dixit, quòd non debet fieri phlebotomia, nisi post corporis mundificationem. Et hoc est quia quando venæ à sanguine sunt euacuatæ, sugunt superfluitates malas, ad nutriendum ineptas, & ab his malam acquirunt complexionem. Et in tantum erit phlebotomia causa maioris constipationis ventris, quia membra euacuata, sugendo superfluitates fæculentas magis exsiccant. Quod ergo Alderetius quidam Salmanticensis academiæ professor, clysterem nullatenus ante venæ sectionem, sed post semper infundendum esse profitebatur vanum est, nisi instans aliqua se repente obtulerit occasio quæ nos cogat: sic enim Hippocratis, atq; Galeni locum, 4. lib. acutorum, com. 75. intelligendum esse diximus. Nec obstant quæ ille obijcere solebat. Primo, quòd clyster ante venam sectam infusus, facit vt eger hinc inde moueatur, detegatur, & refrigeretur. Ex refrigeratione autem concrescit sanguis infectus, & vena secta nõ potest expelli. Secundo, quòd intestina clystere præeuacuata, trahunt à venis: venæ ergo detumescent, & concident: sanguisq; si tunc ipsæ secentur, excolatus & tenuis, non autem qui crassus & infectus est educetur. Tertio, quoniam clyster intro, venæ sectio verò extra agit humores: quantum ergo ad ipsas attinet vacuationes, vna ipsarum alterius præludium esse nequit, & cõmoda dispositio: quòd verò attinet ad naturã, valde ipsa affligitur ex duplici vacuatione coniuncta (quàm non permittit Auicenna, 4. 1.) valdeq; turbatur quoniam hi motus & vacuationes sunt sibi cõtrarij, simulq; adhibẽtur. Friuola tamen sunt, nam si refrigerationem times, non surgas: sed supinus decumbens, aluum in pelui exonera: aut togatus surge: quòd si plus iusto te refrigeratum esse censes, non tundas venam, donec in pristinum calorẽ redeas. Intestina verò emolliente clystere præeuacuata,

euata,

euata non magis trahunt à venis, quàm si spontè vacuarentur: quare aut venas nõ exugunt, aut suctio eiusmodi nõ transcendit iecur. Quòd verò vltimo obijciebatur, soluitur: nam clyster emolliẽs, solas mouet, & euacuat feces, non autem humores vasorum, quos educit venæ sectio: vtraq; ergo harum vacuationum mouet extra, diuersumq́ mobile agitat. Secus vero faciendum esset, si clyster non esset emolliens, sed expurgans, cuius vis vasa ipsa pertingeret: hic enim nec ante, nec post sanguinis detractionem, debet infundi: quoniam cõtrarijs motibus, hæ duæ vacuationes, mouerent humores vasorum, & naturam turbarent. Vbi tamen vtroq; est opus auxilio, venæ (inquam) sectione, & clystere expurgante, antecedere debet venæ sectio: sicut & pharmacum expurgans ore sumptum antecedit. Quod fecit Hip. 4. lib. acutorũ sent. 20. vbi post sanguinis mißionem, singulo quoq; tertio die clysterem infundit. Clysterem (inquam) acutum, & expurgantem, qui vim habeat vacuandi humorem relictum in inflammatione: vt in commentario eiusdem sententiæ interpretatur Galenus in hæc verba. " Si verò imbecillior (inquit) æger tibi esse videbitur, vel propter sanguinis ablati copiam, vel ob aliam quamuis rationem: purgationis vice, clysterem tertio quoq; infundes die. Nempe relaxato per sanguinis mißionem corpore, quod ex morbificis humoribus qualitate vitiosum superfluit, per clysterẽ id euacuari iubet. Quòd autem scopus illi sit, non solum alimenti excrementa subducere: verum quoque & passum locum expurgare, palam est. Ad rationem verò Cardani, dicendum est: quòd si prima regio (venter nimirum, intestina, & venæ meseraicæ) munda est, venæ sectio distrahit impuritatem à corde: si immũda verò, eandem ex prima regione in hepar, venas, & cor adigit, vt. 4. lib. de Sanit. tuen. scripsit Galenus, in hæc verba. " Quippe incissa vena, bonum sanguinem emittit, malum qui in primis maximè venis, circa iecur, & quod mesenterium vocant colligitur: in totum attrahit corpus.

An vbi venæ sectione, & purgatione est opus, *sit venæ sectio purgationi, an purgatio venæ sectioni præmittenda. Et vbi erratum est, vter error sit grauior, tardiusq́ emendari poßit.*

CAP. XXII.



N verò vbi venæ sectione, & purgatione indiget homo, præmittẽda sit venæ sectio purgationi: an purgatio venæ sectioni: dubiũ est. Nam simul vtramq; euacuationem adhibere non possumus. Quòd enim lib. de sang. miß. cap. 8. in reumaticis affectibus initium curationis facit à sanguinis mißione Galenus: " Ac si excrementa (inquit) prauam qualitatẽ habuerint, vnà adhibeatur purgatio: Interpretãdum est, quòd non plus temporis debemus interponere, quàm quod ipsarum

ipsarum vacuationum ordo postulat. Ordo tamen aliquis semper est seruandus: de quo Galen. 6. lib. Epid. par. 1. com. 6. ita scribit. Quæ sequuntur iuuenibus (vt ipse ait) congruentia scribit, ita dicens: iuuenes veratro purgare, poplitem incidere. Veratro quidem purgare, si valde antiquus affectus sit, & ceu vectibus (vt ita dixerim) extrudendus. Ad huiusmodi enim morbos veratro vtimur: venam autem cædere, vbi sanguis multus, aut crassus, in venis abundet. Quòd si vtroq; auxilio ipse homo indigeat, à venæ sectione incipiendum esse notissimum est. Hunc Galeni locum, tanquam ex Hippocrate citat Auic. 4. 1. cap. 4. vbi ita scribit. Quum autem minutio necessaria fuerit, & ventris solutio ex aliquo quod sit vt helleborus, & violentæ medicinæ, à minutione incipere debes: quoniam hoc est ex præceptis Hippocratis, in libro Epidemiarum: & hæc est veritas: & similiter si humores fuerint phlegmatici cum sanguine misti. Quòd si viscosi & frigidi fuerint, fortasse minutio grossitudinem & viscositatem eis augmentabit. Incipiendum ergo erit à solutione ventris. Et ad summum si humores fuerint æquales, præmitte minutionẽ: & si postea superabundauerint euacua. Quòd si æquales non fuerint, in primis superabundantem euacua humorem, donec æquetur: postea minue. Quibus verbis Auicenna, placitum de præmittenda venæ sectione, vbi vtroq; est opus auxilio, interpretatur, & recipit, vbi vti debeamus pharmaco validissimo, quale est helleborus. Quò ad nostra verò pharmaca posterius inuenta, quæ mediocriter soluunt, suã statuit sententiam: quòd scilicet si sanguis solus, aut omnium humorum congeries, æqualiter & ad proportionẽ excrescat, præcedat venæ sectio: si humor verò alius, æquetur per pharmacum, & deinceps secetur vena. Sed facilè redarguitur, quoniã vbi aut solus sanguis, aut omnes æqualiter humores augentur, venæ sectio conuenit, non autem purgatio: vbi verò humor alter proportionem violat, purgatio conducit, non autem venæ sectio. Dicendum ergo est, quòd vbi vtroq; est opus auxilio, indicationes quæ vtrumq; auxiliũ poscunt coniugi debẽt (plenitudinis nẽpe cum cacochimia indicatio, aut aliæ, quæ hãc & illã euacuationẽ fieri postulãt) & pro ratione vincẽtis indicationis, prius vna quàm altera, aut cõtra vtemur. Possunt autem plenitudo & cacochimia multipliciter copulari, tum quò ad gradus, & latitudinem ipsarum, tum quò ad locum in quò consistunt. Quò ad gradus (inquam) nam tam plenitudo, quàm cacochimia, statui potest ingens, exigua, & mediocris: tam in quantitate, cum humores sunt integri, sola quantitate excedentes: quàm in qualitate, cum sunt vitiati, & à sua ipsorum natura recedentes. Quò ad locum verò, nam humor excrescens qui cacochimiam parit, aut continetur intra venas cum sanguine, aut extra ipsas. Hoc autẽ bifariã contingit, aut in mẽbris ante iecur, ventriculo nempe, intestinis, & mesenterio: aut in membris post iecur, in musculis scilicet & in eorundem cauitatibus, in iuncturis, & meatibus corporis. Quæ omnia cum diuersimodè indicent, diuersum quoq; remediorum ordinem postulabunt. A mensura sanè aut gradibus cacochimiæ, & plenitudinis indicatione sumpta, cautio pendet excã-

descen-

descentiæ biliosorum, & incrudationis frigidorum: de qua capite egimus.17. Huc etiam attinet consideratio Galeni.4.de Sanit.tuenda, vbi comparat quantitatem crudorum, boni sanguinis quātitati: de quā egimus cap.14. In his enim statibus vis quæ interdum ob ingentem cacochimiam, non potest sufficere ad venæ sectionem, sufficiet ad expurgationem: per quam detracta cacochimia quæ virtutē deijciebat, valida interdum reddetur, ad sanguinis detractionem tolerandam. Nam vbi cacochimia tanta non est vt virtutem deijciat, periculumq́, aut excandescentiæ, aut incrudationis desit: præferenda est citra dubium sanguinis mißio expurganti pharmaco. Primo, quia est euacuatio vniuersalior, & cōmunis humorū euacuatio: quæ vel ea ratione, minus vniuersali est anteponenda, vt scribit Auic.1.3.tr.1.cap.29. Secundo, quoniam est facilior & tutior: quam vbi volumus, possumus sistere: autore Gal.2.lib. acut. com. 11. Tertio, quoniam humores facilè defluunt & educuntur in sanguinis mißione per ampla vasa: difficilius verò per angusta, & corporis meatus, ab expurganti pharmaco trahuntur. Quarto, nam humores expurgandi prærequirunt coctionem, sanguis verò non: quoniam est humor sui natura bonam coctionem adeptus. Quinto, quia existente plenitudine vasorum, vis pharmaci nō penetrat: & ita aut non euacuat, aut laboriosißimam vacuationem facit, & plenitudinem ipsam commouet & accendit. Sexto, quoniā sanguinis mißio deobstruit vasa: summum bonū in febribus putridis, vt putredo arceatur. Septimo, quia cum in sanguinea massa, humor aliquis creuit vltra mediocritatē, per ablationem æqualē, nulla fit læsio in exuberante (eadem enim manet proportio, nisi ob virtutis imbecillitatem excandescāt biliosa, aut incrudētur frigida) ergo tunc commodè æquari possunt per pharmacum expurgans. Octauo, quoniam id videntur apertè sonare Galeni verba.4.lib.de Sanit.tuenda, quæ ita habent. Inspicere verò & quantitatem conueniet (vt verbi gratia) si bonus sanguis exiguus sit, reliquus verò succus plurimus: vtiq. in his abstinendum à detractione sanguinis est. Sin is quidem exiguus, sanguis verò copiosus, audaciter incidenda vena est: dein deijcere (vt dictum est) aluum oportet, ratione habita de abundantis succi copia, pariter & specie. Quibus verbis patet, quòd vbi bonus sanguis copiosus est, vitiosi succi comparatione (quoniam in eo statu vires apprimè constant) prius est sanguis mittendus, deinde expurgandum. Contra verò vbi bonus sanguis est exiguus, & vitiosus succus plurimus, à venæ sectione abstinet: quoniam (vt scripserat capite nono libri de sanguinis mißione) vbi tanta crudorū copia accumulata est, virium robur non adest. Si ergo per expurgans pharmacum vacuentur vitiosi succi virium infirmitatis autores: maneantq́ humores iusta proportione, & æqualitate sibi respondentes: venā tūc secari debet. Id ipsum, in acri, & salsuginosā destillatione pulmones erodente, facere nos docuit Gal.5.lib.Meth.in hæc verba. Ceterū de mittendo bis sanguine, scire illud licet. Quicunq. parum habere sanguinis videbuntur, ijs ad quēdam succum probiorem (sicuti prædixi) reductis, detrahere sanguinem poteris, tū rursus reficere: eosdē

etiam

*etiam rursus purgare, ac rursus reficere: denuoq́ si res suadet sanguinem mittere, po- »
tissimum quibus veluti limus quidam vitiosus, & crassus, totus est sanguis. At qui »
validi sunt, multiq́ sanguinis, ijs statim à principio est detrahēdus. Horū quæ retu- »
li, siue modo, siue ante, siue ea inueni ipse, siue iuxta Hippocratis viam vsurpaui, »
nihil planè non examinatum, ac iudicio comprobatum est, sed per experientiam om- »
nia iudicata: in quibus erroris pericula ipsi pertulimus. Fructum ex eorum vsu ha »
bituri sunt, quibuscunq; artis opera sunt curæ. Quæ Galeni verba satis monstrant, »
in acri hac cacochimia, cum sanguinis paucitate, post purgationem, & refectionem, sanguinem interdum esse mittendum: idq́ non modò semel, sed etiam pluries, si vsus exegerit. Quod nos, & vniuersi praxim exercentes, sæpe sæpius facimus: dum post ægrum purgatum, & refectum, iterum atq; iterum venam iecorariam (quam saluatellam vocant) aliâs aliam secamus.*

*A loco verò in quo consistit cacochimia, diuersæ sumuntur indicationes: aut enim in prima regione ante iecur: aut in vltima post iecur, ac venas: aut in media regione, iecore nempe, atq; venis, continetur. Si in hac, venis nimirum & iecore, cacochimia simul cum plenitudine consistat: venæ sectio est præferenda, ob octo rationes proximè allatas. Si verò in prima regione cōtineatur, eam ad venas per venæ sectionem vocare non decet: sed prius est coquenda, & vomitu, seu alui deiectione vacuanda. Hinc Auicenna, fastiditum & nauseabundum à venæ sectione abstinere iubet 4.1.cap.20. à qua etiā eos qui in primis venis cruditatē cōtraxerūt Galenus arcet. Et Rasius in suis cōtinentibus, de pleuritide agens: Plurimi (inquit) eo- »
rum, ac omnes ferme, qui ante euacuationem sanguinem miserunt mortui sunt: qui »
verò euacuationem ante moliti fuerunt sanati. Et Auerrhous. 7. lib. coll. cap. 1. »
hunc Rasij locum afferens, ita scribit. Rasis dicit, quòd experientia multoties vi- »
dit in hospitali, pleuriticos phlebotomatos ante pharmaciam, & mortui fuerunt. Et »
mihi videtur, quòd hoc fuit propterea quia mala materia in profundo corporis, in »
multa erat quantitate: & quādo detecta fuit, ad actum producta, perdidit patientē. »
Hæc Auerrhous. Errat ergo Cardanus, qui libro de malo medendi vsu cap. 68. nostri temporis medicos accusat, quoniam quandoq; præponunt medicamentum lenitiuum, & clysteres, sectioni venæ. Ipse verò est magis reprehendendus, nam cum omnes ferè homines viuant intemperanter, vix aliquem reperias, qui in principijs morborum, absoluatur à cruditate, in prima regione contracta: quæ vomitu, aut clysteri, aut leniente pharmaco, ante venæ sectionem est detrahenda, si vrgentissima aliqua necessitas non occurrat, quæ nos venam (cruditate posthabita) secare cogat. Primam autem regionem à vitiosis humoribus occupari, dignosces ex fastidio, nausea, humoris vomitione, aut deiectione frequenti, dolore, aut grauitate ventriculi, & præcordiorum tumore, atq; distentione. Quæ si affuerint, vomitione vtendum est, vbi sursum vergit humor, ex hydrelæo cum syrupo acetoso tepido: casia fistula verò vbi infra vergunt: quæ vbi parum est efficax, (cum nimirū tenaces, & valde*

glutinosi adsunt humores) oximellitis simplicis vnciã, interdum addi ipsi iussimus: aliâs diacatholiconi; aut diasebesten, aut trochiscis de violis sine scamonio, vtimur in febrium initio: aut sequenti bolo si febris non adest. ℞. medullæ casiæ fistulæ per cribũ tractæ, vnc. j. pulueris hieræ picræ simplicis Galeni, drach. j. ß fiat bolus cum sacharo. Doctissimus autem Fernelius, libro de venæ sectione cap. 14. Rhabarbaro, agarico, senna, aut alio quodam blando, pro redundantis humoris specie, non modo semel, sed secũdo etiam, ac tertio, pro rei necessitate interdum vtitur, antequam venam secet. Sic in veneno recenter ebibito, venæ sectio est noxia: quoniam trahit venenum ad hepar & vasa: Postquam verò venenum ad vasa meauit, vtilis esse potest. Quod voluit Auicenna. 6.4. tract. 1. cap. 4. cum dixit. Et si indigent phlebotomia, phlebotomentur. Idest si primam regionem pertransijt venenum, meauitq́; ad vasa, vena secetur. Sic Dioscorides lib. 6. cap. 34. ita scribit: Aqua frigida abũde pota, aut meracum vinum liberalius epotum, aut passum: præsertim à balneo, aut cursu, aut vehementi exercitatione: strangulatus & dolores infert. In quibus sanguinis missio protinus & vacuatio, imminentia soluunt pericula. Quibus verbis ob id sanguinem mittit, quoniam tam aqua, quàm vinum, aut passum, ob familiaritatem statim à iecore & vasis attrahuntur, ipsaque vasa replent: præsertim à balneo, coitu, aut labore. Auicẽna verò quoniã post aquæ potũ, magis timuit perfrigerationẽ, malũ corporis habitum, & hydropem, quibus sanguinis missio non cõducit, quàm venarum repletionẽ: caput hoc Dioscoridis in duo capita partitus fuit, vnũ 6.4. tract. 1. summa. 1. cap. vltimo, de aquæ potu: & alterum summa. 2. cap. 31. de potu vini: in hoc, venam secat: in illo verò, vinum propinat, diacurcumam, & diamoschum.

Si verò cacochimia postremam regionem occupauerit, plenitudine in vasis existente: à venæ sectione est inchoandum, deinceps pharmaco vtendum. Quod voluit Gal. 4. lib. de Sani. tuen. in hæc verba. Pone enim talem hominem ex mala victus ratione lassitudine affectũ: deinde ex ijs quas retulimus notis, in venoso vasorum genere, apparere subesse illi copiã semicrudorum succorum: in reliquo verò corpore toto, multitudinem horum, quos lassitudo sequuta est: auctus præterea, & illi sanguis esto. Maximè ergo (vt dictum est) detrahere primũ de sanguine oportet: deinde succum illum educere, qui superare videtur. Ex quibus Galeni verbis constat, quòd in dicto statu prius est vena secanda: deinceps pharmaco vtendum: vltimo verò balneis, fotibus, frictionibus, & digerentibus oleis, & vnguentis, vti cõuenit. His enim si ab initio vtare, plus erit quòd in cutem, & corporis molem, ex vasis attrahemus: quã quod in mẽbris digeri, ac resolui potest, vt scribit Gal. 6. lib. Epi. part. 2. com. 29. in hæc verba. Tantũ illud nouisse satis sit, succos ad cutem vergentes, per eam esse euacuãdos: nam iterum ad interna corporis reuulsio, ipsis valde lõginqua est, vt per ventrem, aut vomitum euacuentur. Sed forsan me dicere putabis, nunquam purgatione per ventrem, in talibus vtendum esse. Ego verò non id

dico,

dico, nam in libris de arte curãdi, in quibus corporibus permulta humorũ copia est, »
ijs vtiles esse purgationes didicisti: priusquam enim redundantem materiam, aut ve »
næ scißione, aut purgatione, quis eduxerit, si calidis fomentis vtens ipsam discute- »
re conetur, plus attrahet quàm per cutẽ euacuabit: sed cuti inhærẽtiũ succorũ cura »
tio, prorsum per discusoria, & calida medicamenta præstatur. Quòd enim. 4. 1. cap.
de cura quartanæ, dixit Auicenna, quòd venæ sectio mouet humores ad exteriora: »
intelligendus est à prima regione, & vijs ductuum, ad vasa, & venas quæ secantur: non autem ad membra externa, & corporis molem. Sic in scabie, & lepra, primitus venam secamus: deinceps purgamus: & vltimo balneis, fotibus, & illitione membrorum vtimur. In quibus, sicut & in variolis, semper æstimamus quantitatem materiæ à vasis expulsæ, & remanentis in vasis ipsis: vbi enim magna eius pars remanet in vasis, exigua verò foris expulsa est, venæ sectio valde conducit, aut expurgatio, pro vt vnam altera magis conuenire conijcimus. Vbi verò maior materiæ pars, iam est expulsa: nec venæ sectio, nec vomitus, nec alui purgatio competũt: vt. 6. Epidem. com. citato scribit Galenus. Contra verò in ictu venenoso, & morsu virulenti alicuius animantis, ad initium nec expurgatio, nec venæ sectio competit: postquã verò venenũ altius ad cor atq; vasa penetrauit, vtraq; euacuatio est
idonea, vt docet Auic. 6. 4. tract. 3. cap. 1. in hac verba. Et ingrediuntur in hoc »
capitulo, phlebotomia, & solutio ventris, & similia. Et conuenientior horarũ phle »
botomiæ est, cum scitur quòd venenum iam sparsum est in corpore. Sic in bubone, »
& parotidibus, venam vtiliter secamus: quantumuis reclamet Cardanus libro de malo medendi vsu, cap. 28. Aliter enim nec natura grauata, humorem ad partem inflammari cœptam, promptè pelleret: nec pars quæ inflammatur, vniuersam materiam caperet: nec si caperet, securè, & citra gangrænæ periculum, tãtus humor in ipsam illaberetur. Nam in variolis, sæpe natura non valet humorem in cutẽ transmittere ante venæ sectionem: venæ sectione verò deonerata transmittit: tuncq́; si parcius quàm oportet sanguis detrahitur, plus humoris in cutim decumbit, quàm cutis ipsa capiat, racematimq́; variolæ sibi ipsis superstant, ita vt rectè suppurari nequeant, atq; in gangrænam, aut fœdam aliquam putredinem, quæ puerum interimit decidant. Si tota ergo cutis, humorem interdum non capit, quomodo totus in parotide, aut bubone, poterit comprehendi? Nec enim valet, quòd sanguinem per cucurbitulas profunda incisione scarificatas, ipsi buboni adhibitas, sanguinem va-
cuandum esse, censeat Cardanus: nam sic (inquit) & conatum naturæ iuuabis, & san »
guinem minues, & materiam ad locum salutarem deriuabis. Non valet (inquam) »
quoniam per huiusmodi cucurbitulas, & scarificationes, non iuuatur motus aliquis naturalis, sed morbosus qui fit in partem inflammari cœptam: nec corporis plenitudo, per exiguas eius partis venas deponitur, sed agitatur, & commouetur: nec scalpello, & cucurbitulis, eò licet humorem deriuare: nisi bubo fortè sit pestilens, in quo etiam venæ sectio ex vena magna, societatem & propinquitatem, cum parte in-

flammata

flammata habente, scarificationibus est præmittenda.

Dictus ergo ordo, seruandus semper est in euacuationibus obeundis, dũ vitiosi humores aliquam ex dictis partibus occupant. Si verò cacochimia in omnes corporis regiones pariter irruat, adsintq́ praui humores, tum in venis cum sanguine, tum in membris extra vasa, tum etiam in prima regione ante iecur: rarò fiet vt cum tanta cacochimia, constent vires ad venæ sectionem. Vtcunq; tamen res habeat, suo ordine sunt regiones mundandæ: venæ meseraicæ per clysteres lenientes, & leuientia pharmaca, quæ diximus: deinceps vasa magna venæ sectione si vires permittunt; sin minus purgatione ex aliquo medicamento valentiori, cuius vis vasa pertingere poßit. Vltimo verò frictionibus, balneis, et illitionibus, aut sudorificis (si opus est medicamentis) corporis moles est emundanda: ne si contrarius ordo seruetur, ex primis venis in maiores, aut ex maioribus in molem corporis traducantur humores, corpusq́ totum inquinent. Quo fit vt non semper vnus in omnibus morbis, sit seruandus ordo venæ sectionis & expurgationis. Quod certè Hippocratem voluisse credimus, dum. 4. lib. de ratione victus in morbis acutis, sentent. 21. morbos quosdam enumerat, in quibus sanguinis mißione ante expurgationem vti debemus: phlegmone nimirum in hypochondrijs, thorace, septo transuerso, & aliarum etiam partium inflammationes. Ad hunc enim modum, morborum qui sanguinis egent mißione, deinde ab ea purgari expostulant catalogum facit, vt scribit in commentario Galenus: quem non esset facturus, si in vniuersum vena semper ante expurgans pharmacum esset secanda. Non tamen credat quispiam huiusmodi catalogum fecisse, quoniam in morbis alijs prius debeamus expurgare, quàm sanguinem mittere: sed quoniam isti qui in Hippocratis catalogo continentur, tanquam grauißimi, & valde vrgentes, non præstant inducias prius expurgandi, nec locum relinquunt alijs indicationibus, quæ antequàm sanguis mittatur expurgandum esse suadent. Accedit & altera ratio, quàm in sequenti sententia Hippocrates exhibet, quòd scilicet inflammationes dictæ, per initia nihil humoris per medicamentum attrahendi, sibi adimi permittunt: quoniam humores ipsi sunt tunc dum cruda est affectio in inflammatione firmati, & à facultate contentrice aprehensi. Prius ergo sanguinis mißione vtemur, quæ per magnas venas, & citra vim vllam humores abducit. Post verò cocto iam morbo, cum retentrix facultas humorem sibi abduci permittit, ad expurgans pharmacum accedemus. Ex his duabus rationibus, prima est efficacior secunda, cum vrgens scilicet valde est morbus: nam quantum ad alteram rationem attinet, in ipso inflammationis initio est tempus aliquod reperire, in quo humores nondum firmati sunt, nec adeo à facultate contentrice apprehensi, vt expurganti medicamento valde plurimum reluctentur. Vnde quarto libro de ratione victus in morbis acutis, commentario septuagesimo sexto, in quibusdam pleuritidibus, prima, secunda, quarta, & quinta die, expurgantia me-
« dicamenta ægris ob id dedisse refert Galenus, in hæc verba. Nam vel statim

ab initio, prius quàm in partem aliquam confirmẽtur humores medicandum, vel postea cum ad maturitatem perducti fuerint. Quàm ob causam & prima interdũ die, & secunda, & quarta, & interdum quinta, medicamenta dedimus: & non in quarta solum, quomodo is dixit. Sic etiã lib. 13. Meth. cap. 11. in principio ophthalmiæ, (antequàm humores in oculis firmentur) expurganti pharmaco fuit vsus Galenus.


Sed si interdum, idq́ non raró, expurganti pharmaco ante venæ sectionem vti debemus: quomodo. 6. lib. Epid. par. 2. com. 29. scripsit Galenus, quòd si vtroq; auxilio opus sit, à venæ sectione incipiendum esse, est quàm notissimum? Dicendũ primo, id verum esse in affectibus partium internarum, vt ex Catalogo Hippocratis constat: & in nephritide de qua sibi tunc erat mentio. Dicendum secundo ex Auicenna, quòd vehemẽtissimum pharmacum (quale est helleborus, aut scamoniũ, aut colocynthis) nõ debet propinari ante venæ sectionem, vbi vtroq; indigemus remedio: quoniam sanguinem superaccendit & agitat: lenientia veró, & mediocriter attrahentia, propinari interdũ debent. Dicendũ tertio, quòd notissimũ est à venæ sectione inchoãdã esse curationẽ (ob octo scilicet rationes supra memoratas) nisi vrgẽtius quid obstet: cacochimia nimirũ primæ, & vltimæ regionis, præsertim autẽ primæ: & imbecillitas virtutis, quæ nequit sanguine detracto, pituitosa, atq; biliosa recrementa ita gubernare, vt non incrudentur illa, & excandescant hæc.

Fac autem erratum esse pharmacũ ebibẽdo vbi præmittenda foret venæ sectio: & venã etiã secãdo vbi purgationẽ præmittere conueniebat. Quid tum faciendum esse consuleres? Respondet Auic. 4. 1. cap. 20. in hæc verba. Et qui ante minutionem præmiserat medicinam, cum minutionem præmittere debebat, postponat minutionem diebus paucis: & cui paruum intercessit spacium ex quo minutus fuit, & euacuatione indiget, medicinam sumere ei est conuenientius. Quibus verbis patet, quòd vbi erratũ est, citius debemus post sanguinis detractionẽ purgare, quàm post purgationẽ sanguinẽ mittere: ob maiorẽ scilicet violẽtiã à pharmaco, quã à venæ sectione naturæ illatã. Nec obstat, quòd Paulus lib. 7. cap. 6. medicamẽto purgãte in corpore existente venam secat. Id enim facit vbi ad pharmacũ assumptum, nulla sequitur purgatio: sed intus ad vasa meauit medicamentum sanguinem accẽdens, & cõmouens, oculos rubefaciens, & emissititios reddens, aliaq́ inferens symptomata, perinde ac in veneno epoto faciendum esse monuimus. Aliter autem venam secare neutiquam liceret, ne duæ euacuationes contrariæ, vno eodemq́ tempore factæ, naturam turbarent, atq; corrumperent. Nam ne sic huiusmodi venæ sectio, periculo vacare potest: fortè enim natura, tardè à medicamento irritata, subductionem tunc cum venam secamus incipiet.

De obseruandis vt iustam quantitatem sanguinis detrahendi præfinias.

CAP. XXIII.

Nihil



NIHIL æque medicam artem in suis actionibus contrectricem efficit, atq; cuiusque remedij quantitas. Quippe cum frequenter exquisitè sciamus, tempus instare exhibendi aut cibi, aut potus, eiusq; aut calidi, aut frigidi: tamen quantum dandum sit, certò haud nouimus. Idem in purgantibus etiam medicamentis vsu venit; nam quòd ægrotanti præbendum sit medicamentum, quod aut bilem flauam, aut atram, aut pituitam, aut serosa excrementa vacuet, exquisitè nouimus: cæterum quantum dari oporteat ignoramus: cū tamen quod ita datum est, correctionem subinde nullam admittat. Nam quod semel in ventre ingestum est medicamentum, quominus totum deuoratum sit fieri non potest: neq; licet, vbi plus iusto iam purgatur homo, partem eius quod oblatum est auferre. At in sanguinis mißione maximum id bonum est, vacuationem vbi voles posse sistere: ac rursus quo vtiq; placuerit tempore, iterum vt fluat permittere, quoad rectè tibi habere videatur. Ne autem in hoc munere obeundo erres, primitus oportet considerare, sanguinis mittendi præcipuos scopos, morbi scilicet vim quæ postulet, & facultatis robur quod consentiat. His enim auctis maior indicatur vacuatio, imminutis verò tantundem de quantitatis vacuatione detrahendum, quantum illi fuerint imminuti, vt libro de Sanguinis mißione cap. 12. & 18. Gal. est autor. Deinceps naturale temperamentum est considerandum: quippe frigidi qui angustas venas habent, & exigui sunt sanguinis, nec longam inediam, nec largam sanguinis detractionem tolerant. Calidi verò quibus latæ sunt venæ, & sanguinis vberiorem copiam habent, citra noxam cibo abstinent, & sanguinis mißionem facilè ferunt, vt. 2. de Temper. cap. 5. Galenus est autor. Quòd si calidum simul ac humidum sit hominis temperamentum (quale in natura sanguinea reperitur) sanguinis detractionem bellißimè sustinebit, vt Auicenna autor est, quarta primi, tractatu primo, capite tertio, vbi ita habet. "In calida autem & humida, facilè faciemus illud, & "fortiter. Et libro de Sanguinis mißione, capite decimotertio Galenus, venam secare permittit statim post decimumquartum annum, si pueri natura fuerit sanguinea, & reliqua etiam attestentur sanguini. Nec obstat, quòd molles, & qui tenerā habent carnem, & facilè diffluentem, sint minus vacuandi: libro de Sanguinis mißione, & primo libro de arte curatiua ad Glauconem, & primo etiam libro de ratione victus in morbis acutis, com. 44. autore Galeno. Non obstat (inquam) nam sanguinei solidam, ac maximè succulentam carnem habent, caloris enim ratione solidescit & cogitur. Qui verò humidi sunt, aut sine caloris excessu, aut cum manifesta frigiditate, teneri sunt, molles, ac albi, angustarū venarū pauci sanguinis, & eorū substantia promptè digeritur, & innatū ipsorū calidū extinguitur defectu caloris: cuius est humiditatē gubernare, mēbra solidiora reddere, colorē ab albo immutare, vasa extēdere, & ampla facere, atq; copiosū alimētū in multū sanguinē mutare. Calidi verò natura & sicci (quales biliosi sunt) facilè ab integris euacuationibus

offenduntur, primo libro de arte curatiua ad Glauconem, cap. 12. autore Galeno. Quoniam scilicet paucum sanguinem habent, & bilem plurimam: quæ tum excandescere, tum ad os ventris in talibus fluere solet, vt Fusius cap. 17. huius tractationis, dictum à nobis est. Et quanquam istis corporibus, aduersissima res sit inedia 8. lib. Methodi, autore Galeno: est tamen ipsis magis aduersa venæ sectio, ob causas dictas. Nam 1. ad Glauconem, cap. 12. à venæ sectione abstinens in dictis corporibus, iubet paulatim euacuare inedijs moderatis: quare magis fuit veritus venæ sectionem, quàm inediam. Sed quomodo si calidi & sicci, amplas venas habēt, (vt secundo libro de Temperamentis, capite quinto, & septimo, Galenus est autor) & venarum amplitudo sanguinem liberalius detrahendum esse suadet: parcius nunc detrahendum esse monemus? Cui sanè dicendum primo est, quòd si vasa angusta sint, multum ipsa sanguinem capere non possunt: & ob id parcius detrahere conuenit. Si ampla verò, licet multum capiant, non continent necessariò multū: fit enim interdum, vt cum sanguine pauco, reperiatur bilis ingēs multitudo: in corpore scilicet admodum bilioso. In quo statu, si multum detrahas, impense lædes. Dicendum etiam secundo est, quòd ampla vasa, semper indicant obeundem esse copiosiorem vacuationem: vincitur tamen interdum hæc indicatio, ab alijs quæ parciorem fieri suadent.

Frigidi atque humidi, quales pituitosi sunt, quanquam inediam facile ferant, & omnium minimè ab ea lædantur; octauo libro Methodi ad finem, autore Galeno: sanguinis detractionem parum amant. Nam ex inedia, pituitæ coquuntur, & in sanguinem transeunt: atq; natiuus calor sopitus excitatur, & alacrior redditur. Ex sanguinis verò detractione, corpus suapte sponte frigidum, magis perfrigeratur, pituitæ redduntur crudiores, & minimè coquuntur. Hinc mali corporis habitus, hydropæ, orthomneæ, & alia infinita propemodū mala exoriūtur. Frigidi atq; sicci quales melāncholici sunt, ex inedia læduntur pessimè: adeo enim tardè reficiuntur, vt nisi longo tempore redire ad naturam, qui ea sunt intemperie non possint, octauo libro Methodi ad finem, autore Galeno. Ex sanguinis quoque detractione malè habent: nam angustarū venarum, & pauci sanguinis sunt, tardéque reficiuntur. Minus tamen ex ea, quàm pituitosi læduntur, Primo, quoniam minus euaporatur siccum, quàm humidum temperamentum. Secundo, quoniam periculum cruditatis, maius est in pituita, quàm in melāncholia, quæ est magis excocta. Tertio, quoniam melancholia promptè cum sanguine educitur, quoniam eiusdem est fex & turbulentia: & quoniam licet crassus sit humor, viscidus non est, vt pituita. Quarto, quoniam in copia crudorum, raro, cautè, & non sine timore, mittunt sanguinem autores: in copia verò melancholiæ audacius. Quòd voluit Aui. 4. 1. cap. 20. his verbis. Et debes scire, quòd non quotiēs nominata signa repletionis apparuerint, oportet vt minuas: immò quādoq; est repletio ex humoribus crudis, & est tūc phlebotomia multū impediēs: quoniā si minueris nō maturabis eos, et timebitur ne æger perdatur: non

" non autem est inconueniens, vt ille in quo melancholia superabundat, minuatur: po-
" stea medicina solutiua euacuetur. Et libro de sanguinis missione, capite decimo,
" ita scribit Galenus. At qui in melancholica nominata redundantia, sanguinem
" mittere præstat, aut omnino medicamento nigros humores purgante vti: crudis au-
" tem humoribus abundantibus, antequam ægrotare inceperint caute vacuabis, vbi
" verò iam febricitant, vt antea dixi nequaquam. Et libro quinto de locis, capite sex
" to, inquit. Vbi vniuersum corpus sanguinem melancholicum continet, curationem
" à venæ sectione incipere oportet. Vbi verò cerebrum duntaxat infirmius, quòd ad
" hũc affectũ attinet, sanguinis detractione nõ indiget. Ex quibus planè cõstat, in co-
" pia melancholiæ, non tantum esse verẽdam sanguinis detractionem, ac in copia crudorum, & pituitæ: & ex consequenti melãcholicis minus obest, quàm pituitosis sanguinis detractio. Patet etiam quantum sit necessarium, hominis temperamentum nosse, vt detrahendi sanguinis iustam quantitatem præfinias.

Tertia consideratio, quanquam & hæc ad temperamentum reduci potest, ex habitu corporis desumitur. Molles, teneri, cãdidi, pallidi, raram habentes cutem (præsertim si cum tenuitate humorum iungatur raritas. 2. Aphorism. comment. 28. autore Galeno) angusta vasa obtinentes, obesi, macilenti, eunuchi, parcissimè sunt phlebothomandi: sunt enim hi omnes pauci sanguinis, & qui promptè digeruntur, & reficiuntur difficilè. Contra verò duram carnem habentes, cutem densam, crassos humores, ampla vasa, mediocrem gracilitatem, minimè album colorem, sed rubescentem: quiq; testibus orbati non sunt, extremas vacuationes tolerare possunt.

Quarta obseruatio, vt in mensura detrahẽdi sanguinis non erres, ex ætate ægrotantis sumitur: neq; enim pueri, neq; seniores integram vacuationem ferunt, Galeno autore primo ad Glauconem, cap. 12. Intermediæ ætates, integras vacuationes admittunt: adolescentes minus, nam pluri sanguine indigent pro nutritione & cremento: iuuenes magis, nam solidiori constant carne, & iam augeri desiuerunt. Inclinantes verò maximè omniũ sunt vacuãdi, nã nec augentur, nec molli carne constãt, nec vires habent inualidas, nec tanto sanguine opus habent vt iuuenes (quoniã eorum habitus ad frigidiorem naturam cœpit mutari, lib. de ratione victus priuatorum, comment. 7. autore Hippocrate) nec periculum est in ipsis de excandescentia bilis, vt in iuuenibus: nec de cruditate pituitæ, vt in senibus. Vnde in ferẽda inedia Galenus (.1. lib. de ratione victus in morbis acutis) puero non obiecit iuuenem, sed quadragenarium: quoniam hic vacuationi, & inediæ ferendæ, magis erat idoneus. Decrepiti omnem euacuationem recusant: primi senes, mediocres venæ sectiones admittunt: seniores, cautius sunt tractandi: sunt enim quidam qui sexagesimo ætatis suæ anno, sanguinis missionẽ nõ ferãt, & alij qui septuagesimo ferũt, libro de sanguinis missione cap. 13. autore Galeno. Et sunt quidã apud Auerrhoëm septimo colliget, qui vsque ad octoaginta annos tolerant phlebotomiam. Et memini me vidisse Ferrariæ (dum ibi agerẽ) quendã Ramirum nomine, qui nonaginta

annos nactus, frequēti venæ sectione, ab scabie & pustulis rubris, quibus per interualla scatebat liberabatur. Erat autē hic musculosus, et in omni actione firmus. Ex exemplis autem, ea censuit Galenus esse præstantissima, quæ vnusquisq; nostrum oculis vsurpauit.

Quinta ex consuetudine summitur obseruatio, nam qui soliti sunt vacuari, facile tolerant vacuationem. Non modò autem per consuetudinem euacuationum, cōparatur in nobis tolerātia, sed & indigētia. Apertè enim læduntur, & graues morbos incurrūt soliti vacuari, si nō vacuentur largius quā insoliti: quātūuis garriant scioli quidam, existimantes hanc opinionem esse vulgarem, & medicis indignam. Neq; hac in parte Galenus ad finē libri de assuetudinibus, philosophū magis, quā medicum agens: rectè mihi sapere est visus. Ad hunc enim scribit modum. Mihi au- »
tem non videtur, corpora propter consuetudinem, indigere huiusmodi euacuationi- »
bus, sed propter quam causam indiguerunt prima euacuatione, vel natura operāte »
eam, vel aliquo homine secundum æstimationem medicinalem: ita rursus & pluries »
indigere ipsa in eisdem. Quidam enim prauis diætationibus, quidam autem propter »
præparationem prauam corporis, aceruantes sanguinis multitudinem, vel cacochi- »
miā, à prædictis euacuationibus iuuātur: natura, vel aliquo medico, quod superfluū »
effundente, antequam egrotet homo. Quibusdam autem ægrotantibus, crisi in hu- »
iusmodi excretionibus, ægritudinis sanatio facta est. Quidam autem à medicis cu- »
rati sunt similibus auxilijs vsi. Deinde post capti simili ægritudine, curatiq; per »
eandem, si vtique aliquando rursus eis, vel totius corporis grauitas, vel capitis so- »
lius inæqualitas aliqua, vel quid eorum quæ præternaturam aliud superappareat, »
communicantes medicis, propter ipsam dubitare aiunt capi eisdem ægritudinibus, »
quibus antea capti fuerunt, præcedentibus similibus sympthomatibus: deinde anti- »
cipantes, vel per purgationem aliquam, vel per sanguinis ablationem, effugere ex- »
pectatam ægritudinem, paratius ad idem accedunt auxilium, cum senserint aliquod »
simile sympthoma, post aliquādo incidens eis. Quidam autem & antequam sentiāt, »
terminum præuidētes temporis, secundum quod in determinata periodo talium pas- »
si sunt quid, euacuari anticipant: nominantq; præseruatiuam euacuationē in assue- »
tudine factam eis: nec vllam alterationem corporis ex huiusmodi euacuationibus »
accipientes, qualem monstrati sunt accipere in antedictis: sed ab eadem causa eadē »
patientes. Si igitur mutauerint diætam, paucioribus cibis vtentes, addentes autem »
exercitijs, inægrotabiles perdurant, ex assuetudinum alteratione iuuati, non quem- »
admodum dicti prius nociti. Nō enim assuetudinis ratione, per euacuationes contin- »
gebat iuuari eos, sed in praua diæta cacochimiam, & multitudinem aceruātes. Ex »
quibus planè Galeni verbis, fit manifestum: quòd consuetudo euacuationis, nō poscit vacuationem, vt causa quæ id suadeat: quanquam vt signum, monstret corpus solitum esse repleri: & ideo opus sibi fore vacuationē, aut victu tenuiore, aut exercitio abundantiore: nam & his duobus sine vacuatione superuacuum demetur.

Quæ

Quæ tamen (me iudice) sententia, repugnat experimentis, rationi, & ipsi etiam Galeno sæpe albi. Nam libro tredecimo Methodi ad medium, inter indicationes vacuationis, recenset consuetudinem, tanquam præscribentem quantitatem. Sunt autem hæc eius verba. Modum verò vacuationis, tum ex redundantiæ modo, tum ex reliquis quæ in superioribus diximus inuenies: ætate, natura, tempore anni, regione, consuetudine, tum ante hæc, ipsa laborantis virtute. Tertio præterea libro Aph. com. 15. veretur ex crebra purgatione in prauã consuetudinẽ incidere: ita enim scribit. Si verò quispiã voluerit, bis in mẽse, aut semel saltem purgatione vti, veritus ne superfluitatum multitudo aggregetur: præter id quòd nocebit, corpora etiam in malam trahet consuetudinem. In fistula insuper antiqua quæ diu manauit, aut diuturnis hæmorrhoidibus curandis si μία idest vna (frustra enim eam dictionem demit Aëtius libro. 14. cap. 5.) non seruetur, periculum est extinctionis calidi innati, tabis, hydropæ, morbi lateralis, pulmoniæ, phagedænæ, terebinthi, atq; similium morborũ, vt. 6. lib. Apho. com. 12. & 6. lib. Epid. par. 3. com. 37. 38. & 39. autor est Galenus. Vt quid ergo nõ est par periculum per recentes hæmorrhoidas: si diuturnitas non poscit magis, quàm nouitas seruandas esse apertas? nõ credo dices hic diuturnitatem permittere & nõ poscere. Homo præterea temperatus qui assueuit balneo, ex balnei omissione febricitat, qui tamen ante assuetudinẽ non ægrotabat. Quin nec ipsa corpora intemperata, ex balnei omissione læduntur, si balneis nõ assuescãt prius. Cum tñ assueti, sint rariores insuetis, & magis difflentur quàm ipsi. Petit ergo balnei consuetudo balneari, & consuetudo exercitij exercitari, & consuetudo hæmorrhoidarum, ipsas apertas seruari, & consuetudo clysterum, clysteres infundi. Reddit enim huiusmodi consuetudo, naturam oblitam operis exercendi: vt quotidiano constat experimento, & notat Auicen. 4. 1. cap. 5. Quare per frequentationem clysterum, non modò comparatur nobis tolerantia, sed etiam indigentia eorundem. An si in vno das, negabis in alio? cur assuetudo balnei, exercitij, clysterum, fistulæ, aut hæmorrhoidis, postulat, balneum, exercitium, & clysteres esse adhibendos, fistulam & hæmorrhoidam seruandas: assuetudo verò venæ sectionis, aut expurgationis, non indicabit similiter? Vis in sanguinis missione rationem ab ipsa experientia, & natura desumptam tibi exponam? Audi. Natura nostra ex se, mediocri alimento est contenta: fit tamen interdum ex praua consuetudine vorax, & post conquisitam voracitatem, mediocri illa mensura priori non satiatur, sed plura poscit alimenta: vt in athletis antiquorum, & in nostri temporis heluonibus, qui quanuis expleri, saturari tamen vix posse cõperies. Contra si parcissimæ vitæ assuescat homo, paulatim discit eius natura, exiguo admodũ cibo saturari: & mediocre illud, quod prius fuerat naturale, nõ fert sibi exhiberi, sine ructu, fluctuatione, ac demum sine morbo. Quod in religiosis plurimũ ieiunare assuetis aduertes. Porrò quod vẽtriculo contingit ex cibis, id reliquis mẽbris ex sanguine contingere puta. Nam si membra corporis assueuerunt

plurimo sanguine nutriri, plurimo indigēt: nec sibi sufficiet mediocre. Si vero assue uerūt propter frequentes venæ sectiones pauco sanguine saturari, vbi plus aliquid creuit is, inutilis sarcina redditur, quæ vacuari postulat. Et certè nihil dissimile habet, si nō assuetus cenare cenet, aut si assuetus vacuari non vacuetur: vteruis enim necessariò læditur, quia pluri alimento vtitur, quàm sua consuetudo ferat. Vides quomodo consuetudo vacuandi, non modò comparet nobis tolerantiam, verum etiā indigentiam euacuationis. Et profectò si pluri alimento assueuisse, comparat membris pluris sanguinis indigentiā: non est cur sanguinem sæpius detraxisse, non comparet eisdem, sanguinis sibi detrahēdi necessitatē. Sed hæc de re proposita sint satis, abundè enim libro de Temperamentis, diximus quid sit consuetudo: & quòd nec sit dispositio ad naturam, nec habitus: & quòd omnes nostri corporis facultates, tam naturales, quàm arbitrariæ, assuescant, & quomodo.

Sexto, est aëris nos ambientis qualitas obseruanda. Nam (vt autor est Gal. lib. de sanguinis missione, cap. 14.) duo sunt propter quæ quantitas vacuationis maximè coniecturalis efficitur: laborantis nimirum natura, & ambientis temperamentum. Qualis autē sit ægrotātis natura, nemo exquisitè scire potest: sicut nec aëris tēperamentum à vena secta, quale sit futurum dignoscere possumus: in horas enim singulas, interdum aër mutatur, fitque interdum æstuosissimus, aliás verò alget: in illo sanguis, atq; spiritus, deficit & exoluitur: in hoc verò perfrigeratur, & extinguitur. Quare tam calor, quàm frigus continentis, de sanguinis extrahendi quantitate detrahit: alia tamen atq; alia ratione, vt libro de sang. miss. cap. 6. & cap. 14 scribit Gal. Impares autē vires, calor, & frigus, impediēdi vacuationē sortiuntur: nā calor quiuis continentis, etiam si non sit immodicus, de vacuatione tantum detrahit, quantum inanit: inanit autē semper pro sui mēsura. Frigus verò, si nō sit immodicum, non modò sanguinis missionem non dehortatur, verum & eandem largiorē fieri poscit: quoniam retinet & sanguinem dissolui prohibet. Hinc. Gal. 9. Methodi ad medium, frigiditatem & humiditatem continentis, vacuationem indicare tradit. Intelligendæ sunt autem hæ qualitates non immodicæ: quæ scilicet dissolutioni resistant, & corpus perfrigerare non valeant, vnde. 1. lib. de ratione victus in acutis, com. 44. inter indicationes inediæ ferendæ, memorat hyemem non admodum frigidam: quæ scilicet temperatam, tum frigiditatem, tum humiditatem obtineat: cuiusmodi nobis semper est hyems, nunquam enim per eam valde rigemus, sicut Galli atq; Germani. Ob idque intrepidè per hyemem, sanguinem nostris ægris detrahimus: quanquam sint inter nos plurimi, qui hæc minus intelligētes, hoc tempus caueant maximè. Sed iam hic de ambientis humiditate dubitabit quispiam, nam si ea corpus humectat, & corpus humidum prohibet vacuationē, quoniam dissolubile reddit ipsum: vt quid humiditas hyemis temperata, vacuationem poscit? Huic sanè dicendum, quòd vnius tēpestatis humiditas, non sufficit mutare corpus ad humidū, ob tarditatē suæ actionis: præsertim in solidis, quorum mutatio sola, est

potis

pòtis impedire vacuationẽ. Sed si non impedit, cur hortabitur? Responde ex Gal. 1. lib. Epid. temp. 2. com. 7. id fieri quoniam humiditas aëris, nõ modò non remouet à corpore quicquam, verum etiam adijcit. Non enim remouet, quoniam membra solida dissolutioni non reddit opportuniora, vt diximus: adijcit verò humoribus, & plenitudini, humectando: sicut siccitas exsiccando inanit. Reliqua de hoc proposito dicta à nobis sunt cap. 13. huius tractationis.

Obseruare præterea vniuersam victus rationem anteactam oportet, nam si parum ante morbum, curis, vigilijs, laboribus, venere, cibi parcitate, aut quouis tali, emarcuit æger, minus detrahere conuenit. Contra verò si otio, somno, continentia, & cibis multi nutrimenti, fuerit vsus, audacius sanguinem mittere oportet. Hinc
" Auicenna. 4. 1. cap. 3. sic scribit. Et oportet ne illum euacuare sis ausus, qui ex con
" suetudine parum comedit, quandiu ab eius euacuatione abstinere poteris. Intelligendus est autem hic Auicennæ locus, si perseuerauerit æger in sua consuetudine. Nam si assuetus parcitati, parũ ante morbũ ab ea desciuerit, cibisq́ multi nutrimẽti, carne scilicet, ouis, et vino, se impleuerit: multò audacius ei sanguinẽ detrahes, quàm si liberalius educatus fuisset antea. Quòd enim præter cõsuetudinem vltimo additum est, id superabũdat prorsus, & vacuari postulat. Vnde Gal. 1. de ratione victus in acutis. com. 44. hominẽ fingens inediæ ferẽdæ aptissimũ: statuit ægrũ cibis nõ multis assuetũ, & ciborũ multi nutrimẽti varietate abusum. Cõtra verò ineptissimũ describit, multis cibis assuetum, qui præter consuetudinem, pauca oleracea & quæ parum nutriunt esitauerit. Qui ergo assueuit vitæ parcissimæ, & suã assuetudinem non violat, parcè est vacuandus: quoniam nec validas habet vires, nec plurima excrementa in eo redundant. Si verò præter consuetudinem, ante morbũ impleatur, largius est vacuandus: nam omne quod additum est redundat, & vires parcitati assuetæ, vacuationem ob assuetudinem parcitatis non malè tolerabunt. Non modo autem anteactam vitam considerare oportet, sed eam quæ nunc agitur in morbo: curæ enim, vigiliæ, tristitiæ, inedia, ambiens calidum & siccum, sensiles euacuationes: sanguinis scilicet copiosum profluuium, sudores plurimi, vrina, vo-
" mitus, aut alui excretio superfluens, citò corpus extenuãt. Sic & plures motiones,
" sed hæ raro febricitantibus adsunt, nã magna ex parte iacent quiescentes. Verum
" aliquando contingit moueri aliquos, qui in itinere cœperint febricitare, vel vrgẽte
" necessitate, vel studio domum reuisendi. Sed ex delirio quidam ægroti iugiter se at
" tollentes, vel iacentes quidem, sed continuo partem aliquam corporis commouẽtes,
" aut etiam delira loquentes, intra paucos dies extenuantur. vt scribit Gal. 2. Aph. com. 28. Ob idq́ rectè à medicinæ autoribus consulitur, phreniticis minus quã oporteat sanguinis detrahendum fore: ob plurimam quæ in ipsis, ex vehementi motu cõtingit dissipationem. Minus quoque in reliquis omnibus, quæ virtutem exsoluere diximus, detrahere conuenit. Sicut & in accidentibus quæ post venam sectam relinquuntur, id perinde facere consuluit Gal. 1. lib. ad Glauconem, cap. 12. in dolore

scilicet, vigilia, conulsione, & alui profluuio, minus enim in his detrahere iubet, quàm aut morbus postulet, aut præsens vis ferat, vt vires seruentur, quæ hæc in posterum debent perferre. Os quoq; ventris considerandum est, quibus enim amara abundat bile, aut imbecillum est, aut valde sensile, parcius conuenit detrahere ob impendentem syncopam, nono libro Methodi autore Galeno: quibus verò firmum est, nec amarulentum, nec plurimi sensus, audacius.

Febris præterea diturnitas, ex ijs est quæ corpus extenuant, & parciorem ob id vacuationem fieri suadet, vt virtus longiori tempore sufficiat. Ipsius insuper febris acumen, & magnitudo validè dissipans, non modò iustam sanguinis quantitatem detrahere impedit: verum & vires debere firmari ventriculo idoneis alimentis indicat. 1. lib. Prog. com. 8. autore Gal. Tales autem sunt causi quidam, qui primis statim diebus, vultum exitiosum (qualis ab Hippocrate pingitur) reddunt. De quibus Auic. 4. 1. cap. 20. ita scripsit. In febribus autem à minutione cauendum „ est, scilicet in his quæ vehementis sunt calefactionis & inflammationis. Et paucis „ interpositis rursus scribit. Et si vrina fuerit subtilis, aut ignea, aut facies à princi- „ pio ægritudinis fuerit tornatilis, caue tibi à phlebothomia. Hæc autem latius fuimus prosequuti, capite decimoseptimo huius tractationis, quo lector recurrat.

Quod antiqui copiosus vacuabant quam nos, *quoniam robustiores homines ætas illa ferebat.* *CAP. XXIIII.*



Ntiqui multo copiosius quàm nos sanguinẽ mittebant: nã Galenus libro de sanguinis missione, cap. 12. libras sex sanguinis suis ægris detrahebat: nemo verò nostrũ tã audax est, vt dimidiũ subtrahat. Et eodem libro, cap. 14 memorat adeo aduersam quibusdam venæ sectionem esse, vt vix libram cum dimidia, sine detrimento tolerare possint. Ex quo patet, quod ea erat suo tempore quantitas valde exigua, cum nobis ferè sit maxima. Et eodem capite scribit. Quòd quantitas quæ effluere potest ex venis pedum, aut ex eis quæ in summa manu inciduntur, non est effatu digna: cum tamen nos ex istiusmodi venis, integras sanguinis detractiones faciamus. Fit ergo è duobus vnum, aut quòd venæ illæ plus sanguinis nobis, quàm antiquis concedãt, aut quòd quæ illis non erat effatu digna, nobis sit maxima vacuatio. Cuius certè causa est, quòd natura nostra imbecillior semper fit, & minora detrimenta ferre, quàm Galeni tẽpore potest: sicut & Galeni tempore imbecillior erat, quàm viuente Hippocrate, & afflictationibus ab belleboro inductis, nõ adeo resistebat, vt ipse scribit. Ob id enim nec febre vacuis, audet ipsum propinare 2. lib. de Fracturis, com. 27. & 29. Accessit labanti naturæ, maior nostri temporis victus incontinentia, & imminutum exercitium, quæ vires eneruant,

eneruant,ſicut contraria roborant. Nam & ob id eunuchi, & mulieres menſtruantes,quæ tempore Hippocratis non podagrizabant: Galeni tempore podagra laborarunt. Et pueri quos Galenus non vidit podagra correptos, nobis non raro ſunt viſi grauiter eo morbo detineri. Adde quòd cum ſimus in quos fines ſeculi deuenerunt,iuxta beatum Apoſtolum:elementa & miſta quæ nos alunt,minus virium habent. Non parum ad hanc rem facit,quòd noſtro æuo, ante iuſtam ætatem gignunt homines, & imbecilliores ob id ſemper creantur poſteri. Antiquis verò iuſtum tēpus erat,in viris triceſimus quintus annus, & in fœminis decimus octauus, vt autor eſt Ariſt.7.lib.Politicorum ad finem:qua ætate vegetiores, & firmiores fœtus prodyſſe, veriſimile eſt, & comprobatum multis hiſtoryjs, ac teſtimonio viſus in ſepulchris antiquorū: in quibus ex oſſium magnitudine apertè intelligimus,illorum corpora fuiſſe longè maiora noſtris. Hinc ſex librarum ſanguinis detractionem, vaſtiſſima illa corpora tolerabant, libro de ſanguinis miſſione citato: & inediam quadraginta dierum,apud Hipp.2.lib.de Fract.ſent.49: & hellebori afflictationes.2.de ratione victus in morbis acutis,com.12. & 2.lib.de Fract citato: & frequentem vacuationem ad ſyncopin,1.Apho.com.23. nam frequenter incidūt tres caſus,ibi memorati à Galeno: & detractionē ſanguinis donec color ipſius mutetur, 2.lib.acutorum,com.11. Quæ omnia, aut plura,noſtro tempore, viribus iam magis deiectis, raro vacāt ſuſpicione. Et quāquam interdum caſus ferat, in validiſſimo homine,maximo morbo prehenſo,horum quædam debere adhiberi: perrariſſimum id eſt.

An ad animi deliquium, vacuare aliquando *conueniat. Et quot ſint imbecillitatis cordis differentiæ & cauſæ.* C A P. X X V.



INter cordis incommoda, eiuſdem generis ſunt exolutio, animi deliquium,tremulus cordis motus, & ſyncope:ſola maioris, atque minoris ratione diſtantia. Exolutio enim(quàm ἔκλυσιν vocant Græci)cordis quædam eſt imbecillitas,qua ſenſus perturbari, & membra relaxari apparent,ſenſus & motus parte aliqua ſeruata. Animi deliquium(quod λειποθυμίαν & λειποψυχίαν appellāt) maior imbecillitas eſt: ſenſu ſcilicet & motu hominem priuans,robur pulſuum, & magnitudinem minuens,per quam omnino non ſudant, vt ſcribit Aëtius, libro.5. capite.96. & capite.101. Errant enim valde, qui exolutionem ab animi deliquio non ſeparant,nam diuerſa eſſe cenſuit Hipp.7.lib.Aphor.ſent.8. Errant quoq; qui inter λειποθυμίαν, & λειποψυχίαν,diſcrimen ſtatuunt. Hippocrates enim quandoq; vno, interdū altero nomine,eundē affectū intellexit, vt patet legenti vigeſimum tertiū Aphoriſmū primi libri, & octauū ſeptimi. Nec minus apud Galenum

confundi

confundi, fit manifestū, 1. de arte curatiua ad Glauconē, vbi verbo λειποψυχία vtitur, & lib. 12. Methodi, vbi vtitur λειποψυχία, eandem vtrobiq; rem intelligens. Per has autem duas affectiones (exolutionem scilicet, & animi deliquium) magis patitur vis animalis, quàm vitalis. Cor enim, ceu imperās, atq; gubernans, suæ imbecillitatis conscius, retrahit ad se spiritus ex vniuerso corpore, & organis sensuū, adeo vt in exolutione, sensus & motus perturbentur, & in deliquio, deficiant. Per spiritus verò attractos, cor sibi suppetias tulit, & non æquè proinde fuit læsum: quāuis sua fuerit læsio prior, vt voluit Auic. 11. 3. tract. 1. cap. 2. in fine, vbi ita scribit. Et quando accidit humoribus diminutio ex quantitate necessaria, primum nocumentum illius est in corde, quare alteratur complexio eius. Tertius affectus ex memoratis, tremulus cordis motus erat: qui ex maioris facultatis imbecillitate prodit. Nimis enim imbecilla facultas, loco pulsationis palpitat, & tremit, sicut & pulsus eadem ratione caprizat: cuius certè causa est, quòd imbecillitatis causam, (ingentem scilicet intemperiem, malignum humorem, aut tetrum vaporem) cor ipsum anxiè conatur excutere: cumq; sit imbecille redditum, motum edit qui palpitationi est similis, vt in maximo vitalis facultatis incendio, notauit Gal. 4. Aphor. com. 65. & in eo, cui dum exolueretur, cor fortiter palpitabat. 2. Aphor. com. 41. Hic motus tremulus cordis quando superfluit, permutatur ad syncopin, & etiam ad mortem, autore Gal. 2. lib. Aphor. com. 41. & Auicenna. 11. 3. tract. 2. cap. 1. Fit enim syncope, ex maxima cordis imbecillitate raptim eueniente: nam si sensim eueniat, syncope non fit: qui enim paulatim moriuntur, non syncopizant. Vnde Galenus. 12. lib. Meth. Syncope (inquit) est præceps virium lapsus. Et Paulus lib. 3. cap. 34. dixit eam esse confertim, seu simul totum viriū collapsum. Ob idq; à Græcis συγκοπὴ nominatur à verbo συγκόπτω latine ferio, verbero, seu cōcido, deriuatum: ita vt nobis significet, non modò defectum aliquem animi, sed eius simultaneā concisionem. Sunt enim omnes morbi cordis, si ad morbos reliquorum membrorum comparētur, sæuissimi: syncope verò, inter cordis morbos acutissimus est. 2. Apho. com. 41. autore Galeno. Statim enim per eam, omnes corporis vires vitales, animales, & naturales concidunt. Nam vt autor est Gal. 5. lib. de locis affectis, omnia nostri corporis mēbra, peculiari cordis tēperie seruātur, & actiones suas obeūt: & ea deficiente, tū ipsa, tū suæ actiones deficiūt. Cum ergo per hūc affectū, cor maximè patiatur, & omnium spirituum raptum ad se faciat: nihil mirum si alia omnia destituantur, & concidant. Hinc syncope prehensi, pulsu carent, aut paruissimos, imbecillimos, & ex longis interuallis edunt, virtute vitali concisa: sine sensu & motu iacent, adeo vt vix spiritu tersum speculum maculent, animali facultate ferè demortua: frigido quodam sudore (syncoptico appellato) respersi sunt, naturali virtute alimentum, & roridam humiditatem, nec calfacere, neq; continere valēte. Vnde Galenus. 12. Methodi in fine, iuuenem ex æruginosa bile, os ventriculi mordente, conuulsum & syncopizantem pingens, cum conuulsione (inquit) & syncope

etiam

etiam guttæ quædam frigidæ, & pulsus in summo gradu parui erant. Aëtius præterea loco superius citato, quomodo animi deliquium, & syncope differant ostendens, ita scribit. Animi deliquiũ de repẽte incidit, sensu & motu hominẽ priuans: & omnino non sudant. Syncope verò, & vigilantes, & dormientes inuadit: & omnino cum sudoribus qui συγκοπτικοὶ appellari solent. Cuius certè causa est, quòd naturalis facultas, cum crassior sit ipsa, & crassiorem materiam tractet: posterius quàm animalis trahitur in consensum. Et ob id imbecillitas quæ animi deliquiũ pa rit, sensum, & motum adimens: frigidos sudores non inuehit, donec aucta syncopam adducat. Est ergo prima imbecillitas cordis, exolutio: per quã sensus & motus voluntarij perturbantur, & pulsus aut perstant integri, aut parum admodum mutantur. Appellatur autẽ nobis patrio nomine, huiusmodi imbecillitas, Abilamiẽto. Secunda imbecillitas est deliquium, per quod pulsuum robur, ac magnitudo minuitur, motus & sensus priuantur, & non fit sudor: facies tamen est mortuo similis. Tertia imbecillitas, est tremulus motus cordis, per quẽ cor & arteriæ adeò palpitãt, vt ægrotantes ipsi (etiam sine manus appositione ad locum cordis) saltum percipiant. Cuiusmodi pulsum, ab externa causa experiuntur, qui subitò verecundantur, aut horrent. Omnium vltima est animi concisio: quoniam vt tres aliæ antecedũt eam, ita & mors sequitur eandem. Quòd exolutio, & palpitatio, antecedant syncopin, constat ex Gal. 2. lib. Aphorism. com. 41. Quòd verò animi deliquium antecedere soleat eãdem, ipse scripsit clarè Galenus, lib. 12. Methodi ad medium, & 1. lib. de arte curatiua ad Glauconem, cap. 12. Quòd item syncopin ipsam, frequenter excipiat mors: nec est rarum, nec admodum difficile.

Harum imbecillitatum causæ, quanuis multæ esse possint, omnes tamen aut cordis spiritus, aut solidum eius corpus offendunt: nam in his duobus, virium quibus regitur corpus, essentia consistit 12. lib. Methodi, autore Galeno. Atq; vt eorum substantia, certa esse & quantitate & qualitate desiderat, vt integrum seruetur animal: ita si iustam aut quantitatem, aut qualitatem non seruet, redditur imbecillum. Tam solidorum autem, quàm spirituum tẽperies, offenditur ex primis qualitatibus, incalescẽs, frigescens, humidior, aut siccior reddita. Offenditur quoq; praua qualitate, aut quæ ex vitiosis prouenit succis, aut ex ambientis aëris malitia, qui aliâs alia de causa in hãc est mutatus: vtpote ex metallis, caminis, aut barathris: aut ex leguminum putredine, olerum, vel animalium, aut si halitum ex stagnis, vel paludibus, vel fluminibus recipiat: itẽ ex venenatis facultatibus, aut animalium quæ virus deiectant venenis. Solidorum verò quantitas, dissipatur in longissimis morbis, præ nutritionis defectu: & in febribus acutis quæ corpus colliquant. Spiritus resoluuntur, ab animi accidentibus, ingenti dolore, pluribus motibus (cuius generis & vigiliæ sunt) ab immodica ipsorum tenuitate, & corporis raritudine: tum verò ante hæc omnia, ex ipso respiratu prohibito, & nutrimenti defectu. Inter omnia verò quæ spiritus exhauriũt, primas tenẽt superfluæ vacuationes subitò factæ,

siue

siue à natura, siue ab arte fiant. Unde. 6. Aph. sent. 27. ita scribit Hipp. Quicunq; suppurati, aut hydropici vrũtur, pure aut aqua vniuersim fluẽte, omnino intereũt. Et in cõmentario Galenus. Videmus (inquit) & in alijs partibus æque atq; in thorace, quãdo aliquis magnus tumor suppuratur, periculosum esse subitò multũ euacuare, cũ euestigio deficiat anima, viresq; concidãt, nec postea debilitas ista facile remediũ habeat. Videtur itaq; in his propter magnã vulneris distantiã, & puris acrimoniam, ora quorundã vasorũ arteriosorũ adaperiri, quæ prius veluti quoddã operculum pus continebant: quo vniuersim euacuato, multi cũ eo spiritus exeunt, atq; excernuntur: vnde periclitantur. Adde rationem, quod præter hæc arteriarum ora, nulla in nostro corpore est pars, vacuitas, aut excrementum, quod spiritibus volitãtibus per vniuersum corpus non sit plenum. 5. Simpl. med. cap. 8. autore Galeno. Alioqui pessimè corrumperentur excrementa omnia innati caloris defectu, & in veneni naturam transirent. Quoduis ergo excrementum subitò vacues, plurimam spiritus substantiam perdas oportet: ex cuius vacuatione, exoluuntur, linquuntur animo, corde tremunt, concidunt, & interdum etiam moriuntur ægrotantes. Quæ si ex meri excrementi vacuatione accidunt, multò satius ex copiosa phlebotomia, contingent: per eam enim vacuatur sanguis, qui etiam si vires non constituat, vt constat ex Galeno. 12. libro Methodi citato: proximus tamen est temperamento spirituum, ex quo & ipsi generantur, & cor etiam nutritur. Unde increscens ad certum terminum, auget vires, libro de Plenitudine autore Galeno: quoniã scilicet materia est generationis spirituum, & nutritionis membrorum solidorum, in quibus virium essentiam consistere diximus. Extractus verò per venæ sectionẽ, cõtraria ratione diminuit vires: tũ quia deficit materia spiritibus generandis, & nutriendo idonea: tum etiam quia pluri spiritu abundat, qui vt est sibi commistus, ita cum eo vacuatur & expirat. Quare si venæ sectio larga, & simultanea fiat, non modò reddetur per eam imbecillis facultas, sed interdum etiam eius sequetur interitus. Quod tribus accidisse medicis, refert Gal. lib. de sanguinis missione cap. 12. & 9. lib. Methodi, cap. 4.

An verò tanta possit esse magnitudo morbi, & virium robur, vt ad aliquam ex dictis imbecillitatibus, præ euacuatione, ægrum cogere debeamus, dubium est. Ad duas sanè posteriores, tremorẽ scilicet & syncopin, nullũ autorẽ lego ægros duxisse. Galenus enim interim dũ fluit sanguis, pulsum tãgere præcipit, vt cõstãte adhuc facultate supprimatur. Primo, ob maximũ periculum non redeũdi ad se, iuxta Aphorismũ tertiũ libri primi. Neq; cõpressiones ad extremũ ducendæ: (periculosum enim) sed qualis natura fuerit eius qui debet perferre, ad hoc ducere conuenit. Secundo, nam si redeant, tam redibunt imbecilli, vt non possint, aut symptomati alicui, aut ipsi etiam morbo, si aliquis maneat sufficere. Tertio, nam imbecillima reddita facultas, non tolerabit sudores, vomitiones, & alui profluuia, quæ post huiusmodi sanguinis missionem sequi solent: quorum ratione magna ex parte salus

sequitur. Ad animi verò deliquium, sanguinem detrahit Galenus tribus casibus, libro de sanguinis missione, cap.12. Nono lib. Methodi, & .1. Aphor. com.23. vbi scilicet feruentis sanguinis copia acutissimam accendit febrem: aut ingentem efficit phlegmonem: aut infert validissimum dolorem. Si enim ab alijs humoribus quàm à sanguine ista oriantur, expurgare nō phlebotomare iubet: ad idq́; distinctionē prius adhibet. Vbi verò à sanguine oriuntur, triplex sequitur vtilitas ex eiusmodi venæ sectione. Prima est totius corporis refrigeratio, ex ipso animi defectu, qui sui natura refrigerat: qua nihil vtilius, neq; iucundius, ægris ipsis, & naturæ quæ animantes gubernat, excogitare possumus. 9. libro Methodi, cap.4. autore Galeno. Vtilis enim est in contrarium statum permutatio, & qui in naturam fit redditus iucundus. Secunda vtilitas est alui purgatio, quæ talibus contingere solet semper: vomitus etiam bilis frequenter. Has duas, excipit vtilitas tertia: sudor scilicet mollis toto emanans corpore. Maximum ergo est vbi valentes vires sunt, cōtinentium febriū, ingentium phlegmonarum, & vehementissimorum dolorum, qui ex feruentis sanguinis copia oriuntur remedium, sanguinis ad animi deliquium detractio. Vbi verò vires non adeo constant (quanuis copiosa conueniat vacuatio) non tamen ad animi deliquium ægrum ducere conducit. Huiusmodi enim vacuatio, non cōceditur à Galeno, nisi in robustissimis viribus. Cum autem nostro, quàm Galeni tempore, minus constet facultas (vt diximus cap.24.) necessarium est vt ante animi deliquium, (in ipsa scilicet exolutione) cessemus à detrahendo sanguine: nec spectemus pulsuū permutationem, nec sensus & motus abolitionem. Sufficiet etenim nobis aliqualis sensuum perturbatio incipiens, quæ semper augetur, atq; fit maior, clausa vena: eò quòd post exercitum impetū prodeundi, cor magis atq; celerius reuocat ad se spiritus qui per corpus circunferuntur: vnde sensus, & motus, interdum magis, & citius perturbantur, interdum verò deficiunt vena iam clausa, quàm ipso sanguine fluente. Quare si ad animi vsq; deliquium, permitteremus sanguinem fluere: non esset à ratione alienum, aucta (post clausionem venæ) reuocatione spirituū ad cor, veram syncopin, atq; etiam mortem aliquando sequi. Vires enim nostræ, imbecilliores quàm tēpore Galeni, non tolerant tantam retractionem vt illæ: sicut & eo ipso tēpore, quæ robustissimæ nō erant, ipsam nō tolerabāt. Nec tamen minus proficua nobis est exolutio, quā veteribus erat animi defectio. Primo, quia securior. Secundo, quia exolutio corporis habitum refrigerat, & æstuantem pariter naturam recreat: vnde expultrix facultas potentior reddita, humorem residuum, deiectione, vomitu, aut sudore expellit. Tertio, quia vis in exolutione manet robustior, quàm si ad animi deliquiū duxisses: hoc autem residuum robur, valde est necessarium reliquijs morbi ferendis Fortè enim aliquid relinqueretur tūc non excretū: cum præsertim cœpit iam humor putrere. Nam in febre continente citra putredinem, audacius quàm in ea cuius sanguis putret, sanguis est educēdus: quoniam in illa nullus, in hac alter extinguēdæ putredinis, est nobis exanthlandus labor. Nec obstat, quòd Gal.9. Methodi, in vtraq; febre

febre, tã putrida, quã nõ putrida, sanguinẽ detraxit ad animi defectũ: id enim ad vires suo tempore robustissimas est referendum. In ingenti quoq; inflammatione, aut in validissimo dolore, nõ licebit tam larga vti sanguinis detractione, quàm in febre continente. Nam non vt febris necessariò ex animi deliquio refrigeratur; ita & dolor sedatur, & inflammatio prorsus demitur, quin potius relinquitur dolor, & inflammatio in parte, quæ virtutem postea sunt diuexatura. Ob idq; in dolore. 1. ad Glauconem, cap. 12. cõsuluit minus sanguinis detrahere, quàm pro multitudinis ratione, vt supra. 10. cap. diximus. Ob id etiam cum inflãmatio est maligna, minus detrahit Gal. lib. de sang. miss. cap. 14. Ob id etiam cum putredo, aut obstructio subest, aliquid sanguinis ad curationis spatium reponit. 11. libro Methodi post medium. Quanuis autem minus quàm in continentibus citra putredinem, & minus interdũ, quam pro multitudinis ratione, sit in doloribus detrahendum, vt virtus non deficiat dolori deinceps tolerando: vbi tamen dolor maximus est, à feruentissimi sanguinis copia, & validissima fluxione ortus, ad animi vsq; deliquium detrahere conuenit. Vbi maximus (inquam) est, nam magnus ad sanguinis missionem requiritur, quæ sine morbi magnitudine exequi non debet. Vt magnus ergo dolor sanguinis missionẽ postulat: ita maximus, maximam quæ animi defectum inuehat. Vtq; ad sanguinis missionem non debemus spectare, doloris, aut morbi magni præsentiam, sed imminẽtiam, vt futura mala auertamus: ita non debemus spectare sæuissimi, ac maximi doloris præsentiam, sed ex impetu fluxionis, plenitudine, calore, dolore, & assuetudine similem dolorem patiendi, de maximis esse futurum coniectabimus, eiq; obuiam ibimus ad animi vsq; deliquiũ, à morbi ipsius initio detrahẽtes. Alioqui ante statũ, in quo symptbomata sunt grauissima, sanguinis eiusmodi detractionem nõ tentaremus: quod esset ægris valde perniciosum. Si tamen hac prouidentia non vsus fuisti, creuitq; ad summum inflammatio, & dolor: adhuc à dicta sanguinis detractione non debes desistere, ne præ magnitudine inflammationis pars incidat in gangrænam: sed si non discuti, saltem à natura suppurari queat. Nec obstat primo, quòd initio inflãmationũ conueniãt reuulsiones, quas per sanguinis missiones multiplicatas præcipit facere Gal. lib. de sanguinis missione: non ergo tunc cõuenit ad animi deliquiũ ducere. Secundo, quòd ad sanguinis mutationem educere iussit. 2. acut. non autẽ ad animi deliquium. Tertio, quia. 1. lib. ad Glauc. cap. 12 ita scribit Galenus. Ita etiã »
si vehementissimæ vigiliæ, aut dolor intensus, ægrotum infestant: cauendæ sunt subitæ, ac multæ euacuationes. »
Non obstãt (inquam) nam ingens dolor non permittit »
solis reuulsionibus insistere, sed celerrimam, tum reuulsionem, tum euacuationẽ poscit: ita vt cũ maximus est, aut instat maximè, ad animi vsq; deliquiũ conueniat. Ad secundum verò dicendum, quòd in morbo, atq; dolore magno, terminus vacuationis ab Hippocrate positus, est sanguinis profluentis in colore mutatio: in maximo verò vlterius ad animi vsq; deliquium progredi oportet. Ad tertium verò, diximus supra locum Galeni de arte curatiua ad Glauconem, intelligendum esse, vbi non speramus

ramus per ſanguinis miſſionem dolorem eſſe leuandum. Hic verò de maximis doloribus, à ſanguine calidiſſimo in partem aliquam celerrimè irruente ortis agimus: in quibus per ſanguinis miſſionem detrahitur, tam dolor, quàm ipſius doloris cauſa.

Iam verò hic Auerrhoum audiamus ſeptimo colliget, capite octauo: & octauo collectanei, capite decimo ſeptimo, Galeno contradicentem. Primo, quoniam natura (inquit) nunquam vacuat, vſq; ad animi deliquium, aut exolutionem: ergo nec medicus ſui immitatione id faciet. Secundo, quia non oportet vacuare niſi noxium: noxij autem vacuatio non cauſat deliquium. Tertio, nam animi deliquium, ob ſolam refrigerationem expetitur: hæc autem ſi calore præternaturam corrupto fiat vtilis eſt: ſi ſpiritu & naturali calore vacuato, & euaneſcente, omnino noxia. Quæ autem ſequitur animi defectum refrigeratio, ex abſentia natiui caloris, & nõ eius qui præternaturam eſt contingit: non ergo eſt expetenda. Quarto, nam notæ quæ febrem continentem citra putredinẽ exortam indicãt, inconſtantes ſunt, & parũ certæ: nullaq́ ſecuritas eſt quòd aut in ſanguine, aut alio quouis ſucco, putredo aliqua ſubſit: quam euincere haudquaquam poterit virtus, tanta euacuatione facta imbecillima. Adde, quòd ſi euacuationi ſuccedit deliquium, non bene fertur vacuatio (quomodo enim ſtabunt animi defectus, & tolerantia?) ſine tolerantia autem reprobatur omnis vacuatio, primo libro Aphoriſmorum, ſententia ſecunda ab Hippocrate. Adhæc cur tã vtilis ſit hæc refrigeratio, quæ animi defectum ſequitur, non video: nam vniuerſus habitus corporis ob id in deliquio refrigeratur, quòd cor tum temporis retrahit ad ſe ſpiritus: quare ipſum magis incaleſcat oportet ex ipſorũ acceſſu, quàm membra cætera frigeant ex receſſu. Cum ergo febris, cordis præcipuè ſit paſſio, & reliquorum membrorum deinceps: ſubſequens eſt vt magis ob animi deliquium accendatur febris quàm extinguatur.

Sed hæc ita ſoluuntur. Primum ſanè, quòd medicus plura ſæpe facit, quæ natura ne tentat facere. Luxatorum oſſium repoſitionem, & fractorum coaptationem, non facit natura, facit tamen medicus. Hydropicorum, calculoſorum, & crepatorum apertionem, natura non facit: fœlici tamen ſucceſſu, interdum eam operatur ars. Sic ergo & ad exolutionem ducere poſſet. At hic minus immorari oportet, nam multas euacuationes eaſq́ laudabiles, à natura, non modo ad animi defectũ, verum & ad ſyncopim factas vidimus. Secundum verò eſt facile, nam ſemper cum noxio, vacuatur vtile commiſtum, cuius gratia ſuccedit deliquium. De tertio dicẽdum, quòd euacuatio vſq; ad animi deliquiũ, refrigerat nos. Primo, quoniã calidos humores abducit: quod ſanè cõmune eſt, ſiue paulatim, ſiue affatim ducãtur. Secũdo, quoniã frigidus aër loco ſãguinis ſubintrat venas: quod vacuatiõi affatim factæ eſt peculiare: ſi enim paulatim fiat, paulatim quoq; venæ cõcidũt, ſine externi aëris admiſſiõe. Tertio, quia cor affatim retrahit ſpiritus ad ſe ex vniuerſo corpore, ꝓpter ipſorũ defectũ in corde. Ex qua retractione tres ſequũtur vtilitates ipſi egrotanti.

Prima, quòd cor recipit spiritus quibus indigebat, & eis vtitur (vt familiari instrumento) ad regeneratione͂ spirituu͂ de nouo. Secu͂da, quòd vniuersa corporis membra æstua͂tia, per spirituu͂ absentia͂ refrigerantur: est enim spiritus no͂ modo natiui caloris, veru͂ etia͂ eius qui præternatura͂, à corde in me͂bra vehiculu͂. Tertia, quòd flammeus spirituu͂ calor ex febre co͂tractus, in ea subita motione veheme͂tius ve͂tillatus, refrigeratur: magnus enim motus flama͂ extinguit, sicut paruus acce͂dit co͂tabesce͂te͂: De quarto dicendum, quòd etiam si post vacuatione͂ ad animi deliquiu͂, putredo aliqua in succis relinquatur, non ob id succumbet facultas: integra enim manet virtutis radix, & origo (ipsius scilicet cordis substantia) quæ spiritus denuo creare poterit. Nec tam graue malum est animi deliquium ex euacuatione, virtuti robustæ: vt non possit facilè reparari. De quinto, animi defectus, & tolerantia, simul cohabitare possunt, Hippocrate autore. 1. Aphorism. sentent. 23. Primo, quia animi deliquium ex euacuatione, in robusto bene toleratur, idest facile reparatur. Quod voluit Auicenna. 11. 3. tract. 2. cap. 6. vbi ita scribit. Et quando accidit syncopis ab euacuatione humorum, virtute vitali adhuc forti, non est adhuc timendum: & illa est sicut syncopis quæ accidit post phlebotomiam. Secundo, nam animi deliquium magis est passio virtutis animalis, quàm vitalis (vt diximus) tolera͂tia verò magis atte͂ditur in virtute vitali. Vnde pulsuu͂ permutationi interim ac sanguis effluit, iussit Gal. nos debere esse attentos, lib. de sang. miss. cap. 14. Tertio, nam si nihil vtilius, aut iucundius, refrigeratione quæ ex animi defectu fit, ægris contingere potest, vt nono libro Methodi, Galenus est autor: quæ maior tolerantia quæritur? De vltimo dicendum, quòd cor ex accessu spirituum ad se, in animi defectu dicto, non valde incalescit. Primo, quoniam cor erat exhaustum ab spiritibus, ob id enim ad se reuocat eos qui per corpus circumaguntur, quoniam in eo deficiunt. Secundo, quoniam (vt dixi) flammeus spirituum calor extinguitur, ex concitatissimo motu verberatus. Tertio, quoniam parum in corde morantur (donec scilicet alij in corde generentur, quod ex appositissima & tenuissima materia citissimè fit) rursumq; in membra corporis regurgitant, vbi sudores, aut madores mouere solent. Cum verò euacuationem ad animi deliquium præfixit Galenus, eam intellexit quæ solius euacuationis ratione euenit. Neq; enim tales dicit animi defectus, qui & expauescentibus aliquando ægris venæ sectionem, vel tale auxilium aliquod solet accidere: neq; cum in ore ventriculi humores mordaces aliquando fuerint, vel prius in ipso coaceruati, vel qui in ipso remedij vsu ad ipsum defluxerint, qui causam dederint animæ defectionis. Solent enim & hoc tempore pati animi defectionem: non tamen huiusmodi animi defectio, est sufficiens mensura euacuationis, quæ nonnunquam citra necessitatem contingit, sicuti febricitantes plerią;, vel inter surgendum, vel residendum, animo defecerunt: ob quam causam accumbentibus ipsis secamus venam, vt primo libro Aphorismorum, commentario vigesimotertio, scribit Galenus.

Quanta͂

Quantam ad sanguinis suppreſsionem vim habeat, eius dum effluit mutatio. Et in quibus morbis sit expectanda. Et an sanguis qui venas fuit egreſſus, poſsit rursum in venas remigrare.

CAP. XXVI.



VI iustam sanguinis detrahendi quantitatem rimari voluerit, sanguinis etiam fluẽtis permutationẽ non prætermittat oportet. Fit enim interdum vt sibi similis semper effluat, vbi scilicet nulla corporis pars afficitur: tunc enim humores vndiq; per vniuersa vasa similem conditionem seruant, & qualis vena secta cœpit fluere, talis toto effluxionis tempore perseuerat. Quamuis enim partes nostri corporis, ex differentia temperamenti diſsimilem habeant sanguinem, & iuxta cor calidior & coloratior sit: ea tamen non est momentanea differentia, nec in sanguinis detractione rectè à medico deprehendi potest. Quando verò pars aliqua interna afficitur, iecur, lien, pulmo, pleura, cerebrum, aut ex intimis alia, vltimus sanguis qui vacuatur corruptior est, & intenſiori colore præditus, quoniam pars inflammata, quæ tunc exhauritur adusit, corrupit & commodæ ſpirationis defectu putrefecit quidquid sanguinis ad eam affluxerat. Prior verò sanguis purior est, quoniã ex venis externis educitur: quæ prius quã internæ in sanguinis miſsione vacuantur. Primo, quoniam vena quæ secatur extima est, & maiorem cum extimis suis comparibus societatem habet. Secundo, quoniam viscera cum sint validiora, difficilius sanguinem concedunt, quàm externa imbecilliora. Hinc incolumiores morbos (maiori ex parte) videmus eos, in quibus prior sãguis est corruptior: quoniam aut externæ magis quàm internæ partes in ipsis laborant, aut innatus calor intus vigens pellit ad exteriora pudredinem, quæ postea vena secta prius vacuatur.

Sed dubium est, quomodo sanguis in inflammatione impactus, & ad meatus carnis ex minimis venis transmiſſus, iterum in venas poſsit remigrare? præsertim quòd qui venas egreditur, statim concrescit: concretus autem, remigrare nequibit. Dicendum, quòd sanguis vbi extra corpus effunditur, statim concrescit, omni eius ſpiritu, & natiuo calore expirascente. In corpore verò tardius gelatur, quoniam natiuus calor, & ſpiritus volitantes (qui in omni corporis parte, & etiam in recrementis abundant) sanguinem fusum diutius continent. In meatibus verò carnis, tardius adhuc quã in amplis cõceptaculis, & cauitatibus corporis gelatur: tũ quoniã calidi innati vis, ibi magis seruatur: tũ etiã quoniam cõtinuus est huiusmodi sanguis cũ sanguine exiguarũ venarũ, à quo cœpit decedere: venulæ enim illæ pluri mo sanguine diſtentæ, oscula reserant, & partem sanguinis effundunt, cum altera parte effundenda continuam. Vtq; in aneurismate sanguis qui extra arteriam est,

non concrescit, quoniam continuus est reliquo sanguini arteriali, qui illuc semper impetit: ita nec qui venulas ægressus est necessariò gellatur, donec portio altera sanguinis influere desinat, & cõtinuitas externi, cũ interiori sanguine in exiguis venis cõtento intercipiatur. Sic in pleuritide, aut alia quapiam inflãmatione incipiente, contingit interdum vt ex largissima sanguinis per venam sectam detractione, omnis prorsus tumor dematur: sanguine scilicet omni vacuato, tum eo qui in venis maximis abundabat, & minimas venas partis inflammatæ distendebat: tum etiam eo qui ad vacua partis spatia exudauerat. Sic etiam variolæ, atque morbilli (vt frequenti constat experimento) ex frigidi aëris repercussu retrocedunt ad vasa, & causos, prauasq́ febres inferunt. Sic inflammatio caui iecoris, secta vena exhauritur, per meatus quosdam exiguos: nam cauæ iocinoris venulæ, non copulantur cum venis partis gibbæ. Sic pleuritis interdum mutatur in pulmoniam, & pulmonia in anginam, humore ex parte primo inflammata in vasa remigrante, & ex vasis rursus, in partem quæ deinceps inflammatur transmisso. Sic in lue Gallica, argenti viui vi, pustulæ, tumores, & nodi externi illiti tenuãtur, & per meatus carnis, atq; vasa, ad os expuenda mandantur. Vbi tamen vena copiosius secatur, facilior fit sanguinis ex inflammata parte remigratio. Primo, quoniam trahitur à parte, quæ eum sanguinem transmiserat, & per easdem vias per quas exierat. Secundo, quoniam pellitur ab ipsa parte, in quam impegerat, id iam permittẽtibus vasis præeuacuatis. Ob idq́ non modò incipientium inflãmationum sanguis (qui nõdum concreuit, nec insigniter mutatus est) sed etiam qui diutius traxit, & valde in inflammatione putruit, ad venas remigrat, & per venam sectam, quæ è directo est vacuatur.

Sed dubium est: Nã si inflammatio gignitur, partibus validioribus semper transmittentibus in eas quæ minus valent, nunquam erit possibilis dicta remigratio, nisi quod validius est, ab imbecilliori vinci queat: quod videtur impossibile. Cui dicendum, quòd imbecillior pars se sola nunquam sufficiet humorem transmittere, in validiorem: nisi aut pars validior non reluctetur imbecilliori, aut imbecillior adiuuetur in expellendo. Imbecillior verò iuuatur in expellendo, à medicamento, aut ab aëre externo repellentibus. Pars veró valida non reluctatur, vbi corpus admodum inanitur: quoniam tunc venæ maiores repetũt ex minimis, & etiam ex ipsis carnibus, in quas humores prius transmiserant. Quæ duo conceptis verbis, significauit Gal. lib. artis medicæ, cap. 95. vbi ita scribit. Sed & exinanita loca, attrahunt ad se ipsa quæcunq; repercutiuntur. Hoc siquidem ostẽsum est in eo volumine, in quo de potentijs naturalibus agitur. Et vasa præterea vigore ex medicaminibus adstringentibus addito, à se ad alia remittent. Sed cur magis per adstringentiã adhibita, expultricem quàm retẽtricem dixit roborari: si vbi excretionem sistere volumus, adstringentiũ vim augemus? Dicendũ, quòd tã expultrix, quã retẽtrix vis, adstringẽtibus roborari potest: sequetur autem aut excretio, aut retentio, varijs ex causis. Primo, ex mensura adstringentium: minori enim adstrictione & siccitate, opus

est

est ad expulsionem (quatenus scilicet opus est ipsi firmitate instrumenti, tum vt pellat, tum ne facilè admittat quod sibi influit) quàm ad retentionem, in qua omnes viæ debent claudi, & constipari. Secundo, ex parte cui admouētur adstringentia: si enim toti mēbro applicantur, & omnē eius partem æqualiter peruadūt, retētio sequitur: si verò partē tantū extimā, expulsio: quoniā ad intimam cōpellūtur humores ab extimis. Tertio, ex dispositione partis cui adstringētia admouētur: plurimū enim refert plena ne sit & distēta, an inanita & flaccida. Cū enim parti plenæ (qualis inflāmata est) admouētur adstringentia, intus cōpellitur ire multitudo, & excretio sequitur: cū verò inanitæ, partis ipsius substātia vndiq́ adstringitur, & retentrix eius facultas roboratur in actione. Sāguinis autē permutationē, in internis solū inflāmationibus spectare iussit Hip. 2. de victu acutorum, com. 11. & Gal. lib. de sang. miss. cap. 14. Et Rasius expressius. 7. lib. ad Almansorē, cap. 21. Nam in inflāmationibus externis, quæ minus periculosæ sunt, nō oportet tā larga sanguinis detractione, virium detrimentū facere. Qui verò sine inflammatione fatigant morbi, sanguinis permutationē momentaneam nō habent: in febre enim continente vniformis est sanguis, siue putreat, siue nō: in tertiana verò, qui in iecore est, paulò est biliosior: sicut in quartana, qui in liene habetur, paulo magis est melācholicus: & in quotidiana qui est in ventriculo, pituitosior quodāmodo existit. Per has etenim febres huiusmodi mēbra magis pati, costat ex Gal. 1. ad Glau. cap. 4. Non est tamen huiuscemodi humorū differētia momētanea: nec à medico dū sanguis educitur ita aduerti potest, vt illa in qua humores in inflāmatione aduruntur: multò enim diuersus est is qui iuxta inflāmationem hæret sanguis, ab eo qui in reliquis mēbris reperitur, vtpote plus calfactus. Si enim antea crudior erat, rubicundior & flauior fit: sin eiusmodi prius erat adustus, in nigrum conuertitur: libro de sanguinis missione, cap. 14. autore Galeno.

An verò statim ac incipit vitiatus sanguis extrahi, sit cohibendus: dubium est. Contrariū enim videntur sentire medicæ artis autores. Haliab. lib. 6. cap. de cura pleuresis, & lib. 9. cap. de phlebotomia. Ob id (inquit) detrahitur sanguis, ad permutationem coloris, vt extrahatur totus sanguis putridus corruptus, in apostemate cōtentus. Et Auic. 10. 3. tract. 5. cap. 2. dixit, quòd mutatio sanguinis in colore significat, quòd nocibilior sanguis iam est euacuatus. Et ratio videtur fauere: Nam continens causa inflāmationis, est humor in ea contentus: ex eius ergo detractione illico sequetur salus: quare non est sistenda vacuatio, donec penitus extrahatur. Et itē quia dum vacuatur corruptū, vacuatur tale quale vacuari oportet: conferet igitur, ac facilè tolerabitur eius vacuatio, iuxta traditū ab Hippocrate axioma. 1. Apho. sent. 3. vt quid ergo sistetur? Hinc Thadæus duplicē sanguinis mutationē spectat: primā in deterius, in qua sanguis in inflāmatione contētus incipit vacuari: & tādiu eius vacuationem prosequitur, donec rursus in melius transmutetur, prauo vniuersim vacuato. Sed hæc mihi non arridet sententia. Primo, quoniam tā Hippocrates quā Galenus, simplicis tantū permutationis in deterius meminerūt. Secūdo, quoniā

vniuersus sanguis prauus inflãmationẽ efficiens, vnica sanguinis detractione, vacuari nequit, vt experimẽto constat. Rarus est enim qui ex morbo laterali, vnica sanguinis detractione statim liberatus visatur. Quare dicendum, quòd apparente improbo sanguine, etiam si prorsus is non vacuetur, cohibenda est vacuatio. Primo, quoniam argumentum est, sanguinem eum à parte inflammata recessisse. Secundo, quoniam prauus is sanguis, qui ab inflãmatione in alias venas recessit, ob commodi sanguinis commistionem, & commodam euentationem, emendari potest, & naturæ beneficio in pristinam naturam restitui. Tertio, quia si vnica eaq; largissima vacuatione morbum extirpare conemur, non dabitur locus iterationi: quæ maximè in omni morbo conducit, lib. de sanguinis missione, cap. 16. autore Gal. in hæc verba. Conari verò in omnibus malis præstat, vt post mediocrem sanguinis missionem factam, iterato sanguis auferatur: interim quidem eodem die, quando sic facere expedit, interim postridie: nisi vbi antea dictum est, ad animi vsque defectionem vacuare conetur. Quarto, quia in inflammatione, atque omni affectu in quo aliquid è venis extra effluxit, repetita sanguinis detractione est opus: vt intermedio tempore, venæ inanitæ quòd extra effluxerat recipiant, & secunda venæ sectione vacuetur: vt Galenus est autor quarto libro de Sanitate tuenda, capite vltimo, de lassitudine phlegmonosa agens, in hæc verba. Quoniã igitur in hac quæ veluti phlegmone fatigat lassitudine, vis calidi sanguinis congesta in corporis mole est, venæ autem sectio succos è vasis emittit: vtile est post priorem detractionem tantisper intermittere, dum aliquid eorum qui in corpore sunt humores, remigret ad venas. Quod tamen quoniam cõmitendum non est vt in his maneat (vtpotè ex dimidio corruptum) sed potius plurimum eius expellatur: idcirco detractionem sanguinis etiam secundo die iteramus: aliquando verò & in tertio, vbi videlicet & reuellere, & ex alijs in alia transferre visum est conducere. Si ergo dum sanguis prauus capit vacuari, vacuationem cohibet Galenus, iterationi consulens effecit: vt scilicet per secundam sanguinis missionem, tum is qui in præsens cohibetur, tum qui ex carnibus in vasa postea remigrat, prorsus vacuetur. Si verò vnica sanguinis missione hæc omnia facere coneris, virtutem labefactabis, & laborabis frustra. Remigratio enim humoris in venas, ampliori tempore indiget. Virtus verò imbecillior reddita, iteratam sanguinis detractionem non feret. Quare quòd ex carnibus in venas remigrauit, aut ibi pessimè putrebit, aut à natura (quod sæpe contingit) in pulmones permutabitur. Quod aduertens Aëtius in curatione pleuritidis, monet ne copiosius quàm par sit sanguinem detrahamus: quoniam interdum ob multam naturæ debilitatem, pro morbo laterali pulmonia succedit. Quod maximè aduertant humanæ salutis studiosi, ne pro pleuritide pulmoniam gignant.

Simplicem ergo sanguinis in deterius permutationem expectare debemus: idque non in omnibus morbis, sed in internis tantum inflammationibus, in quibus sanguis contentus deuritur. Neque in his omnibus semper hanc permutationem

expectare

expectare oportet; libro de sanguinis missione cap. 14. autore Galeno. Duabus enim de causis contingit, ut antequam hæc fiat cessandum sit: cum scilicet imbecilla est virtus, aut inflãmatio maligna, in qua vehementer sanguis coërcetur, impingitur, & minimè fluxilis est. Virtus nanq; inualida, non sustinet largam detractionem: & inflammatio maligna, non concedit exitum sanguini in ipsa coërcito: interdum enim nihil ab ea emittitur, sed inibi fortiter constrictus est. Quo fit ut per venam sectam, inculpatus reliquorum membrorum sanguis tũc vacuetur: qui verò in maligna inflãmatione cõsistit, relinquatur hominẽ crucians. Hinc pessimũ signum habebimus cuiusq; inflãmationis internæ: si vniuersus sanguis qui educitur culpa vacat. Et frequenti confirmatur experimento, in catocho epidemico (Modorra appellato) in quo si sanguis qui extrahitur bonus est, periculosius habẽt ægrotãtes, malè speramus de morbo, & magis abstinemus à phlebotomia. In maligna quoq; pleuritide & cuiusq; etiam partis inflãmatione rebelli, quæ humoris contenti nihil remittit: sed sanguis qui per venæ sectionem vacuatur bonus est, & dolorem eius vacuatio non leuat: à sanguinis missione abstinemus, & anodinis seu sedantibus dolorem sumus contenti, donec humor reddatur fluxilis, & vacuari aptus. Quod sanè Auicennam intellexisse credo. 4. 1. cap. 1. dicens. " Cum ad diuersum trahere volueris, dolorem membri à quo trahis prius seda. Id quod fortè voluit Hippoc. 6. Epidem. par. 2. com. 8. vbi cedentem humorem reuellit, repugnanti verò & valde impacto, docet obsecundare.

Quæ satis sanguinis esse detractum ostendant. *CAP. XXVII.*



VAE sint ea quæ quantitatem sanguinis detrahendi indicant, capite vigesimo tertio huius tractationis sumus prosequuti. Quæ verò sanguine ipso fluente satis iam esse detractum monstrant, docuit Galenus libro de sanguinis missione, capite decimoquarto. " Quando enim (inquit) incisa vena sanguis effluit, mutationi eius, & labascenti effluxionis robori, potissimum verò mutationi pulsuum, tanquam inditio nequaquam mendaci, animum attendere oportet. De mutatione sanguinis, quantam vim habeat in cohibendo sanguine: & in iteranda sanguinis missione: & in quibus morbis sit expectanda: diximus nuper. Pulsuum verò præceps mutatio, siue ad paruitatem, aut imbecillitatem, aut quamuis inæqualitatem, confestim quiescere poscit. Præceps (inquã) pulsus mutatio, quæ scilicet ex ipsa vacuatione repẽtè nascitur, intelligẽda hic est: nã ante vacuationẽ, pulsus inæqualis, plenitudinẽ ad vires ostẽdit, & vacuari postulat. Præceps autẽ mutatio, quæ simultaneã vacuationẽ sequitur: satis detractũ sãguinis esse ostendit. Sicut si pulsus, ex euacuatione fiat validior, maior, & inæqualitatem

amittat, plus vacuari amat, vt plenius exoneretur facultas, quæ inutili sarcina præmebatur. Labascẽs verò effluxionis robur (si nimirum impetus quo antea prodibat, & eiaculabatur flaccescit, idq; nõ ex metu, aut grumo sanguinis circa vulnus concrescente) significat vasorum detumescentiam, vires imminutas, atq; satis sanguinis iam esse detractum. Quare ipsum tunc cohibere oportet, ne dum superfluum vacuare studemus præ nimia vacuatione iugulemus ægrum.

Venæ secandæ delectus, a quibus indicetur. CAP. XXVIII.



PLurimum referre, hanc aut illam venam, in singulis morbis secare, docuerunt antiqui, & omnes vnanimi consensu receperunt in hunc vsq; diem medici, experimentis, & naturæ iudicijs innixi. Hæc diutius obseruantes, Methodos inuenerunt, quibus nũc hanc, nunc illam venam, tundere conueniat magis. Quæ sanè sparsim, sine ordine, & contensiosè admodum, sunt ab autoribus traditæ, fortè aliud quàm veritatem captantibus. Nos verò quibus solus veritatis tenet amor, ea hic in studiosorum gratiam cudi tantum curauimus, quæ mortalium generi aliquid esse profutura censuimus. Hinc ergo exordium sumentes dicimus, quòd venæ secandæ delectus, sumitur ex affectæ partis situ: ex plenitudine vasorum, aut paucitate materiæ in ipsis abundantis: ex morbi vehementia, ac symptomatis grauitate: ex morbi ætate: ex fluxionis origine: ex specie, & consistentia humoris in corpore congesti: adhæc ex virtute: & vltimo ex habitu corporis.

Ex situ partis affectæ, sumitur præcipua indicatio, venæ quæ debet secari. Si enim vniuersum corpus afficiatur, aut affici timeatur, vnaquælibet citra delectum incisa vena est idonea: vt scribit Galenus libro de sanguinis missione, cap. 19. Quo tamen statu, turgidiorem incidimus cum Rasio: aut internam dextri brachij, cum Hipp. 4. acutorum, sent. 24. Ad turgidiorem enim videtur impetum facere natura: interna verò velocissimè, & plurimum, fontem & originem humorum exhaurit. Quòd si prima sectio non satis sanguinis detraxit, ex altero brachio iteremus, donec pro ratione plenitudinis vacuasse cõiecerimus: atq; alternis vicibus (si opus est) iterum atq; iterum, ex vno atq; altero brachio, sanguinem mittimus. Quod sanè conuenientius est, quàm vnum latus ferire pluries, tum ob dolorem brachij secti (ne inflãmationẽ ea in parte, ob multiplicẽ sectionem cõtrahat) tum ne natura in vnum magis quàm in alterũ latus, ob frequentẽ vnius inanitionẽ mittere assuescat: tum etiam quoniam cum nulla pars est affecta, neutrius lateris fit delectus: ob idq; præstat vtrumq; latus vacuasse. Quod sanè Galenũ seruasse constat, libro de sanguinis missione, cap. 18. vbi menses mouere docens, alternatim ex vno atq; altero crure, sanguinem elicit. Si verò in partem aliquam irruit humor: aut is per eam partem

vacuatur:

vacuatur: aut in parte ipsa coërcetur, vel tumorem præternaturam, vel solam partis plenitudinem, tensionem, aut grauitatem efficiens: aut fortè nondum impetum fecit humor in partem, sed solita est natura quotãnis (verbigratia) eam partem impetere. Si humor vacuatur per partẽ ipsã, vt in sanguinis fluxu è naribus, ore, vtero, aluo, aut hæmorrhoidibus, ex distantissima parte vtilius vacuamus, sola prouidentia vtentes, ad compescendam hæmorrhagiam. Si menses nimis profluant, ex cubito auertimus, libro de sanguinis missione, cap. 11. Hæmorrhoidũ par est ratio. Cũ per aluum in dysenterijs vacuatur sanguis, nõ modo brachium tũdimus, verum & in ipso, cephalicam probamus magis ceu vtiliorem: quoniam magis reuellit ob distãtiam, & insensibiliter atq; furtim quodammodo sanguinẽ aufert, cuius ratione nec venter perturbatur, nec adeo vires labefactãtur: vt autor est Aëtius lib. 9. cap. 45. Cũ sanguis è naribus, aut ore fluit immodicè, venam brachij qui è directo est, secat Gal. lib. de sang. miss. cap. 11. Iuuat ipsos nihil minus etiã, ex imis corporis partibus " sanguinis detractio, autore Thraliano lib. 7. cap. 1. vbi ita scribit. Noui autẽ ego me " cum venæ cubiti in conspectum non venissent, etiam ex venis in talo sectis sangui- " nem demisisse, & multo magis profecisse. Nam materiæ ad longinquiores partes " prouocatio, firmiorem multò reuulsionem efficit. Quinto libro Methodi Galenus, in " sanguinis è naribus profusione, duplex (inquit) est auersio, & quæ est ad totius cor- " poris inferna, & quæ est ad capitis posteriora. Propterea videlicet quòd ipsæ nares, " & in superiore, & in anteriore parte, sunt sitæ. Aduersantur autẽ ei quod supra est, " id quod infra: & ei quod post habetur, id quod ante. Galenus autem per id quod in- " fra, brachium intellexit, non talum: nullibi enim de sanguinis è naribus profluuio agens, talum secasse legimus: sed brachium è directo situm. Libro nanq; de sanguinis " missione, cap. 11. ita scribit. Cæterum non contemnenda venæ sectio est, tanquam sit " auxilium reuulsorium, cum me sæpenumero conspexeritis in valida sanguinis è na- " ribus eruptione eo vsum, repente fluxionem sedasse. Expedit autem (vti vidistis) " non eò vsq; sanguinem educere, dum ad extremum vires ducantur: sed quoad quòd " symmetrum, moderatumq; sit, eductum videatur, prorumpentisq; sanguinis impetus " nõdum flaccescat, sed validus permaneat. Secare in cubito venam, si ex dextra na- " re prorumpat sanguis, in brachio dextro: sin ex altera in sinistro. Libro verò 1. " Prorrhet. par. 3. com. 52. non modo brachium è directo situm, sed in eo cephalicam " magis probat, in hæc verba. Quòd autem manum recto tramite nari, vnde sanguis " abundè fluit respondentem secare, manusq; eiusdem humeralem venam ferire opor- " teat, liquido constat omnibus: si verò ex nare vtraq; fluxerit sanguis, secare vtrasq; " nihil prohibebit: non enim per eas vacuationis, sed reuulsionis gratia sectionem fa- " cimus. Sex ergo sunt loci, vnde sanguinis è naribus fluorem compescere possimus: " ex talo, ex brachio opposito, ex basilica eiusdem brachij, ex humeraria eiusdem bra- chij, ex vena omoplatæ, & ex parte capitis posteriore. In magna totius corporis plenitudine, à pede est incipiendum spreta cõmunitate: si menses, aut hæmorrhoides, aut

vlcus aliquod infra iecur manare solitum, supprimantur: ex experimẽto Tralliani. Aliter à brachio opposito, rectitudine spreta: cum scilicet intellexerimus fluxionis originem, aut ab altero latere esse, aut à toto: Quod obseruat Mesue. In minori plenitudine ab eiusdem lateris interna detrahemus: quæ originem, iecur nempe, aut lienem exhaurit: in quibus vel sola cucurbitula adhibita, naris quæ è directo est fluorẽ compescere solet. Cum verò aut minor plenitudo, aut sanguinis mediocris mensura adest, minor sufficit reuulsio: & humerariam è directo sitam, ob id secamus. Quod etiam faciendum esse monemus, vbi impetuosissimus est fluor, in quo etiam si ingens adsit plenitudo, cephalicam eiusdem lateris, aut venam in omoplata sitam, ad syncopin vsq; secamus, ex cõsilio Auic. 5. 3. tract. 1. cap. 9. de prauo & impetuoso nariũ fluore, aut propter nimium sanguinis feruorem, aut propter eius ab arterijs capitis eruptionem contingente agentis, in hæc verba. Et quandoq; oportet vt extrahatur sanguis per phlebotomiam vsq; ad syncopin ex cephalica, & ex vena spatulæ quæ est posterius: quoniam est magis vltima, quia probibet sanguinem eleuari ad caput. Ipsa nanq; cum ad syncopin perducit, sedat statim: & illud in fluxu sanguinis narium, vehementis velocitatis, &c. Quibus verbis voluit, quòd in fluxu impetuosissimo (in quo verisimile non est fluxionem in distantissima vocari posse, nisi interim cadat virtus) proximus locus sit vsq; ad syncopin aperiẽdus. Per eam enim largam sanguinis detractionem, tum totius corporis plenitudinem, tum etiam plenitudinem capitis particularem adimimus: & insuper feruorem sanguinis & spirituum (per syncopin refrigerato corporis habitu) extinguimus, & ab arterijs in cor adducimus. Quæ cõmoda, ex paulatina aliqua vacuatione nũquã assequemur: prius enim virtus cadet, ita vt syncopin moliri non possimus. De qua fortè impetuosa vacuatione loquutus est Gal. 1. Prorrhetici citato, vt ex aduerbio λάβρως idest abundè, furiosè, aut impetuosè colligere est. In plenitudine autem capitis particulari, & cum causa trahens sanguinem è corpore, in capite est (calor nempe aut dolor, cum reliqui corporis incolumitate) ex parte capitis posteriore detrahere cõuenit. Vbi si insignis aliqua vena quæ facilè secari possit nõ reperiatur, cucurbitulis scarificatis, ea parte vti possumus, iuxta Gal. consiliũ. 5 Aph. com. 68. vbi diuturnas oculorũ fluxiones, sæpe sanatas esse perhibet, ex partibus secundũ occiput sanguine misso, vnà cũ cucurbitulæ vsu. Venã tamen omoplatæ posterius sitam, eiusq; sectionem, vltimi interdum esse iuuamenti, ex Auicẽna retulimus. de qua ipse meminerat. 1. 1. doct. 5. cap. 3. in hæc verba. Vna verò harum venarum super spatulam extenditur, & ipsa est quæ vocatur spatularis, ex qua est cephalica, & duæ ad istius spatularis latera, ipsam vsq; ad caput spatulæ simul comitãtes. Si verò humor per partem nõ vacuetur, sed solita sit natura humorem quotannis, aut quouis altero temporis certo interuallo, ad eam partem humorem transmittere: dum morbus imminet, antequã natura solitum humorem transmittat, distantissima & maximè contraria vena tũdi debet. Nã sola reuulsione tunc præcauere & occurrere est opus: quod sanè. 2.

lib. de

lib. de natura humana, sent. 9. in hæc verba monuit Hipp. Dāda est opera vt quā longissimè à locis vbi dolor est, & sanguis cogi didicit, venarum incisiones fiāt. Sic enim haud magna repentè commutatio fiet, & consuetudinē mutaueris, ne amplius eo loci sanguis coëat. Sic libro de sanguinis missione, cap. 19. Galenus, comitiali morbo, & vertigini obnoxios, ex cruribus verno tēpore phlebotomat, podagricos verò ex manibus. Nec obstāt Galeni eo loci verba, quæ ita habent: In quibus autem corporibus nulla dum particula affecta est, cæterum vacuationem vere ineunte anteuertimus: in ijs, siquidem talis sit homo, qui quotannis æstiuo tempore febrilibus morbis obnoxius esse assolet, atq; in eo exundantiam euacuare studemus, æque pars quæuis in sanguinis detractionem accommoda est: sicut sanè etiam si arthriticus sit, omnibus articulis laborans. Quibus autem eximiè pars quæpiam (vbi prius euacuati non fuerint) infestetur: haud æque liceat ex quauis parte euacuationem moliri, verum sicut in ijs qui pati iam occipiunt. Quibus verbis, easdem venas in principio secādas esse, tā in præseruatione, quā in curatione morborū, intelligit argēterius. 3. lib. artis medicæ. Quoniam (inquit) in vtroq; casu præcauere volumus: in vno quidē ne morbus gigni incipiat, in alio verò ne amplius augeatur qui incœpit. Contra verò statuendum est. Primò, quoniam vbi morbus nondum incœpit, distantissimus locus quæritur: vt natura dissuescat longissimè à locis vbi mittere assueuit. Secundo, quoniam morbus qui cœpit in parte, fluxum humorem habet, & fluentem, & fluere paratum: parato fluere, conuenit locus distantissimus: fluxo, proximus: fluenti, medius: per quē fiat fluxi vacuatio, & fluētis retractio. Cum ergo in morbo fieri parato, qui nondum incœpit, nec adsit humor fluxus, nec fluens, sed solum paratus fluere: locus tantum distantissimus sibi erit ex vsu. Tertio, quoniam vertigini, & epilepsiæ obnoxios, ibi vacuat ex pede Galenus: correptos verò ijs morbis non secaret nisi ex cubito, aliter enim communitatem violaret. Intelligatur ergo Galeni allata sententia, quòd sicut in ijs qui pati iam occipiunt, plurimum refert hanc aut illam venam secare: ita etiam cum pars aliqua solita est pati, plurimum referre est existimandum. Nō tamen ob id vtrobiq; eadem vena est secanda: sed vbi solita est pati distantissima, & vbi laborare cœpit, minus distans est cædenda. Nec obstat, quòd incipientibus inflāmationibus, distantissimum locum sæpe sæpius eligat Galenus: intelligendus etenim est locus distātissimus nō simpliciter, sed ex his locis quæ seruāt cū parte affecta rectitudinē & cōmunitatē. Tā cōmunitas autē, quā rectitudo, in morbo fieri in parte solito, antequā is morbus fiat, recta ratione violantur: tum vt assuetudo in id latus mittendi, contraria consuetudine pellatur: tum etiam quia contrarium latus, & vena quæ societate cum parte affecta caret, per venæ sectionem exinanita, trahit violentius à toto. Hinc .6. lib. Epid. par. 2. com. 9. humores concitatos (qui fluere parati sunt, & iam fluere incipiunt) ad distantissimum reuellit communitate spreta: & eos qui communitatem tunc violare nolunt, reprehendit in hæc verba Galenus. Postquam enim dixit, sursum elata, deorsum soluere, & contraria itidem: elatā

quidem;

quidem, idem quòd concitata significare putãdum est. Vt de primo affectus exortu, ipsi sermo sit iubenti ad contrarios locos statim retrahere, deorsum quidem, in his, quæ superius ortum habent, sursum verò in his quæ inferius: vt eadem regula ventes opem feramus, & ad differentes locos abducamus. Igitur si in pedes & crura fluxionem decumbere senserimus, ex cubiti venis sanguinem mittemus, aut vomitu purgabimus: non vt quidam putant, nequaquam sursum retrahendum est, licet ad inferiora prouentibus succis, magnus aliquis in ipsis morbus futurus sit. Si verò inflammatio fieri iam cœpit, aut fortè plenitudo phlegmonosam lassitudinem inferat in parte nobili, aut valde noxium aliquod symptboma, quale desipiẽtia est in melancholia morbo: vicinior aliqua vena quæ è directo sit, est tundenda: & à sanguine detrahendo non est cessandum, donec tum is qui in vniuerso corpore sanguis redundabat: tum qui in parte aut inflammatione, aut phlegmonosa lassitudine obsessa continetur, effluxerit. Id quod obseruatione rectitudinis, & communitatis, facere docent autores. Est autẽ rectitudo obseruatio lõgitudinis in eodẽ latere. Vnde qui latus transgreditur, rectitudinẽ violat. Cõmunitas verò est cõsensus per vasis ductũ, à secto loco ad venam quæ alit partem affectam. Communicant sanè atq; sibi consentiunt, venæ quæ ex vno caudice, aut caudicis ramo nascuntur: aut post exortum aliter copulantur & conueniunt, siue id per venarum ramulos, siue per meatus interdum occultos contingat. Quare venæ partium iecore superiorum, non communicant cum inferioribus, nec contra: venæ verò brachiorum, cum superioribus partibus cõmunicant, & venæ crurum cum partibus inferioribus. Non est tamen omnium superiorum venarum, cum superioribus, nec inferiorũ cum inferioribus, æqualis consensus: magis enim communicãt cephalica, cum iugulo, atq; capite: & basilica cum thorace, costis, & iecore: & media cum vtrisq;: quàm basilica cum capite, & cephalica cum thorace. Maiorem quoque (quamuis occultiorem) societatem habet saluatella cum iecore, aut liene sibi respondentibus: & quæ inter pollicem & indicem excurrit cum capite: & saphena appellata cum vtero: & quæ ad externum malleolum excurrit: cum ischia: quàm alia vlla venarum quæ secantur. Magis etiã cõmunicant venæ dextræ cum dextris, & sinistræ cum sinistris: quàm dextræ cum sinistris. Quamuis enim dextræ atq; sinistræ, simul ex vno caudice diducantur: vtrarumq; tamen rami, seorsum per suum latus sparguntur, & rursus implicantur, & non cum ramis aduersi lateris. Meatus quoq; carnis & cauitates musculorum occultæ, in longum exporriguntur, & non in latus. Sic enim laborante pede, aura venenosa rectà petit caput in epilepsia: sic etiam à capite per ceruicem & scapulam dextram, aut sinistram, rectà fertur podagra in pedem qui è directo est. Vnde Galenus libro de rigore & tremore, postquam Hippocratem laudauit, quòd in ancilla Estemargo (cui à puerperio totius corporis tremor, & crurium dolor cõtigit) sanguinem ex malleolo miserat: ita scribit. Quòd autem redundante sanguine sit detrahendus sanguis, censeo cuiuis esse apertum, cum à venis sanguis complectatur: quòd verò à

rò à pede, aut à poplite vtero affecto, nisi ex anatome venarum communionē prius doceam, rem profectò assequi non possis. Aliæ enim alijs partibus corporis venæ sunt communes, & à communibus sectio semper facienda est. Si nanq; alias secueris, neq; sanabis affectum, perpetuo verò quod est sanum lædas. Quibus verbis constat, quanti sit apud Galenum venarum communitas æstimanda, si simul cum ipsa rectitudinem obseruemus, quæ maior quædam communitas est. Addit enim rectitudo communitati (quæ ex vasorum ductibus spectatur) societatem alteram per vasorum orificia, & meatus carnis, per quos facilè humores aut suapte sponte decurrunt, aut à reuulsorio remedio inuitati regrediuntur: sicq; tū reuulsio, tum euacuatio celerrimè peraguntur. Nam (vt autor est Galenus. 5. libro Aphorism. comment. 68.) non solum studet Hippocrates, vbi opus sit euacuare, sed etiam reuulsoriè euacuare, seu cum reuulsione. Vnde libro de sanguinis missione, incipientes (dixit) phlegmonas reuulsoriè euacuare oportet. Et Paulo infra subdit. Quippe reuulsiones cum euacuatione, adhiberi magis debent, in fluxionibus incipiētibus. Et secundo acutorum, comment. 10. in pleuritide eam venam docet secare, quæ sanguinem ab affecta parte, & magis & velocius tum reuellere, tum vacuare possit. Et libro de sanguinis missione, cap. 16. Quæ ex eodem latere est, conspicuam affert vtilitatem, quæ verò ex altero, aut omnino obscuram, aut longo post tempore: quoniam scilicet ex manu contraria non facit reuulsoriam vacuationem, sed reuulsionem meram. Decimotertio quoq; libro Methodi de curatione iocinoris inflāmati, ita scribit. Ergo pariter tū reuellendus, tum educendus, qui ad iecur fluit sanguis est, interna in dextro cubito secta vena. Par ferè ratio est in lassitudine phlegmonosa: nam & si non tantum vrgeat ac phlegmone, pars tamen ipsa, quoniam phlegmonis causam concepit, celerem requirit vacuationem, antequam humor firmetur in parte. Quod obseruans Galenus. 4. lib. de Sanitate tuenda, cap. vltimo, de lassitudine dicta agēs, ita scribit. Porro æstimare diligenter oportet qui sanguinem sunt missuri, in thorace ne, dorso, & lumbis, tensio, pulsansq; dolor figatur: an in capite potius, & collo. His enim affectis, humeralem venam diuides, maximè si repletum caput, & calidum sentiunt: illis verò internam. Si verò omnino æqualiter lassitudo corpus occupat, ambarum mediam. Si ergo morbus imminet, & futurus est in parte, ex distantissima aliqua vena vacuare oportet: si in suprema, ex ima, & contra contrarium. Si verò fieri iam cœpit morbus (nisi fortè vilis admodum sit pars, ita vt quòd fluxum est non vrgeat nimis, nec periculum aliquod minetur) minor distantia est quærenda. Nam in imis corporis partibus, inferiores venæ secantur: & in supremis, supremæ: adeo vt in morbis colli, & capitis, humeraria: in morbis thoracis, dorsi, & lumborum, interna: vtrisq; verò laborantibus, communis sit secanda vena. An hæc sine ratione distinxerūt antiqui? non sanè. Nam summæ prudentiæ fuit, insinuationem agēdi, à malo ipso abigendo, & parte perpessa (quæ debet medico illæsa seruari) sumere. Rationem autem intelligere cupienti dicamus, quòd antequam fluere incipiat humor,

solā

sola prouidentia vtimur, ad maximè longinqua à parte quæ molestari solet humorem auertentes. Cum verò fluxio cœpit, duplex indicatio curationis est, vna quidem fluxionem inhibendi, atq; auertendi humorem paratum fluere: altera verò vacuandi humorem iam collectum in parte. Quæ ambo, nec ex ipsa parte inflammata, nec ex distantissima, vnà possunt exequi: ex ipsa enim parte, vacuationem si moliaris, humorem non modo non inhibebis, verum etiam ad partem, maiori impetu allicies: ex distantissima verò, humorem fluere paratum auertes, eum verò qui in parte inflammata iam fluxerat, & qui circumcirca est, vix attinges. Nam licet venæ sectio omnis, ab vniuerso vacuet corpore, pars maximè distans, omnium minimè vacuationem sentit: ferè enim in longissimo ductu, sanguinis exitus delitescit. Venæ enim ipsæ cum non sint osseæ, lapideæ, aut ex dura aliqua materia cõcretæ, sed molles, & quæ detumescere possunt, in suam paulatim concidunt cauitatẽ, ita vt non amplius turgeant. Rectè ergo si inflammatio nondum incœpit, à distantissima vena vacuamus, simplici reuulsione vtentes: siquidem in capite, aut quauis parte suprema, ex pede: si verò in pedibus, aut parte aliqua ima, ex brachio. Si verò inflammatio iam incœpit, ex parte propinquiori, quàm dum ipsa erat futura, vacuare oportet: si in capite, collo, thorace, iecore, aut quauis alia parte superiore, ex brachio, non ex pede: si in vtero, vesica, renibus, lumbis, testibus, aut quauis alia parte ima, ex pede sanguinem detrahimus. Si tamen pars quæ inflammatur ignobilis sit, nec periculum aliquod minetur, ob partem fluxam: poterit medicus pro sui coniectura, aut è longinquo, aut è propinquiori, sanguinem vtiliter detrahere. Sic sanè manu laborante, crura iussit scarificare Galenus, & vno crurum malè habente reliquum. 13. libro Methodi, non longè à principio. Quòd si manu laborante, crura possumus scarificare: non video cur laborante pede, non possimus ratione potiori, ex brachio sanguinem detrahere. Vnde Galenus eodem libro prope medium, si in manibus phlegmone est orta, crura iubet vincire: si in cruribus, manus. Et. 2. libro de arte curatiua ad Glauconem, cap. 2. genu inflammato ex brachio detrahit sanguinẽ. Nec præterea video, si altero crurum inflammationem patiẽte, crus alterum rectè secatur: cur manu inflammata, non liceat ex altero brachio sanguinem mittere: nam sanguis qui per venam cauam discurrit, cum iuguli bifurcationem attigit, non minus ad contrarium brachium vocabitur secta in eo vena: quàm qui ad alteram bifurcationem quæ in lumborũ regione fit peruenit, in alterum crus adduci possit. Quòd si experimentis attẽdas (quæ maximè inquirendæ veritati valent) facilè assequeris vno brachio inflammationem patiente, reliquum maxima cum vtilitate secari. Quod aduertens Celsus lib. 2. cap. 10. ita scribit. Neq; ignoro quosdam dicere „ quàm longissimè sanguinem inde vbi lædit esse mittendum: sic enim auerti materiæ „ cursum. At illo modo (scilicet ex proximiori parte misso sanguine quod prius dixerat) „ in id ipsum quod grauat euocari. Sed id ipsum falsum est, proximum enim locũ „ primo exhaurit: ex vlterioribus autẽ eatenus sanguis sequitur, quatenus emittitur. „

vbi

" *vbi is suppressus est, quia non trahitur, ne venit quidem. Videtur tamen vsus ipse*
" *docuisse, si caput fractum est, ex brachio sanguinem mittendum esse: si quod in hu-*
" *mero vitium est, ex altero brachio. An verò ex brachio dolente, liceat sanguinem detrahere, dubium est: Nam. 6. Aphorismorum, com. 22. descendente dolore ex dorso ad cubitum, ex eodem cubito præcipit sanguinem mittere, quoniam eò vergit na-*
" *tura. Quem textum ita transtulit Auicenna. 22. 3. tract. 2. cap. 7. in fine. Et si eue-*
" *nerit dolor in dorso in primis, & permutetur ad manus, tunc phlebotoma ex manu,*
" *vt egrediatur sanguis & humor, ex parte suæ declinationis. Interpretes autem in enarratione huius sententiæ valde hallucinantur: quidam enim eam intelligunt, fluxa iam prorsus materia: qui tamen ex ipsis Galeni verbis redarguuntur, quæ aperte humorẽ esse fluentẽ declarant. Alij plenitudinẽ prius fore deponendã ex altero brachio interpretãtur. Sed vacuatio quæ fit quo natura vergit, non seruatur in reuulsione quæ fit ex altero brachio, cũ tñ debeat seruari in casu aphorismi, vt cõstat ex cõmẽtario Galeni, & ex Auicẽna. Alij de dolore cubiti ex plenitudine venarũ brachij aphorismũ intelligunt, non de dolore ex inflammatione. Ex plena enim (inquiunt) parte, sanguis mitti debet, non ex inflammata. Redarguũtur tamen, quoniã si dum imminet inflammatio antequam ipsa fiat, competit vera reuulsio: melius ex plena, quàm ex inflammata parte, licebit sanguinẽ detrahere. Et profectò mirum esset, si partem inflammari aptam secaremus, quin phlegmone ob sectionem ipsi innasceretur. Quare dicendum, quòd in eo Aphorismo non docemur mederi dolori cubiti, sed dolori dorsi qui cœpit permutari ad cubitum. Iuuatur autem naturæ iudicium, sanguine misso ex eodem cubito, in quem vergit natura: impediretur autem ex contrario. Si nulla nanq; fiat permutatio, sed ex sanguine denuo ad brachium defluente dolor concitetur (siue is inflãmationem pepererit, siue solam vasorum brachij plenitudinem) secanda vena est, aut in crure qui est è directo, aut ex altero brachio, vt ex Galeno & Celso diximus non multo ante. An verò dolore existente in manu ipsa, liceat sanguinem ex eodem brachio detrahere, minus habet difficultatis. Quanquam & hic decipiatur Ioubertus quidã Monspeliensis, qui nulla ratione commodius sanguinem ad manum fluentem auerti posse censet: quàm si in eiusdem manus cubito venam aperias: vt sanguis qui fluebat, in medio cursus euacuetur. Nã si sanguini (inquit) fluenti, pateat exitus in cubito, quomodo extremam manum petet? At verò redarguitur, nam cum multi sint canales, nõ vnicus, per quos sanguis fluere posset ad manum, ex quouis sustinebitur fluxio: nec proderit vnum secasse, ni vniuersum brachium incidas. Sit ergo totius rei summa, quòd morbus per quem nulla pars afficitur, non eligit venam hàc aut illa parte sitam. Qui verò imminet in parte, quàm longissimè postulat auerti. Qui verò in parte incœpit non vili, si ex superioribus corporis partibus sit, ex brachio: si ex inferioribus, ex pede, aut poplite, poscit vacuari. Terminus autem partitionis, partium supernarum ab inferis, diuersimode statuitur à Galeno, atq; Hippocrate: nam quarto libro Aphorism. sent. 18.*

septum

septum statuit terminum his verbis Hippocrates. Supra septum transuersum dolores, purgatione indigere per superiora significant. Quicunq; verò inferiora molestant, per inferiora. Et. 2. lib. de ratione victus in acutis, sent. 10. & 11. in doloribus septo transuerso superioribus, detrahit sanguinẽ ex cubito: in inferioribus vtitur expurganti medicamento. Sexto verò libro Epidem. par. 2. com. 14. terminum statuit iecur, his verbis. Didicisti autem membra super iecur, venæ cubiti scissione indigere, infra verò crurum, in poplitibus nobis venam cædentibus, aut omnino saltem iuxta malleolos. Libro autẽ de sanguinis missione, cap. 18. Renes (dixit) ambiguos esse: quoniam vtraq; vacuatione æqualiter ferè iuuantur, ex brachio scilicet aut talo. Cui sanè dicendum, quòd cum omnes hæ partes, coniunctæ admodum sint, exigua inter ipsas est differentia, & ferè omnes ambigunt. Nam & 6. Epidem. citato, ob id dixit terminum esse iecur, quoniam conuexum ipsius, transuerso septo adnexum est: quo circa & quæcunq; supra iecur sunt, hæc eadem supra septum extãt, cor scilicet pulmo, & hæc ambiens pectus, adhucq; multo magis collum & caput. Renes verò ex altera parte, non valde à iecore distant: siti enim sunt propè venam cauam paulul um sub iocinore, adeo vt dexter qui elatior eminet, iecur ipsum nonnunquam attingat. Quanquam autem hæc tria membra, ob propinquitatem videantur ambigere: exquisitius quàm alibi Galenus loquutus fuisse videtur, vbi iecur terminum statuit. Primo, quoniã iecur inter ambiguos tenet mediũ, renibus enim & septo interiacet. Secundo, quoniam ab eius cauo oritur porta, quæ in omnia ferè deriuatur interanea: & à parte sima oritur vena caua, quæ in ipso fit bifida, & supremis partibus vnam, alteram verò imis progerminat. Merito ergo iecur statuitur terminus: quoniam venarum partitionis est origo prima. Tertio, quoniam iecur ipsum, si exquisitius expendatur, partem habet supremis numerandam, & partem quæ cum imis statuitur: concauum enim ipsius ex imis est, conuexum verò ex supremis, vt Galenus est autor. 6. Epidem. par. 2. com. 14. Vnde conciliator differentia. 197. in inflammatione exigua cauæ partis iecoris, quæ à causa primitiua casu scilicet, aut percusione pendet (si ipso fluxionis tempore occurramus) à pede, nõ autem à brachio detrahit sanguinem. Quòd tamen autores tacuisse perhibet, quoniam rarissimus est casus. Sed fallitur tum quoniã ex casu aut percusione, gibbũ potius, quàm cauum offenderetur: tum etiam quoniam siue hoc aut illud inflammetur, vtilius semper vena dextri brachij interna, quàm vena pedis secabitur. Post hanc verò semel aut bis adhibitã sectionẽ, iecoris cauũ, lien, ventriculus, intestina, mesereũ, & omẽtum, nullibi vtilius phlebotomãtur, quàm ex venis hæmorrhoidalibus quæ ad anum sunt. Nam à vena ianitrice hæc omnia nutrimentũ assumũt: à qua rursus hæmorhoidales venæ ducuntur: ob idq; ex earum sectione, ingens his membris sequitur iuuamẽtum, & multo maius, quàm ex sectione cuiusq; alterius venæ à caua ductæ. Non sunt autem scalpelli mucrone aperiendæ, nam cum non possint vinciri, non intumescunt vt cæteræ quibus aliqua parte corporis vincula iniciũtur: nec facilè sanguinis

earum fluor, cum secantur cõpescitur. Quare præstat hirudines, à mucore & sordibus purgatas, ipsis venis vehementer prius fricatis admouere. Quæ vbi hæserint, earũdem caudæ forfice sunt præcidẽdæ, vt sanguine per sectã caudã vacuato, ab attrahendo nõ desistant. Remouendæ autẽ sunt cum dimidiam sanguinis partem extraxerint: reliquum enim post hirudinum detractionem, solet è plagis suaptesponte effluere. An verò in inflammatione partium supra iecur, liceat aliquando sanguinem mittere ex talo, aut poplite, dicendum est: quòd si venæ brachiorum non appareant, aut si coniecerimus partes infra iecur, esse mandantes & transmittentes, (vt si ob menstrui, aut hæmorrhoidalis sanguinis suppressionem, angina aut pleuritis fiat) ex talo aut poplite sanguis est detrahendus: sic enim in cõtrarium vnde fluebat, agitur sanguis, & menstrua etiam cientur. Quæ omnia notauit Trallianus. Libro enim. 1. cap. 17. postquam in melancholia morbo, ex sanguinis copia nascenti, sanguinem abundantẽ ex cubito demere iussit, ita scribit. Quòd si à brachio vacuatio fieri nequit, tentandum est eam à poplite, & tali partibus moliri. Atq; hoc magis in muliebribus corporibus faciundum est: quippe menstruam purgationem prouocat. Cum autẽ venas cubiti non manifestas inueneris, eas quæ cõmemoratis locis subiacent, incidere tunc oportet. Nam ad affectum prædictũ sanguinis vacuatio est necessaria. Nihil igitur minus iuuabis, ex quacunq; parte sanguinem detraxeris, cum etiam omnia simul vacuentur, queadmodũ diuus Hippocrates ait, cõfluxus vnus, conspiratio vna, omnia consentientia. Et lib. 4 dum anginæ medetur, ad hunc modum scribit. In muliere autem venas ad talum aperui, cum ipsam mensibus nõ purgari cognoscerem: atq; illinc potius ei morbi occasionẽ obuenire. Ac duplex ægrotanti cõmodum ex eo subsequutum est, nẽpe consuetarum vacuationum admonitio, & affectus liberatio. Idem etiam in viris tentandum est, si ipsos sanguinem per venas in ano extantes, vacuare solitos didiceris. Quibus sanè verbis non explicat, an prima phlebotomia, an secunda sit ex talo facienda. Ego sanè si angina, aut pleuritis grauis esset, ob celeritatem subueniendi, primo venã brachij secarẽ, & deinceps talum aperirẽ: in leui verò, quæ non admodum vrgeret, ab ipso talo inciperem. Commune enim, ac maximũ præceptum est, ei semper quod magis vrget, subueniendum prius esse. Magis autẽ vrgere tũc quidpiam putamus, cum maius periculum est adlaturum, aut sine quo alterũ curari non potest. An verò in morbis partium iecore inferiorũ, vteri, renũ, vesicæ, testium, lũborum, coxendicis, atq; crurum: sanguinem liceat mittere ex brachio, an semper ex talo, aut poplite, sit vena secanda, dubium est. Vniuersale enim præceptum tradidit. 6 libro Epidem. par. 1. com. 6. Gal. quòd in partibus quæ supra hepar sunt, è manibus: in inferioribus autem, è talo, aut poplite, sanguis sit detrahendus. Et libro de sanguinis missione, postquã partes quasdam enarrauit, quæ ex sectione venæ cubiti iuuantur, ita scripsit. Sic quæ his inferiores sunt, illis quæ per poplites, & malleolos decurrunt. Sunt autem dictis inferiores, coxendix: vterus, vesica. Et libro. 6. Aphor. com. 36. quòd in morbis vesicæ, non

liceat venas manuum secare de Hippocratis mente, quoniam infra iecur locentur memoriæ mandauit. Et.13. libro Methodi, Renibus (dixit) & vesica, pudendo, & » vtero, sic habentibus, eas quæ in cruribus sunt sitæ, ac potissimum quæ circa popli- » tem sunt, sin minus eas quæ iuxta malleolũ: ac perpetuo quidẽ in omnibus eam quæ » è directo est. Cõtrariũ verò verius quibusdã videri posset. Primo, quoniã renes dixit ambiguos esse ad vtranq; vacuationẽ, lib. de sang. miss. cap. citato Galenus. Secundo, quoniã. 2. lib. de arte curatiua ad Glauc. cap. 2. in apostemate genu, sanguinẽ mittit ex brachio. Tertio, quoniam decimo libro de compositione medicamentorum secundum locos, capite de ischiade, in dolore coxendicis primo detrahit sanguinem ex cubito, deinde plenitudine vacuata ex pede. Paulus præterea & Aetius, dum inflammationi vteri medentur, venas cubiti prius secant, post eas verò quæ in poplitibus atque pedibus habentur. Et ratio videtur fauere, nam à principalibus membris magna ex parte fluxiones oriuntur: in ijs enim succi ad totius corporis nutritionem generantur. Ergo etiam si inferiora patiantur, eæ venæ prius sunt aperiẽdæ, quæ citius & magis principes partes exhauriũt: tales autẽ sunt quæ in cubito habentur, quarto libro acutorum, commẽtario vigesimoquarto, autore Galeno. Ijs etenim exhaustis, fluxio recta ratione cessabit. Quid in expeditione huius apparẽtis cõtradictionis sit sentiendũ, partim diximus, partim sumus dicturi. Diximus enim paulo ante (si nostri non sumus obliti) quòd si inflammatio est in parte vili, & quæ periculum non inuehat (magna præsertim existente plenitudine) ex distantissimo prius est vacuandum. Præstat enim morbus inducias simplicis reuulsionis, vt post tandem accedamus parti proximæ. Sic crure laborante (vt diximus) manus iussit vincire, decimotertio libro Methodi. Sic genu in tumorem sublato, ex brachio prius sanguinem mittit, secundo libro ad Glauconem. Sic in ischiade, brachij venam prius secat, decimo libro de compositione medicamẽtorum secundum locos. At vterus, renes, vesica, testes, nobiliores sunt partes, & inflammatæ non sic præstant inducias: ingens enim periculum promittunt, quare non licet in ipsis vti sola reuulsione, quæ sanguine misso ex brachio fit: sed propinquiorẽ venam oportet quærere in poplite, aut talo, quæ simul reuellat & euacuet plurimo inde sanguine misso. Quãuis enim sola, simplexq́; reuulsio, melius fieret ex brachio: interim tamen, in inflammatione contentus sanguis computresceret, dolorem inferret, & partem labefactaret. Quare præstat vnica ex talo aut poplite sanguinis missione, humorem fluere paratum, simul & eum qui in inflammatione continetur (antequam inemendabilem in parte inferat noxam) deponere. Quòd si vires non adeo constent, vt huiuscemodi sanguinis detractionẽ copiosam tolerare queant: satius est ex brachio prius reuellere, deinceps verò ex talo vacuare. Quod sanè Galenus, aut quisquis eius libri fuit autor, in libro de renũ affectorũ dignotione, ac curatione annotauit. Scribit enim, quòd vbi valida fuerit virtus, venam quæ in poplite est aperimus, vel quæ ad malleolos: sin imbecillis, venã quæ est in cubito. Quod sanè nos, nõ modo in renũ inflãmatione,

matione, sed etiã vteri, vesicæ, & pudendorũ, seruandũ esse cõsulimus. Nã Galenus ex talo sanguinem mittere præcipiẽs, supposuit vires adeo esse robustas, vt per vnicam sanguinis missionem ferre valeant euacuationem cum auersione simul. Vbi verò vires tantam nequeant ferrè vacuationem (quòd ferè nostro tempore fit, ob vires iam imminutas) tutius est cum Paulo & Aëtio, internam cubiti venam è directo sitam secare, & demum eam quæ in poplite, aut talo est. Nam per ionem si pleno existente corpore, parcam vacuationem ex pede adhibeas, humoris cursum ad vterũ, vesicam, renes, aut pudenda inuitabis: & retentrix corporis facultas, quæ suaptesponte est imbecilla, nõ retinebit humorẽ, sed vniuersa materia præceps rapietur, & partem assiduo defluxu impetet. Nam si sanguinis detractio ex pede, menstruas purgationes mouet, & ex cubito reuellit, vt libro de sanguinis missione, cap. 18. autor est Galenus: cur incipiente vteri inflammatione, parcam sanguinis detractionem ex talo, aut poplite, non timebimus? Cum Galenus præsertim libro. 2. de arte curatiua ad Glauconem, cap. 2. eo timore perculsus, in vteri inflammatione ex brachio qui è directo est reuellit, & ex crure deriuat per communes venas. Sunt autem Galeni verba, quæ sequuntur. " *At ex positu indicatio, neque ipsa negligenda est: nam per quæ euacuare oporteat, aut quomodo, ipsa præcipuè demonstrat. Fluentium igitur humorum retractio (sic enim Hippocrates nominat) eorum autem qui iam membrum obsederunt, deriuatio medella est. Vtrunq; autem vacuationis genus, per communes venas fieri præcipit: veluti in locis muliebribus in contrarium trahes, si eas quæ in cubito sunt secueris venas, aut mammillis cucurbitas apposueris, vel manus cõcalefeceris, & fricueris, atq; alligaueris. Deriuabis autẽ, si eas quæ in poplitibus, aut talis, venas diuiseris, & cucurbitas coxis applicueris, & crura calefeceris, ac perfricueris, atq; alligaueris. Et siquidem in parte dextra locorum passio fuerit, à dextra manu, aut crure detraxeris sanguinẽ: si verò in sinistra, à membris quæ illi in directo sunt.* " *Circa quæ Galeni verba dubitare est, quomodo tam reuulsionem ab vtero quæ fit ex brachio, quàm deriuationem quæ ex crure obitur, per communes venas fieri dicat, si venæ iecore superiores, cum inferioribus quæ ad crura tendunt communitate carent, vt ex Galeno docuimus? Cui dicẽdum, quòd per venas communes hic non intellexit, eas quæ societatem inter se seruant, siquidem ea carent venæ brachiorum cum vteri venis: sed (quod infra repetemus) venas cõmunes interdum appellat venas magnas, quæ sanguinẽ pluribus partibus cõmunem continẽt, sicut cõtra homogicas appellat eas, quæ particulares aut priuatæ sunt, quoniam partem cui dantur solam nutriũt. Inquitq; quòd tam reuulsio, quàm deriuatio, per venas magnas, non autem per homogicas fieri debet. Hæc de indicatione à situ partis sumpta, vniuersim dicta sufficiant, vt ad alias indicationes orationem nostram conuertamus.*

Ex plenitudine vasorum totius corporis, aut paucitate materiæ in ipsis redundantis, indicatione sumpta: diuersam venã deligẽdam esse diximus. Nam in magna

plenitudine, ex distantissimo maximeque contrario est vacuandum: tunc enim verisimile est, ex vniuerso corpore sanguinem in partem ægram confluere. Si minor plenitudo sit, vicinior vena est tundenda: nam tunc ex vicinis partibus, atque è directo, fluxionem potius oriri par est. Si verò admodum pauca materia in toto redundet, ex ipsamet parte plena & inflammata, scarificatione, cucurbitula, aut calido atque digerente fomento, vacuare oportet. Nam si totius corporis plenitudine laboranti, pleuritis læua in parte fiat: verisimile est, ab vniuerso corpore in partem inflammatam, humorem decurrere. Te enim percontor, si ante pleuritidem, signa affuerunt vniuersalis plenitudinis, venarum tumor, oculorum rubor, dorsi, ac totius corporis tensio, atque grauitas sensata: antecessitque causa vniuersi corporis sanguinem commouens. (sol inquam, ira, labor, aut balneum:) non ne tunc membra omnia commota, & sarcinam deponere cupientia, huc atque illuc sanguinem impellūt, vincuntque fortiora, & in debiliora deponunt? Siquidem dextrum latus est imbecillius, in eum fit dicubitus: in læuum verò si sinistrum: ita vt verè dicere possis, vnū latus in alterum exonerari: alioqui duplex, non vnica semper fieret pleuritis. Reuulsionis autem natura est, in eãdem partem trahere à qua fluere incœpit, ab aduerso ergo latere, commodissimè quantum ad hanc indicationẽ attinet, prima sanguinis detractio fiet. Siue enim à brachio, siue à pede eiusdẽ lateris, materiã reuoces: periculũ est ne obiter in ægrã partẽ incidat. Cuius omnino securus fies periculi, si ad diuersum latus retraxeris: in eum enim haud difficulter, etiam qui in altero latere sanguis redundat, illabetur à reuulsorio remedio inuitatus: & qui per venam cauã discurrit, cum ad eiusdem venæ bifurcationem quæ in iugulo est peruenit, si ad sinistrum latus tendere solebat, facillimè in dextrum illabetur, à venæ in dextro brachio sectione vocatus. Vnica autem ratione sola, à dicto periculo securus fies (omnium quotquot hanc rem tractarunt sententia) eiusdem lateris venam tundens: si plurimum scilicet sanguinis semel vacues, ita vt vniuersam plenitudinẽ demas: ne quid restet amplius fluxioni paratũ, & in inflãmatione contentũ sanguinem pariter abstrahas. Huiusmodi enim fœlicissima esset vacuatio, & quæ citissimè reuelleret, & euacuaret, ac morbum penè extirparet. De qua loquutum fuisse Hippocratem, atque Galenum. 2. acut. sent. 10. & 4. acut. sent. 73. & 74. ad sanguinis vsque mutationem ex eodem latere vacuantes, non dubito. At verò cum nostra ætas non adeo frequenter ferat largissimas sanguinis detractiones, quales antiqui ferebant, vt capite vigesimoquarto huius tractionis diximus: rarius fit vt sanguinis eam permutationem expectare queamus, vt expectabant antiqui. Offerent sese tibi robustissimi quidam homines, quos nostra ætas interdum fert, in quibus periculum tutò facies, & citò persanabis eosdẽ. Non paucos tamen offendes, qui largissimæ vacuationi non sufficiant, sine graui discrimine: in quibus aut mors intempestiua, aut (quod cauit Aëtius, & nos anteacto capite monuimus) pro pleuritide, pulmonia ob imbecillitatem succedat. At quid incommodi sequi remur percon-

conta-

contaberis, si ex eodem latere sanguis in corpore pleno parcius detrahatur? tibi responsum esse volo. Primo, quòd humor ex parca sanguinis detractione agitatur, & fluxilis redditur. Secundo, quòd cum non vacuetur plenitudo, ex incœpta euacuatione inuitatur, & in ipsum latus adducitur. Nec valet si dicas, aut non trahi prorsus, cum Celso dicente, quòd eatenus sequitur, quatenus educitur, quare si non amplius vacuatur, ne venit quidem: aut quòd trahitur ad brachium, non ad pleuram, inter quæ est sufficiens distãtia. Non valet (inquã) nam si venæ sectio, non habet vim vocãdi ad se, vt quid in præcautione à futuro malo, non licet sanguinem mittere ex parte vicina, aut saltem ex non distantissima? Vt quid præterea in mensibus detẽtis, iterata detractione sanguinis ex talo vtimur, vt eosdẽ suppressos moueamus? Vt quid naturam assuescere, in partẽ à qua fit detractio docent autores? Ab ipsa præterea parte cur non vacuamus à morbi initio, si eatenus tantum trahitur sanguis, quatenus educitur? Quòd verò ad venam brachij trahi, non autẽ ad pleuram dicunt alij, ridiculum est. Primo, quoniam ea vena, non est adeo capax, vt vniuersam plenitudinem capiat. Secundo, quoniam cum magnam societatem ea vena habeat cum pleura inflammata, facilè se sanguis ex ea dabit in præcipitium: qua enim facilitate, ex inflãmatione sanguinem vacuat, eadem in ipsa abundantẽ impartietur parti inflammatæ. Quin facilius multò erit, à superioribus partibus grauari inferiores: quàm humorem suapte sponte grauem, sursum auertere. Responsio verò Brisoti, quid longinquius (inquit) quàm extra corpus ducere, insulsa est: & miror sanè quòd quibusdã doctis placuerit. Nam ea ratione, sectio etiam in ipsa parte inflammata, traheret ad longissimum. Quare (quantum ad hanc attinet indicationem) cum ægris bene agi existimo, si plenitudo subsit ingens, vires autem non adeo constent vt plenam vacuationem simultaneã tolerare queant: aut alia fortè adsint quæ minorem sanguinis copiam detrahendam fore suadeant (de quibus cap. 23. egimus) si ab interna vena aduersi lateris in pleuritide sanguinem parcius mittamus, deinceps verò ad comparem eiusdem lateris in quo inflammatio sedet, venam accedamus. Nisi doloris vehementia (quæ frequentius solet adesse) contrarium faciendum esse suadeat: tunc enim ab eodem incipiemus parcius detrahentes, donec doloris vehementiam sedauerimus: & rursus ad aduersum (ex quo fluxionis originem esse coniectauimus) properandum erit: ne iterum fluxio maiori fortè impetu, in partẽ quæ affici cœpit feratur, & irruat. Galeni hac in parte, vtilissimum præceptum semper obseruantes. 6. Epid. par. 2. com. 8. vbi nõ esse insistẽdum toto fluxionis tẽpore in reuulsorijs remedijs, sed interim interponendũ esse mediũ tẽpus vacuationi noxij humoris in parte contenti cõsulit: ne humor in mẽbro diutius remanẽs, ipsum cõtristet, tũ multitudine distendens, tum qualitate discrucians. Fit nanq; ex huius consilij obseruatione, vt fluxio cesset tũ ad suã originẽ retracta, tũ sedatis dolore, ac calore partis, quæ fluxionis non leues causæ sunt.

Ex morbi quoq; magnitudine, atq; symptomatis vehementia, aut lenitate,

diuersa vena secatur, tum in pleuritide, tum etiam in quauis altera inflammatione. Si enim morbus atque dolor leuis sit, parumque vrgeat: negocium totum naturæ, & leuioribus remedijs, committit in pleuritide Galenus. 6. libro Epidemiarum, parte. 3. comment. vltimo. Si verò ingens sit & vrgeat plurimum, citißimè reuellere, ac euacuare conuenit, ex proxima aliqua vena. Quod in acuta pleuritide fecit Hippocrates. 2. libro de victu acutorum, comment. 10. Et in angina lethali, quæ breui strangulat, & non præstat inducias diuertendi, primo die secat Trallianus venas linguæ subiectas. Et vniuersim in sæuis doloribus, proximum ventrem exhaurire, & sanguinis ventrem rescindere, iußit Hippocrates. 6. lib. Epidemiarum, par. 6. commen. 5. Sed iam hic plures, qui de Galeno bene mereri se prædicant, auribus (quod aiunt) teneo: ob id enim tradũt nunquam licere ab aduerso latere sanguinem in pleuritide detrahere: quoniam (inquiunt) omnis pleuritis plus vrget, quàm vt præstet inducias simplici reuulsioni: ob idq; simul reuellunt, vacuãt, & deriuant, ex eodem latere. Nos verò locum Galeni, è. 6. libro Epidem. par. 3. comment. vltimo, indicauimus nuper, in quo pleuritides tam simplices memorat, vt nec ad sanguinem mittendum nos cogant. Et erunt necessariò inter has leuißimas, & grauißimas illas quas pingunt, mediæ quædam pleuritides, quæ sanguinis mißionem poscant, & ad citißimam deriuationem non cogant. Ne verò quispiam eum Galeni locum me finxisse putet, neue eum hic desideret, ipsißima Galeni verba subiungam, quæ sic habent. Id mihi vlterius animaduertere contingit, cum librũ de Humoribus explanarem. Inter explanandum enim quendam ægrotum intuitus sum, qui me vt sanguineo sputo vexatus accersiuit: sed cruenta ob lateris affectum expuebat. Sputum igitur ego conspiciens, ipsum interrogaui num aliquem dolorem in latere sentiret? ipse verò exiguum se dolorẽ percipere fassus est: talis autem erat eius habitus, atq; vires, vt si sanguinem expuisset, quoniam morbi magnitudo vrgeret, ad secandæ venæ auxilium accedere ausus essem. Sed cum morbus lateralis mitis admodum foret, necesse non fuit, ideo neque id genus remedij adhibuimus: atq; euidenter hominem hunc lateris morbo laborare cognouimus, & alijs huic morbo conuenientibus remedijs, citra venæ sectionem subleuatus est. Mitissimi enim illi sunt, in quibus cruenta sputa eijciuntur. Hæc Galenus. E quibus fortè, persuasus Rasius libro diuisionum, in pleuritide sanguinea, ex brachio opposito sanguinem detrahit primo, post tertia die, ex eodem: in biliosa verò, ab ipso morbi initio sanguinẽ mittit ex eodem brachio: quoniã vt sanguineæ sunt mitiores, ita biliosæ sæuiores. Præstat autem morbus mitis inducias diuertẽdi: sæuus verò cogit symptomatis leuitionem accelerare. Si enim in pleuritide biliosa, quæ lateris dolorẽ ingentẽ infert, statim ab initio eiusdem lateris vena interna non secetur: dolor ipse non lenietur, & facultas præ doloris vehementia prosternetur, phlegmoneq; augebitur: quoniam dolor est de maxime trahentibus, ac prosternentibus virtutem. Quanquam ergo sit præceptum in humore fluente, trahere ad distãtißimũ: intercedunt tñ quãdoq; aliæ

indi-

indicationes suadentes minorem distantiam: ob quas eligitur modica, non extrema. Inter quas est vna eaq; maxima, in angina strangulatio, & in pleuritide doloris vehementia: in quibus magis intendimus strangulationem impedire, & dolorem leuare, quàm humorem auertere. Hæc autem commodius facit, sectio ex propinquo, & è directo partis affectæ, quàm ex longiori, & diuerso. Atq; hoc Galenum voluisse credo, 13. lib. Methodi, cum dixit, Ad partes quæ maximè longinquæ sint, semper reuulsionem facies: æstimata tũ phlegmones magnitudine, tum corporis totius statu. Phlegmonis enim magnitudo, & vrgẽtia propinquius accedere: paruitas verò recedere longius suadent. Phlegmonis autem magnitudo, tripliciter intelligatur, iuxta ipsius Galeni doctrinam. 4. libro Methodi post medium, nempe vel propter afflictæ partis præstantiã, vel propter affectus magnitudinem, vel propterea quòd sunt cacoëthæ. Nam externorum membrorũ inflãmatio, cum minus vrgeat quàm ea quæ intus habetur, non poscit tantam propinquitatem: quæ verò partes internas, ac nobiliores obsidet, vrget maximè, & ad citam deriuationem nos cogit. Quare in inflãmatione externa thoracis, aut musculorum intercostalium, aut brachij, aut humeri, non dubitarem ex altero brachio sanguinem prius detrahere. Vnde Celsus libro. 2. cap. 10. si quod in humero vitium est, ex altero brachio sanguinem detrahit. Et. 13. libro Methodi, vno crurum male habente, reliquum scarificat Galenus. An verò exquisita pleuritis (quæ in membrana costas subcingente fit) debeat inter internos, an inter externos morbos numerari, non vsq; adeo constat. Videtur enim ex internis, quoniam intra costas continetur, & intus per tussim commodam habet expurgationem. Videtur quoq; ex externis, quoniam pleura costis alligata est, interna membra intus suspensa continens: perinde atq; abdomen continet iecur, lienem, intestina, & ventriculũ, quæ intus in corpore, veluti pendẽtia sunt. Sicut ergo abdomẽ inter externa connumeratur, ita & pleura, quæ non est profundior abdomine, sed in eiusdem directo. Abdomen verò, inter externa numerari, docuit Gal. 6. Apho. com. 7. vbi enarrans Hippocratis sententiam (dolores ventris sublimes leuiores, qui verò non sublimes fortiores) ita scribit. Sublimes nunc intelligendi sunt, non secundum longitudinem corporis, sed profunditatem. Interstinguntur autem hi, in locis ad ventrem attinentibus, interiore abdominis membrana: adeo vt quicunq; supra hoc fiunt, sublimes vocentur: qui verò infra, hoc est in ipsis intestinis, atque ventriculo, non sublimes dicantur. Liquet autem, quòd tales rectè dixit esse fortiores. Quare dicendum videtur, quòd vera pleuritis inter externos & internos morbos ambigit: nec enim adeo est grauis vt pulmonia, nec tam leuis vt cutis, aut intercostalium, vel externorum musculorum inflammatio. Quo fit, vt ratione magnitudinis morbi ex partis præstantia sumptæ, non magis vnum quàm alterum latus in pleuritide ferire debeas: quoniam pleura, nec est pars prorsus interna, nec valde nobilis, nec actionem aliquam exhibet admodum necessariam. Si verò duæ aliæ rationes magnitudinis accedant, scilicet quòd

inflammatio sit ingens, aut maligna, doloremq́, & febrem, & alia symptomata, afferat angustiosa: illico ex vena dextri brachij interna, sanguis est copiosè detrahendus. Siq́ dolor sit adeo grauis vt vires dissoluat, qui nec ex internæ sectionibus sedetur, nec moram concedat procrastinādi alia remedia: cucurbitula scarificata ipsi lateri affecto est inter venæ sectiones interponenda, vt proximo ventre euacuato, dolor quadantenus sedetur, ex Hippoc. consilio, 6. Epidem. par. 6. sent. 5. & rursus eiusdem lateris interna est secāda, iterumq́ si dolor postulat cucurbitula est affigenda, vt inter retrahentia auxilia partis ipsius euacuationem interponamus, iuxta Gal. consiliū. 6. Epi. par. 2. com. 8. Sed insultat argēterius ad hūc modū, Si proximæ venæ sectio succurrere potest vrgentissimis doloribus, & partium principiū inflāmationibus: cur etiam in leuioribus affectibus, & partium ignobilium inflāmationibus non opitulabitur? cur sinemus ignobiliores partes diu vexari, & leues morbos diutius protrahi: si ad medici præsertim officium attinet, citò, tutò, & iucundè mederi, vt scribit Galenus lib. 13 Methodi? Qua insuper ratione in leuioribus affectibus & fluxionibus, præcipiemus ad distātissima reuellere? quandoquidē Gal. 4. Methodi ante finem solam deriuationē sufficere dixit, vbi leuiter fluunt humores, vel inueterata sunt mala: maximas verò reuulsiones (quales sunt, quæ ad distantissima fiunt) tunc necessariò adhibēdas fore præcepit, quādo vehemēs est impetus, & motus humorum. In genu præterea inflammatione, ac fluxione (quæ nonde-uis, sed asperrima esse solet) sanguinem mittit ex cubito Gal. 2. lib. de arte curatiua ad Glauc. non pēdet igitur propinquitas venæ secandæ, ex grauitate affectus & symptomatum: nec distantia ex leuitate: sed quia fluxioni semper est vna eademq́ ratione renitendum, siue grauis, siue leuis, sit affectio. Quibus tamen respondendum est, quòd vbi ingens est dolor, sanguis è proximo ventre debet hauriri, vt dolor prius sedetur: tum ne vires conficiat, tum etiam quoniam dolor est validū attrahens: qui ergo à doloris lenitione orditur, doloris ipsius causam prius subtrahit, & rectè procedit: maius enim tunc fit iuuamētum (scilicet lenitio doloris, & virtutis tutela) quàm sequatur nocumentum ex tractu materierum, quod aliquatenus impeditur, reuellētibus ad partes valde distantes adhibendis. Vbi verò dolor leuis est, si proximam venam incidamus, non operamur ex arte: sed incidimus in periculum tractus humorum, exiguo, aut nullo accedente iuuamento. Sic in angina strangulāte venas aperimus sub lingua prius: quoniam quāuis melius, securius, & magis ex arte factū esset, si cephalicæ sectiones præmitteremus: interim tamen strāgularetur æger. Sic in pleuritide præ dolore nos conficiente, & inflāmationem valde augente, cucurbitulam scarificatam lateri apponimus, & post reuellimus. Sic 6. libro Epidem. par. 2 sent. 8. ita scribit Hippocrates. Deriuare, cedentem retrahere, renitentem cedere. Per quæ tria verba, trium seriatim, & ordine quodam, in vehementibus doloribus à nobis agendorum, nos voluit qua solet breuitate admonere. Primo, quòd deriuemus ad proxima, materiam in parte inflammata contentam, vt

dolor

dolor leniatur. Secundo, vt statim retrahamus materiam quæ cedit tractioni, ob sectionem factam in parte propinqua. Tertio, vt materiam in inflammatione residuam (quæ nec deriuari per proxima, nec transferri in longinqua potuit) concedamus naturæ resoluēti, aut per sputum (verbi gratia) aut per insensilem resolutionē. Sic Galenus 2. libro de ratione victus in morbis acutis, com. 10. Ob acutiem morborum partium inflammatarum thoracis, venam internam affecti lateris scindit, quoniam communi & cephalica est propinquior, in hæc verba. Nos verò partem eam quæ phlegmone obsidetur, tū celeriter, tum quàm cæteras partes magis, in acutis præsertim morbis vacuare contendimus. Quod sanè interna cubiti vena facit, multoq; magis vbi sanguinis redūdātia ad superiora vergere videatur, aut superiores thoracis partes affectæ sint. Quæ cum argenterius ignorauerit, malè Galenum erroris insimulat; & iuuenibus imponit, vt vtilissimam & valde necessariam curandi rationem, ex vehementia, aut lenitate morbi & symptomatum, hac in parte desumptam, negligant: Vbi enim mors, aut casus virtutis, ex horum grauitate impendet, venas linguæ aperimus in angina: & cucurbitulam scarificatā admouemus, pleuriticorū lateri, ante alias euacuationes. Sic etenim ægrū ab orci faucibus eruimus: in quas eundem coijceremus, si in angina aut pleuritide leuioribus, ex quibus præsentaneū periculū non impēdet, huiusmodi vacuationes ante totius corporis integram vacuationem tentaremus. Nec tamen ex hoc credat in leui omni malo longius nos auertendum esse præcipere: tam leuis enim interdum est pleuritis, vt sanguinis detractione non indigeat, autore Galeno. 6. lib. Epidem. par. 6. com. 5. Quo casu libro 2. de ratione victus in acutis, comment. 1. in pleuritide: & 6. libro Aphorismorum, com. 31. in ophthalmia fomentum tētat, vt digerat exiguum sanguinem: Quod tamen reijcit si statim non sedat dolorem (quamuis enim leuis sit affectus, grauior est tamen quàm vt solis localibus debeat sanari) & deriuatione per propinquam aliquam partem tunc vti docet in pleuritide, secta interna eiusdem lateris (quoniā propinquior alia non reperitur sectioni opportuna) in vteri morbis deriuatione ad vias vrinæ, & in morbis vesicæ ad vterū, iuxta Galeni doctrinam. 4. libro Methodi ante finem: ne eum locum nostræ sententiæ aduersari credat argenterius: Nā leuis altera inflammatio, aut dolor, quæ quoniā minus vrget reuulsionē ad distantissima poscit, absolutè grauis est morbus, & vehementē fluxionem habet adiūctam: leuis autem appellatur in collatione alterius vehementissimi, qui nō præstat inducias prius reuellendi ex distantissimo, & deinceps deriuandi ex proximo. Sunt nanq; (vt scribit Hippocrates, primo libro de morbis, nō longæ ab initio) quædam morborum occasiones, repentinam curationem postulantes: in quibus paulò posterius non sufficiunt medici: plerią; enim paulo posterius pereūt. aliæ verò quæ tardius, & per longiora interualla curari poscunt, quæ si celerius curentur, planè læduntur. In illis anteponenda est celeritas securitati, in his verò securitas, celeritati remedij.

Origo fluxionis venam secandam variat, interdum enim pars ipsa affecta, ob calorem aut dolorem, ex alijs attrahit: aliás verò pars alia in ipsam humorem transmittit: interdū autē totū corpus in ipsam se exonerat. In prima pars ipsa affecta, in postrema latus aduersum, in media pars ea à qua fluxio oritur (si venam habet sectioni opportunam) est secanda: sin minus proxima aliqua vena est tūdenda, per quā humores ad ipsam fluxionis originem, aut ei quàm finitimam reuocentur. Sic enim exactißima fiet reuulsio, per quam fluxiones motu prorsus contrario sistūtur: quāuis in ea reuulsione amittatur rectitudo, aut communitas vasorū. Nec obstat, quòd rectitudinem, & communitatem, seruanda esse præceperit Galenus, tam in reuulsione, quàm in deriuatione obeunda. Frequentiam enim, & non perpetuitatem, hoc præcepto significauit: quoniam scilicet fluxiones per rectum magna ex parte fiunt, & quodlibet latus suam habet dispensationem. Vbi tamen medicus nouerit, naturā in fluxionibus rectitudinem, aut communitatem violare (quantumuis rarò id fieri soleat) medicus quoq; easdem violet necessum est: vt motum contrariū, morboso motui semper opponat, reuocetq; fluxionem eò vnde eius extitit origo. Quod quoniam non semper est obuium, sed abstrusum & sæpe latens, valde considerandum, & indagandum fore consulit Hippocrates. 6. libro Epidemiarum, par. 2. sent. 15. vbi ita scribit. Consideranda hæc, quo, & vnde, & propter quid. Et Galen. 1. libro ad Glauconem, cap. vltimo, ita scriptum reliquit. Et quidem has & alias excretiones omnes prænoscere licet, si hæc duo tantū considerauerimus, & vnde naturæ motus agatur, & in quam partem. Nam & quæ deficiunt adiuuabimus, & quæ immoderatè feruntur coërcebimus, si ista nouerimus: veluti confestim sanguinis fluxus ex splene, magnæ cucurbitæ sinistris præcordijs suppositæ facilè retrahūt: at qui ex hepate prodeunt dextris, & qui ab alijs mēbris eadem ratione. Hinc. 2. lib. ad Glauc. cap. 2. Galenus, in genu inflammato cum corporis plenitudine, & lib. 10. de compos. medic. secundum locos, cap. 5. in ischiade sanguinea, ex brachio primum reuellit, cōmunitatem vasorum spernens: quoniam ex superis partibus in quibus humorum est officina, in imas fluxionem deriuari credit: satagitq; contrarium motum facere ad originem potius reuellendo: quàm vasorum communitatem obseruare. Quā sententiam transcripsit Paulus lib. 3. cap. 77. Sic Aëtius sermone. 2. 4. tetrab. cap. 21. de testium & scroti inflammatione agens, ita scribit. Et si inflammatio vehemens fuerit, præsertim in iuuene sanguinem multum habente, vena cubiti secanda est (si id fieri potest) sin minus tali, nam & hanc secare prodest, vbi sanguis nō fuerit multus. Et cap. 30. in inguinis inflammatione cubiti venam secat, tantumq; sanguinis detrahit, quantum plenitudo postulat, vt ad supernam originem reuocet fluxionem infra factam. Sic Alexander Trallianus, lib. 7. cap. 1. dū sanguinis reiectioni, per venæ sectionem in cubito mederi iusserat, ita scribit. Iuuat ipsos nihil minus, etiam ex imis corporis partibus sanguinis detractio. Noui autem ego me cum venæ cubiti in conspectum non venissent, etiam ex venis in talo sectis sanguinem demisisse,

" & multo magis profecisse. Non solum quoniam(vt ipse inquit Trallianus) mate-
" riæ ad longinquiores partes prouocatio, firmiorem multò reuulsionem efficit(ex ea enim ratione, semper prodesset magis) sed quoniam ex origine inferna irruere defluxiones istiusmodi(in quibus magis per tali, quàm per cubiti sectiones proficimus)recta ratione possumus coniectare. Sic experimentum ostendit, quòd multi pleuriticorum dolores, qui per sectiones internæ venæ quæ è directo est, noluerunt sedari: secta interna aduersi lateris sedantur: cum nimirum origo fluxionis ex altero erat latere: Quod quanuis raro, fit tamen interdum. Quam raritatem voluit significare Galenus. 5. lib. Aphor. com. 68. dextrum & sinistrum, inter reuulsionis differen-
" tias memorans, in hæc verba. Auersio autem ad contraria fit, secundum longitudi-
" nem quidem, supra & infra: secūdum latitudinem verò, hinc inde, hoc est à dextris,
" & à sinistris: secundum altitudinem verò, ante & retro. Et libro de reuulsione,
" vbi ita scribit. Atq; vt summam rem complectar, ita reuulsio efficitur: in humo-
" ribus videlicet partes superiores petentibus, ad inferiores: & contra si inferiores pe
" tant partes, ad exteriores, & contra ad dexteram similiter partem, aut læuam: item
" in anteriorem, aut posteriorem siquid defluxerit, ad oppositas partes reuulsio facien
" da est. Accedit & ratio, nam ex cuiuslibet venæ sectione vniuersum corpus vacuatur, & venæ omnes exhauriuntur: quanquam impari id celeritate & dissimiliter contingat, vt. 2. libro acutorum, com. 10. scribit Galenus: si ergo aut à toto, aut latere aduerso, est fluxionum origo, inde reuellendum est. Nec hanc indicationem prætermittere licet, quoniā difficilè agnoscatur motus initium: licebit enim interdū quibusdam coniecturis, & aliâs firmioribus inditijs, ipsum consequi: in quod eniten dum esse, consulunt Hippocrates & Galenus. 6. lib. Epidem. par. 2. com. 15. & 1. ad Glauc. cap. vlt. alioqui superfluus esset is labor. Nam cum vniuersum corpus (antequā in partē aliquam irrueret sanguis) plenum & grauatum præsensit æger, & causa quæ eam plenitudinem cōmouit, vniuersum corpus & sanguinem vndiq; commouere est apta(vt sol, ira, aut labor) tunc à toto cōfluere coniectamus: sicut ab vno laterum, si in eo solo grauitatem præsensit. A toto insuper corpore sanguis & praui vapores in caput feruntur, cum per febres acutas phrenitis fit. Et ab ipsa parte inflāmata fluxionis originē pendere intelligimus, si icta, vulnerata, aut calfacta fuit prius. Sicut à capite in subiectas partes humorē defluere existimamus, si præcessit calor dissoluēs, aut frigus exprimēs. Cū ex pleuritide præterea fit perimneumonia, aut phrenitis, ex affecto latere permutatio fit. Cum mēses cohibētur, aut hæmorhoides, aut antiquum vlcus manare solitum: inde progrediuntur fluxiones, eòq; sunt reuocandæ. Cum insuper secta vena quæ è directo est, & communitatem cum parte affecta seruat, non leuat aut sanat affectum, coniectandum est fluxionis originem alibi esse positam. Quod interdum tertio die in lassitudine phlegmonosa(in qua aut in thorace, dorso, siue lumbis, aut in capite, & collo, tensio pulsansq; dolor figitur) faciendum esse docet Galenus, ad reuulsionem, & translationem fluxionis, in

suam originem. Ita enim lib. 4. de sanitate tuenda non longe à fine, scriptum reliquit. Quoniam igitur in hac quæ veluti phlegmone fatigat lassitudine, vis calidi sanguinis cōgesta in corporis mole est: venæ autem sectio succos è vasis emittit, vtile est post priorem detractionem tantisper intermittere, dum aliquid eorum qui in corpore sunt humores remigret ad venas. Quod tamen quoniam commitendum nō est, vt in his maneat, vtpote ex dimidio corruptum, sed potius plurimum eius expellatur: idcirco detractionem sanguinis etiam secundo die iteramus: aliquando verò & in tertio, vbi videlicet & reuellere, & ex alijs in alia transferre visum est conducere. Quibus verbis constat, quòd per primam sanguinis detractionē, succos è venis emisit Galenus. Per secundā verò, quod ad easdē venas per priorē sanguinis detractionem inanitas è corporis mole remigrauit educit. Tertiam verò non semper, sed aliquando adhibet, cum nimirum fluxio non cessat per eiusdem lateris sectiones factas: ex quo fluxionis originem aliunde (ab altero nempe latere, aut ab alio membro) nasci suspicamur. Nam non video quomodo aliter reuellere, & sanguinē alior sum transferre in tertia sectione studeret. Quo casu ex altero latere, aut ex vena quæ cum origine societatem, ac propinquitatem habet, detrahendus sanguis est: vbi videlicet fluxionem quæ non restitit per priores sectiones, reuellere, & ex alijs in alia tranferre, visum est conducere. Quæ si rectè respondeat coniectura, & sanguine misso fluxio magis auertitur, dolorq́ leuari conspicitur: iam coniecturæ metas transgredimur, & scientificam firmamq́ cognitionem nacti sumus: quod eò oporteat reuocare humores (quantūuis aut rectitudo, aut communitas desit.) Cum verò fluxionis ignoratur origo, ad partes distātissimas reducimus, nō quidē ad omnes, sed ad eas quæ è directo sunt, & venā habent cōmunē cū venis affectæ partis. Primo, quoniam cum fluxionis origo ignoratur, ad frequentiorem originem est recurrēdum: quæ in eodem habetur latere. Secundo, quoniam quanuis origo prima ignoretur, necessariò & citra ignorantiam aliquam scimus, quòd per propinquas venas coniunctas cum parte affecta fluant humores. Ei ergo fluxioni, vtiliter per sectionem eiuscemodi venæ quæ coniunctionem, & rectitudinem seruat, cum venis affectæ partis medebimur. Quòd si plures vna sint venæ coniunctæ è directo sitæ, ea deligenda est, in quàm natura magis vergit, aut quia turgidior est, aut quia pars in quam ipsa inseritur, aut sibi proxima, grauior redditur, condoletq́ magis parti affectæ. Ob id enim condolet magis, & grauitatem sentit, quoniam per eam magis exonerari studet natura, & eo vergit, ac viam remedio parat, & indicat. Quod voluit conceptis verbis significare Gal. 2. lib. de ratione victus in morbis acutis, com. 10. in hæc verba. Pro eorum qui inflammationem pariunt humorū vergentia, inclinationeq́, vacuationes facit Hippocrates. Nempe quod dicitur, quò natura vergit per loca conferentia eò ducere, id verissimum existit. Contingit autem interdum id ob differentiam partium eius quæ costas succingit membranæ. Nempe superiores ipsius partes cum inflammantur, ad humerum, brachiumq́, & mammam, condolentiam

" tiam extendunt: inferiores verò ad septum transuersum, & hypochondrium. Cum
" igitur superiorum condolentia signum fecerit, venam secare in cubito eam oportet,
" quæ sanguinem ab affecta parte, & magis, & velocius, tum reuellere, tum vacua-
" re posit. Verum si partibus infernis affectus consenserit, purgatione vacuare ex-
" pedit. Rectè autem grauitatem circa brachium esse, & non dolorem dixit: nempe
" quòd hoc in loco sanguis magis aceruetur, repatq; signum est grauitas quæ ex mul-
" titudine fit. Tensiones autem & in sola affectus participatione fieri consueuerũt:
" cum videlicet partes ijs quæ inflammantur attiguæ, citra sanguinis redundantiam
" tenduntur. Sexto etiam libro Aphorism. comment. 22. in doloribus qui ex dorso ad cubitum descendunt, ex cubito in quem vergunt sanguinem detrabit, eumq; locũ opportunum tunc esse decernit.

Ætas præterea morbi, venam secãdam variat. Si futurus est morbus in parte aliqua, ex distantissimo (vt nuper diximus) sanguis est educendus. Si in partem iam irruit sanguis, & non manet ipse in parte, sed extra ducitur, vt in hæmorragia quauis ex distantissimo etiam oportet vacuare. Quoniam cum non manet in parte, nulla fluxi habetur ratio. Si verò in parte maneat phlegmonem efficiens, habenda ab initio est cura fluxi, fluentis atq; fluxuri. Toto tempore principij, quo pars impletur sanguinolenta substantia, distantior vena secatur: quàm in augmento inflammationis, in quo (vt autor est Galenus, libro de totius morbi temporibus) influxus cessauit. In augmento verò, propinquior vena est cædenda: & adhuc propinquior in statu: in declinatione autẽ, ex ipsa parte licet detrahere. Clariorisq; doctrinæ gratia in tria tẽpora particularẽ plenitudinem partimur: Primum cum nondum in parte est plenitudo aliqua insignis, sed aut timetur, aut adeo exigua cœpit fluxio, vt nulla adhuc plenitudinis in parte inditia adsint. Vltimum vbi fluxio cessauit, & humor in particula quam phlegmone prehendit, vehementer est impactus. Mediũ verò tempus ex ambobus constat: in quo tam fluxio ipsa, quàm quod fluxum est, negocium facessit. Primum tempus distantissimum locum requirit, ex Hippoc. 1. lib. de natura humana, sent. 9. & Gal. lib. de sanguinis missione, cap. 19. Vltimum ex ipsa parte affecta vacuari postulat. Medium verò, medium locum poscit, magis aut minus distantem, pro ratione extremi ad quod accedit magis. Quod voluit Gal. 13.
" lib. Methodi in principio, vbi ita scribit. Phlegmones verò quæ in generatione ad-
" huc est, duplex indicatio est, veluti in reliquis morbis omnibus quicunq; in gignen-
" do adhuc sunt, nec dum absolutionem sunt nacti ostendimus. Nam quod eorum ge-
" neratum iam est, id medicæ artis parti quæ morbos curat subijcitur: quod in ge-
" neratione adhuc est, parti quæ futurum morbum præcauet. Atq; idcirco diximus,
" non simplicem, sed compositam esse, totam de ijs ægritudinibus quæ in generatione
" adhuc sunt medentis solicitudinem: ex ea scilicet quæ prouidet, & ea quæ curat. Si-
" cuti etiam si omnino phlegmone laborare adhuc non cœperit, sed tamen appareat
" iam subesse in corpore genus aliquod eorum quæ phlegmonem excitare possint: in

talibus quoq; omnibus ſola prouiſio indicatur. Hinc tertio libro ſimpliciū,cap.10. Galenus,penes tempora inflammationis vario vtitur medicamento : in principio merè repercutiente : in declinatione digerente : in medijs verò temporibus compoſito ex repercutiente & digerente : vincente tamen in augmento adſtrictione, & in ſtatu diſſolutione. Sed cur ſi in augmento inflammationis,ſanguinis ceſſauit influxus(vt libro de totius morbi temporibus Galenus eſt autor) non licebit ex ipſa parte inflāmata ſanguinē vacuare,& mero digerente vti? fruſtra enim fluxionē aut ex diſtātiori vena miſſo ſanguine,aut repercutiente medicamēto impoſito,inhibere tētabis ſi nihil iam fluat. Cui ſanè reſpondendū eſt,quòd fluxio momētanea ceſſauit in augmento, non tamen adeo vt nihil influat. Quin ad principium quaſi in orbem multotiens redit inflammatio , quæ erat in augmento,& ſtatu, impetu ſanguinis de nouo redito concitatiori . Quod in pulmonis vlceribus inflammatis , ob tuſſim contingere docuit Galenus.5.lib.Methodi. Tanti autem habendus ſemper eſt timor,& præuiſio ne humor fluat,vt nec in declinatione inflammationis,in qua mera diſcutiētia diximus eſſe oportuna,liceat niſi rarò(vbi ſcilicet induratū quidpiam de inflammatione relinquitur)mero vti diſcutiente:ſed miſto cum adſtringente,ob repercuſſum obeundum,& partis robur vſq; ad perfectam curationem ſeruādum. Quod apertis verbis voluit Galenus.6.lib. de compoſitione medicamentorū ſecundum locos.cap.1. vbi in hunc modum ſcribit. Quemadmodum enim in principio cōmoda ſunt pharmaca id quod influit repellentia : ſic poſt principium vſque ad finem,pharmaco opus eſt ex vtriſq; miſto:repellente videlicet,& diſcutiente facultate prædito. Ac primo quidem tempore adſtringens præcellere oportet : ad finem verò diſcutiens:interpoſito verò tempore æquales vtrorumq; partes eſſe conuenit. Quando verò velut induratum quidam de inflammatione relinquitur, penitus non conuenit adſtringens,ad diſcuſſoriū admiſcere ἐὰν κεκενωμένον εἴη τὸ σύμπαν σῶμα idest,ſi vacuatum ſit totum corpus. Nam ſi plenum ſit,adſtringens eſt miſcendum diſcutienti,quantuncunq; obduruerit inflammatio:ne plenitudo caloris diſcutientis vi,ad partem trahatur induratam. Lectio autem Latina, quæ habet niſi prius totū corpus ſit euacuatū,falſa eſt:nā corpore præeuacuato,minus cōuenit adſtringens ad diſcuſſorium admiſcere. Quare is quem diximus , legitimus eſt Galeni eò loci ſenſus. Quod ſanè etiam in ſanguine ex ipſa parte inflammata vacuando,obſeruare oportet:non enim in cuiusuis inflammationis declinatione, cucurbitula, & ſcarificatione vti debes , ne fortè inflammationem iterum accerſas , atq; ad principium reuoces. Et ob id Galenus. 2. lib.ad Glauc.impacto humori, & partē obſidenti,deriuationem conſuluit:quæ non ex ipſa parte,ſed ex proxima exercetur. Quòd ita faciendum eſſe monemus,aut quotiens fluxio aliqua,ex partis euacuatione reuerti timetur : aut quotiens pars ipſa affecta non permittit ſecari , ſiue ob ſui nobilitatem vt oculus,ſiue quia vena caret:in cuius defectu ad proximam confugimus. Cucurbitula autem,& ſcarificatione,& prorſus diſcutientibus, tunc tantum

vtemur,

vtemur, cum velut induratum quidam, & dissolutioni renitens, de inflammatione relinquitur, & vniuersum corpus prius est vacuatum. Quo sensu intelligendus
« est Galenus.13. Methodi, cum ita scripsit. Sed si sanguis in particula quàm phleg-
« mone prehendit, vehementer est impactus, non est amplius repercutientibus vten-
« dum: sed tum digerere est tempestiuum.

Ex sanguinis vacuandi specie, & consistentia, differentes interdum secantur venæ: siquidẽ mediocris est sanguis, & ex quatuor humoribus æquabiliter cõcreuit, aut sola sanguinea substãtia in eo abundat, aut si biliosus sit ac leuis: ex basilica dextra (quæ iecur & sublimes partes commodissimè exhaurit) vtilissimè educitur. Si pituitosus, crassus, ac viscidus, ex poplite: ob humoris grauitatem, & quoniam eò magis vergit, ob partium infernarum naturam pituitosiorem. Si melancholicus, non inutiliter elicitur ex pede, aut poplite: vtilius verò, ex sinistra basilica, quoniã lienem promptius exhaurit: & quoniam cũ succo melancholico desit tenacitas, facilius sursum adducitur, quàm pituita. Ex sinistra quoq; basilica, sanguis vaporosus vtiliter profluit, ac euaporat, vt autor est Auicenna.11.3.tract.1.cap.6. fortè quoniam sinister cordis venter, vaporosior est. Quibus sanguis tenuis & frigidus coaceruari solet (vt candidissimis quibusdam mulieribus) scarificationes maximè prosunt, secta verò vena obest. Contra nigrioribus (quæ crassiorem & magis melancholicum sanguinem congregant) venæ sectiones sunt vtiles: noxiæ verò scarificationes, quoniam sanguinis turbulentiam, & crassitudinem, educere nequeunt: vt libro de sanguinis missione, cap.11. Galenus est autor.

Virtus quoq; validior, aut imbecillior, hanc aut illam venam deligere facit: nam imbecilla virtus, non tolerat amplæ venæ sectionem, ob spirituum & calidi innati euaporationem. Hinc fit vt venam iecorariam, dextram, aut sinistram, frequens secet cõmunis medicorum praxis, postquam febres diutius protraxere: quo iam tempore imbecilla facultas, sine discrimine non ferret amplioris venæ quæ in cubito habetur sectionem. In pleuritide præterea, aut cuiusuis partis nobilis inflammatione, si virtus maximè constat, vna sanguinis detractione reuellimus ac euacuamus: si tantum scilicet valeat, vt toleret totius plenitudinis depositionem, & materiæ in parte inflammata contentæ vacuationem vnà fieri. Ad hanc verò simultaneam euacuationem faciendam, eligimus venam in eodem latere, quæ societatem habeat cum venis quæ nutriunt ipsam partem inflammatam. Ea enim vena, ex caua, & vniuerso corpore, plenitudinem demit: & societatis ratione, inflammatam partem priuatim exinanit. Si verò virtus exigua sit cum ingenti plenitudine, illa duo simul nequeunt exequi, sed vnum quodq; seorsum: quare prius oportet reuellere, ex contrario latere pauco sanguine misso: nam multi sanguinis detractionẽ non tolerat virtus imbecillis. Paucum autem ex eodem latere, cum tanta plenitudine mitti non debere, ob periculum vocandi reliquum sanguinem ad affectum latus, iam diximus. Cohibito verò iam materiæ cursu, atq; in alterum latus vocato, ex eiusdem

lateris

lateris interna vena, quod partem inflammatam obsidet, pro ratione virtutis euacuamus.

AEtas quòq; pueritiæ, & habitus corporis mollis, laxus, & prompta corporis exolutio, ex ampla vena sanguinem mitti impediunt magis. Maius enim in ipsis fit spirituũ, et natiui caloris dispendiũ: quàm huiusmodi ætas, aut habitus, ferre queãt. Vnde laudandæ magis sunt in pueris, ac mollibus, scarificationes: quàm venarũ amplarum sectiones. Fieri autem possunt scarificationes, sublimes, profundæ, aut mediæ, pro ratione plenitudinis, & virtutis, vt constat ex Galeno. 2. de arte curatiua ad Glauconem, cap. 7.

De vena ergo tum in singulis morbis, tum in pleuritide, & quauis alia interna inflammatione secanda, satis superq́; diximus. Quòd nimirum eiusdem lateris vena interna, sit ipsis maximè idonea, nisi alia accedant quæ aut latus, aut venam peruertere cogant: vt si fluxionis origo aliubi posita sit, aut si ingens plenitudo cum virium imbecillitate iungatur. Ob vires enim imbecillas, integra vacuatio vnà fieri nequit. Nam non nisi parcam tolerat virtus, per eam verò plenitudo ad latus affectũ necessariò inuitabitur. Quid enim sequi putas, vbi virtus tres tantũ sanguinis vncias sibi detrahi patitur, aut in corpore admodũ pleno, aut vbi fluxionis origo in aduerso est latere: si ex eiusdem lateris vena interna detrahas ipsas? non ne vniuersi corporis sanguinem, in venam sectam sibiq́; coniuges alteras deriuabis? Ego sanè aut venæ sectioni non inesse vim vocandi ad se, nec reuellendi ab alio: aut necem ad huiusmodi sanguinis detractionem, magna ex parte sequi statuo. Vena ergo interna tum temporis in contrario latere est ferienda, vt fluxio ad suam reuocetur originem, & furtim vniuersi corporis plenitudo deponatur, atq; ad fluxionis originem reuocetur. Quod maximè esse faciendum supra diximus, vbi plenitudini, & viriũ imbecillitati, doloris vehementia non fuerit coniuncta. Sunt ergo omnia inuicem libranda, expendendumq́; quantam vim habeant indicantia, impedientia, & contraindicantia, vt de hac aut illa vena eligenda deliberes. Nam vbi nihil impedit, ex eiusdem lateris vena interna, ad coloris in sanguine mutationem detrahere cõuenit. Vbi verò virtus impedit integram vacuationem vnà fieri, aut eadem die semel, aut etiam bis repetere: contrarium latus tundere magis conducit. Doloris vehementia partis indicationem auget, magis enim sedat vena interna secta in eodẽ latere, quàm in contrario. Doloris remißio minorem partis curam poscit, & leui indicatione contraria vincitur. In horum examine laborandũ medicis indefessè est: nec enim omnibus vna forma est vtilis, sed cuiq́; sua: nec facilè est in pugna contraindicantiũ, vnius cuiusq́; vim rectè æstimare. Quem laborem nostri temporis medici magna ex parte subire recusantes, nihil horum æstimandum memorant: sed internam quocunq́; euentu eiusdem lateris venam secant, ac si partis indicatio non posset ab alijs euerti: tum vt aliunde ac ipsa poscit secemus, tum etiam vt venam prorsus nõ tundamus. Quod non sine ingenti studiosorum fructu docuimus.

Quibus affectibus, & cur, tantum prosit sectio *venarum, quas saluatellas vocant.*

CAP. XXIX.



Venæ sectionem secundum rectum, factam inter minimum digitũ & annularẽ, post sectiones venæ internæ cubiti, in morbis iecoris & lienis, & in febribus quæ protrahuntur, commendat plurium seculorum experientia: quæ in hodiernum vsq; diem durat. Galenus libro de sanguinis mißione, cap. 14. ita scribit. Sic affectio liene, æquæ adiuuerit circa medium digitum sinistræ manus incisa vena, atq; si internam cubiti secueris. Paulus libro. 6. cap. 40. in fine, hæc habet. In sinistra quidem manu cum lien malè habet, venam quæ inter paruum, & annularem digitum porrigitur, præcipuè incidemus: cum iecur affligitur, in dextra. Nam extremarum partium inanitio è longinquo magis facta, efficaciorem molitur reuulsionem. Trallianus verò libro. 8. cap. 10. dum lieni inflammato medetur, ita scribit. Sin autem ætas, aut vires, non prohibeant, venam brachij sinistri interiorem secabis: si ea non appareat, media ferienda est: si ne ipsa quidem in conspectum proueniat, humeraria incidenda est: si nec ipsa quoque conspiciatur, ea quæ minimo digito vicina est aperiri debet. Et si verò hinc minus sanguinis euacuetur, tamen quantulacunque inde tẽtata inanitio, præcipuum lieni ad sanitatem adiumẽtum est. Quibus conuincitur, errare eos, & aduersus experimentum pugnare, qui harum venarum sectiones improbãt: quiq; ob id iuuare tradũt, quòd cum medici parci fuerint in detrahendo sanguinem ex cubito, postea ex manu in calidam mersa copiosius detrahunt. Quod autem (inquiunt) in quãtitate aut occasione est, nõ debet adscribi venæ scisioni. Contra verò Trallianus statuit, quòd etiam si ex his venis minus sanguinis euacuetur, quantulacunque inde tentata inanitio, præcipuum ad sanitatem adiumentum affert. Paulus etiã non ad quantitatem, sed ad maiorem reuulsionem refert. Nec valet si instes, quòd ob maiorem reuulsionem, initio potius quàm fine morborum, debuissent huiusmodi sectiones adhiberi, & adiumentum afferre. Nõ valet (inquam) nam vena ea, exigua est ad vberem atque copiosum sanguinẽ effundendum: quare ex venis cubiti prius est vniuersum corpus vacuandum, & inaniendum: eo enim vacuato, natura deonerata potens redditur, in manum quod residuum humoris est trãsmittere, à reuulsorio remedio (sectione nempe saluatellæ) inuitata. Primo, quoniam natura exonerata, quod residuũ est facilius debellabit, inq; partem corporis extremã, & longè dißitã transmittet. Secundo, quoniam vt in visceribus viget coctrix, ita in extremis vis attratrix vigeat par est: nutrienda enim sunt extrema, ex alimẽto è lõginquo attrahẽdo. Si ergo extremæ partes vena secta inaniantur, potentius attrahent: & iecur atq; lien iam exonerata, ad ipsas quod sibi praui humoris residuum est, transmittere studebũt. Quæ transmißio tãto vtilior est

futura, quanto in longinquiores partes humorem abducit, vt Paulus notauit. Per venas præsertim quæ cũ dictis visceribus cõmunitatẽ habẽt: ex interna enim saluatellæ deducũtur, quæ ramulũ etiã, atq; progerminationem, ex communi acceperũt: Valesius verò postquã in secunda editione cõtrouersiarum, lib. 7. cap. 5. palinodiam recãtauit, aliam rationẽ inuexit: quòd scilicet manus dextra est emunctoriũ iocinoris, sicut sinistra lienis: est autẽ (inquit) valde naturale præcipua mẽbra in sua exonerari emunctoria. Sed fallitur apertè, quoniã tria tantũ præcipua membra dicuntur habere emunctoria: lien verò præcipuum non est. Secundo, quoniam duo sunt quæ in emunctorijs natura requisiuit: Primum est ignobilitas, ne actio aliqua præcipua lædatur: ob idq; natura ex adenibus mollibus, ac laxis, fabrefecit ipsa. Alterum verò propinquitas ad mebrum princeps cuius emunctorium est: ob idq; cerebri emunctorium, retro aures: cordis, ad axillas: & iecoris, ad inguina situm est. Manus autem longè à iecore distat: & nobilissima quædam pars est: organum scilicet organorum apud Aristotelem, & Galenum. 1. lib. de vsu part. Fallitur ergo dum emunctorium viscerum ipsam appellat. Tertio, quoniam emũctoria humori excipiendo, & in sui substantiã admittendo, valde seruiunt: non autem vacuando. Vnde nemo emunctoria phlebotomat: sed cucurbitulis, & calidis pharmacis humorem ad ipsa attrahit. Manus autem vacuationi magis seruit per venam sectam, minimè autem attractioni humoris ad ipsam: ergo emunctorium non est. Dubium tamen est, quòd Galenus, eiusmodi venarum sectiones paruipendere videtur. 3. lib. de Anatom. administ. in hæc verba. Altera parte mediam digiti medij, & annularis regionem ingreditur. quam venam nonnulli in sinistra manu secantes, sinentesq; sanguinẽ ex ea fluere quousq; vltro sistatur, lienem ex tali euacuatione iuuari asserunt. Et libro de sang. miss. cap. 13. ita scribit. Vt ex ijs quæ ad magnos oculorũ angulos, aut sublingua sunt, nihil solet effluere mentione dignum: vt neq; si quis in pedibus, aut summis manibus venam secet. Quemadmodum qui lienem curari putant, ad secundum minorẽ digitũ secta vena. E quibus verbis valde subit mirari, cur tã exiguã vim harum venarum sectioni tribuat Galenus: cum experimentum tum nostrum, tum etiam medicorũ Galeno antiquiorum (quos ipse refert) præcipuum iuuamẽtum afferre monstret: præsertim sectio saluatellæ sinistræ ad alienem affectum: cuius solius meminerunt Trallianus, et Galenus, libro de sanguinis missione, & de anatomicis administrationibus: quamq; fieri præcepit Aëtius serm. 3. primi tetrabib. cap. 22. quo loco (etsi venas quæ secari debent percenseat omnes) dextræ saluatellæ non meminit. Cui tamen dubio dicendum primo est, quòd primæ sectiones (per quas demẽda est vniuersi corporis plenitudo) ex venis cubiti fieri debent: non autẽ ex saluatellis, quæ exiguæ venæ sunt, & nõ tantum sanguinis quãtum oportet possunt haurire. Vltimæ verò, ex saluatellis sunt vtilissimæ: tum quoniã validior inde fit attractio: tũ etiã quoniã in extrema magis curãt viscera exonerari se ipsa. Sicq; Galeni locus, cap. 14. libri de sanguinis missione, vbi sectioni saluatellæ plurimum

tribuit,

tribuit, intelligendus est de vltima huiusmodi venæ sectione: de prima verò cū corpus præeuacuatū est, intelligatur locus è cap.13. eiusdē libri, & è.3. lib. anotomicarū administrationum. Dicendum secundo, modum secandi huiusmodi venas in balneo, Galeno, & reliquis fortè Græcis, fuisse inusitatum. Primo, quoniā Galenus exiguū sanguinis has venas profundere fuit ratus: perinde ac venæ quæ in angulis oculorū habentur, & venæ sublingua sitæ: quod tamē minimè verū esse potest, cū in balneo mergitur manus. Secundo, quoniam perinde improbat exiguitatem venarum quæ in summis pedibus, ac earum quæ in summis manibus habentur, libro de sang. miß. cap.13. Gal. Venæ autē pedum cū in balneo secantur, copiosum sanguinē profundūt. Ergo tam in manibus, quàm in pedibus, balnei vsum omisit. Tertio, quoniam fluere permittit sanguinem ex his venis, quousq; vltro sistatur: in balneo verò prius deficiet anima quàm sisti poßit. Quarto, nam Paulus lib.6. cap.40. modum sectionis omnium venarum docens, balnei non meminit: Quin cum de manuum, ac pedum se-
" *ctione agit, solius frictionis, & incessus, & vinculi, meminit in hæc verba. Quæ ex-*
" *ternas corporis partes intercurrunt, superiacentibus vinculo exceptis, & manuum*
" *frictione, & pedum incessu repletæ, diuidentur. In sinistra quidem manu cum lien*
" *malè habet, venam quæ inter paruum & annularem digitum porrigitur, præcipuè*
" *incidemus: cum iecur affligitur, in dextra. Ob id nos tum Pauli, Aëtij, Alexandri, & Galeno antiquiorum experimento freti: tum diutina nostra experientia, simul & dictis rationibus fidentes: post primas sanguinis detractiones, saluatellas secamus è directo affecti visceris iacētes. In febribus etiā quæ producūtur, quum venæ sectionibus ex cubito, pharmacisq; expurgantibus non cesserunt: saluatellā dextrā secamus, & interdum iteramus, etiam si nec iecur doleat, nec ardeat: & mirum est quantū febris ex ea sectione sedetur: quoniā scilicet in febribus humoralibus, humorū originē vacuasse, & refrigerasse præstat. Quare Valesius, & Columbus in sua anatome, dum istarum venarum sectionem reprehendunt, recipiendi non sunt.*

De arteriarum quarundam sectione.
CAP. XXX.



I morbus interdum ex sanguine tenui, calidißimo, spirituoso, atq; flatulento (qualis is est qui in arterijs continetur) nascatur: sectione potius arteriæ quàm venæ debet curari. Talis enim humor, qualis est qui morbum parit, huiusmodi arteriotomia vacuatur.
" *Quod voluit Gal. lib. de sang. miß. cap. vlt. in hæc verba. Vbi*
" *enim calidus spirituosusq; infestus sanguis in arterijs aceruatus:*
" *illic communibus parti affectæ sectis arterijs est opus. Huius autem arteriotomiæ loco, venæ sectione in qua strictum foramen infligitur, vt per ipsum tenuis tantum sanguis poßit excolari, vtilißimè vtimur. Primo, quoniam securius est putridam*

materiam, ab arterijs ad venas ignobiliores trahere, quod per venæ sectionem fit: quã a venis in arterias, quod arteriarũ sectione contingit. Secundo, quoniam putrida materia magis reperitur in venis, quàm in arterijs: tũ ob sanguinis arterialis siccitatem, & puritatem maiorem: tum ob innatum calidum cordis & spirituũ, quod putredinem magis arcet. Tertio, quoniam sectio venarum minus imbecillitat: plurimum verò quæ ex arteria fit, ob spirituum profusionem. Quarto, quoniam vena citissimè coalescit, arteria verò ob sui duritiem, ob motum, & ob sanguinem salientem, vnitur difficillimè. Et sæpenumero mors subsequuta est ex arteria non solidata, aut aneurrisma. Id quod Galenus monuit, libro de sanguinis missione, capite vltimo, vbi post verba citata subdit. Verum propter difficilem fluxus arteriæ compressionem, arterias medici incidere metuunt: quippe cum si quis in secanda fortè vena, arteriam vulnerat, ægrè statim sanguinis eruptionem compescat: ac vbi res optimè cadat, ad cicatricem perducta diuisione: tamen aneurisma existat. Quin & interijsse quosdam noui, ab arteria interiori in cubito venæ subiecta. Nonnullos autem protinus ob vinculum circumpositum (volentibus medicis sistere sanguinis fluxum) in gangrænam incidisse. Alios postea in aneurismate manu curando defunctos. Ob id sanè Auicenna. 4. 1. cap. 20. huius sectionis periculum extollens: Et suarum (inquit) dispositionum minor est, quòd ex ea prouenit aneurisma: & hoc quidem est cũ fissura fuerit vehemẽter angusta. Hæc attamẽ nos ab arteriarũ sectione nõ deterrẽt, sed magis cautos reddũt: nã & ex venis etiam sectis, tũ aneurismata, tũ etiã alia infortunia, interdũ sequi assolent, si improuidi simus: quãuis semper minus quàm ex arterijs, vt ad finem libri de sanguinis missione, scribit Galenus. Si morbus præterea ex tenui, & spirituoso sanguine ortus, per sanguinis è venis vicarias detractiones non sedatur, sed contumax est, & refractarius: cur non anceps potius in eius medella, experiemur præsidium quàm nullum? Siquidem arteriæ natura (vt scribit Galenus, 5. libro Methodi) difficultatẽ quidẽ durioris tunicæ suæ conglutinãdæ prorsus indicat: non tñ eiusmodi quæ euinci omnino nequeat. Neq; enim ita est sicca, duraq́, vt os, vel chartilago, imò longè his mollior, ac magis carnosa. Quò vtiq́ minus de vnienda sectione eius sit desperandum, vbi tum ipsa sit parua, tum hominis corpus natura molle. Et Paulo supra, historiã iuuenis cui arteria venæ internæ gibberi substrata, errore chirurgi fuit secta, & citra aneurisma coalita, recẽsuit in hæc verba. Vidimus enim in mulieribus & pueris, tũ cõglutinatas arterias, tum carne vndiq́ circundatas: idq́ in fronte, malleolo, & καρπῷ idest, articulo brachij, summæque manus medio. Simile quiddam aliquando & aggresti contigit iuueni, dum sanguinem sibi mittendum veris tempore curaret, quod nostratibus maximè est in vsu. Cum enim medicus qui venam incisurus erat, brachium hominis deligasset, contigit attolli velut in gibbum arteria: itaq́ hanc pro vena medicus diuisit. Exigua sanè incisio erat, sanguis autem flauus, & tenuis, & feruidus, statim eiaculabatur, idque cum quodam veluti saltu. Ac medicus quidem, vt erat admo-

" admodum iuuenis, & operum artis parum peritus, venam se incidisse putabat. Ego
" verò cum quodam alio ex ijs qui aderant medicis, vtiq; seniore, vbi quod accidit ad-
" uerti: præparato ex emplastrorum genere, quod sanguinem supprimit medicamento:
" tum incisionem curiosè coniunxi, tum super medicamen illico imposui, ac spongiam
" mollissimam extrinsecus super hoc deligaui. Mirante verò qui arteriam inciderat,
" insolitam nostram in hoc casu prouidētiam: indicauimus homini rem factam (sed po-
" stea quàm incisi hominis diuersorium exijssemus) iussimusq; ne vel solueret nobis
" absentibus, vel ante quartum diem id aggrederetur: sed ita vt erat deligatum habe-
" ret, spongiam duntaxat desuper madefaciens. Postea verò quàm in quarto soluen-
" tes, planè conglutinatam incisuram inuenimus: rursus idem medicamentum impo-
" nere iussimus, tum simili modo deligare, nec multis postea diebus soluere. Atq; ita
" percurata est huius hominis incisa arteria, sola omnium quas in cubito incisas vidi.
" Nam in reliquis omnibus aneurysma, alijs maius, alijs minus superuenit. Hæc Gale
nus. Cui persimilem historiam nos narrare possemus. Dum enim admodū illustris domini Ioannis à Corduba Cordubensis ecclesiæ decano, venæ sectioni interessem: arteria ipsi pro vena fuit secta vulnere satis patente. Quod vbi ex vehementi, & ad longinquum facta eiaculatione, ex saltu, ex pulsu, & ex sanguinis colore dignouimus: illico sanguinem cohiberi, vulnus curiosè coniungi, puluerē restrictiuum cui albumini permistum admoueri, strictim ligari, & quietissimè vsque ad diem quartam brachium lecto accumbentem contineri iussimus. Qua diligentia adhibita (nulloq; in victus ratione momētaneo errore admisso) sine aneurysmate salus fuit sequuta. Huius etiam curationis à Galeno factæ, pariter & alterius cui ex vulnere in malleolo accepto, arteria fuit tusa, meminit is ipse ad finem libri de sanguinis missio-
" ne, in hæc verba. Porro alteri cui ex vulnere in malleolo inflicto dissecta arteria
" fuerat: sanguinis quidem cursus haud quieuit, donec ego vocatus totam dissecui, ac
" medicamento ex aloë, & manna, & ouorum albumine, pillis leporum molliusculis
" imposito, fuissem vsus: citraq; aneurisma curatum est vulnus, obducta scilicet arte-
" riæ osculo carne. Vir autem ille (quartum iam annum, exiguis temporum interual-
" lis, coxæ dolore vexatus) ex inde prorsum sanus extitit. Quibus verbis, constat pri
mo, quòd sectiones arteriarum, tam brachij quàm malleoli (si vt decent tractentur) solidantur, ac reuniuntur. Secundo, quòd magnam afferunt vtilitatem in morbis difficillimis: vt hic contigit in ischiade periodica quatuor annorum. Tertio infert Galenus, quòd si minores arteriæ secentur, difficillimi morbi ab spirituoso sanguine nati sanari quibunt, sine periculo aut mortis, aut gangrænæ, aut aneurysmatis. Sic somnio admonitus Galenus, arteriam quæ inter pollicem & indicem dextræ manus est, fœliciter secuit in dolore diuturno, ea parte qua iecur committitur septo transuerso affixo. Quo etiam insomnio monitus minister Dei pergami, ex diutino late-
" ris dolore conualuit. Galeni verba sunt quæ sequuntur. Sanè verò quæ mihi occa-
" sio extiterit secandæ arteriæ, nunc iam edisseram. Monitus per quædam insomnia,

quorum duo perspicuò mihi visa sunt, accessi ad dextræ manus arteriam, inter indicem & pollicem sita, siuiq; fluere donec spontè sanguis resisteret, nam ita somnium præceperat. Effluxit autem non tota libra. Subitò itaque diuturnus extinctus dolor est in illa maximè parte fixus, qua iecur septo tranuerso committitur. Mihi quidem hoc ætate iuuenili euenit. At minister Dei pergami, diuturno lateris cruciatu laborans, liberatus est arteria in summa manu incisa: aggressus & ipse illud insomnij monitu. Hinc Auicenna, quarta primi, capite vigesimo, ita scribit. Arteria verò manus dextræ quæ phlebotomatur, est arteria quæ inter pollicem existit & indicem: & eius quidem iuuamentum in antiquis doloribus hepatis & diaphragmatis est mirabile. Et Galenus quidem iam vidit hoc in somnis, præcipiebat enim homini hanc facere phlebotomiam, causa doloris quem in hepate habebat: qui eam fecit, & sanus effectus est. Et subdit. Plerunque etiam phlebotomatur alia arteria, quæ ad interiorem partem palmæ decliuior hac existit: cuius iuuamentum est propinquum iuuamento istius. Quibus verbis patet, duas in manu extrema vtilissimè, ac securissimè, ad quosdam morbos arterias secari posse: vnam inter pollicem atque indicem: alteram vero propè palmam manus sitam. Rasius præterea, decimoquinto lib. continentis, cap. vltimo, in omni dolore pulsatili, arteriam incidi debere docet. Dolorem autem ab initio debere esse pulsatilem, commodè interpretatur Cardanus, lib. de malo medendi vsu, cap. 71. Nam aucta iam inflãmatione (ob arterias cõpressas) omnis ferè inflammationis dolor reddi potest pulsatilis, etiam si per venas & non per arterias irruat humor. Omnem etiam dolorem pulsatilem, sine febre debere esse, perhibet: saltem putrida, nam cum ephemera aliquando coniũgitur. Putrida autem (apud ipsum) esse nequit, fortè ob euentationem arteriarum, quæ putredinem inhibet: & quoniam arteriæ obstructione non laborant, quæ putredini est necessaria. Dubia tament sunt. Primum, cur harum magis quàm aliarum arteriarum sectiones, vtiles sint morbis memoratis? Secundum, si dicti morbi diutini sunt, quomodo ex calido, tenui, ac spirituoso sanguine nasci possunt? Tertium, Nam insomnijs nec est credendum, nec Galenus vllam ipsis adhibuisse fidem, constat ex eodẽ, tertio libro Methodi nõ longè ab initio, vbi aduersus eos qui non aliter quàm per experientiam medendi rationes innotuisse autumabãt edisserens, ita scribit. Dicat itaque mihi, hæc quomodo sint inuenta. Et quid (inquit) attinet de inuentione eorum quærere, ac non rectè potius inuentis vti? Atque hæc quidem initio statim respondẽt: post verò interim ex somnijs inuenta esse potuisse talia dicũt: interim forte quapiam aliud fuisse in aliud effusum: mox aliquem vti misto ausum. Cæterum audaciæ eius spem non dicunt. Hæc igitur manifestæ sunt nugæ. Quibus verbis, insomnijs ipsum non credere constat: vt quid igitur fidem adhibuit insomnio, de arteria in doloribus eius partis, in qua iecur septo transuerso committitur secanda? tamq; fuit audax, in huiusce arterialis sanguinis profusione, vt donec vltro sisteretur effluere siuerit? Quibus tamen respondemus, quòd sicut vena in-

terna

terna dextra vtiliter secatur in affectibus iecoris, & septi transuersi sibi respondentis: ita arteria sibi subiecta & coniux, vbi per arterias fit humorum ad eas partes confluxus, vtilissimè deberet in gibbero secari, nisi periculum adesset interitus, aneurysmatis, & gangrænæ. Hæc tamen discrimina auertimus, ramos ab hac arteria, ad manus summitatem, aut prope palmā secātes. Ad secundum verò dicendum, quòd ex calido, tenui, flatulento, atque arteriali sanguine, diutinus dolor gigni potest ob diutinam fluxionem, quæ tamen cessat aut reuulsione ex arterijs commodè facta, aut ipsis arterijs prorsus in itinere rescißis, ne fluxioni deinceps pateat aditus. Sic tertio lib. de locis affectis, cap. 8. vertiginosis quibus vaporosus calidusq́ spiritus per externas arterias ascendit, medetur totius arteriæ ponè aures adeo profunda sectione, vt medius inter duas partes locus cicatrice inducatur. Cuius sectionis administrandæ rationem, docuit Paulus libro sexto, capite quarto. Sic in hemicranea, & ophthalmia difficili, arterias quæ in temporibus sunt turgidiores, aut secamus, aut prorsus præcidimus. Cuius præcisionis rationē, docuit Paulus, libro sexto, cap. 5. Sic etiam in alijs affectibus, præcisione arteriarū hypospathismo, scilicet & periscyphismo vtimur: quorū administrādi rationem capitibus sexto & septimo; idem docuit Paulus. Ad tertium autem dicendum est, quòd Galenus non credidit soli insomnio: sed rationem vltra insomniū addidit ex confluxu sanguinis spiritalis per arterias, qui commodius arteriotomia, quàm phlebotomia venit auertendus.

Quomodo fluat sanguis secta vena. Et quod *rectitudo non sit penes fibras attendenda.*

CAP. XXXI.



ODVM quo effluit sanguis, vena secta quærunt nostri: & dū se se conficere student, plura fortè quam expediat, tractant, & altercantur. Nobis sanè res, ad hunc modum videtur habere. Sāguis qui intra venas continetur fluxilis est, & nisi denso corpore venæ contineretur, suaptesponte efflueret. Hinc facto orificio, in venæ sectione effluit non alia ratione quàm ex natura liquidi; quod termino alieno, nō autē proprio, cupit terminari. Nec potis est cōtinēs venarū facultas quæ transuersis fibris operatur, inhibere quin patente foramine defluat. Effluit autem primo qui prope venam sectam habetur. Post eum succedit, is qui iunctus illi cōtinuusq́ est: nec cessat plerunq́ effluxio, donec vniuersum corpus reddatur exangue. Primo, quoniam sanguis optat suarum partiū continuitatē seruare; etiam citra vacui vitādi rationē: vt apparet in aqua, cuius vna pars in plano cœpit effundi, quæ effluit consequutione vniuersa. Et dū cratêra aqua, aut vino imples, manifestò videbis plus aquæ in ipsa contineri, quàm capiat eius cauitas: extubetat enim aqua vltra crateræ supercilia elatius. Quo tempore si aquæ guttā addas,

effundes non modo guttam quam addidisti, sed quidquid antea extuberabat. Quin crateram si diligenter postea contempleris, reperies non prorsus plenam manere: quòd nimirum ne continuitatem perderet aqua, supercilia crateræ fuerit transgressa, & cum liquida aqua sibi continua effluxerit. Quæ forte ratio est, quare mare terminum suum non transgrediatur: nam hinc inde effusum, suam amitteret continuitatem. Accedit in sanguinis effluxione, ratio vacui vitandi: vitatur autem facilius successione sanguinis, quàm submißione venæ ex qua profluit. Quanquam enim vtraque ratione vitari posset, facilius tñ fuit sanguinem sibi succedere: quàm venæ tunicam in propriam cauitatem concidere. Nam ad replendum vacuum, citius succedunt rara quàm densa, mollia quàm dura, fluxilia quàm solida, propinqua quàm distantia. Sanguis verò est propinquior, vtpote sibi ipsi continuus: est etiã rarior, mollior, leuior, & fluxibilior: multò ergo facilius sibi succedet, quàm ipsius venæ corpus: quod licet sanguinem in se contineat, est tamen ipsi attiguum, non continuum: estque sanguine ipso densius, durius, grauius, atque solidius. Si verò fortè fortuna reliquarum venarum sanguis non succedat, aut quia crassus & viscidus, aut quia præ animi deliquio refrigeratur & crassescit, aut quia nostri corporis mẽbra auidius retinẽt ipsum: tũc venas in se concidere par est, vt nimirum altera ratione vitetur vacuum. Quod toties contingere videmus, quoties sanguis suaptesponte supprimitur: nec enim rarus est casus. Accedunt quoque & aliæ rationes, quæ sanguinis exitum iuuant, & cum maiori impetu prodire faciunt: scilicet frictio, balneum, vinculum, & dolor ex vulnerando illatus, quæ sanguinem ad partem alliciunt: expultrix quoque facultas, quæ interdum ad venam sectam vitiatum sanguinem expellit, perinde atque in iudicijs, ad nares, vterum, & ani venas, solet transmittere. Quòd verò quidam, partem vulneri propinquam primo exinaniri: & inanitionis ratione, è longinquis sanguinẽ per fibras rectas quæ tractioni seruiunt, prolicere fantur: mirabilia potius quàm vera narrant. Primo, quoniam si sanguis suam semper seruauit continuitatẽ, nunquã pars secta, nec ei proxima fuit exaninita. Secundo, nam exigua venæ pars, nec tantum trahere sanguinẽ, nec tã celeriter ipsum posset allicere ac vena secta fluit: mirũ enim esset partẽ minimã venæ, tãta pollere trahẽdi vi, vt ex vniuerso corpore totũ sanguinẽ trãsfunderet. Et cũ per venæ sectionẽ, viscera & præcipua membra exinaniantur, qui fieri potest, vt non poßint tractioni venæ quæ est in brachio resistere? viscera nanq; eximanita, multò vehementius trahent, quàm vena externa. In fluxu præterea ex nare dextra, per quẽ iocinoris inflammatio iudicatur, non credo à rectis fibris narium exinanitis, sanguinem è iecore, & vlterioribus venis, trahi suspicaueris: nõ enim nares trahũt ad se, sed iecur rectà expellit. Nec ergo in venis quæ scalpello secãtur, verè id statues: nam parum refert siue à natura, siue ab arte foramen fiat. Nullã me hercle dum rem hãc attentius contemplor, rectarum fibrarum, aut inanitionem, aut attractionem, in sanguinis exitu agnosco: sed si quidpiam

piam fibræ faciunt, id non rectæ, sed transuersæ, quæ expultricis facultatis sunt instrumenta efficiunt.

At dices, si fibris oblõgis (quæ attractricis venarum sunt instrumẽta) sanguinis exitus nõ fit: vndè est quòd natura in bonis iudicijs, rectitudinem eam fibrarũ semper seruet? Si quando verò aut natura, aut medicus rectitudinem spreuerit, aut obest, aut prodest parum & tardè, sic facta vacuatio? Galenus quidẽ lib. de sang. mis. cap. 15. & 16. ita scribit. Si igitur quæcunq; à medicis, de hoc cõsilio dicta sunt, scribere velẽ, libro mihi opus esset magno, & per se perfecto. Quemadmodum verò in alijs quæ hucusq; definita sunt, meam vobis sententiam exposui, qui eam in artis operibus probari compexistis: ita nunc quoq; faciã, initio sermonis ab his quæ quotidie in laborantibus manifestè videntur sumpto: quæ primus Hippocrates diligẽter obseruans scripsit. Est verò eorum vnum & primũ caput, quæcunq; sanguinis eruptiones κατ' ἴξιν fiunt, maximam ægrotantibus commoditatem afferre. Quòd verò κατ' ἴξιν appellat secundum rectum, omnibus confessum est: quod ipse manifestè hac voce κατ' ἴξιν sæpenumero in hoc vtatur significato. Quæ verò cõtra sanguinẽ excernunt, nihil iuuare, aut etiã nocere: quòd scilicet interdũ citra mali leuamen, vires exoluant. Neq; enim liene magno existente, è dextra nare sanguis erumpens, neq; in iecore è sinistra, vllam adfert vtilitatem: sed reuulsio quidem quæ in rectum fit, manifestam vtilitatẽ celeriter ostendit: in quibus autẽ contra accidit nequaquã. Dextra igitur nare sanguinẽ effundẽte, ad dextrum hypochondrium affixa cucurbitula, sanguinis eruptionem clarè celeriterq; sistit: perinde atq; ad sinistrum, sanguinem excernente sinistra. Porro si in eruptionibus sanguinis, quæ κατ ἴξιν ideſt secundum rectum fiunt, reuulsionis gratia sanguinem mittas, mox conspicuam videbis vtilitatem: at si contra venam seces, nullũ sequetur cõmodum. Sic itaq; liene laborante, incisio eius venæ quæ ad annularẽ est digitum sinistræ manus, iuuat æquè ac si internam quæ in gibbero est secueris. Siquidem multum iuuat lienem malè affectum sanguinis ex sinistra manu vacuatio. Et paulo post. Quin etiam pleuriticis ἡ κατ' ἴξιν τοῦ πάσχοντος πλευροῦ φλεβοτομία ideſt quæ è directo laborantis lateris facta est venæ sectio, euidentissimam sæpe vtilitatem ostendit: quæ verò ex manu contraria, aut omnino obscuram, aut longo post tempore. Et paulo inferius, tam perspicuam aliquando celeriter vtilitatem, quæ in rectum fiunt laborantiũ partiũ venæ sectiones afferunt, vt & qui laborãt, & familiares ipsorũ sæpenumero obstupescant. Tertio lib. Crisiũ, cap. vlt. ita scribit Gal. Dextra hypochondria, ex dextra nare bonam indicationem afferunt: sinistra vero, ex sinistra. Quinto lib. Meth. cap. 3. Cum è naribus sanguis erumpit, eum retinẽt, magnæ hypochondrijs defixæ cucurbitulæ. Infingendæ autem sunt, si ex dextra nare profluit, super iocinore: sin ex sinistra, super liene: si ab vtraq; nare super vtroq; sunt imponendæ viscere. Quòd si resolutus adhuc æger non sit, etiam vena in gibbero incidẽda est, qui profusioni è directo respondet. Libro. 2. de arte curatiua ad Glauconem;

capite secundo. Et siquidem in parte dextra locorum passio fuerit, à dextra nare, aut crure, detraxeris sanguinem: si verò in sinistra, à membris quæ illi è directo sunt. Quod enim ab ipso Hippocrate κατ' ἶξιν *dicitur, hoc ipsum est* κατ' ἰσότητα *idest secundum rectitudinem. Abcessus quoque secundũ rectitudinem fiunt: hepar distentum in dextrum inguen, lien verò in sinistrum excrementa deponit: sexto libro Epidemiarum, parte secunda, cõmentario decimoseptimo. Et eodem libro, commentario duodecimo, dixerat secundum rectum fieri costarum dolores, hypochondriorum contentiones, lienis elationes, ex naribus eruptiones, aurium, & oculorũ mala. Et Galenus in commentario docet, quòd hæ partes, quemadmodum & alia membra omnia secundum rectum malà accipiunt, & secundum rectum à malis se expediunt. Interdum enim ex se ipsis, in alias quasdam partes materias secundum rectam regionem propellunt: interdum verò ab alijs membris patientibus rectà in aures, aut oculos humores transmittunt. Pars corporis dextra calidior est & validior, testis dexter, & dextra vteri pars, calidior est sinistris, & masculorum satrix: decimoquarto libro de Vsu partium, capite septimo, & sexto libro Epidemiarum, parte secunda, commẽtario quadragesimoquarto, autore Galeno. Cuius tamen aucti caloris causa, præter rectitudinem nulla est: vasorũ nãque cõmunicatio par est vtrisq;. Vbi hepar valde ad calidũ labitur, dextra manus pesq; vlcerãtur, ardẽt, & exasperantur: si lien sinistra. Cuius etiam euentus, præter rectitudinem ratio nulla reddi nequit: tum quoniam æqualia vasa vtriq; lateri impartiuntur, tum etiam quoniam nullam ad sinistrum latus venam mittit lien, nisi per hepar. Quod verò Galenus, tertio libro de fracturis, commentario decimo,* κατ' ἶξιν *aliquando per lõgitudinem, aliquando verò per latitudinem corporis interpretetur: ad fasciarum circunuolutiones pertinet; non autem ad reuulsiones, & euacuationes, quæ secundum longitudinem semper, tum à natura, tũ ab arte fiunt. Huius tam stabilis cursus per rectũ, tam perpetuæq; humorũ directæ dispensationis, causam aliquã haberi, diffitebitur nemo. Quam verò aliam statuant, præter rectarum fibrarum perpetuum cursum (vt nimirum earum ope, ad partem sectam, & primo exinanitam, trahatur sanguis) nõ vidẽt Vesalius, Curtius, Fuchsius, Fernelius, atq; alij. Quin & fibris nihil agentibus, quo casu nihil venæ trahunt: humores tamen (inquiunt) sponte sua recto fibrarum cursu defluent. In his autem tradendis peccant multipliciter. Primo, quoniam (vt diximus & penè demonstrauimus) sanguinis exitus potius est referendus naturæ liquidi: successioni vacui: continuitatis seruandæ appetitioni: & transuersis fibris expellentibus: quàm rectis trahentibus. Secundo, quoniam apertè falsum est quod inquiunt: quòd si nihil traherent venæ, sanguis tamen sponte sua recto fibrarum cursu deflueret: vt in tabula tersa & polita, in qua aqua quæ effunditur, rectarum fibrarum ordine facilè fluit: transuersim verò contra fibrarum ordinem, difficilè duci constat. Quod apertè falsum esse monstratur, tum quoniam vena caua, vndique habet oblongos villos, per vniuersum sui*

circuitum

circuitum sibi attiguos: quid igitur obstat, quominus sanguis tã per sinistræ, quàm dextræ partis villos feratur? tum etiam quoniam fibris nihil agentibus, non minus duci poterit sanguis obliquè, per fibras obliquas, & transuersim per transuersas, quàm rectà per oblongas. Non enim vt tabula tersa quam pingunt, vno fibrarum ordine vena constat, sed triplici nuper memorato. Tertio, quoniam iecur venarum radix est, ab eo que omnes venarum exoriuntur fibræ, parem ergo rectitudinem habebit cum vtroq; latere: nec iecore inflammato intererit magis, dextrã aut sinistram basilicam tundere. Quod tamen quamuis absurdissimum, & ab omnium autorũ lectione sit alienum, non deest hodie Ludouicus quidam Collado (alioqui me iudice doctus) qui in Isagoge ad faciendam medicinam, cap.23. ita scribat.
" *Porro si iecur inflãmatione afficiatur, vtram brachij seces venam internam, dex-*
" *tram, aut sinistram non refert: ambæ enim par cum iecore consortium sortiuntur.*
At videat obsecro, quòd natura non per sinistram narem, iocinoris inflammationẽ, vtiliter solita est indicare: sed per dextram. Quod euidentissimum rectitudinis à medico seruandæ est inditium. Nec aliunde eam rectitudinem nouit Galenus, libro de sanguinis missione, cap.15. & 16. citatis. Quare nolim in exercenda medicina, contra veterum sententias, tam audaces esse nostrates: nam facilè est cuiuis, deceptoria ratione deludi. Quarto, nam cum rectitudinis retro ante permulta secula animaduersæ, causam dicti autores inquirunt: rectitudinem ipsam peruertere coguntur, ne suas fibras deserant. Nam in pleuritide octo inferiorum costarum, siue dextra, siue sinistra sit, sanguinem semper mittunt ex dextro. Quoniam à dextra parte venæ cauæ, postquã ipsa cor est transgressa, oritur vena sine cõiuge: quæ vtrinq; dextris costis & sinistris venas transmittit, à quibus alimentum capessant. Istæ ergo venæ, tam dextræ quàm sinistræ, cum ex dextra cauæ parte originem ducant: ordinem & connexum cum fibris dextræ partis perpetuum seruabunt: nec poterunt (inquiunt) exinaniri, nisi in dextro brachio vena secta, per easdem fibras fiat attractio. Vena enim quæ in sinistro brachio est, nullam societatem habet, nulloque oblongorum filamentorum ordine connectitur, cum venis alentibus octo costas inferiores. Nam fibræ vniuersæ, in propaginibus quæ exoriuntur à sinistra parte venæ cauæ absumuntur: nec vllam apud ipsos societatem, aut communitatem habent cum venis quæ exoriuntur à parte dextra. Quo certè discursu, rectitudinem in pleuritide, ab Hippocrate & Galeno animaduersam, secundo de victu acutorum, commentario decimo: & quarto eiusdem, commentario septuagesimotertio violant: ab vnoq; ad alterum latus transcendunt. At oporteret ipsos, experimentum suæ rationi addere, quòd scilicet pleuritides octo inferiorum costarum, per narem dextram soleat natura iudicare. Quod cum minimè verum sit (per rectũ enim fiant & soluuntur laterum dolores, & aliarum etiam partium inflãmationes, vt ex Hippocrate atque Galeno, sexto libro Epidem. parte. 2. commentarijs duodecimo, & decimo septimo attulimus) merito rectitudinem hos viros nõ attigisse putamus.

Quinto,

Quinto, nam fibræ venæ cauæ in iecoris gibbo terminantur, vbi in minutissimas venulas per gibbum ipsum sparsas finiuntur. Ergo rectitudo concaui iecoris inflãmati, & omnium partium quæ à propaginibus portæ nutriuntur, per fibras rectas, attendi nequit. Sexto, nam manu laborante crura iubet scarificare Galenus. 13. libro Methodi: cum tamen manus & brachij venæ nullas habeãt communes fibras. Septimo, nam in affectibus lienis, ex dextro cubito vena secta, non minus esset idonea, quàm sinistra: & sanguinis è nare dextra fluorem, non minus compesceret cucurbitula iecori quàm lieni admota. siquidem porta, à cuius propagine nutritur lien, ex cauo iecoris nascitur, cum quo rectarum fibrarum nexum habeat oportet. Octauo, nam in pulmonia, sanguinis reiectatione, tabe; palpitatione cordis, ac reliquis pulmonis, & cordis vitijs, rectitudinem ab autoribus longa experientia obseruatam transgrediuntur. Semper enim in dictis morbis sanguinem mittunt ex sinistra interna: quoniam nimirum pulmones nutriuntur ex venis à dextro cordis sinu prodeuntibus. Hic autem ventriculus cordis, in sinistrum parietem venæ cauæ inseritur: qui per alam sinistram in cubitum excurrit. At Galenus è directo semper laborantis lateris sanguinem mittit, eò solum quòd partes κατ' ἴξιν sitæ, necessariò plus inter se communicant, & fruuntur, vt scribitur decimoquarto libro de Vsu partium, capite septimo. Nihil autem curat, an hoc, vel illo latere, fibræ sint acceptæ. Aëtius sermone quarto secundi tetrabibli, perimneumonicis (si sustinuerint vires) ex vtroque brachio sanguinem detrahit: nihil curans è dextro ne, an sinistro cauæ pariete venæ fuerint exortæ: quoniam is rectarum fibrarum ductus nihilo est habendus. Auicenna vndecima tertij, tractatu primo, capite sexto, vbi canones vniuersales in curatione cordis proponit, sic scribit. Repletio sanguinea remouebitur phlebotomia basilicæ dextræ: sed repletio vaporosa phlebotomia basilicæ sinistræ. Quæ verba apertè monstrant, in ægritudinibus cordis obseruandam esse rectitudinem dextrorum cum dextris, & sinistrorum cum sinistris, non aliam. Dexter enim ventriculus cordis, sanguinea repletione solet abundare: vaporosa verò sinister. Adde vltimo, quòd Hippocrates atque Galenus (quos ipsi in suam sententiam citant) nusquam de rectitudine agentes, hunc fibrarum ductum memorarunt: nec eis in mentẽ venit vnquã, penes fibrarum ordinem rectitudinem metiri. Inueniant quiduis, & posteritati tradant: nudum tamen, & quale quodq; est exhibeant. Ferendum enim minimè duco, antiquos autores nolentes, in nostrorum figmentorum testimonium adducere: ac si illi nostri immemores, de nobis antea cogitassent.

Quæ sit rectitudinis lex. Et an natura re-*ctitudinem aliquando violet.*

CAP. XXXII.

Recti-



Ectitudinem in naturæ expulsionibus aduertit Hippocrates, & post eum Galenus, vt ex varijs Galeni atq; Hippocratis locis, capite antecto manifestũ fecimus. Naturæ enim opera contẽplantes, viderunt quòd iecur inflãmatum, ex fluxu sanguinis per narem dextram sanatur, non per sinistram: lien verò cõtra. Ex iecore viderunt bubones fieri dextros: sinistros ex liene. Sanguinis fluxum ex dextra nare, cõpescit cucurbitula iecori admota: lieni ex sinistra. Rene dolente ac malè affecto, crus quod è regione est, solet stupore affici. 6. Epid. par. 1. sent. 5. Dextra manu, aut digito dolente, sub ala dextra tumores fieri solent: humoribus doloris ratione, per rectum confluentibus, & media via in glandosa carne interceptis. Ac demũ dextra cum dextris, & sinistra cum sinistris, frequenti experimento magis cõmunicare, & consentire, aduerterunt antiqui. Et quanquã in nonnullis dignosci non possit, an è regione facta sint: rationi est consentaneum, secundũ rectitudinem ea fieri putare, autore Gal. 6. lib. Epid. par. 2. com. 14. Vt quòd varices è regione facto abscessu, furorem curauerint, apud Hipp. 6. Aph. sent. 21. Neq; enim perspicere licet, vtrum in dextris cerebri partibus, an in sinistris affectu obuto, in furorem acti fuerint. Quemadmodum si diutina tussi laborantibus, abscessus in testibus fiat, non facilè vtra pulmonis pars affecta fuerit, sciri potest. Habent autem testes, & genitalia, magnã cum thorace cõmunitatem: quam declarãt gracilitas thoracis, & vocis, in his quibus testes fuerunt exempti: eiusdem raucitas, grauitas, & virilitas, atq; mãmarum augmentum, statim ac veneri operam dare incipiunt homines. Quod diuinus ille aduertit Hipp. 2. Epid. sect. 1. ita scribens. Testibus tumẽtibus diuturnæ tusses sedantur, testes què tumentes à tussi mittigãtur. Id quod memoriam suggerit, ac commonet, cõmunitatis pectoris, mãmarum, genitalium, ac vocis. Et. 4. lib. Epid. in fine. Tussis (inquit) sicca, in testes abscedit, & quæ ad testes abscesserunt, ex tussi soluuntur. Atra præterea bile vexatos, superuenientes hæmorrhoides sanant. 6. lib. Aphorism. sent. 11. neq; tunc nobis loci passi rectitudinem cognoscentibus. Sanguinis quoq; ex vtero copiosum profluuium, multos curare morbos omnibus in aperto est: sed neq; hic an ex dextri vteri venis, an ex sinistri, an ex vtroq; excretio facta sit, agnoscere possumus. In his itaq; affectionibus cognitu difficilis est, aut omnino ignota, languẽtis mẽbri rectitudo. Quoniã verò plerunq; in naturæ motibus, vbi rectitudinem nobis cognoscere datum est, directionem seruari videmus: vero proximũ, et artificiosa coniectura coniunctum esse putamus, in his quæ non apparent identidem iudicare: præsertim si ex inferioribus, ad superiora decubitus fiat. Nam cum à superioribus, ad inferiora decumbunt, magis dubitauit Hippocrates de rectitudine: fortè quoniam abscessum aliquem in inferiora, non è regione vtiliter factum vidisset, vt suspicatur Galenus, sexto libro Epidemiarum, parte secunda, commentario decimotertio, dum Hippocratis sententiam interpretatur quæ sic habet. Considerandum itaque num omnia in rectum

fiant,

fiant, an ea tantum quæ ab infernis sursum tendunt: qualia sunt ea quæ circa » maxillas, aut oculos, aut aures fiunt. Ea verò quæ à superioribus deorsum decum- » bunt, non item. Attamen anginæ, rubores, & laterum dolores, fiunt secundum re- » ctum: Contemplandum quoq;, num ea quæ infra iecur ex superioribus distributa » sunt, veluti in testes, & varices, secundum rectitudinem fiant. Speculanda hæc » quò, vnde, & quam ob rem, abscedant. Nec mirum est quædam citra rectitudinem » contingere, cum vniuersum corpus confluxile, ac conspirabile esse, eodem. 6. Epid. par. 6. sentent. 1. idem tradiderit Hippocrates. Quam sanè sententiam mirè sæpe sæpius extollit Galenus: nisi etenim dextrum, sinistro consentiret: duo animalia esset, nō autē vnū vnusquisq; nostrū. 2. lib. de causis pulsuū, cap. 12. autore Gal. Et pfectò si dextrum Caliæ latus validum est, nec aliqua sui parte fluxionem admittat, sinistrum autem imbecillum, fluxionibus suscipiēdis obnoxium: in eum ex dextro fiet decubitus, ob mutuam vtriusq; lateris conspirationem. Nam per rectum fieri, impedit robur dextræ partis è directo sitæ: reliquum igitur est vt obliquè labatur in sinistrum. Sunt præterea quædam quæ inter dextrum & sinistrum, occultam societatem, & consensum, quandoq; intercedere declarant. Qualia sunt, quòd coxendicum dolores sanat auris contrariæ vstio: testatissimo nostri temporis experimento. Et quòd aduertit Auicennas, libro. 3. fen. 1. tractatu. 3. cap. vltimo, chirurgorum frequenti obseruatione probatum, quòd in vulneribus ad panniculum cerebri per- » uenientibus, accidit laxitas in latere vulnerum, & spasmus in opposito eius. Cuius » euentus, gentilis tres ponit causas me hercle ridiculas. Prima, quòd nerui partis læsæ, præ imbecillitate nō possunt contrahi: & ob id non conuellūtur, sed potius à materia fluente laxantur. Nerui verò contrarij lateris, quoniam cōtrahi possunt, ideo conuelluntur. Contra verò est, quòd conuulsio, contractio est ex morbo, non ex virtute. 3. de locis patientibus, autore Galeno: ergo neq; imbecillitas in latere vulnerato, conuulsionē impediet: nec alterius robur, promouebit eandē. Secūda, ex ignorātia dissectionū fuit profecta: putāt etenim, neruos dextros oriri ex sinistro, & sinistros ex dextro: quod apertè falsum esse, nemo est qui iā nesciat. Tertia, quòd doloris ratione, materiæ subtiles trahuntur ad partē vulneratā: quæ sua tenuitate nerui substantiā peruadunt, & ob id laxāt. Crassæ verò materiæ, cū non possint tā facilè trahi, manēt in cōtrario: & ob crassitiē (inquit) nō imbibūtur, sed in meatibus neruorum coërcitæ, cōuulsionē pariunt. Sed aut istiusmodi materiæ crassæ, attrahuntur à parte sana: aut ipsi inerant ante illatū vulnus: aut in eam ab alijs pelluntur. Primū non dices, nam pars vulnerata potius trahet ex sana: & si vtramq; trahere ex reliquo corpore dixeris: cum vulnerata vehemētius trahat: crassas materias (quæ magis reluctātur tractioni) alliciet: pars autē sana (quæ nō nisi per cōsensum dolet, aut forte nō dolet) tenuiorē tantū materiā, quæ ex leni tractu educitur, aduocabit. Nā præter rationē est, vehemēti tractioni succedere tenue, & leui crassū. Si verò ante vulnus crassæ inerāt materiæ in parte sana, cōuulsionē minimè excitātes: post vul-

nus illa

illatum, nulla ratione excitabunt. Si tertium des, quòd crassæ scilicet materiæ pelluntur: in partem sanam, aut à parte ægra, aut à reliquo corpore, magis euades ridiculus. Primo, quoniam pars ægra tum temporis, trahit non expellit. Secūdo, quoniam promptius expelleret tenue, quàm crassum: præsertim ex vulnere iam facta imbecillior. Reliquum verò corpus nō transmittit, nisi dolore vocatum: Quare aut ad partem vulneratam tantū transmittet: aut sine electione aliqua, tenue atq; crassum pellet: Quo fit vt ex nobis occulto partium cōsensu, isthæc proficisci credamus, potius quàm ex manifesta causa. Nisi forte quòd Celso autore libro. 8. cap. 4. solet euenire, in hoc casu contingat: quòd scilicet dextra parte fuerit ictus, & os sinistra fiderit. Vt in vitreis atq; testaceis vasculis, sæpenumero fieri videmus, qui altera parte icti, contraria finduntur. Hæc autē similitudo, displicet Paulo lib. 6. cap. 90. in hæc verba. Sunt qui his differentijs apechema, quasi dicas ab echo responsionem, addiderint. Ea est à cōtraria ictus parte facta caluariæ fractura. At falluntur hi, quoniam nō fit in hominis calua, quemadmodum in vitreis quibusdam vasculis fieri illi docent. Illa siquidem vacua sunt, ideoq; id patiuntur: calua autem hominis vndiq; plena & alioquin solida est, ac rhogme seu fissura caluariæ, quæ aliarum complurium capitis partium ictarum lapsu, vel citra cutis continui solutionem generatur: quæq; postea abscessu in ea facto, eodemq; secto, apparuerit: in opposita ictus parte factam esse ipsis videtur. Quo circa satius est dicere, quòd quanquam omnia corporis membra inter se conspirent: quædam tamen magis, quædam minus cum alijs communicant. Maximè autem communicant quædam ob rectitudinem, vt dextra cum dextris, & sinistra cum sinistris: quæ tum maxima, tum etiam perpetua societate nectuntur. Quoniam cuiusq; lateris sua est per se ipsum dispensatio, maior quā per contrarium: sua enim vtriq; sunt data vasa, & vasorum progerminationes, quibus regātur. Quædam verò sine rectitudine, nobis ignotam societatem seruant. Nā vnde quæso pendet testium, atq; thoracis, supra notatus consensus? Vnde auris sinistræ, cum dextra coxendice cōsortium? & sectio venarum quæ post aures sunt, cur κέδματα idest defluxus ad coxas sanat, vt. 6. Epidem. par. 5. sent. 22. scribit Hippocrates? Nam quamuis Galenus sibi non persuaserit, eam sectionem fore vtilem: extat alter Hippocratis locus euidentior, & exemplo scitarum confirmatus, qui hoc morbi genus, ob frequentem equitationem perpetiuntur. Libro enim de aëre aquis, & locis, ad hunc modum scribit. Quomodo hic affectus contingat, vt mihi videtur narrabo. Ab equitatione ipsa, defluxus eos in coxam corripiunt, nimirum propendentibus semper ex equis eorum cruribus: deinde claudi fiunt, contrahūturq; coxarum vertebræ, quum inualuerit morbus. Medicantur verò sibi ipsis hoc modo. Ab initio morbi vtraq; venā retro aures incidūt, quo facto sanguine multo promanante, somnus eos corripit præ imbecillitate, sicq; obdormiscunt: quorū quidē aliqui depulso somno, sani exurgunt: aliqui verò minimè. Atq; mihi sanè videtur, ea medicatione seipsos perdere: venæ enim retro aures sunt, quas siquis secet sterilitatem

inferat,

inferat, his quibus secantur: quare id etiam ipsis ex earum incisione accidere certum est. Quibus verbis, societatem etiam alteram inexplicabilem notabis, inter venas quæ retro aures sunt, & testes. Nam unde est quod ex earum sectione, impotentes fiant homines, certissimo scitarũ experimento ab Hippocrate animaduerso? Quod vt minus dubites, audi quæ eò loci, de ea re verba subdit. *Quãdo igitur postea vxores adeunt, impotentesq́ se factos vident cum illis coire: primum quidem nihil molestius cogitantes quiescunt: cum autem bis, aut ter, aut amplius, frustra opus tentarunt, neq; quicquam proficiunt: mox putant, se deos offendisse, in quem culpam reijciunt: induntq́ se veste muliebri, palam se euiratos esse confitentes: ad mulierumq́ contubernia transeunt, earum opera tractantes.* Hæc hercle societas, solo experimẽto, non ratione, aut anatome, innotescere potuit. In ijs autem explorandis quæ humana ratione carent, si causam insolentius inquiras: incides maiori ex parte in laqueos difficiles & admirãda portenta. Quale est ab Hippocrate commentum in libro de Semine: quòd ob id quibus dictæ venæ præciduntur fiunt steriles: quoniam maior seminis portio, à capite iuxta aures in spinalem medulam descendit. Transitus verò ipse, post sectionem iam obducta cicatrice indurescit, consolidaturq́. Quod tamen est apertè falsum. Nã nec semen in capite generatur: nec in dictis venis substantia alba, sed rubra semper reperitur: nec ab ijs ad spinam, aut ab hac ad testes, manifestus aliquis semini est aditus. Quare satius est dicere, eam sterilitatem ex ignota earum venarum cum testibus societate prodire: quàm mentibus hominum imponere. Nec enim meliorem rationem reddes, cur parte capitis dextra icta, conuellatur sinistra. Nec inter dentes & organum auditus nexum aliquem docet anatomæ: qui tñ aures obstruit, aut surdus est, si citharã mordeat, modulũ exaudit ob nobis ignotũ cõsensum. Hæc tamẽ rara sunt, & eatenus tantũ recipienda, quatenus experientia innotuerint. Dextri verò cum dextro cõsensus, & sinistri cum sinistro, maximus, atq; frequentissimus est, & vix vnquam à natura violatur: nisi fortè morbi vehementia perturbata, aliorsum vacuare tentet. Non modo autem non iuuat eiusmodi perturbata vacuatio, verum quàm maximè obest: quoniam citra morbi leuamen, vires exoluit. Virium enim exolutio cuiuis vacuationi est annexa: morbi verò leuamen non fit nisi peccans humor effluxerit: is autem obliquè rarò solet effluere. Tantaq́ huius euentus est raritas, vt Hippocrates nihil eius statuerit: sed consulit aduertere, num iuditia quæ è superioribus deorsum nõ è rigione fiunt, vtiliter fiant: fortè quoniam aliquem abscessum sic vtiliter factum viderit: de quo tamen dubitauit. Custodienda ergo medicis est rectitudo, dextrorum cum dextrix, & sinistrorũ cum sinistris: vt adminiculantem habeant naturam, quæ rectà semper solet vacuare. Nec alia præter hanc est rectitudinis lex, vt ex infinitis penè Galeni atq; Hippocratis, locis citatis cõstat. Nec enim si societates alias violaueris (superiorũ scilicet cũ superioribus, inferiorũ cum inferioribus, externorũ cum externis, et internorum cum internis) rectitudinem violasse diceris: dummodo dextri & sinistri ratio-

nem

tem seruaueris. Quod negligenter Valesium aduertisse constat, qui eam esse rectitudinis legem (septimo libro Controuersiarum, capite quarto) adstruit, vt societas membrorum seruetur: dextrorum scilicet cum dextris, & sinistrorum cum sinistris, superiorum cum superioribus, & inferiorum cum inferioribus. Quod vel eo manifestè licet colligere, quòd secundo libro de arte curatiua ad Glauconem, capite secundo, genu atque vtero inflammatione affectis, & decimo libro de compositione medicamentorum secundum locos, in coxendicis morbo, sanguinem ex brachio detrahens Galenus, rectitudinem nullatenus violat: quanquam communitatem, societatem, & consensum inferiorum, cum inferioribus non seruet. Est ergo sita rectitudo, & obliquitas, in dextro & sinistro, non in alijs differentijs: nam reliquas natura etiam transgreditur in suis iudicijs. Erysipelam enim, & quãuis inflammationem, ab intus extra conuerti bonum. 6. libro Aphorism. sent. 25. Hippocrate autore. Superna quoq; relinquere, & deorsum in crura vergere, bonum est: vt insanientibus si varices vel hæmorrhoides superuenerint, insaniæ solutio fit. Dextri verò atque sinistri consensum, nunquam natura vtiliter violasse deprehenditur. Primo, quoniam humorum per rectum perpetua sit dispensatio, & cuique lateri per se suum ius est tributum: nam ob id corpus nostrum fuit in lateribus æquilibre, vt vnum latus altero non indigeret. Secundo, quoniam venarum cuiusq; lateris propagines coalescunt, & multifariam confunduntur inter se se, & non cum propaginibus alterius lateris. Media enim incedit vena & arteria magna, quæ per spinam incedentia vtrinque mittunt venas & arterias, à quibus postea cuiusque lateris venulæ propagantur: quin & spina ipsa ibi extuberans, latera & venarum coitiones separat. Cuiusque ergo lateris venæ, inter se, & cum meatibus carnis, coëunt: quæ præcipua in rectitudine ratio est; quare magis exhauriatur latus sectum, quàm aduersum. Hinc pendet intellectus rationis, quæ Vesalium, & plures post eum decepit: quòd scilicet in pleuritide octo inferiorum costarum, siue dextra sit, siue sinistra, dextra semper basilica sit tundenda. Quanquam enim ἄζυγος vena, vtrasque costas nutriens, ex dextra venæ cauæ parte oriatur, & tota sit dextra (vt docet anatome) meatus tamen carnis, & venæ capillares eiusdẽ lateris, multifariã coëunt inter se. Cuius ratione secta basilica sinistra, non modo exhauriuntur venæ nutrientes quatuor costas superiores, sed etiam inferiores omnes cum istis copulatæ. Accesserunt etiam duæ venæ, ex caua prope iugulum per os pectoris deorsum deriuatæ, vna quidẽ dextra, altera sinistra: ex quibus costæ inferiores, non exiguum nutrimentũ assummunt. Cum enim plurimo nutrimẽto egerent, merito non fidit natura propaginibus venæ cauæ, & venæ sine cõiuge: sed creauit à iugulo dictas venas descendentes, quæ cum alijs coëuntes, nutrimentum ipsis afferrent. Secta ergo basilica sinistra, octo costas inferiores vacuabit merito venæ descendentis, & per venas etiam superiorum costarum cum inferioribus copulatas. Et ob id Galenus quantũuis nõ ignorauerit, ab asigo vena

dextras pariter & sinistras ali, pleuritidem omnem ex laborantis lateris brachio vacuat: vt constat ex secundo libro de ratione victus in morbis acutis, commentario dicimo: & quarto libro eiusdem tractationis, commentario septuagesimo secūdo. Tertio, vim aliquam habet rectitudo ex cursu liquidi, quod rectà suaptespōte fluere solet: vt in fluminibus & torrentibus videmus cōtingere: præsertim si plenus sit alueus, & cursus non impeditus. Sic ergo quanuis caua sine septo aliquo, aut intercipiente membrana, sanguinem contineat: qui à dextris influit, in dextra parte manet: & qui à sinistris, in sinistra: & qui in dextra parte, ex dextris membris immittitur: qui in sinistra, è sinistris: Nam & plenus semper est alueus, & cursum impedit nemo. Dictis adde (si placet) oblongarum fibrarum cursum rectum, per quem facilius ducuntur humores, & à natura expelluntur: quanquam & hæc ratio parum ponderis habeat, vt supra diximus.

Est autē aduertendū, quòd nō modo est obseruāda rectitudo dextri & sinistri totius corporis: verum & ea quæ inter dextrum & sinistrum eiusdem lateris intercedit, vtilis est: licet non tantum momentum afferat ac illa. Quoniam meatus carnis & orifica venarum, magis coëunt, extima cum extimis, & intima cum intimis: quàm alternatim extima cum intimis, aut intima cum extimis. Siue enim mobilia corpora, siue facultates ipsas motrices spectes: facilius semper in rectum mouentur, & mouent: quàm aut in latus, aut in obliquum. Grauia & leuia, superum aut imū petunt locum, breuissima & compendiosissima via quæ recta est. Facultates (tam trahens, quàm propellēs) rectà pellūt: tum eadem ratione, tum quoniam vndiq; aut comprimuntur, aut extenduntur. Sic magnes rectà trahit acum, & ex illa altera, vt ex hac tertia, in rectū propendent: facultate tractrice rectà deriuata. Follis etiā atq; respiratio, magis trahit äërem è directo situm. Sic balista & sclopetrum in rectum collimant. Sic mictio, ructus, & crepitus, in rectum feruntur. Sic fluentis fluminis latera, aquam non sibi communicant: sed rectà decurrunt. Sic radij solares in rectum illustrant, calfaciunt, & influunt magis. Sic visio nostra in rectum fit, non in obliquum. Sic manus dextra, pesq;, & dextra capitis pars, ardente iecore exasperantur, vlcerantur, & ardent magis: sinistra verò si lien. Sic extimæ partes magis inter se communicant: quàm cum intimis, etiā in eodem latere. Sic vbi caput ex vētriculi consensu laborat, frontem dolet: vbi ex vtero synciput: sicut cum ex renibus, aut dorso, occiput: vt ex antiquorū placitis refert Gal. 6. lib. Epi. par. 1. com. 2. Nam præter iam dictam legem mouentium & mobilium, accedit in nostro corpore viarum, & meatum rectitudo: venæ enim cuiusq; lateris, per ipsum latus exporriguntur in longum magis, quàm in latum: quoniam corpus longius, quàm latius fuit formatum. Canales præterea, & occulti meatus carnis, & musculorum (qui in demortuo corpore non apparent, in viuo autem sunt ex natiuo calore, & spiritu distendente patentiores) in longum etiam feruntur: vt motui naturæ qui in rectum fit, sint opportunissimi. Medicum ergo decet in suis actionibus, non modo rectitudinem

dinem lateris non violare, verum intra idem latus eam seruare debet, extima extimis, intima intimis, & media medijs opponens. Hinc dum menses mouere studemus, & aut vterus, aut vesica malè afficiuntur, interioris pedis venam (saphenam appellatam) secamus. In coxendicis verò morbo, externam inter talum & calcaneum sitam incidimus. Hanc societatem non aduertens Galenus, sexto Aphorismorum, commentario trigesimo sexto: in vesicæ affectibus paruam vim habere dixit, interiores, aut exteriores pedis venas secare, quoniam ex vna poplitis vena oriuntur ambæ. Quam rationem tanti fecit Auicenna, quarta primi, capite vigesimo, vt experimentum hac in re, rationi contrarium statuat his verbis. Et ratio quidem facit oportere, vt sciatica & saphena similis existant iuuamenti: sed experimentum facit, vt operatio sciaticæ plurimum conueniat dolori sciæ, sicut si hoc esset debitum. Sed contra est, quòd ex ea ratione nihil intererit dextram aut sinistram basilicam incidere: nam ex vena caua simplici ambæ deriuatur. An in vena poplitis, & venis ab ea deriuatis, pondus habebit ratio: & in caua, atq; ab ea exortis eo carebit? Vtiq; ab eadem vena exoriri, nō tolit maiorem aut minorem consensum, per venas capillares, & per meatus carnis inuicem magis aut minus coëuntes. Valesius tamen quē Galeni ratio, vti & Auicennam conclusit: arbitratus est Galenum non intellexisse Hippocratis Aphorismū. Nam per internas venas, quas Hippocrates iubet in vesicæ inflammatione, & inde nata vrinæ difficultate secare, magnas venas intelligit, quæ sanguinem plurimum & crassum, ab intimis corporis partibus possint educere, siue externa siue interna cruris parte in pedes ipsæ ferantur nihil curans. Eō enim (inquit) Hippocrates iussit secare interiores, ne tu scarificatione cutis esses contentus: sed magnam venam quæ interna vacuaret secares. At contra est primo, experimentum omnibus medicinam exercentibus notum, & ab Auicenna animaduersum, cuius nos rationem nuper exhibuimus. Secundo, nam rectum vocabulorum vsum transgreditur: quas enim Valesius appellat internas, Galenus communes venas vocat: quoniam videlicet sanguinem continent, nondum alicui particulæ nutriendæ determinatum, sed omnibus aut pluribus certè communem. Tales sunt in brachio cephalica, basilica, & media: & in crure vena poplitis, saphena, & sciatica. Has sanè in exteriores, interiores, & medias, diuidit: interiores, quæ interna brachij aut cruris parte feruntur: exteriores, per externam: mediæ verò, quæ ex vtrisq; coëuntibus constāt. Interior est in brachio basilica, & in pede saphena: exterior in brachio cephalica, & in pede sciatica. Venæ ergo communes sunt quæ sanguinem continent, nondum alicui particulæ nutriendæ determinatum: & in internas atq; externas diuisionem patiuntur. His opponuntur propriæ & peculiares, quæ vni tantum particulæ inseruiunt: vt vena frontis, temporum, linguæ, & similes, quas homogicas, idest coniunctas, seu coniuges, & partibus ipsis adhærentes, appellat Galenus, secundo libro de arte curatiua ad Glauconem, capite secundo: vbi etiam communes, internas & externas

appellari tradidit. Si hic ergo est vocabulorum rectus & congruus vsus, priscam veritatem sapiens: nemo sanæ mentis, vocabuli inusitatum significatum, in Aphorismo recipiet.

An in pleuritide descendente sit præferenda venæ *sectio, expurganti medicamẽto. De exortu venæ sine pari. Et an per membrum princeps liceat ducere materiam corruptam. CAP. XXXIII.*



N pleuritide descendente quæ clauiculæ condolentiam nõ affert, medicamẽtò expurganti, non autem venæ sectione, vtitur Hippocrates. 2. lib. Acutorum, com. 11. Cuius placiti rationẽ paulò ante tradiderat Galenus, in comentario ad decimam sententiã, in hæc verba. Verum quæ partes thoracis inferiores prope septum trãsuersum infestant phlegmonæ, non abs re dolorem ad hypochõdriũ transmittunt. Quo fit vt dolores huiusmodi non admodum iuuet quæ in cubito fit vacuatio: corde scilicet medium occupante. Nempe venam quæ inferiores thoracis alit partes, sub corde emergere audiuisti. Quibus verbis patet, eò esse vetitam sanguinis è gibbero detractionem, in descendẽte pleuritide: quoniam inter inflammationem, & cubitum, mediat cor: per quem materia pleuritidis esset necessario ducenda. Traditum autem est ab ipso Galeno. 1. Aphorism. com. 27. quòd motus qui ad pulmonem, thoracem, & cor inclinat, bonus non est: sunt enim præcipua membra, per quæ ducere non oportet corruptum humorem. Nam & id canit etiam Auicenna 4. 1. cap. 1. inquiens: Et caue tibi ne trãsitus super principale fiat. Ob idq́ merito iuxta Galeni sententiam, à venæ sectione abstinet Hippocrates, & expurgãti vtitur medicamento ad intestina ducẽte. In commentario tamen ad vndecimam sententiam, venæ sectionẽ expurganti medicamento præfert, vbi febris vehemens cõiungitur descendenti pleuritidi, ob acutiem: ob quam rarò medicamentis purgantibus esse vtendum, in Aphorismis tradiderat Hippocrates: aut vbi natura corporis expurgãdi, medico est ignota: metus est enim ne plus iustò vacues, vel nullo pacto vacuationẽ moueas; aut si moueris, non tamen sufficienter vacues. Ob idq́ concludens subdit. Cum igitur febris vehemens non fuerit, naturamq́ laborantis expertus fueris, ad medicamenti purgantis potum te conferes: ijs quæ ab Hippocrate dicta sunt, vel etiam alijs similis naturæ vsus. Quo è numero est quod ex colocynthide paratur medicamentum, quod iam ex vsu hieram vocant. Id sanè varijs parant modis: sed quod helleborum accipit scamoniamq́ non habet, id ijs qui medicamen subductorium omnino adsumere possunt, optimum est. Quæ sanè omnia pace Galeni sunt erroris plena. Primo enim Hippocratem intelligit de pleuritide octo inferiorum costarum loquentem: quod apertè falsum esse, eò constat, quòd costæ omnes, sunt supra septum trãsuersum: Hippocrates verò de doloribus infra septum men-

mentionem habuit, nec apud Hippocratem legitur prope septum, vt Galenus visus est corrupisse in commentario, sed infra septum. Terminum enim partitionis corporis, solitus est Hippocrates septum statuere, vt capite vigesimosexto Fusius diximus: non autem exortum venæ sine pari, quem fortè non nouit Hippocrates. Secundo, quoniam ratio Galeni falsum assumit, de loco exortus venæ sine pari: nam (vt docet anatome, & notat Vesalius libro sexto de humani corporis fabrica, & libro de radice chinæ) in homine pariter, atq; in reliquis animantibus, oritur supra cor non infra. Tertio, quia etiam si infra cor haberet exortũ, exhauriri posset pars inflãmata, per venas superiores, quas cum propaginibus venæ sine pari coire diximus, citra transitum humoris per cor. Præsertim si vera essent quæ Amatus Lusitanus scribit, de valuis quæ sanguinis regressum impediunt, centur. 1. curatione. 51. summæ enim impudentiæ virũ eũ esse censerem, si sensibus omniũ voluisset imponere. Obseruent igitur rogo corpora dissecantes, an in aliquo corpore fortè fortuna reperiantur, & nos de ea re aduertant. Quarto, nam quod Auicenna cauit, ne transitus fieret ad principale, solum habet locum in casu ab autoribus animaduerso: quando scilicet materia corrupta manet in ipso principali. Nam alioqui inter iecoris inflammationem, & cubitum, mediat cor: inflammationem tamen hepatis, aptissimè curat sectio venæ internæ dextri cubiti, autore Galeno libro de sanguinis missione, & decimotertio libro Methodi. Inter posteriora capitis, & venam frontis, mediat cerebrum: posteriora tamen capitis dolentia, vena in fronte incisa iuuat, apud Hippocratem. Inter caput præterea (à quo materiæ corruptæ vacuantur expurganti medicamento) & intestina, medium habetur iecur: nec tamen ob id ab expurgando desistimus: quoniam per ipsa præcipua membra transeunt humores, non vt ibi maneant, sed vt vacuentur: nam nulla commodior via reperitur. Quinto, nam in pleuritide descendente, etiã si febrem habeat mitem (quantuncunq; naturã laborãtis fueris expertus) venæ sectio non est omittenda. Morbus enim phlegmone est, & ex affluenti fit sanguine: eius ergo detractio, potius quàm expurgans medicamentũ eius erit medela. Sexto, nã si purgandũ tũc esset, nostro tẽpore pœna capitali esset puniendus, qui ex hiera diacolocynthidos quæ helleborum in compositione admittit, pleuriticum purgaret. Quin & Hippocratis tempore, sanius cum pleuritico actum esse putarem, solius naturæ beneficio ipsum relinquere, quàm medicamenta huiusmodi propinare.

Sed quæ ratio mouit Hippocratem dubitabis, vt descendentes à septo dolores pharmaco curet, non autẽ venæ sectione? Nã profectò si ex phlegmone ducãt ortũ, (siue infra siue supra cõstiterint) venæ sectio potius quã purgatio est vtilis. In re ancipiti expeditã prorsus sententiã ferrè nequimus: quod tñ diutius cõsiderãtes cõiecimus subdã. De pleuritide Hippocrates agit, quæ interdũ ex calida atq; acuta materia, & ex frigida atq; crudiori oritur nõnunquã. Illa ingentẽ febrẽ & condolentiam claiculæ, ob humorum ex qua constat leuitatem & efferuescentiam affert.

Hæc verò ex frigidis humoribus, suaptesponte grauibus, nõ ad claviculã, sed ad hypochondria, & imas partes vergit: inibiq́ condolentiam infert: febremq́ non vehementem facit. Quod sanè voluit Auic. 10. 3. tract. 4. cap. 6. in hæc verba. Dolor in phlegmatica & melancholica, secundũ plurimum est descendens, ad lenitatem tendens: & in alijs duobus est ascensus inflammatus. In eadem ergo pleuræ parte consistens inflammatio diuersa, diuersam affert condolentiam: ex humoribus quidem calidis, leuibus, & ebullientibus, sursum ad clauiculam: ex frigidis verò, subsidentibus, & impetum deorsum facientibus, infra ad hypochondria. In illa sanguinis missio est idonea: in hac si venam seces, cruditatem augebis, & peccantem humorem nõ extrahes. Quare statim inter initia, antequam crudi humores firmentur in parte, expurgans medicamentum (quod aut pituitam, aut melancholicum succum vacuet) propinat Hippocrates. Ob idq́ colocynthim, & helleborum in hiera admisit Galenus: scamonium verò reiecit, quoniam bilem vacuat. Hunc verò esse genuinum Hippocratis sensum, apertius monstrat sentẽtia septuagesima sexta, quarti libri de ratione victus in morbis acutis, in qua pleuriticos quibus sub thorace dolor est, purgat inter initia: idest ante quàm in parte firmẽtur humores, vt exponit Galenus in commentario. Quod etiam voluit Aëtius, serm. 4. secundi tetrab. cap. 68. vbi ità scribit. Si itaq́ dolor circa mammas innititur, ac vsq́ ad clauiculam se extendit, citra dilationem confidenter vena secanda est. Si verò deorsum ad præcordia vergat dolor, corpus purgandum. Vt vel ex hoc luce clarius fiat, Hippocratem sententia decima, & vndecima, secundi libri de victu acutorum, non agere de pleuritide quatuor superiorum costarum: nec de altera prope septum: sed de pleuritide in vniuersum: quæ pro diuersitate humorum ex qua gignitur, differentes partes agit in consensum, nunc ad iugulum, nunc ad præcordia pertinens. Cum autem ex humorum diuersitate, vacuationum pẽdeat differentia: merito fit, vt condolentia genus vacuationis indicare poßit. Est quoq́ & lateris dolorum genus aliud, ex crudis humoribus & viscosis ortum, qui aliquando se in vacuum thoracis locum repente ingerũt, aut in ipsum etiam pulmonem: in quo expurganti potius medicamento, quàm venæ sectione est vtendum. Dicti nanq́ humores, multitudine sua, succingentem latera intrinsecus pelliculam distendentes, inferũt dolores: vt imaginatio factæ inflammationis, inexpertis exhibeatur: quin etiam vias spiritus intercipientes, vehementem spirandi difficultatem inducunt. Vndè quidam medici errore seducti, vena cubiti incisa, multoq́ sanguine euacuato, mortis causam ægris præbuerũt, vt Aëtius est autor serm. 4. secundi tetrab. cap. vltimo. De quo fortè genere Hippocrates intellexit: nam si in vacuum thoracis spatium, penetret huiusmodi humor, ad septum vsq́ præ grauitate decidat est necessum: & hypochondria facilè aget in consensum. Verã nanq́ pleuritidẽ, quantũcunq́ sit pituitosa, aut melancholica, atq́ ad præcordia pertineat: sine venæ sectione aliquali transigere, post Hippocratem omnes formidant autores, ex morbi genere (quod scilicet inflammatio est) indicatione desumpta.

Huc

Huc vsque dicta per epilogum referuntur. Ars insuper *traditur qua instructus chirurgus vulnerarius, venæ secandæ opus rectè absoluet. Quidq́ in ipsa sectione, & post sectionem peractã agere conueniat.* CAP. XXXIIII.



Enam ergo (vt omnem hic de sanguinis detractione summã repetamus) secabimus tribus præsentibus scopis: morbi scilicet magnitudine postulante, virtute, & ætate, consentientibus. Nam magnitudinis morbi defectu, pleuritidem memorat Gal. 6. lib. Epid. par. 3. com. 44. in qua sanguinis mißione non fuit opus: quoniã natura sola bona victus ratione adhibita, morbum sanare fuit potis. Morbi autẽ magnitudinem æstimamus, aut in propria essentia, aut ob principis partis affectum, aut quoniam mali est moris: siue acutus, siue diuturnus sit morbus: Fallitur enim argenterius, cum per morbi magnitudinem ad venæ sectionem necessariam, acutiem intelligit: tum quoniam plurimi sunt acuti morbi, quibus sanguinis mißio non conuenit, vt conuulsio à crassa pituita, neruorum originem infarciente: & omnes qui ab ingenti cacochimia oriuntur: tum etiam quoniam plurimi sunt ex diuturnis, quibus venæ sectio remedium est salutare: vt vertigo, podagra, & morbus articularis, in quibus sanguinem mittit Gal. lib. de sanguinis mißione, cap. 19. Nec obstat, quòd Hipp. 4. lib. de ratione victus in morbis acutis, sent. 19. ita scribat. In acutis morbis sanguinem detrahes, si vehemens morbus videatur, florueritq́ue ægrotanti ætas, & virium affuerit robur. Hæc Hippocrates. Cui satisfacit Galenus in commentario, ita scribens. Quod porrò in fronte dictionis dictum est, in acutis morbis sanguinem detrahes, vt consideretur est dignum. Sed quomodo longorum morborum non meminit? Quoniam sanè de acutis nunc docet, atq; ob id solos eos memorauit. Nempe & ex longis multi sunt qui sanguinis egent detractione, cum & hi, dictis tribus subiaceant scopis. Quibus verbis luce clarius docuit Galenus, quòd nullatenus acuties per magnitudinem sit intelligẽda: sed vnũ aliquod è dictis tribus significatis. Nec ob id cuiq́ morbo magno sanguinẽ mitere cõuenit: morbi enim magnitudo, magnitudinem remedij solam poscere diximus: sanguinis scilicet mißionem, aut purgationem, aut potum frigidæ copiosißimum, aut membri amputationem: quæ omnia magna præsidia sunt, & à solis magnis morbis postulantur: non quidem omnia ab omnibus, sed singula à singulis. Vt enim morbi magnitudo postulat magnitudinem remedij, ita species magnitudinis morbi, postulat speciem magni remedij: plethora (inquam) venæ sectionem: cacochimia, purgationem: incendium, ac vehemens in causo siccitas, potum frigidæ: & gangræna membri resectionem. Non tñ vt sanguinis mißioni, aut purgationi, sufficit morbi magnitudo præsens, aut imminens: ita & frigidæ potioni, aut mẽbri amputationi, sufficiet. Nemo

enim ob timorem futuræ gangrænæ, aut incendij, membrum amputabit, aut gelidissimæ potũ adhibebit, nisi huiuscemodi iam adsint affectiones: sanguinis verò missione, aut expurgatione vtemur, non modo curationis, sed præcautionis etiam gratia, morbi magni futuri timore: cum scilicet plenitudo aut cacochimia, ex quibus dicti morbi sunt oriundi adsunt: & cum adest partis alicuius insignis imbecillitas, dolor, aut ictus: quorum ratione humores ad partem confluere, aut solent, aut timemus. In huiusmodi enim partium imbecillitatibus, ictibus, assuetis defluxibus, & timore phlegmonum futurorum: non modò præsente plenitudine, verum etiam quibus naturalis est humorum mediocritas, & ijs qui citra mediocritatem constituũtur, sanguis est venæ sectione detrahendus. Prætereo vtilitates ob quas in cacochimia licet sanguinem mittere, aut in plenitudine expurgãti vti pharmaco, de quibus capite sexto abunde egimus. Quòd verò virtus valida quæ venæ sectionem ferat, necessaria sit: quòdq; non modò vitalis, sed animalis etiam ac naturalis: & vtra ex his magis sit necessaria: quibusque signis cuiusq; ipsarum robur, ac imbecillitas deprehendatur, dictum nobis est. Sufficiunt autem hi duo scopi (magnus scilicet morbus postulans, & vis valida consentiens) in alijs à pueritia ætatibus, apud Galenum. Nam pueris etiam si morbo magno & acuto laborent, validamq; virtutem habeant, venam secare negat Galenus vsq; ad annum decimumquartum. Zoar verò, & cũ eo vniuersa schola, vsq; ad annum tertium exactum. Paulus autẽ Galenum sequutus, lib. 6. cap. 40. ipsum in hæc verba interpretatur. Porrò in ætatibus vsq; ad quartumdecimum annum, sanguis mitti non debet, sicut etiam post sexagesimum, nisi necessitas quædam ineuitabilis huc nos cõpellat. De consuetudine autem num annumerãda sit scopis postulantibus, an consentientibus, an vtrisq;: num scilicet augeat tolerantiam solam, an simul etiam indigentiam, inquisiuimus. Quòd etiam regio, anni tempus, & præsens anni constitutio valde calida aut frigida; vteri gestatio, humorum cruditas, profluuium ventris, dolor, fastidium, & conualescentia, dictis præsentibus scopis, sanguinem prorsus mittere non vetent, sed quantitatem minuãt: quòdq; si plura horum iungantur, ex pluribus non præcipuis fieri possit vnà indicatio prima, quæ sanguinem prorsus mittere impediat, diximus. Quatenus etiam cacochimia frigida, aut calida, venæ sectionem impedire sit potis: & quando in cacochimia opus sit venæ sectione, & in plenitudine purgatione: anq; in causo sanguis sit intrepidè detrahendus non prætermisimus. Venæ secandæ delectum, in quibuslibet morbis, & è quibus fontibus desumi debeat: & quando rectitudinem & communitatẽ violare liceat: deq; harum obseruatione, & penes quid attendãtur: plura scripsimus. Sanguinis detrahendi quantitatem non prætermisimus, quibus scilicet temperaturis, ætatibus, consuetudinibus: anni temporibus, parcius, & quibus copiosius sit detrahendus: quando sit illico supprimendus: quando sanguinis mutatio spectanda: & an ad animi defectionem ægrum interdum ducere oporteat: quibusq; indicijs satis sanguinis detractum esse deprehẽdatur, diximus ad satietatem. Occasionẽ præterea

in

in venæ sectione esse captandam, nisi valde vrgens sit casus docuimus. Hinc saturis & famescentibus venæ sectionem negauimus: exiguum autem cibum qui soli vẽtriculo sufficiat, venæ sectioni præmittendũ duximus. Quòd verò vomitio debeat interdum eandem antecedere, aliàs leniens pharmacum, clyster autem leniens ferè semper: & an pharmacum attractorium interdum debeat præmitti: quòd itẽ coctio non necessariò debeat præire, & quando vtiliter præmittatur docuimus. Huc etiã pertinet quod de lunæ coitibus, oppositionibus, & aspectibus cum alijs astris: pariter & de diebus decretorijs, quæsiuimus an sint ad venæ sectionem cauendi.

Quid verò in ipso sectionis actu præstandum sit, scire tum medicis præcipientibus, tum chirurgis famulantibus, valde conducit. De quo primo, accumbentibus ægris, non autem erectis, aut sedẽtibus, venam fore secandam, tradit Galenus. 1. lib. Aphor. com. 23. ne scilicet ægri animo linquantur. Sedentibus enim aut erectis laborat animalis facultas: intestina etiam ac viscera ex præcordijs pendentia, vim inferunt vitalibus membris: ob idq́ syncope facilè prehenduntur. Præsertim si acres succi ad os ventriculi confluere soleant: aut ipsum ventriculi os sit valde sensile, maleq́ habere soleat ex acribus deuoratis, qualia sunt piper, sinapi, & acetum: aut si ventriculus sit imbecillis, qui scilicet parum appetere soleat, & ex accepto cibo grauari, in nauseam aut vomitionem cõcitari, quiq́ ex inedia, ira, aut pauore soleat syncope stomachica, epilepsia, aut cõuulsione corripi. Nam qui his leuibus occasionibus huiusmodi malis corripitur, certius ex venæ sectione quæ sanguinem & spiritus dissipat, & reliquos humores commouet, corripietur ijsdem: & maximè si dum vena secatur non discumbat. Ij tamen quorũ ventriculus acri succo mordetur, iubendi sunt ante venæ sectionẽ vomere: & post vomitum sumere micam panis infusam in succo aggrestæ, aut in succo limonis aqua rosacea temperato, aut cotoneum vel granatum acidum. Qui verò ventriculum habent admodum sensile, aut imbecillum, ante quàm vena secetur, reficiendi sunt gallinæ ventriculo asso, aut tantundem de pectore eiusdem, aut cortice citri, aut mica panis ex vino rubeo & exiguo moschi, si adest ventriculi frigus. Extra quoq; ventriculo imponatur manus humana, aut catellus, aut panis tostus vino roratus & cinamomo respersus, aut vnguentũ aliquod ventriculum roborans. Aqua insuper rosacea, florum aurantij, & vinum album mista, odoratui admoueantur. Sit pars statim ac vena scissa est, prona quantum situs partis ferre potest, vt sanguis exeat expeditius. Brachium ad partem domesticam nonnihil est contorquẽdum. Manũ ad siluestrem, aut infra vertimus: vt deorsum vel è latere sanguis feratur. Pedem etiam ad latus inclinamus vt fluat è latere: infra nanq́ vertere non possumus. Vena poplitis, nec ad latus, nec infra effluere potest: genu enim flexo in pelui calidam aquam habenti dum secta est, sanguis educitur. E vena frontis, aut nasi, capite infra inclinato effluet. E vena omoplatæ (quã Auicenna spatularẽ vocat) effluet sanguis è latere, si ex altero latere iaceat æger. Sicq́ semper ægri corpus locandum est, vt ex parte affecta quam magis volumus

inanire, in venam sectam facilis directusq; sanguinis cursus habeatur. Pars autē secanda tam diu fricetur donec incalescat: & si hyems est accēsæ prunæ infra brachiū ponantur, vt eò trahatur sanguis. Exercitiū etiam, & pedū incessus, venas præsertim pedū implere, & sectioni aptas reddere est pote. Vinculum paulò supra locum secandū iniiciatur: tum vt sanguis dolore trahatur, tū vt ex parte ligata in proximā vulnerandam impellatur magis. Quare cum brachij aliqua vena secanda est, paulò supra gibberum est vincienda: cum in extrema manu aut pede, paulò supra manus, aut pedis articulum. Cum vena poplitis secanda est, paulò supra genu arcta fascia est deligāda. Cum vena omoplatæ, per supernā ipsius omoplatæ partē, & axillas vinculū est stringendū. Cū vena aut frōtis, aut prioris, vel posterioris partis capitis, tēporum, angulorū oculi, aut eius quæ inter duas nasi cartilagines sita est, aut eæ quæ circa guttur extantes reperiuntur, aut quæ linguæ subijciuntur, vel adiacent, aut quæ post aures iacent, sunt aperiēdæ: ceruicem fascia ampla vinciemus, digitis super guttur interpositis: ne (vt Paulus monet lib. 6. cap. 40.) suffocatu ægri intereant. De venis tamen quæ sunt in angulis lachrymalibus oculorum, dixit Auicenna 4.1. cap. 20. quòd secundum plurimum non apparent, nisi per constrictionem suffo- ,,
cantem. Quo autem vinculo vti debeamus in sectione iugularium: docuit Auicēna quòd trahente caput ad latus contrarium: sic enim iugularis tenditur, & tumida apparet in parte gibbosa, vbi est secanda. Quo item vinculo vti debeamus in venis labilibus: dixit Auicenna quòd si vena ad vnam tantum partem est labilis, oppones ,,
ei ligaturam & stricturam è cōtrario partis illius: vt scilicet ex ea parte firmetur. ,,
Si verò ad vtramq; partem labilis sit, duabus fascijs è cōtrario incedētibus, brachiū vincire interdum iussimus, in medioq; iacentem venam iam vinculis firmatam tundere: rectèq; cessit. Est autem vinculum comprimēdum magis, in crassis corporibus, (vt venæ ob carnem & pinguedinem superiacentem delitescentes, & ob insitam humiditatem laxæ existentes, intumescant, tendantur, & extra appareant) quàm in macris, & excarnibus, in quibus ob causas dictis contrarias, arctum vinculum venas extra vltimam membri faciem extuberantes, & suapte sponte duriores, ita cōprimit, vt sanguini vacuando expeditum transitum impediat. Siue verò arcta, siue laxior deligatura fiat, cutem nunquam de suo loco dimoueat: ne dum cutis ad suum reddit locum, sanguinem è vena fluentem intercipiat. Verum id considerandum venit (inquit Paulus lib. 6. cap. 40.) interiori & alariæ venæ, per totum arteriā subijci, mediæ neruum superior (quæ & humeraria dicitur) periculi expers est. Auicenna verò, basilicæ non modo arteriam, sed neruum etiam & musculum substerni affirmat. Valde etiam curandum est arteriam à vena dignoscere, ne arteriam pro interna vena (quod sæpe contingit) secemus: maximaq; eius rei dignotio habebitur ex pulsu, quæ tamen fallere nos trifariam potest. Primo, quia in quibusdam corporibus duæ arteriæ internam venam commitantur: cumque vnam signauerimus, alteram pro vena (nō minori errore) secamus. Secundo, quoniam arteria ligata non pulsat.

Tertio,

Tertio, quoniam ligatura, arteriã à suo loco dimmouet, ita vt superponatur venæ. Ob id Aëtius serm. 3. primi tetrab. cap. 10. basilicæ sectionem ob arteriam, & communis ob neruum, valde reformidat: semperq́ (nisi valida aliqua ex causa) has prætérit, humerariæ sectione contentus, in hæc verba. Et vitandum est ne hãc secemus citra magnam necessitatem, nam minoris periculi est humeralem secare. Et sæpe facta in hac fisura magna, neq; inflammationes sequutæ sunt, neq; dolores. Quare hãc confidenter secare licet, internam verò cum multo metu. Vitandum etiam ne tentemus mediam. Auicenna verò omnis nos admonet deceptionis, vt nimirum consideremus, vna ne adsit arteria, an duæ: vtq́ vinculo detracto, rursus pulsum eius quæramus, iterumq́ diligenti cura adhibita vinciamus. Quoniam autem cum arteria venæ superponitur, inflatur, & turget magis: ideo inflationem hanc semper suspectam habet: iubetq́ tunc vinculum soluere, & inflatum locum oleo inungere. Si enim ex vena quæ flatum, aut spirituosam materiam concepit, est inflatio: solutione vinculi, & olei illitu, bis repetitis dispergetur, iterumq́ religata non inflabitur. Quòd si iterum adhuc infletur, de arteria magis est suspicandum: & iam non basilica, sed pro ea ramus eius est infra scindendus. Quanuis autem nulla adsit inflatio, nunquam prorsus securi erimus de arteriotomia: quare curandum est infra articulũ (quoad poterimus) secare basilicã: quò enim infra magis, eò securius secatur, quoniã solent infra gibberum basilica atq; arteria substrata, magis disparari: siq́ ex pulsu nouerimus arteriam ad dextrum disparari, secemus versus sinistrum: & si versus sinistrum incisio pergat, ad dextrum: ne arteriam vlla ratione possimus pertingere. Quod voluit Auicenna in hæc verba. In basilica quoq; phlebotomanda, quanto plùs ad brachium descẽderis erit sanius. Phlebotomus præterea in venam procedere debet, ad diuersitatem partis arteriæ. Et Rasius. 7. libro ad Almansorem, capite de phlebotomia, ita scribit. Quòd si ex basilica tantũ minutionem facere volueris, locus ante brachij ligationẽ est tãgẽdus: et postquã pulsus cognitus fuerit, erit signãdus: & deinde ligetur, & summopere obseruetur quatenus à loco signato (quanto magis fuerit possibile) percussio elongetur: & ad partem manus descendendo fiat. Nec obstat, quòd Aëtius, sermone. 3. primi tetrab. cap. 13. præcipit supra articulum, non autem infra sectionem facere. Primo, quoniam intelligendus est de sectione humerariæ, quam solam nisi magna vrgente necessitate, secandam fore docuerat anteacto capite: quæ (cum sibi non subiaceat arteria aut neruus) melius potest & debet secari supra articulum, ante quàm ramum vllum à se deriuet. Secundo, quoniam Aëtius magis tum cõsuluit pulcbritudini phlebotomiæ, quàm vtilitati. Supra articulũ enim sectione facta, liberè & per rectum effluit à corpore sanguis, quare & speciosè: infra articulum verò vena curuatur, parumq́ liberum exitum sanguini cõcedit; perinde ac flumen, vbi eius alueus contorquetur. Ob brachij etiam curuitatem, versus nos parum effluit speciosè, magnaq́ ex parte sanguine inficimur. Id quod ipsius Aëtij verba commonstrant, quæ ita habent. Neq; verò infernam vasis partem ad

radi-

radium diuidere oportet, sed supernam ad brachij exortum: superna enim secta, speciosa sanguinis eiaculatio contingit. Auicenna verò secum non pugnare non potest, qui ante citata verba ita scripserat. Oportet autem vt omnes tres supra iuncturam aperiantur, & non sub ea, nec in ea: ideo vt egrediatur sanguis bene, & taliter vt saliat: & vt sit securitas à nocumentis neruorum, & arteriarum: & similiter cephalica, scilicet quamuis ipsi nec neruus, nec arteria subiaceat. Quibus verbis securius ab arteriæ læsione supra, quàm infra gibberum secari basilicam adstruit: cõtra ac parum infra statuisse retulimus. Inflatio verò non modo in basilica quæ comitẽ habet arteriam metum incutit, ob quem soluenda & inungenda oleo est: sed in omni etiam alia vena: in qua si postquam ligaueris, in ciceris aut lentis effigiem, aliqua eius pars intumescat, similiter ac in basilica diximus agendum esse consuluit Auicenna: Quòd scilicet vinculum soluatur, tumor illinatur donec sit dispersus, & post iterum vinciatur: siq; rursus intumescat, rursus omnia repetantur: ita vt vena nõ secetur donec flatus, aut spiritus, aut sanguis illic interclusus dissoluatur, & tumor euanescat. Contingit enim ex sic tumentis venæ tentata sectione, vt vena ipsa præ tumore labilis, subterfugiat scalpellum: aut iam secta, nõ ita expeditè sanguinẽ eiaculetur. Fit autem interdum, vt nec frictio, nec subsequens ligatura, venam manifestã exhibere sufficiat: quo casu arctißimè solent chirurgi ligare, vt vena se ostendat: & brachium ex ea arcta ligatura sæpe inflammatur. Quod tamen euitabis (si res non vrget plurimum) ad primam aut secũdam diem sequentem, venæ sectionem differẽdo: fit enim vt ex frictione & ligatura hesterna sanguis attractus, hodie aut cras tumidam venam ostẽdat: præsertim si per interualla interim fricetur brachiũ. Si verò res vrget plurimum, considerandus est ramus à vena quam secare destinasti deriuatus, & digito est infra premẽdus: si enim digito amoto, ramus tunc repentè tumescit (sanguine scilicet ad ramum ex radice promptè redeũte) ramus est secãdus, apud Auicennã. Ramo verò non aparẽte, aut sanguine ad ramũ non redeunte, pro interna, communis: & pro communi, humeraria: & vice versa secanda est, ex Galeno. 2. libro de ratione victus in morbis acutis, com. 10. Quòd si harum nulla se ostendat, arctißima tunc deligatura vti conueniet, & citò rem peragere: ne aut mẽbrum intereat, continuitate influxus membrorũ principum intercepta: aut brachiũ inflammetur, plurimo sanguine attracto. Quare rectè Auicẽna chirurgorum quorundam abusum reprehendit, qui brachium secandum per vnius horæ spatium vinctum continent: donec scilicet præ stupore, dolorem ab scalpello illatum non deprehẽdat. Tanta autem excogitari potest venarum occultatio, & phlebotomiæ vrgentia, vt opus sit (quod Auicenna iubet) cutem venæ adiacentem secundum longitudinẽ diuidere donec detegatur vena: ita vt vnco apprehẽdi, & sanguis inde extrahi queat. Quo tamen casu, venam in vtrauis manu, aut pede, aut poplite, nos potius secamus, quàm tam operosa & molesta chirurgia vti permittamus: consilium Alexãdri Tralliani, lib. 1. cap. 17. dum melancholiæ ex sanguinis copia nascenti medetur,

" ceu vtile hac in parte amplectẽtes, vbi ita scribit. Quòd si à brachio vacuatio fieri
" nequit, tentandũ est eã à poplite, & tali partibus moliri: atq; hoc magis in muliebri-
" bus corporibus faciundũ est, quippe mẽstruã vacuationẽ prouocat. Cum autẽ venas
" cubiti nõ manifestas inueneris, eas quæ cõmemoratis locis subiacẽt, incidere tũc opor
" tet: nã ad affectũ prædictũ sanguinis vacuatio est necessaria. Nihil igitur minus iu
" uabis ex quacunq; parte sanguinẽ detraxeris, cum etiã omnia simul vacuẽtur, quẽ-
" admodũ diuinus Hippocrates ait, cõfluxus vnus, cõspiratio vna, omnia cõsentiẽtia.
— Hæc Alexãder. Non tñ statim ac vena quã incidere studes conspectum fugit, alia est in eius locum secanda: sed vinculum soluere, & iterũ atq; iterum ligare conuenit: tum ob tractum sanguinis, tum quoniam vena quæ ex vna ligatura non apparuit, apparere potest ex altera. Oleo etiam venæ locus est inungendus, vt rarior & tumentior ex sanguine ibi impulso reddatur, vtq; ex nitore quodam quẽ cuti oleum conciliat, quodammodo diuersus color ad locum venæ in cute ipsa eniteat. Duobus etiam digitis, indice scilicet & medio, locus quo vena exporrigi solet, curiosè debet contrectari: primo solo indice, qui maximus est explorator, deinceps medium paulò elatius est admouẽdum: sanguis namq; ex indicis cõpressione dissiliens, proximam venæ partẽ quæ sub medio est, tumentiorem reddit: facileq; ab vtroq; digito sanguis vtrinq; subsultans, deprehendi quibit. Quo deprehenso, si pilum aut maculam videris, eam mente teneto: sin minus vngue, aut atramento signato, ne te locus fugiat sectionis. Debet autẽ chirurgus scalpellum duobus digitis apprehendere: pollice (inquam) & medio: indice verò venam rursus tangere quo certè collimet. In quod varios scalpellos, tersos, acutos, & ancipites, habeat oportet: obtusi enim venã sæpe non penetrant, & dolorem semper inferunt, ad quẽ magna ex parte inflammatio posteà consequitur. Ex scalpellis autem quidam habeant pilum aut capulum, ita vt vltrà iustam mensuram penetrare nequeant, alij verò capulo careant, vt quo voluerimus penetrent: illorũ enim vsus vtilis est in venis exiguis, & in labilibus, in quibus capuli defectu, aut neruus, aut arteria interdum vulneratur. Sint autem vtriq; nõ angustissimi styli (quos punta de espino nostrates appellant) sed latiores qui oliuæ foliũ æmulantur. Capulo autem carẽtes (quibus solis nostra ætas vtitur) expertissimum, oculatissimum, & valde attentum poscunt Chirurgũ: qui tamen admodum frequens non est. Nam iuniores sunt inexperti: senioribus hebescit visus, & manus contremiscunt: plurimis verò eorũ qui in medio habentur, insana quædam loquacitas (quæ ipsorum est vix euitabile fatum) distrahit attentionẽ: pauciq; ex ipsis sunt ambidexteri, quod oporteret: dextra enim manus dextro brachio, & sinistra sinistro, est secãda. Hic ergo quẽ selegisti, prius experiatur scalpellũ, an expeditè vulneret, nullãq; aut scabritiẽ habeat, aut mucronis retusionẽ subeat. Deinceps digito medio atq; pollice, medium scalpellũ apprehendat: supra enim parum firma fit apprehensio, & infrà non admodum expeditè vulnerabit, minimo & annulari digitis impeditus. Alterã manu brachium comprehendat, eiusq; pollice venam ne labatur stabiliat: tunc autem

non

non plus ferri indat, quàm ad penetrandum in venæ cauitatem sit satis. Sensim verò, & furtim, suauiterque blandiendo, eiusmodi sectionem peraget: ne repentino venæ durioris occursu, aut vena dissiliat, neruumque, vel arteriam pro ea rumpat: aut scalpelli acies retundatur: aut tenuissimus mucro occultè frangatur. Hæc enim mala parere solet festinatio: quæ vt quidam auertant, scalpelli mucronem oleo non inutiliter inungunt, suauiusque & minori dolore secant: quanuis non adeo celeriter vulnus postea coalescat. Cæsim autem vulnerandum esse in venis manifestis, & punctim in obscurioribus, & in ægris qui ad ictum flectere solent cubitum, docuit Aëtius ex antyllo, sermone tertio primi tetrab. cap. 13. Magnitudo verò vulneris, non vna semper est optima: sed interdum ampla, alias exigua, frequentius verò media, est magis eligenda. In his qui aceruata euacuatione opus habent, magna fissura " facienda est: itemq; in quibus crassitiem sanguinis contineri coniectabimus. In qui- " bus verò reuellere & auertere volumus lationem sanguinis, velut in reiectantibus " sanguinem, aut quibus de naribus aut quadam alia parte sanguis erumpit, parua " vulnuscula incutimus. Non enim indigent euacuatione (cum euacuentur ab affe- " ctione) sed retractione ac reuulsione. Oportet igitur in his permittere vt sanguis " fluat multo tempore per venam. Paruis item fissuris vtendum est in phreniticis aut " mente motis, aut alias delirantibus, quò cita conglutinatio vulnusculi fiat: contingit " enim vt deliri sæpe latenter vinculum manius soluant: & siquidem contigerit mag- " nam esse fissuram, sequitur periculum ex sanguinis eruptione. In parua verò, etiam " grumus vulneris osculo insidens, sanguinis eruptionem probibere poterit. Insu- " per & paruis fissuris vtendum est in paruis vasis, magnis verò in maioribus. Nam " si in magnis vasis paruum vulnusculum fiat, necessariò grumi collecti fluxum " sanguinis impedient. Cauere autem oportet in ampla fissura, ne adeo sit magna vt " labia euertantur: sic enim sanguis potius effunditur quàm eiaculetur, & plurium " insuper spirituum, ac virium fit amissio. In parua quoque est cauendum, ne angustia sanguinis impetum compescat: & tenuis ac spirituosus sanguis excoletur, crasso putridoque in venis relicto. Omnium verò vitia effugit media, in latitudine quadam sita: nam hyeme, & vbi crassities humorum infestat, amplius: æstate autem, & vbi humores sunt tenues, strictius vulnus infligendum est. Sectionis etiam figura non vna semper est congruens: sed diuersa pro ratione amplitudinis, & labilitatis venæ, & iterationis phlebotomiæ. Pro ratione quidem amplitudinis, nam si vena exigua est, transuersim est secanda, vt plus de se sanguinis fundat. Pro ratione vero labilitatis, nam quæ scalpellum ad vtramq; partem effugit, transuersam sectionem minus effugiet. Ad vtramq; (inquam) partem, nam interdum vena ad vnam tantum partem labilis est: tuncque sufficiet ligaturam è contrario conuenienter opponere vt firmetur. Si vero ad vtramque partem est labilis, cum non possit firmari, per transuersum est secanda. Quod monuit Auicēna, quarta primi, capite vigesimo, vbi ita scribit. Cumq; vena remouendo se ad partē vnam mutabitur, pones "

" ei ligaturam & stricturam è contrario partis illius: & cum remouendo se ad duas
" partes æqualiter mutabitur, non debebis eam in longitudinem phlebotomare. Pro ratione præterea iterationis phlebotomiæ ex eadem vena, in diuersam figuram secari debet: si enim repetenda non est, ea figura est idonea quæ citissimè glutinatur: si verò post vnũ aut duos dies est iteranda, quæ difficillimè glutinatur est eligenda: si autem eadem die repetenda sit, media figura quæ mediocriter glutinatur præfertur. Siquidem vena in cubito aut alio quouis articulo secetur transuersim, facillimè glutinatur, leui scilicet brachij contractione: si in rectum difficillimè: quoniam incuruato cubito disparantur oscula fissuræ: & præter id in ea figura, minus speciosa sanguinis eiaculatio contingit, vt notat Aëtius: in obliquum verò facta, nec adeo facilè coalescit, ac transuersa: nec ita difficulter, vt quæ in rectum fit. Hæc ergo ceu medium tenens præ cæteris est deligenda, tum quoniam vitia extremarum effugit, tum quoniam (vt Aëtius scribit serm. 3. primi. tetrab. cap. 15.) à vase non aberramus dum sic secamus: & sanguinis eiaculatio ex obliqua fissura, pulchrior aspectu est videntibus, dum velut obtorquetur, & obuoluitur sanguis in saltu. Quæ doctrina exactior videtur, quàm Pauli, qui lib. 6. cap 40. obliquam sectionem minus reliquis coalescere scribit, in hæc verba.
" Fascia igitur arcta partem aliquam circa bra-
" chij musculos deligare oportet, & frictione manum alternante, repletam venam
" vsui commodam, transuersim per totam ipsius latitudinem solam diuidere. Etenim
" minores hac plagæ, ægrè cicatricẽ admittunt: arctæ nimium, inflammationem expe-
" riuntur. Præterquam quod crassioris succi transitum impediunt. In quibus autem
" & secundo & tertio die, interim verò & quarto sanguinem detrahendum esse spe-
" ramus, obliquius vena secari debet: quo manus inflexu dehiscens, non protinus cica-
" trice obducatur, sic enim visum est Antyllo. Extra articulos verò (in capite scilicet, manu, pede, & alijs eiusmodi partibus) quæ in rectũ fit fissura, cæteris omnibus glutinatur facilius, quoniam fibras rectas non findit: in transuersum verò difficilius reunitur. Transuersim tamen facta, magis est eligenda cum venæ sunt exiguæ, vt satis sanguinis profundant: & cum venæ sectio est iteranda, etiam si venæ amplæ existant. Vnde Auicenna de sectione venarum capitis agens, quarta primi, capite vigesimo, ita scribit.
" In venis autem quæ phlebotomantur, &
" sunt in parte capitis excepta guiden, melius est vt transuersè phlebotomentur. Vena ergo frontis quæ inter duo existit supercilia: & vena quæ super caput iacet, in summitate scilicet frontis: & duæ venæ temporum quæ flexuosè incedunt: & duæ venæ ad occiput in posteriori parte capitis, transuersim sunt phlebotomandæ. Duæ præterea venæ quæ sunt in angulis lachrymalibus, transuersim secari debent: nã ne sic sanguis ex eis nisi paucus educetur. In quibus tamẽ secãdis monet Auicẽna ne scalpellũ profundetur: aliter enim ex percussione ossis fierent fistulæ. Vena quæ est in lepore nasi, inter duas scilicet nariũ cartilagines, quæ digito pressæ adinuicẽ separantur, punctim est secanda ob profunditatem: exiguum tamen sanguinem

guinem fundit ob sui paruitatem, & ad faciem attrahitur plurimus ob dolorem illatum: ita vt interdum rubida deinceps maneat facies: eritq; (ut notat Auicēna) nocumentum hoc maius iuuamento sperato. Internas quoq; narium venas disrumpimus, vel mucrone scalpelli cōtundentes, vel quibusdam asperis irritantes vt Paulus ait: inter quæ selectissimum est quod ex gallinæ penna ad radicem multum fissa in stellæ effigiem paratur. Venas super guttur extantes sphagitides appellatas, ob vetustam lippitudinem aduersa scalpelli parte scindemus, ex Paulo lib. 6. cap. 40. idest scalpellum infra agendo & velut scarificando, ita vt sanguis erumpat: pars enim scalpelli inferna, aduersa est supernæ qua reliquæ venæ secantur. Venas item linguæ subditas in anginis transuersim incidimus euitantes constrictionem apud Paulum, ne ægri difficilè iam ex morbo respirantes, suffocatu intereant per colli vincula. Per has autem venas, non modo duas quæ linguæ partem infernā perreptant (quas leonicas appellant) intelligimus: sed aliam etiam quæ sub lingua in mēti cauitate iacet: quam Auicenna in angina & duarum amigdalarum inflammatione secandam esse perhibet. Eas enim quæ linguæ ipsæ subiacent, & alias quæ linguæ desuper adiacent, non tā propter anginas, quā ob linguæ grauitatem ipse secat. Sunt tamen omnes vt ex Paulo diximus per transuersum secandæ: frustra enim timet Auicēna ex transuersa harum venarum sectione, sanguinis fluxum qui compesci nequeat: nam vt quotidiano experimento videmus, exiguæ sunt, & plurimum sanguinem rarò profundunt. Auicennæ autē verba sunt huiusmodi. Et ex eis sunt venæ quæ »
sunt sub lingua, & existentes super ipsam linguam, & minuuntur propter linguæ »
grauitatem quæ est ex sanguine: quæ quidem secundum longitudinem sunt minuen »
dæ, quia sanguinem constrigere qui fluit ex phlebotomia in latitudine facta est dif- »
ficile. Venā etiam aliā quæ inter mentum & labium inferius iacet, transuersim in »
oris fœtore à gingiuis nascente, & in alijs gingiuarum morbis tundimus. Iugulares quoq; venas interdum scindunt in Elephantis principio, antequā morbus firmetur, & in habitum transeat: quoniam sanguinem potenter & confestim huiusmodi sectio diuertit à membris spiritualibus, & à facie: in angina præfocante, in pulmonia, in asthmate acuto, & hanelitus cōstrictione ac difficultate, propter sanguinem cōtingētibus. Hanc autē sectionē, scalpello habēte capulum ne profundari possit fieri debere diximus. Quo ad figurā verò sectionis dicendum est, quòd quanuis eiusmodi venæ, articulares non sint: more tamē articularium, facilem aut difficilem coalitum suscipiunt ob motum colli. Nam quæ collo in alteram partem contorto fit fissura, cum collū rursus in suum locū adducitur, disparatur: quæ verò in transuersum counitur. Hac vtitur Auicēna in simplici phlebotomia, illa verò in duplici, aut pluries repetenda. Quod obscuris & incompositis verbis sequentibus, nobis significauit.
Oportet præterea vt eius phlebotomia fiat in latitudine & non in longitudine, & »
sicut fit Saphena & Sciatica: & cum hoc toto oportet vt ipsius phlebotomia cadat »
in longitudine. De interna, externa, & cōmuni, diximus: quòd si iteratio est post

diem

" diem vnam aut duas facienda, secentur in longum: si eadem die in obliquum: si
" repetenda non est transuersim: quòdque obliqua ceu media ad omnia est vtilis, &
" reliquis præferenda, licet in aliquibus vincatur à singulis. Par est ratio ramorum istarum, qui per radium ad manum vsque excurrunt: funis brachij scilicet, quæ supremam: & alterius quæ infernam brachij partem perreptant. Venarum manus, lienaris (inquam) & iecorariæ, si amplæ sint idem indicium esto (vnde Auicenna
" ita scribit. Ascelaris autẽ iudicium est, sicut iudiciũ basilicæ) si vero tenues, transuersim incidantur, vt plus sanguinis profundant. Vena quoque quæ inter pollicem & indicem excurrit, ad iecoris & lienis dolores, è directo secat Auicenna. De eius
" verò sectionis figura ita scribit. Et sceylem quidem phlebotomia melior est ea quæ
" fit in longitudine: Si tamen magna ex parte debiliter ex hac vena sanguis profluit, vt ibidem scribit: consultius actum esse putarem, si transuersim scinderetur. Venam aliam ad clauiculam, seu furculam iacentem, secat Auicenna in morbis oris ventriculi, propter sanguinem ad ipsum defluentem: quæ ob propinquitatem, & directionẽ, potẽter ab eo retrahit. Aliã quoq; (cuius supra meminimus) in omoplata tũdit, ad validissimũ sanguinis è naribus fluorẽ cõpescendũ. Alias insuper scindit duas in musculis ventris: vnã supra hepar in hydropa ex sanguine in hepate retẽto orta: & aliam supra splenem. Quæ omnes quoniam exiguæ sunt, transuersim secari debent. Vena etiam poplitis si semel est secanda, transuersim secta, coalescet citius: si pluries verò, in lõgum secetur, vt tardius coalescat: articuli enim plicatione, labia iungũtur in illa, & disparãtur in hac. Securius tñ in longũ, quã transuersum secatur, ne validissimus tẽdo qui ad calcaneũ vsq; excurrit, vulneretur. Venæ autẽ pedis tã interna quã externa (saphenã & sciaticã appellant) in rectũ sectæ citius coa-
" lescẽt: ob idq; Auicẽna dũ de Sciaticæ sectione agit ita scribit. Et melius quidẽ est
" vt ante balneetur in aqua calida, & vt ipsa in lõgitudine phlebotometur. Dum simplex scilicet venæ sectio facienda est, & venæ pedis sunt amplæ, ac minime labiles. Nam si iteratio faciẽda sit, aut venæ tenues, & labiles fuerint, transuersim eas incidere præstat: et in medijs statibus obliquius. Quid vero sit faciendũ, vena pedis quã incidere destinauimus non apparente, docuit idem Auicenna: Quòd scilicet non apparente sciatica, secemus eius ramum, qui inter digitum pedis minimum & alterum sibi proximum iacet. Non apparente autem saphena, secandus est ramus qui parte interna prope calcaneum existit: aut alter in pollice pedis, quem in comitiali morbo collapsis, secat Trallianus, libro primo, capite decimoquinto, autoritate Theodori. In ramorum autem defectu, sciatica pro saphena, & saphena pro sciatica, secari possunt. Nam parum referre scripsit Galenus, ex venis pedis vtram seces.
" Ab vna enim ambæ nascuntur (vt scribit sexto libro Aphorismorum commenta-
" rio tredecimo sexto) quæ in poplite trifariam diuiditur: quoniam & vna vena ad
" hoc peruenit membrum, non sicut ad manum duæ. Satius autem esset venam poplitis in cuiusque earum defectu substituere, si mulieres ea parte detegi paterentur.

de ea enim ita scribit Auicēna: Et ex eis est vena curuaturæ poplitis quæ tantum »
efficit, quantum & saphena in prouocatione menstruorum: & in doloribus ani & »
hæmorrhoidis. »

Sectione facta certus fies, venam ne, an arteriam, an forte neruum vulneraueris: arteria nanq, tenuem & lucidissimum sanguinem, impetuq subsultantem, & ad magnam distantiam transmittit: & tumorem ex sanguine confestim euacuato amittit. Ex neruo verò venæ adiacente, sanguis non profluit: tam in huius autem vulnere, quàm in vulnere nerui qui venæ substernitur, dolor fit validus in ictu ipso, & postea manet in parte, præsertim vbi partē extēdere nitimur: pars etiā subiecta, ad quam neruus perueniebat, stupidi sensus redditur. Quomodo verò subueniendum sit, arteriæ aut neruo vulneratis, vltimo capite tredemus.

Sanguinis fluxio deinceps consideranda est, sit ne expedita, an impedita: sique impedita sit, causa est consideranda, & emendanda. Siquidem parū secasti, vulnus debes augere. Fit autem interdum vt vulnus in carne sit magnum, in vena verò exiguum: quo casu sanguinem non per totum vulnus profluentem videbis, sed per partem tantum, quæ vulneri venæ è directo respondet. Si ob metum conceptum sanguis non profluat, ægri animus est sedandus, & diuertendus: eiusq visus aliò conuertatur, & mali granati grana eius ori indantur. Si vulnus aliquo sanguinis grumo obstruatur: digito detergatur, oleoq illinatur vulnus. Si ob carunculam verò, aut adipem per vulnus egredientem sistatur sanguis, blandè est interius reducenda: siq reduci nequeat, non incidatur, ne in cauitate fiat aneurysma: sed aliâ parte secetur vena, fiatq vulnus minus amplum tersissimo aliquo scalpello. Solet enim per venam sectam egredi adeps, aut ob vulneris amplitudinēm, aut ob scabritiem scalpelli, adipem trahentem ad se.

Si sanguinis effluxio quæ expedita erat flaccescit, impetusque valde minuitur, signum est naturā in eiaculando atq expellendo deficere: soletq is sanguis tenuior, rubidior, atque incolumior esse, quàm qui primo pellebatur: quare protinus tunc est sistēdus, nisi vbi syncopin quærimus, quod capite docuimus vigesimoquinto. Omnis nanque sanguinis mutatio, siue a malo in bonum, siue à bono in malum, satis sanguinis detractum esse indicat. Siquidem bonus sanguis sequatur malum, significat aut malum prorsus esse vacuatum, aut naturam in expellendo deficere. Si verò malus post bonum incipiat vacuari, significat causam inflammationis vacuatam esse: & coniunctam partim vacuari, partim ad venas extra partem inflammatam esse translatam. Color etiam, & pulchritudo faciei si pallidior reddatur: oscitationes, pandiculationes, singultus, & nauseæ; satis sanguinis detractum esse monstrant, & instantem syncopin indicāt, nisi sanguis supprimatur. Sanguine enim & spiritibus ad cor reuocatis, innatū calidū deficit in extremis, sequiturq in facie pallor: in musculis halitus, et fumi (qui cū nō dissipētur ab exiguo calido) vbi pellūtur à musculis maxillæ, fit oscitatio: & à musculis totius corporis, pandiculatio. Singultus verò & nausea

nausea, ob commotionem quæ in ventriculo fit, gignitur: aut ab humore illic ebullіente, aut ob subitū tractum venarum à vētriculo. Paulatinus enim naturalis est, & famē mouet: subitus verò morbosus fit, ventriculum commouet, innato calido priuat, singultire, & vomere facit. His omnibus firmitatem addit pulsus: cuius mutatio sola de magno in paruū, de alto in humilem, de æquali in inæqualem, aut de ordinato in inordinatum, aut (quod plus est) de vehementi in imbecillum: firmum est indicium, quod præterire non licet. Nam reliqua omnia, alijs ex causis ante iustam vacuationem interdum succedere assolent.

Si syncopis verò superueniat, aut quoniam ægrum in eam deducere destinasti, aut quoniam plus quàm oporteret sanguinis detraxisti: vomitus statim cum penna cygni, anatis, aut gallinæ, aut cum digitis est prouocandus. Omni enim syncopi competit vomitus (apud Auicennā, vndecima tertij, tractatu secundo, capite octauo) nisi ex sudore, vel motu spirituum ad exteriora proueniat. Moschum etiam, vinū, aut aquam aliquam odoratam, naribus impone & cordi: faciem affatim irrora: extrema frica: manum calidam eius ventriculo admoue: & diamoschum, aut diambram, ori inde. Valet etiam hoc quo vtor. ℞. trochiscorum de gallia moschata, scrup. ß. confectionis manus christi, drach. ß. fiat puluis qui propinetur in cochleari cum pauco vino odoro. Iusculis deinde quæ consummata vocant reficiatur.

Si ergo aut tantum sanguinis quantum educere destinasti effluxit, aut aliquod eorum quæ satis sanguinis detractum esse commonstrant superuenit: vinculum est soluendum, & sanguis exprimendus, ne in vulnere putrescat, & eius agglutinationem impediat. Tunc autem chirurgus sinistra manu cutem ita tendat, vt eius vulnus à rectitudine vulneris qui in vena est remoueatur: linteique parte madente brachium sanguine infectum lauetur: sic enim sana parte cutis, vulnus venæ obtegente, aqua venam ipsam vulneratam non pertinget. Postquam verò altera lintei parte, chirurgus lotum brachium exsiccauerit, cutim ad suum redire locum permittat: subitoq́ linteo, aut plumaceolo, in medio nonnihil extuberanti, ex aqua rosacea, aut oui albumine vulnus occludat, & arcta fascia vinciat: nisi cū iteratione est opus, tunc enim nec plumaceolum extuberare, nec aqua aut albumine madere, nec arcta sed laxa potius fascia comprimere oportet, ne vulnus ante iterationem glutinetur. Fit enim sæpe ex multiplici eiusdem venæ sectionis iteratione inflammatio, non modo in basilica, & communi, quibus arteria & neruus subiacent: sed in cephalica quæ securius secari solet. Quod voluit Auicenna per verba sequentia. « Plurimum autem erroris qui euenit in minuendo cephalicam, non prouenit ex percus« sione vna, licet sit magna: immo non accidit nocumentum, nisi propter iterationem « percussionum.

Si verò venæ vulnus ante iterationem prorsus agglutinatum sit, nec infra vulnus, nec in ipso vulnere, sed supra ipsum secari vena debet: vt sanguis antequā glutinatum vlcus pertingat (ne ad ipsum impetum faciat, eumq́ disrūpat) vacuetur: vt

docuit Rasius.7.libro ad Almansorem, & Auicēna loco citato, in hæc verba. Ve- »
runtamen si percussionem iterare necessarium fuerit, à prima percussione se remo- »
ueat, & non ab ea descendat. Iteratione autem pluries repetita, magis est opus cum reuulsionis: citius verò factæ, cum euacuationis gratia sanguis est detrahendus: vt Galenus scribit libro de curandi ratione per sanguinis missionem, cap. 21. in hæc verba. Iteratæ tamen detractionis tempus, in quibus simpliciter quidem vacuare »
conamur, eodem die esto. At in quibus reuellere, si vel duobus deinceps diebus fiat, »
melius fuerit. Quibus verbis, iteratas vacuationes eodem die, ob necessitatem va- »
cuandi facere præcipit: reuulsiones verò, tardius & in plures dies partitas facit. Nam eo[illegible] libro capite duodecimo dixerat: Quòd quantò maiorem in numerum, »
particulares auxeris reuulsiões, tātò efficaciores ipsas effeceris. Natura enim mul »
totiens irritata, maiori cum impetu in contrarium deponit onus: & sic agere assuescit. Iteratione etiam est opus, cum vires non constant, vt simul confertimq́ detrahatur: aut cum morbus eius naturæ nō est, vt celerrimam vacuationem poscat. Insani enim consilij foret (etiam si vires permitterent) in morbo parum vrgēte, vniuersam plenitudinem semel vacuare. Ob id in sanguinis missione (inquit Galenus libro de »
curandi ratione per sanguinis missionem, cap.12.) summum id bonum est, euacua- »
tionem vbi voles posse sistere: ac rursum quo videatur tēpore, fluere sinere, quoad- »
vsque rectè habere appareat. Quapropter præstat nisi quid vrgeat, priori missio- »
ne detrahere, iterumque eam repetere, immo si lubet, & tertio. Vbi ergo multa eua »
cuatione est opus, verum vires sunt imbecilliores, in his euacuationem partiri ex- »
pedit: vti nimirum & me fecisse vidistis, in ijs quibus crudorum inerat humo- »
rum copia. Nam pauculo sanguine detracto, protinus mellicratum exhibeo pro- »
be coctum cum incidentium medicaminum quopiam (velut hyssopo, origano, & in- »
terim etiam nepita, aut pulegio, aut certè cū mellicrato oxymel, aut oxyglycy) ac sic »
rursum sanguinem minuo, vel ipso eodem nonnunquam die, interdum die postero: in »
quo rursum exhibito propositorum medicamentorum quodpiam, iterum de sangui- »
ne quid aufero: ac rursum tertio die similiter bis. Quibus etiam verbis, nullum ite- »
rationi destinatū esse tempus, sed quibusdam eadem die, alijs secunda, & tertia: nonnunquam etiam & quarta, post primam venæ sectionem esse exercendam constat. Vbi enim morbus vacuatione sanandus, non vrget: aut fluxio auertenda, non est momentanea: aut vbi de virium constantia non sumus valde certi, tardius: in contrarijs verò statibus citius, sectionem iterare oportet: ita vt in his, interdum eadem die bis, ter, quater, & pluries, sanguinem detrahamus: in illis verò, tribus & quatuor diebus protrahamus iterationem. De quibus solum intelligatur Auicenna, cum quarta primi, cap.20. ita scribit. Et melior quidem secundationis terminus »
est, vt duobus, aut tribus tardetur diebus. In ea verò quæ eodem die semel aut bis »
repetenda est, eiusdem Auicennæ consilium seruamus: ne inter phlebotomiam, & secundationem dormiant ægrotantes: tum ne per somnum vulnus glutinetur, tum

tum ne superflui humores intro magis agãtur ad centrum corporis: sed extra per venas cœpti euocari ex prima sectione, vacuẽtur secunda. An vero expediat iteratam sectionẽ, copiosiorem prima, an parciorem facere: dubium est. Nam Auicẽna syncopã timet ex iteratione copiosa, in hæc verba. Multa præterea in secundatione euacuatio syncopin affert, nisi fuerit postquam assaturæ aquã sumpserit. Contra verò Galenus lib. 4. de Sanitate tuenda dum phlegmonosæ lassitudini medetur, ita scribit. Optimũ verò fuerit, bis eodem die si fieri potest detrahere: ac primũ quidem ita mittere expedit, vt animi defectum homo non adeat. Secundo vero ne defectus quidem ipse est formidandus. Quippe qui priore detractione resolutus est, secundam sustinere haud poterit: in hac verò si quid tale homini incidit, facilè reuocabitur. Quibus verbis, secundam sectionẽ prima copiosiorem, Galenus præcipit. Cui dicendum quòd vbi vniuersi humores detrahendi, continentur in magnis vasis corporis, vnica sanguinis detractione (si vires ferunt) vniuersa plenitudo demenda est, aut eius tanta pars, quantã vires ferre possunt: Quod reliquum vero est postquã vires resumptæ fuerint, iteratione facta est vacuandum. Quare parcius in hac, copiosius verò in illa detrahere cõuenit: quoniã in prima sectione virtus integra, copiosiorẽ vacuationẽ quàm in secunda (quando iam ex priori vacuatione fracta est) tolerat. Si vero extra vasa vniuersus iam humor cõtineatur, venam secare non licet: iuxta Galeni doctrinam lib. 6. Epid. par. 2. com. 29. In medijs statibus, pro ratione extremorum agere conuenit: siquidem plurimum est quod in vasis continetur, minor autem quantitas extra vasa (quod ferè in partium inflammationibus contingit) prima sanguinis detractio copiosior, vt vasorum demat plenitudinem fieri debet: donec scilicet sanguinis color in nigrius commutari, aut fluxionis robur labascere, aut pulsus variari occipiant, libro de Curandi ratione per sanguinis missionem cap. 11. autore Galeno. Secunda autem sanguinis detractio, parcior fiat: vt coniuncta inflammationis causa, quæ ad venas maiores ex minimis, & ex cauitatibus carnis translata iam est, vacuetur. Quod Galenũ in ophthalmico curando seruasse legimus, lib. de Curandi ratione per sanguinis missionem cap. 17. in hæc verba. Venit autem circiter horam quintam, ac prima protinus detractione, tres sanguinis libras exhausi: deinde hora nona aliã. Hæc Galenus. Si autem plurimum sit quod extra venas effusum est (quod in totius corporis lassitudine phlegmonosa contingit) prima detractio parcior fieri debet: quoniã intra vasa non cõtinetur iam ingẽs aliqua vacuandi humoris quãtitas: secunda vero copiosior fiat, per eam enim residuũ plenitudinis venarum: & quod ad carnes etiam confluxerat, ad venasq; ex prima sanguinis detractione vocatum, iam corruptissimũ remigrauit: vacuari debet. Eius autem vacuationem (ceu humoris iam corruptissimi) adeo necessariam esse existimat Galenus, vt ad syncopin in eius detractione ægros deducere non formidet: facilè enim ex ea re reuocabitur æger, qui ex prima phlebotomia parciori non fuit fractus, admodumq; redditus imbecillis. Quod ipsa clarius monstrãt Galeni verba, quæ (paucis interpositis)

*ad hunc modum ſcripta reperiuntur. Cæterum & quæ ex natura rei ducitur, ra- »
tionem appoſuiſſe non ſit alienum. Quoniam igitur in hac quæ veluti phlegmo- »
ne fatigat laſsitudine, vis calidi ſanguinis congeſta in corporis mole eſt, venæ »
autem ſectio ſuccos è vaſis emittit, vtile eſt poſt priorem detractionem tantiſper »
intermittere, dum aliquid eorum qui in corpore ſunt humores remigret ad ve- »
nas. Quod tamen quoniam committendum non eſt vt in his maneat, vt pote ex »
dimidio corruptum, ſed potius plurimum eius expellatur: idcirco detractionem »
ſanguinis etiam ſecundo die iteramus, aliquando verò & in tertio, vbi videlicet & »
reuellere, & ex alijs in alia transfererre, viſum eſt conducere. »*

*Poſt miſſum ſanguinem ſupinus decumbat æger, vt ſpiritus animales citius reſarciantur: minus enim laborioſa eſt eiuſmodi corporis figura, eo quòd dorſum inſtar carinæ nauis (vt ſcribit Galenus primo libro de Anatomicis adminiſtrationibus) magnitudine grauat, & planicie ſua faciliorem facit accubitum. A ſomno abſtineat duabus horis: ne humores commoti intro agantur ad viſcera. In ſomno autem cauendum, ne ſupra vulnus cubet: ne ſanguis fortè nolentibus nobis erumpat. Non dormiat ante cibum: nam ad venæ ſectionem requiſiuimus, ventriculi, inteſtinorum, & meſeraicarum vacuitatem, quæ vena ſecta augetur: ſuper vacuitatem autem dormire, malum eſt, & virtutem deijciens, vt ſcribit Auicenna, tertia primi, doctrina ſecunda, capite nono. Cibum autem poſt duas horas à miſſo ſanguine, exhibuit Galenus (libro nono Methodi) iuueni cui per continentem febrem fuerat miſſus ſanguis, in hæc verba. Poſt duas nanque à ſanguinis miſsione »
horas, paulo nutrimenti dato, ac iuſſo quieſcere, diſceſsi. Quibus etiam verbis, exi- »
guum cibum phlebotomatis exhibendum eſſe perhibet. Primo, quoniam vis per euacuationem reddita imbecillis, minus cibi conficere poteſt. Secundo, quoniam exiguum cibum, ob auiditatem retinet ventriculus, ne crudus rapiatur ad venas inanitas: multum verò continere non poſſet, quin eò raperetur. Quod doctiſsimè aduertens Galenus, quarto libro de ſanitate tuenda, prope finem, ita ſcribit. Cauendum »
verò præter cætera eſt, ne properè & multum, non ſenſim & paulatim renutrias. »
Quippe qui poſt huiuſmodi exinanitionem, ad priſtinam diætam protinus redeunt, »
ijs corporis habitus crudis ſuccis impletur: quos nimirum antequam concocti com- »
modè in ventre, veniſque ſunt, corporis moles ad ſe rapit. Vnde Auicenna quarta primi, capite vigeſimo, ita ſcribit. Et oportet ne phlebotomatus in ſe replendo ſit »
audax: ſed ſecundum ordinē nutriatur, & cibum primitus ſubtiliet. Per quæ ver- »
ba Auicenna, non modo minoris quantitatis cibi atque potus, ſed tenuitatis etiam maioris, rationē habendam eſſe docet. Caloris verò ac frigiditatis, humiditatis & ſiccitatis, ſicut & aliarū qualitatum exhibendarū ratio: ex diſpoſitione phlebotomati pendet. Si enim ſanus eſt, & ſolius præcautionis gratia ipſi vena ſecatur, ſex rubentis & ſplendidi vini vncias, ipſi propinat Auicenna quarta primi, capite vigeſimo, in hæc verba. Omnis quoque ſanus qui phlebotomatur, illud quod in ca- »
pitulo*

pitulo de potu diximus accipere debet. Ideſt .3. pri. doct. 2. cap .8. vbi ita ſcripſerat. Super cibum tamen duas brialas, aut tres bibere, non nocet ei qui conſueuit, & ſimiliter ſano poſt minutionem. Si verò æger eſt, talis adhibeatur cibus aut potus, qualis morbo, cauſæ morbi, aut ſympthomati, magis conuenire videatur, pro vt hoc aut illud magis vrgere iudicabimus. Aqua endibiæ, aut cichorij, febrẽ tẽperat, bilẽ extenuat, iecur deobſtruit. Aqua borraginis & bugloſſi, ſanguinis turbulentiã reſidere facit: & coctioni omniũ humorũ præſertim melãcholiæ opitulatur. Succus acidi granati, bilis ac ſanguinis feruorẽ reprimit, habetq́ vim epiceraſticã & inciſoriã, & exiguum quid nutrit. Sacharũ autẽ his omnibus admiſcemus, tum vt quadantenus nutriãt: tum vt à iecore auidius trahantur. Vna vero aut altera hora trãſacta, hordei cremor, aut contuſum pulli, aut alius alter qui facilè coquatur cibus, debet exhiberi. Sic enim Galenus. 9. lib. Methodi, dum febrienti ſeruo ex putrida continente medetur, ita ſcribit. Itaque vena quoque huic protinus inciſa, vſque ad animi defectum vacuauimus. Poſt id idoneo interpoſito ſpatio, cibauimus primũ mulſa: deinde vna interpoſita hora, ptiſanæ cremore: atque omnia intra quintam acta ſunt horam. Libro etiam quarto de Sanitate tuenda prope finẽ, poſt ſanguinem miſſum, primo die exhibet ptiſanæ cremorem. Secundo die ptiſanam, lactucam cucurbitam, maluam, betam, lapathum, attriplicem: aut cum magis augere vult piſces. Tertio vero die (quanuis non ſine metu) vinum concedit.

Quid ſit agendum vbi Chirurgus neruum aut arteriam pro vena vulnerauit.
CAP. XXXIIII.



SI arteriam vulneraſti, digito vulnus ſtatim occludes, leporis pilos, aut ſtupam, aut telam aranearum oui albumine cum puluere adſtrictorio ſubactam, deſuper impones: & arctiè deligabis. Supra vinculum, ſpongiam rurſus aqua frigida & aceto madefactam, & valde expreſſam impones, rurſuſque deligabis; & frequenti crurum frictione vteris. Si tranſuerſim ſecaſti, brachium plicetur: ſi in rectum vero extendatur: & quatuor diebus quietiſſimum contineatur: poſt quos perſimilis altera curatio eſt iteranda: ſic enim ſiue aneuryſmate, arteriarum vulnera ſanata vidit Galenus lib. 5. Methodi. Merito autem admiratur Tagautius lib. 2. de Cruentis vulneribus cap. 12. id quod Arnaldus. 2. de Regulis vniuerſalibus curationis morborum, cap. 18. frequenti experimento confirmatum eſſe prodidit: nempe quod arteria in quacũq́ corporis parte per trãſuerſum diſſecta, prõptius coaleſcit & agglutinatur, quã ſi ſecundum longitudinẽ eſſet diuiſa. Quòd ſi ſine aneuryſmate curari nequeat: quã maximè curandum eſt ne aneuryſma ferro tangatur, ne ve acribus pharmacis tractetur. Si enim cutem diſſeces, vniuerſus

sanguis & spiritus, per arteriæ vlcus non glutinatū profluet. Si calidis medicamē tis vtaris, cutim calfacies & accēdes, penèq; vlcerabis. Quorum exēpla nos oculis vsurpauimus; vidimus quippe iuuenem, cui sub poplite erat aneurysma: qui à docto quodā medico (si ferro tāgeret) frustra deterritus, chirurgū scalpello secātē cōsuluit, & horæ spatio obijt. Alterū vidimus, cui ex malè secta in brachij curuatura arteria, ingens fuit relictū aneurysma: quod vt medici quidam sanarent, emplastrum è cupresso (quo vtitur Aëtius) imposuerunt: à quo locus supercalfactus dolere & rubere cœpit, meq; accersiuit: cui niuem frequēs applicare iussi, breuiq; in colorem & temperamentum suum redijt cutis, mirumq; erat quàm exiguum ea apposita redderetur aneurysma, sanguine atq; spiritu ob niuis frigiditatem intro se recipientibus. Quare nihil ad aneurysmata tractanda ne inflammetur, ne ve à sanguinis & spirituum calore interdum exedatur cutis (quod alteri cuidam citra, calidorum medicamentorum vsum, Cordubæ contigisse scimus) niue vtilius excogitari potest: cuius nempe frequenti vsu (vt refert ex autore compendij Nicolaus Florētinus, serm. 7. tract. 5. cap. 4. aneurysmata sanantur. At ego non sanari, sed ita cutis temperamētum ex ea custodiri, & defendi existimo: vt nec exedi, nec vlcerari, in vita possit. At si nec vlcus arteriæ solidatum, nec cutis glutinari quiuit: multi (inquit Auicē- »
na) hominum arteriam illam incidunt penitus, vt ipsa contrahatur, & caro desuper »
eam cooperiatur, & teneat. Quam chirurgiam nec probat, nec reprobat, quoniam »
periculosa est admodum, & tunc tantum recipienda cum mortis instat periculum, quod aliter euitare nequimus. Vnde Galenus. 5. lib. Methodi. Cogimur (inquit) nō »
modo arterias, sed etiam interdum venas totas præcidere vtiq; transuersas. Incidet »
autem huius necessitas, in ijs quæ ex profundo loco rectè assurgunt. Præsertimq; »
per angustas, vel principes particulas: quippe ita retrahitur ex vtraque parte pars »
vtraq;, celaturq; ac integitur superiacētibus corporibus vulnus. Præstat autem (vt »
periculum auertas) arteriam nudare, hamo apprehendere, & arctissimo vinculo radicem eius ligare, iuxta Auicennæ doctrinam. 4. 4. tract. 2. cap. 17. Tutiusq; est (vt Galenus scribit. 5. lib. Methodi) vtrumq; facere, funem quidem radici vasis circundare, & quod deinceps habetur præcidere, puluéremq; adstrictorium cum oui albumine (vt diximus) desuper imponere, atq; vt decet ligare.

Si neruū vulnerasti, caue ne vulnus glutinari permittas, ne ve frigida imponas: neruus enim valde lædetur, tam ex frigore medicamentorum, quàm ex ichorum supra neruum retentione. Imò (inquit Auicenna) super plagam impone, quòd ipsius »
prohibeat consolidationem: & eius quidem medicamentum est, sicut medicamentum »
vulneris neruorum, de quo (inquit) nos loquuti fuimus lib. 4. fen scilicet. 4. trac. 4. »
cap. 3. Vbi Galenum 6. libro Methodi transcribens, terebintinam esse de melioribus medicinis adstruxit: in infantibus, & mulieribus, & valde humidis, solam: in viris autem, iuuenibus, & siccioribus, euphorbio permistam. Subiungit autem Galenus. Quin & sagapeno in duris corporibus sum vsus, vtiq; cum oleo & terebintina id »

miscens.

" miscens. Sed & opopanace ad eundem modum quo & sagapeno. Mihi verò & lachryma cyrenaica nõ inutilis fore videtur, si quis emplastrũ ex ea faciat: cuiusmodi est quod nos ex euphorbio cõposuimus. Verum (inquit) nondũ id experientia quemadmodum reliqua omnia comprobauimus. Quippe præcedere oportet eam, quæ à vera methodo proficiscitur, remediorum inuentionem: huic vero experientiam ad certiorem etiam fidem subscribere. Siquidem ex tali methodo etiam sulphur, quod neq; ignem expertum, neq; lapidosum sit, sed omnino tenuium partiũ, ei cui neruus vulneratus esset, conducturum sperauimus: tantum eius tenui oleo miscentes: dum quod ex vtrisq; mistum erat, sordium haberet craßitudinem. In valentioribus verò durioribusq; corporibus, etiam si ad mellis craßitudinẽ redigas, sic quoq; iuueris. Nam id quoq; comprobatum experientia est. Paucis autem quibusdam interiectis, refert Galenus, se composuiße emplastrum ex cera, resina, terebintina, pice, & euphorbio, ad hanc intentionem longè optimum: quo & plurimi sua ætate fœlici successu vterentur. Recipiebat autem ex cera partem vnam, ex terebintina, & pice, vtriusque partis vnius dimidium, sic vt quod ex vtrisq; conflaretur, ceræ par esset: ex euphorbio verò ceræ partem duodecimam, etiam plus aliquando, vbi scilicet valentius efficere est animo. Licet quoq; interim & plus sit quod ex terebintina & pice confit, quàm cera. Licet rursus & alterum eorum tantum, ceræ admiscere. Quin etiam in penuria terebintinæ resinæ (quæ vix apud nos reperitur: nisi ea forte sit quæ olei de abeto nomine, ex India occidentali afferri cœpit) abietinam Galeno etiam autore cõmodè admiscebis. Emplastro verò aliquo ex prius memoratis apposito, lanam mollem oleo calente madefactam, supra decenter alligabis: sic enim dolorem sedabis & æruginosam saniem educes. Hæc etenim est vulnerum neruorum appositißima & peculiaris medela: quæ si negligenter adhibeatur, & cutis vulnus occæcari permittatur: maximus tum phlegmonis, tum conuulsionis, metus impendet (vt scribit Gal. lib. 3. Artis medicinalis) ob dolorem scilicet, & ob æruginosum ichorem, à desectis fibris, in non desectas communicatũ. Vt autem qualia debeat esse medicamenta, quæ peculiarem vim in compuncti nerui curatione exhibent, summatim comprehendamus, Galenum lib. 6. Methodi, ita scribentem audiamus. " Vulnerati nerui curatio, medicamenta postulat, quæ & tepidum calorẽ excitent, & valenter (sine molestia tamen) desiccent. Tum quæ ex substantiæ suæ natura, & trahendi vim habeant, & tenuium sint partium. Et rursus ibidem. In pharmacis autem huc omne consilium direxi: vt esset eorum facultas, tum tenuis, tum modicè excalfaciens, & quæ admodum siccare citra dolorem posset. Cum sola hæc trahere ex profundo saniem, neq; contracta, neq; demorsa particula poßit. Porro cum permagna humanorum corporũ (vt lib. 3. de Compositione medic. secundum genera Galenus scribit) sit differentia, tum in temperamentis, tum ætatum mutationibus, insuper vitæ studijs: nulla ratione quodq; medicamentum omnibus conuenire potest: Quamobrem duo in promptu habeto, alterum Valentius ex similibus genere confectum, alterum

mitius, quæ inuicem mista dum vsus postulat, permulta inter hæc iuxta misturæ quãtitatem cõstitues. At nobis hic terebintinã, aut solam aut euphorbio permistam elegisse sufficiat: estq; adhuc quàm ipsa vtilius, oleũ è terebintina arte chimica tractum: quoniam valde est penetrantior, & ad neruum compunctum, vires apprimè defert. Si autem cutis vulnus ita occæcatũ videris, vt nihil à profundo extrorsum expiret: iubet Galenus lib. 3. de Comp. medic. secundum genera, orificium duabus in cutem sectionibus rectis diuidere: dictaque curatione valde calida vti desuper. Si vero conuulsio acciderit, vel quouis modo eius metus ingruat, caput, collum, & vniuersam spinã, axillas quoq; (si brachium aut manus fuit icta) & inguina (si pes aut crus vulnus accepit) oleo antiquo dulcissimo, irino, & liliaceo, vbertim fouebis. Si vero neruus inflãmetur, cauendum tũc est à calidis & humidis (qualia sunt aqua calida, farina triticea, & emplastica medicamenta) quæ licet phlegmonas partium carnosarum mitigent, neruis tamen aut vulneratis, aut inflammatis, sunt aduersissima, & ingentem ipsis putredinem accersunt. Vti ergo conueniet emplastro ex metallicis ad gangrænas & putredines, lib. 3. de Comp. medic. secũdum genera scripto, quo etiam vtuntur haliabbas & Auicenna: aut vtilissimo alio, quod non modo dicti autores, verum & vniuersa medentium praxis valde probauit: ex farina hordeacea, fauacea, aut eruina, in lixiuio aut oxymellite, aut syrupo acetoso decoctis: cui (si ingens dolor est) sapa vini est addenda.

Quod longo itinere fessis contingere gere solet, id videor mihi nunc contigisse: vt enim illi lentius & laboriosè gradiuntur, nec ita vt ante properant, nimio iam labore fastiditi: ita cum longè lateq; per amœnissimos medicinæ campos, diutius diuagauerimus, eò fastidij noster nos labor adduxit, vt nisi gradum hic sistentes respiremus, minus fœlici vena plura quæ restant in studiosorum gratiam cudenda, trademus. Quæ tamen (ita me Dij ament) absoluta & summa diligẽtia explicita dare, & curo & opto. Quare huius de Vacuandi ratione tractationis hic esto finis.

FINIS.

INDEX EORVM QVAE hic præcipue inquiruntur.

Libro de Plenitudine & Cacochimia.

A Quibus ſumantur multitudinis & cacochimiæ differentiæ. cap. 1.
An ſolius ſanguinis redundantia, plenitudinem efficere poſsit. cap. 1.
An humor alter a ſanguine, plenitudinem pariat. cap. 1.
An tumor venarum ſit firmum inditium plenitudinis ad vaſa. cap. 2
An grauitas ſit firmum ſignum plenitudinis ad vires. Et an omnia membra debeant grauari. cap. 2.
An certius ſignum plenitudinis ad vires, ſumatur ex grauitatis ſenſu: an ex inæqualitate pulſuum. cap. 2
An dentur inditia naturalis facultatis grauatæ. cap. 2.
Locus Auicennæ de Plenitudine ad vires exponitur. cap. 3.
An in plenitudine ad vires neceſſario extẽdantur vaſa. cap. 4.
An plenitudo ad vires ſine cacochimia conſiſtere poſſit. cap. 5.
An ſola humorum tranſpoſitio cacochimiã pariat. cap. 6.
Quibus notis redundans in corpore ſuccus dignoſcatur. cap. 7.
Quod humoris vacuãdi cognitio, ſit magis neceſſaria quam quiduis aliud in arte medica. cap. 7.
Quis integer ſanguis ſit, & quod multipliciter vitietur. cap. 8.
An venenum in noſtro corpore gigni poſſit. cap. 8.
An ſanguis deterius reliquis humoribus putreat. cap. 8.
An febris ſanguinis ſit acutior biliosa. ca. 8.

Libro de Vacuandi ratione.

GRaue erratum eſſe, quod de euacuatione obeunda, aut omittenda, committitur. In præfatione.
Quod corpus ſanum humorũ poſcat mediocritatem, tum quãtitate, tum qualitate. cap. 1.
An pauciores morbi ex innanitione, quam ex repletione contingãt. cap. 1.
An noſtris temporibus, ſit crebra vacuatione vtendum. cap. 1.
Cui morbo facilius ſucurratur: orto ex innanitione, an humorali. cap. 2.
Quibus indicijs dignoſcemus, vacuetur ne humor noxius, an vtilis. cap. 3.
An diuerſa ſit vacuationis tolerantia, ab eiuſdem conferentia. cap. 3.
An conferentia & tolerantia, in vacuatione alterius humoris a peccante, reperiri poſſit. cap. 3.
A quibus fontibus vacuationum differentiæ ſumantur. cap. 4.
Quod immodica vacuatio tripliciter dicatur. cap. 4.
Quid ſit vacuatio naturalis, & quid ſymptomatica. cap. 4.
Sympthomaticarũ vacuationum duplex ſtatuitur differentia. cap. 4.
Quãtũ diſtet vacuatio regularis & coacta. Et an coacta fiat ſine artis regula. cap. 4.
An venæ ſectio, pharmacia, inedia, balneũ, & exercitiũ, vniuerſum ſemper corpus euacuent. cap. 4.
Quid ſit reuulſio, quid deriuatio, & quid euacuatio: & quod interdum confundantur. cap. 4.
Quod reuulſio penes quatuor differentias attendi debeat. cap. 4.
Quod reuulſio tripliciter fiat. cap. 4.
Quæ vacuationes ſanis corporibus, quæ item neutris, & quæ ægris conueniant. c. 4.
Partes vacuationi idoneæ quæ ſint, & quæ ſint loca non conferentia. cap. 4.
An ſolus ſanguis, quantitate redundet. c. 5.
An ſanguis poſſit eſſe qualitate moleſtus. cap. 5.
An a ſanguinis corruptione ſumatur indicatio ad expurgandum, an ad ſanguinẽ detrahendum. cap. 5.
An detur medicamentum ſanguinẽ expurgans. cap. 5.

An

An in plenitudine expurgare, & in cacochimia sanguinem mittere, aliquando conueniat. cap. 6.
An in quartana ante coctionem sit sanguis detrahendus. cap. 6.
An venæ sectio requirat coctionē præeuntem. cap. 6.
An in omni febre sanguinem (saltem minorandi gratia) mittere expediat. cap. 6.
An in omni phrenitide, & in erysipelate cerebri, vtilis sit venæ sectio. cap. 6.
An in omni morbo sanguinē aliqua ratione mittere liceat. cap. 6.
An virium robur, & morbi magnitudo, sint scopi sanguinis missionem indicantes. & an omne præsidium medicū eosdem requirat scopos. cap. 7. & 34.
An pueris ante annum quartum decimum vena sit tundenda. cap. 8.
Quid per ætatem vigentium intelligamus. cap. 8.
An pueri validas vires habeant. cap. 8.
Qua ætate scarificationem tenuē, profundam, & mediam, itemque cucurbitulas, pueri valeant tolerare. cap. 8.
Cuius virtutis robur ad sanguinis missionem requiratur. cap. 9.
Quod per virtutem naturalem, vitalem etiam interdum Galenus intelligit. cap. 9.
An possint vires vsq; adeo deijci, vt nec minimam sanguinis tolerent detractionem. cap. 10.
Quod plurimū scire referat, an propter inanitionē aut euacuationē virtus sit imbecilla: an vero propter dolorē aut morbi acumen, vt sanguinē detrahamus, aut a detrahendo desistamus. cap. 10.
Quod vires non modo debent constare ad tolerandum morbum: sed etiam ad alia, tum symphomata, tū inditia, tum medica præsidia post adhibenda. cap. 10.
An in febre cum profluuio ventris, sanguinis detractione vti possimus. cap. 10.
An dolor euacuationem augere, an minuere poscat. cap. 10 & 23.
Quod morbi magnitudo poscit magnitudinem remedij, morbi vero species, remedij speciem cap. 11. & 34.
Quod nō in omni vera pleuritide, sanguis sit detrahendus. cap. 11.
An malus morbi mos, a magnitudine morbi debeat separari. cap. 11.
Quot sint roboris mensuræ, & magnitudinis morbi copulæ: & quid in vnaquaque earum sit faciendum. cap. 12.
An ambientis calor, inter præcipuos scopos mittendi sanguinē, numerari debeat. cap. 13.
An humores crudi sanguinem penitus mittere prohibeant. cap. 14.
Crudorum succorū tres status statuuntur: & quod in medio statu, sanguinis repetita detractione sit vtendum: in extremis vero neutiquā ea vti licere traditur. cap. 14.
Quinque expendenda esse in curatione crudorum succorum. cap. 14.
Diospoliticum, diaciminum, diatrion pipereon, oxymelli, oxyglyci, paratur. cap. 14.
Clystere, mordentes, & intestina abradentes, quando sint vtiles. cap. 14.
An alicui ante aduentum febris sanguinis missione indigenti, sit neganda sanguinis missio dum cœpit febricitare. cap. 14.
An vtero gestanti sanguinem mittere liceat. cap. 15.
An vtero gestanti sit imperanda inedia. cap. 15.
An purgantia medicamenta grauidis prorsus sint vitanda. cap. 15.
An omnia expurgantia habeant vim deleteriam. cap. 15.
An expurgantia moueant humores prauos ad vterum. cap. 15.
An omne expurgans sit diureticū: & an omne diureticum moueat menstrua. cap. 15.
An mitia nostri tēporis pharmaca, propinari debeat vtero gerētibus, materia nō turgēte, & toto gestationis tempore. cap. 15.
Quod nulla maior infœlicitas nostris ægris cōtingere posset, quam ea ebibere quæ Hippocrates, & Galenus, suis ægris ministrabant. cap. 15.
An manna cognita fuerit Galeno: & an vim in ea purgantē agnouerit. cap. 15.
An agaricus & aloe conueniant prægnāti. cap. 15.
An rhabarbarum nostrum, distet a rhapontico antiquorum. cap. 15.
Monstratur Pauli locus, quem Manardus sibi petit monstrari. cap. 15.
Rhabarbari vtilitates memorantur. cap. 15.
An rhabarbarum prægnantibus debeat exiberi. cap. 15.
An myrobalani nostri fuerint Galeno, & antiquioribus cogniti. cap. 15.
An tamar indi fuerint Galeno cogniti: &

an conueniant prægnanti. cap.15.
An vim soluentem in rosa nouerint antiqui. cap.15.
An rosa alba sit solutiua. cap.15.
An syrupus e nona infusione rosarũ (quas Alexandrinas vocamus) cõueniat prægnãtibus. Et an rosa Alexandrina sit rosa persica. cap.15.
An casia fistula sit prægnantibus exhibenda. cap.15.
Quod nam præsidium tutius adhibeatur prægnanti, venæ sectio, an pharmacum expurgans. cap.15.
An venæ sectio interdum sit præcautoria abortus. cap.15.
Quod suppositorium collo matricis impositum, ad mundandum vterum a menstruis non purgatis ante conceptum, sit remediũ temerarium. cap.15.
Quantum distet lethale a deplorato: & cui ex ipsis sit admonenda manus. cap.16.
Cur humor coctus (cum melius pareat purganti medicamento quam turgens) nõ purgabatur ab Hippocrate, in vtero gerentibus sicut turgens. cap.16.
An sanguis possit turgere. cap.16.
An trimestres iniurijs maxime resistãt. c.16.
An tutior sit venæ sectio primis duobus mẽsibus fœtationis, quam sequẽtibus quatuor mensibus. cap.16.
An humanus vterus habeat acetabula. c.16.
Cur acetabula & ligamenta ex quibus fœtus propendent, nono mense facilius rumpantur, si tunc sunt ficciora. cap.16.
An sanguinis missione fœtum perdere liceat, pro saluanda matre. cap.16.
An ex sanguinis missione timere interdũ debeamus, frigidorum cruditatem, & biliosorum excandescentiam. cap.17.
An in causo sanguis ad animi deliquium sit detrahendus. cap.17.
An causus differat a tertiana cõtinua. c.17.
Causi curatio traditur. cap.17.
An fastidiũ impediat sanguinis detractionem. cap.18.
An saturis & famescentibus vena sit tundẽda. cap.19.
Laudatur in initio acutorũ casiam fistularem, aut mannam propinare. cap.19.
An exiguus cibus venæ sectioni sit præmittendus. cap.19.
An vomitum venæ sectioni præmittere liceat. cap.19.
An veneri sit præmittendus cibus. cap.19.
An cõualescentibus vena sit tundẽda. c.20.
Quod sanguis albus & subtilis, illico est supprimendus. cap.20.
An præcautionis gratia veris tempore sit vena secanda, & expurganti medicamento vtendum. cap.21.
Quod quidam sunt vacuandi ineunte vere, alij sub veris finem: & quando idem in autumno repetere expediat. cap.21.
An in prima, & vltima mensis quadra, sit vena secanda. cap.21.
An ad venæ sectionem cauere oporteat lunæ stationes, aut ratione signi, aut ratione domus, aut ratione coitus cum aliquo planeta, vel stella fixa, aut ratione aspectus astrologici. cap.21.
Quantum sit tribuendum solstitijs, æquinoctijs, insignium astrorum exortibus, & lunæ quadris. cap.21.
Error notatur eorũ, qui aut ob leues quosdam morbos imminentes, aut nullo etiam morbo venire solito: sanguinem sibi quotannis detrahi faciunt. cap.21.
Quod prælentibus scopis mittendi sanguinem (vniuerso etiam cælo reclamante) cõtra astrologorũ placita sanguis sit detrahendus, aut expurganti medicamento vtẽdum: prout hoc aut illud magis expedierit. cap. 21.
Quod in morbo per circuitus repetente, requirẽda sit intermissionis, aut remissionis hora: non autẽ benignus, aut salutaris aspectus. cap.21.
An dies decretorij, sint ad sanguinis detractionem, aut expurgationem cauendi. c.21.
Quæ sit hora ad venæ sectionem electissima: vbi nihil nos cogit ipsam accelerare, aut procrastinare. cap.21.
An clysterem ante venæ sectionem infundere semper expediat. cap.21.
An in necessitate vtriusque euacuationis, sit præmittenda venæ sectio, an expurgatio: & an simul possint adhiberi. cap.22.
Quod plenitudo & cacochimia multipliciter copulantur: tum quo ad ipsorum gradus, tum quo ad locũ in quo consistũt. c.22.
Quibus inditijs dignoscamus, primam regionem ante iecur esse immundam. cap.22.
An in veneno epoto sit vena secanda. c.22.
An post abundantem aquæ frigidæ potum venæ sectio conducat. cap. 22.
An venæ sectio moueat humores ad exteriora.

tiora. cap.22.
Quando in scabie,lepra,variolis, ictu venenoso,morsu virulenti animalis, bubone, & parotidibus,vtilis sit venæ sectio:& quãdo noxia. cap.22.
Quid sit faciundum,vbi erratum est præmittendo venæ sectionem purgationi:aut purgationem venæ sectioni. cap.22.
Quæ temperatura, quæ etiam ætas, plus sanguinis sibi detrahi sustineat. cap. 23.
An per consuetudinem euacuationum,cõparetur ad ipsas euacuationes, non modo tolerantia,sed etiam indigentia. cap.23.
Quod per hyemem largius est nobis detrahendus sanguis: quoniam omnes hyemes temperatas habemus. cap.23.
An continentis humiditas,copiosiorem,an parciorem vacuationem indicet. cap.23.
An parcitati quam vbertati assuetus,sit copiosius vacuandus. cap.23.
Quod antiqui copiosius vacuabant quam nos.Et quod robustiores homines ætas illa ferebat. cap.24.
Quantũ distent exolutio,animi deliquiũ, syncopis,& tremor cordis. cap.25.
An vacuatio ad animi vsq; deliquium, aut syncopin,sit interdum medico exercenda. cap. 25.
An vbi nulla nostri corporis pars afficitur, sanguinis profluentis aliqua fiat mutatio. cap. 26.
Cur bonum signum sit,quod prior sanguis corruptior:posterior vero minus corruptus pellatur. cap.26.
Quomodo sanguis in inflammatione impactus, & ad meatus carnis ex minimis venis transmissus, possit iterum in venas remigrare. cap.26.
An in venæ sectione quæ internis inflammationibus adhibetur,sit spectanda sanguinis mutatio simplex,scilicet in magis corruptum: An duplex,scilicet tertia post hanc, in qua incorruptus exire rursus occipiat. cap. 26.
Cur per copiosiorem quam decet sanguinis detractionem, ex pleuritide fiat interdum pulmonia. cap.26.
Cur in cathoco epidemico, & pleuritide, prauum signum sit sanguis sine vitio detractus. cap.26.
Signa traduntur, quibus dignoscamus satis sanguinis esse detractum. cap.27.
Quod turgidior vena sit secanda, vbi vniuersum corpus afficitur. cap. 28.
Quod vtrumque latus alternatim vacuare præstet. cap.28.
Fluxui per partem aliquam,distãtissima vena est tundenda. cap.28.
Quod in fluxu sanguinis narium,a diuersis venis sanguis sit detrahendus. cap.28.
In prouidentia affectus soliti ad partem venire,distãtissima vena est tundẽda. c.28.
An eadem vena sit secanda in præseruatione & curatione. cap.28.
Vbi affectus in parte cœpit,reuulsio cum euacuatione quæ ex viciniori aliqua vena fit,est exercenda. cap.28.
Quanti sit æstimanda communitas rectitudini coniuncta. cap.28.
Si pars in qua humor fluere cœpit,sit ignobilis:pro medici coniectura propinquior aut longinquior vena est tundẽda. cap.28.
An in dolore humeri, aut brachij, ex brachio dolente sanguinem mittere expediat. cap. 28.
An dolore existente in manu,eiusdem brachij vena sit tundenda,vt sanguis in medio cursus euacuetur. cap.28.
Quis terminus sit ponendus,in diuisione partium supernarum ab infernis. cap.28.
Quibus partibus affectis hæmorrhoidales venæ succurrant: & quo instrumento sint aperiendæ. cap.28.
An in inflammatione partiũ supra iecur,liceat aliquãdo sanguinem mittere ex talo, aut poplite. cap.28.
An in morbis partium iecore inferiorum, sanguinem aliquando mittere liceat ex brachio. cap.28.
An inter vterum & venas brachij, communitas aliqua intercedat. cap.28.
An venæ sectio habeat vim plus sanguinis vocandi,quam per ipsam vacuetur: An vero eatenus tantum sanguis sequatur,quatenus educitur. cap. 28.
Quæ vena sit in pleuritide secãda.cap.28.
An vera pleuritis,morbis internis,an externis, veniat annumeranda. cap 28.
Quod cucurbitula scarificata, est interdũ venæ sectionibus interponenda. cap.28.
Quo tempore inflammationis,& qua cautione,vti debeamus medicamento mere discutiente,& cucurbitula. cap.28.
Quibus affectibus,& cur,tantum prosit sectio venarum quas saluatellas vocãt. c.29.
An manus dextra sit emunctorium iocinoris.

moris, & sinistra lienis. cap.29.
An Galenus paruifaciat sectionem saluatellarum. cap.29.
An in morbis quibusdam vtilius secentur arteriæ quam venæ. cap.30.
Quod sectio arteriarum conueniat in dolore pulsatili: & quis dolor sit vocandus pulsatilis. cap.30.
Cur magis prosint sectiones arteriarum quæ inter pollicem & indicem excurrunt, doloribus hepatis, & septi transuersi: quam si aliæ arteriæ secentur. cap.30.
Quomodo dolores diuturni, ex sanguine arteriali nasci possint. cap.30.
An Galenus insõnijs plurimũ tribuat. c.30.
Quomodo effluat sanguis secta vena. c.31.
An inanitio partis venæ vulneratæ, causa fluxus sanguinis esse possit. cap.31.
Quæ sit causa rectitudinis, directæque dispensationis humorum, per quam natura secundum rectum mala accipit, & secundum rectum a malis se expedit. cap.31.
An fibræ rectæ, quidpiam ad rectam faciat humorum dispensationem. cap.31.
An iecur inflammatũ æque iuuetur sectionæ sinistræ, ac dextræ basilicæ. cap.31.
An pleuritis, octo inferiorum costarum sinistri lateris, sit vacuãda per basilicam dextram. cap.31.
An rectitudinem vtiliter interdum violet natura. cap.32.
Vnde coxendicum dolores sanet auris cõtrariæ vstio. cap.32.
Vnde in quibusdam capitis vulneribus contingat laxitas in latere vulnerum, & in eius opposito spasmus. cap.31.
An dextra caluariæ parte icta, sinistra findatur. cap.32.
Quod sectio venarum quæ post aures iacent, reddat impotentes. cap.32.
An rectitudo in alijs differentijs a dextro & sinistro sita sit. cap.32.
An ex pedum venis (quæ omnes ab vna vena poplitis oriuntur) plus vnam quam alteram secare referat. cap.32.
An in descendente pleuritide, sit præferenda venæ sectio, expurganti medicamento. cap. 33.
An per descendentem pleuritidẽ, eam quæ octo inferiores costas tenet intellexerit Hippocrates. cap.33.
An in venæ sectione sit cauendus transitus per membrum princeps. cap.33.
Quod per morbi magnitudinem ad venæ sectionem necessariam, non sit morbi acumen intelligendum. cap.34.
Quid sit faciendum in ipso actu venæ secandæ. Vbi de acubitu, frictione, vinculo, sectione, figura, & amplitudine sectionis, agitur. cap. 34.
Ex venis brachij quæ securius secetur. Et an supra, an infra gibberũ sit secanda. ca.34
Quot scalpellorum differentias habere debeat chirurgus. cap.34.
Quomodo venæ sphagitides, aduersa scalpelli parte secari debeant. cap.34.
An ex transuersa venarũ sublingua sectione, timendus sit sanguinis fluxus qui compesci nequeat. cap.34.
Quomodo dignosces, arteriam ne, aut neruum, pro vena vulneraueris. cap.34.
Sectione peracta quid sit in sanguinis effluxione considerandum, & emendandũ. c.34.
Quæ satis sanguinis detractum esse ostendant indicia traduntur. cap. 34.
Syncopi venæ sectioni superuenienti, vt sit succurrendum. cap.34.
De obseruandis in iteranda venæ sectione. cap. 34.
An vbi venæ sectio iteratur, copiosius debeat mitti sanguis, in prima quam in secunda sectione. cap.34.
De obseruãdis post sanguinem missum agitur. cap.34.
Quantum temporis post missum sanguinẽ sit somnus arcendus. cap.34.
An post venam sectam vberius, an parcius quam ante nutrire debeamus. cap.34.
Quid sit agendum vbi arteriam pro vena vulnerauit chirurgus. cap.35.
Quantum iuuentur aneurysmata ex mure apposita. cap.35.
Quando sit arteria secta prorsus præcidẽda. cap.35.
Quid sit faciendum vbi neruus fuerit scalpello ictus. cap.35.
Qualia debeant esse medicamenta, quæ peculiarem vim habent in curatione nerui cõpuncti. cap.35.
Quod oleũ e terebintina sit vtilissimũ. 35.

FINIS.

ERRATA SIC CORRIGITO.

Errata multa non admodum grauia, nostrum fortè parum lynceum, aufugerũt obtutum: quæ candidus lector facilè nobis ignoscet, & per se instaurabit. Grauiora verò alia, etsi legantur in quibusdam paginis quæ iam erant excusæ: in alijs quæ prælum adhuc non senserant (cum otium ex negotijs quibus frequenter distringor fui nactus) instauraui. Grauia appello ea, quæ etsi vnius tãtum, aut numeri, aut syllabæ mutatione constent: in sinistrum sensum abeunt. Quale est quod libro de Facultatibus, fol. 23. pag. 2. lin. 38. scribitur psalmo. 218. pro. 118. Et alia quæ vbi conspexero aduertam. Primum ergo. In titulo folij. 2. 6. & 7. legendũ est

De plenitudine & cacochimia.

Fol. 2. lin. 31. cacochimiam. Fol. 3. lin. 25. existimant. Fol. 8. pag. 2. lin. 2. Hippocrates. Fol. 9. pag. 1. lin. 8. inditia. Fol. 11. pag. 1. lin. 23. pillulas. pag. 2. lin. 7. inditia. lin. 34. phlebotomando. Fol. 12. pag. 1. lin. 5. toleret. Fol. 13. li. 4. laborabat. Fol. 14. lin. 16. committitur. Fol. 15. pag. 1. lin. 15. autem. lin. 35. cygno. Fol. 19. pag. 2. lin. 30. & 31. pillulæ. Fol. 23. pag. 2. lin. 2. 18. præferetur. Fol. 24. pag. 1. lin. 2. tentare? Fol. 28. pag. 2. lin. 3. est &. Fol. 30. pag. 2. lin. 3. hoc vero tanquam illam haud impediens. Fol. 33. pag. 2. lin. 40. calo. Fol. 34. lin. 10. Dehinc. lin. 17. chamæmelo. Fol. 36. pag. 2. lin. 31. efficacius. Fol. 44. pag. 2. lin. 32. nostris. Fol. 46. pag. 2. lin. 5. locupleti. Fol. 63. pag. 1. lin. 18. febricitat. Fol. 64. lin. 2. egressus. Fol. 65. pag. 1. lin. 17. donec color Fol. 66. lege. 61. & pag. 2. lin. 34. extremum. Fol. 84. pag. 1. lin. 1. sanguis tam per. Fol. 88. pag. 1. lin. 20. quæ Fol. 94. pag. 2. lin. 14. amigdalarum.

Series chartarum.

⊠ A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X
* a b c d e f g h i k l m n o p q r
Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn

*Omnes sunt quaterni, præterquam quòd. ⊠ . in prima serie, & . * . ac , o , in secunda, sunt duerni. H. præterea primæ seriei, & . b . secundæ, sunt terni.*

